UVA BHSC BU 02224

III CENTENARIO
del
V. P. Luis de la Puente, S. J.

Exposición ..... N.º 161

Objeto: Lux evangelica
P. Engelgrave.

Procedencia: Bibl. Provincial
Valladolid

Número 6221

2224

UVA. BHSC. BU 02224

BIBLIOTECA
DE LA UNIVERSIDAD DE VALLADOLID.
Estante n.º 75. 111
Tabla 2.ª 5-12
Número 6021

2224

UVA. BHSC. BU 02224

Hæc amat obscurum. Horat.

Ille colores. Ovid. metam. 2.

LVX EVANGELICA sub velum SACRORVM EMBLEMATVM Recondita in Anni Dominicas SELECTA HISTORIA & MORALI DOCTRINA Variè ADVMBRATA

Per HEN. ENGELGRAVE Societatis IESV.

P. I.

Cernuus volucres vivgs. aucupat.

Volet hæc sub nube videri. Horat. de Arte

I. v. Meurs sculp.

COLONIÆ, Proftant Apud Iacobum à Meurs Amstelodami 1655.

UVA. BHSC. BU 02224

De la Librería del Colegio de S. Ig-
nacio de Valladolid.

UVA. BHSC. BU 02224

PERILLUSTRI

AC

GENEROSO DOMINO

D. GUILELMO

DE BLASERE

EQUITI AURATO,

TOPARCHÆ DE HELLIBVS, CAESTERE, &c.

VETERIS ARCIS GANDAVENSIS

CAPITANEO.

ALDENARDENSIS TERRITORII ET VRBIS

PRÆTORI

ET

ARCIS GUBERNATORI,

REGIS CATHOLICI AD RENOVANDOS

FLANDRIÆ MAGISTRATUS

LEGATO.

UVA. BHSC. BU 02224

PERILLUSTRIS DOMINE,

IPse in hunc fœtum meum injurius essem, si in lucem prodeunti alium patronum adsciscerem quam Te, cujus, jam tum cum conciperetur, favorem est expertus. Hinc ut libere pronuntiem, prius per manus quàm vagetur, vel vagitu suo amica vesti a manu suscipi, & duci postulat. Tuo potissimum judicio fretus in publicum sese dat. Quia auribus Tuis placuit, oculos omnium auder subire. Pietati quidem Tuæ, non dictioni meæ dedisti, quod Gandavi, cum quæ typis nunc evulgo, voce explicarem, meus, quoad licuit, auditor fueris: non mei audiendi, sed Dei matris in suo sodalitio colendæ studio, ægre abesse sustinuisti. Quando tamen, quæ dicebam grata Tibi accidere testatus es, arrogantiæ notam non vereor, si, post judicium Tuum, aliquid publicæ approbationis exspectare ausim. Cui prudentia Tua, & in discernendo vis, ac mentis acies, eam spem non faciat? Non alia in civilibus politicisque, alia in piis sacrisque rebus Tibi perspicacia est, aut in illis potius,

UVA. BHSC. BU 02224

tius, quam in his dijudicandis vales. Sic obis utrasque, ut, cum in illis totus versere, simul in his totus sis; sic patriæ res, & curæ publicæ Te sibi vendicant, ut non minus pietas occupet. Si mea me fefellit opinio (neque aliquid rebus, quas adtrecbam, sed benignitati Tuæ totum tribuere debeo, quod dicentem non invitus audieris) favebis errori, in quem me induxisti. Cujus humanitatis fuit, qualiacumque dicerem, libenter audire, ejusdem erit nunc typis edita, in tutelam Suam recipere. Taceo quid operi meo lucis, à nominis Tui splendore sperem. Laudare Te non possum, quin in modestiam tuam peccem. Res præclarissimas geris, Regi patriæque quam fidelem opem, tam utilem operam præstas, & earum luce contentus, umbram, hoc est, gloriam non quæris. Commendabilis esse, non commendari vis, mereri laudem, non adipisci. Attingámne quid ordinis mei causâ Tibi debeam? quod alteri exprobrare vitia, hoc, Tua Tibi commemorare beneficia, est. Pro grati animi officio, hostimenti loco, amico silentium indicis. In hoc magno Constan-

[1] *Euseb. de vita Const. l. 4. c. 28.*

UVA. BHSC. BU 02224

tino haud minor, qui laudes suas cum audire nollet, non fuit qui recensere auderet. Igitur, & hac Tibi acceptissima, mihi facillima gratiarum actione utar, silebo. Novi beneficii loco permittes, ut sim, maneamque,

Perillustris Dominationis Vestræ

Infimus Servus

HENRICUS ENGELGRAVE

S. I.

UVA. BHSC. BU 02224

AD LECTOREM.

IDEM mihi votum quod Philosopho Romano fuit, a Non delectent verba mea, sed prolint. Oratio sit talis, ut res potius, quam se ostendat. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita comperit ut idem ille qui sanare potest, compte de his quæ facienda sunt, differat, boni consulet; non tamen erit quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum. Hoc enim tale est, quale si peritus gubernator, etiam formosus est. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? aliud agitur. Vrendus sum, ad hoc adhibitus es. Curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Circa verba occupatus es. *Sequar momentis consilium, utinam assequar consulentis monitum. quapropter ne actum agam, non grammaticum. Quid enim aliud quam ineptire est, bracteatam sectari eloquentiam, sermonumque illecebras quasdam, veluti sirenes affectare, ubi pravi comprimendi sunt affectus. Illa Philosophorum auribus ancillans eloquentia, rostris quam sacris cathedris aptior est: si non tam delectationis captandæ avarus, quam salutis consequendæ avidus es, habes quod aves. Folia ne legas, verba neglige, fructum collige, hoc legere, intelligere est. Aureè Chrysologus:* b Verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum. *Hoc demum ad gustum æternæ beatitatis sapere est. Interim hic prægusta, non falsas eloquentiæ delicias, sed quantæ sit ingenuæ veritatis, omnium mentibus expetenda suavitas: uti egregie monet Princeps veritatis Doctor Augustinus:* c Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum quærere, non verba: quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est.

Nuda veritas, & investis, hoc solis habet, dum innubis est: verbis rem vestire, lucem nube involvere est. Quam prospere perspicaci ingenii splendore D. Prosper ita discussit: d De

a *Seneca epist. 75.* b *Chrysol. serm. 18.* c *Aug. lib. 4. de doct. Christi.* d *D. Prosper l. 3. de vita contempl.*

accu-

UVA. BHSC. BU 02224

accuratione dictionis elucubratæ non satago, nec mihi pudori est, si disputatio mea, quæ forte probatur in rebus, aliquos verborum inanium sectatores, horrore incomptæ orationis offendat, etenim cum sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, quis non judicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiam si eam potuissem, veluti dicendi peritus implere. Quapropter ea mihi visa est compositio satis ornata, quæ conceptionem animi, cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deserviret; nam & prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro verbis, sed pro rebus numerandis verba sunt instituta. *Quare in hac luce meridiana toti caligant, qui me hic oratorem, aut sacrum Ecclesiasten de altiori loco differentem expectent. De plano ago:* a Non sum eloquens ab heri & nudiustertius. *Conciones non inscribo, quod sciam neminem quemquam repertum esse, qui obsonium pro palato cujusque condire valeat, quod supremi dumtaxat est conditoris, qui hoc filiis suis in deserto condivit.*

Plura itaque cum ad seligendum, quam ad dicendum lector requirat quandoque non pauca congessi; quædam etiam pro sale insperfi festiva magis, quam ut plena manu è suggestu spargantur. Denique Pythagoræ præceptum sectatus sum: ne multis pauca, sed paucis multa complectere.

Ejusmodi enim libros vulgus desiderat, & Hieronymus commendat: b Quidquid, *inquit*, in scripturis divinis mirabiliter fulget, quidquid in præceptis moralibus copiosum est, totum in parvo corpore adunatum lector desiderat, paupertatis necessitate.

a *Exod.* 4. b *Hieron. præf. ad Comitem.*

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA I.

IN STRENAM.

Annos æternos in mente habui. Psal. 67.



Annulus Æternitatis, non tam manu, quàm mente volvendus, in annulari horologio effingitur.

§. I. *Annulus Æternitatis apprehendi potest, comprehendi non potest.*
§. II. *Cursus vitæ nostræ ad annulum Æternitatis dirigendus.*
§. III. *Præ annulo Æternitatis omnia humana, ut vana ac momentanea despiciuntur.*
§. IV. *Annulus Æternitatis contra omne lethale virus, præsens amuletum.*

UVA. BHSC. BU 02224

Annos æternos in mente habui. Psal. 67.

PLINIUS a ille, qui præ cæteris naturas rerum pleniùs ac planiùs septem & triginta libris complexus est, originem annuli deducit à Prometheo, qui dum catenâ ferreâ caucaso alligatus esset, Iupiter captivos suos revisens, Prometheum supplicem, ac multis rogantem solvit, & libertati restituit, hoc pacto: ut è catenâ, annulum ferreum digito insertum, cui è caucaso pro adamante, frustillum inerat, perpetuò gestaret, eumque quoties adspiceret, toties æternæ captivitatis sibi debitæ, ac libertatis restitutæ recordaretur. Mortales omnes, nedum natos, æterno exilio damnatos, aliquando Deus misericordiarum, oriens ex alto visitavit, ac è gravissimo stygii tyranni jugo, in novæ libertatis statum revocavit, ut rectè magnus Gregorius, sedentibus in tenebris & in umbrâ mortis. b *iste jam apparuit, qui electos suos adscribit in æternitate;* beatæ nempe illius c *æternitatis candidatos* constituens, ut Tertullianus loquitur, hac tamen lege, ut semper, non tam manu, quàm mente annulum circumferamus, qui annos æternos, non obscuro Ægyptiorum hieroglyphico, sed manifesto Christianorum symbolo, assiduo volvendos commoneret.

Etenim ut anno cum annulo vocis, ita & veritatis non exiguam affinitatem esse, vel ex hominis ethymo Varro omnium facilè acutissimus, & sine ullâ dubitatione doctissimus, (ut loquitur Augustinus) declarat, dum ait: d *Ut parvuli circuli annuli, sic magni dicebantur anni.* Quod ipsum confirmat S. Isidorus: e *Annus*, inquit, *dictus, quia mensibus in se recurrentibus volvitur, unde & annulus, quasi annuus, id est, circulus, quod in se redeat.* Hinc Græci vocant ἐνιαυτὸν velut redeuntem in seipsum; quibus concinit Poëta:

f *In se sua per vestigia volvitur annus.*

Ubi desinit, illic in se rursum revolvitur: & sic semper itur, & reditur in orbem: quod sapienter Sapiens expressit Ecclesiastes 1. *Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu: pergit spiritus & in circulos suos revertitur.* In dies sol circulum conficit, ut in dies æternitatis recordemur: in annos singulos decurso Zodiaci ambitu, perfectum nobis annulum exhibet; octavus verò cælorum orbis, licet quotidie primi mobilis raptu circumvolvatur, suo tamen motu testudineo, non nisi singulis triginta sex millibus annorum, in orbem plenè circumgyratur: & hoc temporis spatium, *annum Platonicum, annum Magnum* appellarunt. O annum verè magnum 36. millium annorum! si hi in tormentis acerbissimis exigendi, ô *annum* clamabunt

a Plin. l. 37. in procem. b Greg. hom. 8. in Evang. c Lib. 2. de Resurrect.

d S. August. de civit. l. 6. cap. 2.
e S. Isidor. l. 5. Origi. c. 36.
f Virg. 2. Geor.

mi-

UVA. BHSC. BU 02224

miseri inferi *æternum*! ô annulum omni fine & termino carentem! ubi enim hic annus magnus revolutus fuerit, rursus alter orietur, & sic annus in morem annuli,

Volvitur & volvetur in omne volubilis ævum.

Hunc vobis annulum nobiles, plebei, opulenti, inopes, conjugati, cælibes, juvenes, virgines (omnes enim ut video nunc annulis ducimini) hunc, inquam, annulum æternitatis, ad quam tenditis, quam intenditis, in strenam, g *in monumentum & pignus amoris* ÆTERNI, nunquam annulandi, quem cum IESU vestro inire debetis, consecro, confero, & annulari digito infero, ut non tam digitos, quàm corda coronet; *Annulos* enim, inquit S. Isidorus, *primùm homines gestare cœperunt, quarto à pollice digito, quod vena quædam usque ad cor pertingat.* Estote ergo prudentes sicut serpentes, qui caudam implexam ore tenentes, annulum signant, & annum significant *æternum:* in hoc circuitu prudenter ambulantes & novissima providentes; quo verò, *annos æternos* perpetuò in mente habeatis, annuli æterni naturam, vires ac pretium expendamus.

a Virgil. l. 5. Æneid. b Isid. lib. 9. orig. c. 32.

§. I.

Annulus æternitatis apprehendi potest, comprehendi non potest.

DE hac si quæris quanta sit? Respondeo, si numero, aut mensurâ comprehendi possit, extra terminum non esset, atque adeò non esset æternitas. Metire ergo illam, si lubet, iterum & sæpius: post decem annorum Myriades, post centies millena millia myriadum, necdum finis, necdum medium, nihil dum de principio æternitatis diminutum est, nullis dialecticis argumentis, nec Arithmeticis numeris, nec Geometricis dimensionibus mensurari, vel ulla sui parte potest *æternitas*: expendi potest, comprehendi non potest. Ita sensit Hipponensis Antistes (qui inter magistros optimos à Cælestino papâ habitus est) dum ait: c *nec putes quia verbis finitis finitur æternitas. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est.* Ut tamen quoquo modo possumus, illam assequamur, Doctoris Angelici vestigiis insistamus, qui sic ait: d *Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire, per composita; ita in cognitionem æternitatis, oportet nos venire per tempus.* Adi itaque & audi æternitatis contemplatorem, qui annos æternos in hoc annulo continuò volvendos describit:

e *Hic qui recurrit orbis*
Dic annus annulúsve?
Est annulus per annos
Currens novos per annos
Menses, dies, & horas.
Qui carior fit auro,
Qui rarior smaragdo.
O si quid est saluti,
Omnes & hunc per annos,
Menses, dies, & horas
Circumferant tenaci
Dextrâ simul sinistrâ;
Vtrâque & aure gestent

c Aug in ps. 145. in fine. d S. Thom. 1. part. q. 10. art. 1. e Deaponte in Sapient. tom. 2. pag 80.

UVA. BHSC. BU 02224

Et ventilent in aurem.
Malim tamen perenni
Cor ambiat coronâ
Et corde tum revolvant:
Quos hîc revolvet annos,
Menses, dies, & horas,
Innexa secla seclis,
Bis, ter, quaterq; mille,
Et mille, mille, mille,
Ter millies quaterque
Et millies, & adde
Sex millies & ultra
Volvit redux tot orbes,
Tot annulus revolvet
Menses, dies, & horas,
Atque orbium tot orbes,
Totq; orbitas fugacis
Solis, rotasq; Lunæ;
Dum sera meta sistet,
Æternitatis unum,
Stabunt perenne punctum.

Hæc doctissimi Sasbodi, juxta ac religiosissimi viri pia commentatio: ô quis par esse poterit æternitati? ô æternitas quàm longum crucias! ô æternitas quàm rarò versaris in mentibus hominum! iterum dico, quàm rarò versaris in mentibus nostris, æternitas! O æternitas! cogito mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot sunt momenta in tempore, à mundo condito usque ad ejus consummationem: & de æternitate nihil adhuc habeo. O æternitas! quis poterit æternitati par esse in tormentis? volo dicere, & nescio dicere. Quamdiu Deus erit Deus, tamdiu durabunt lamenta. Quamdiu istud erit? non est effari. Cogitari potest, explicari non potest, Unde magnus Gregorius: a *Cùm homo de æternitate differit, cæcus de luce loquitur.* Et ut olim Simonides Hieroni, Regi Siculo respondit, quo plus de Deo cogitaret, hoc plus cogitandum occurre-re; ita de æternitate sentiendum est. Sic non intelligendo, æternitatem optimè intellexit Aug. dum ait. b *Quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt.*

Quid ergo est æternitas? quàm longa? quàm diuturna? quàm immensa? cogita mille cubos mille millionum annorum, hoc est, millies, millies, millies, millies, millies, millies, millies, millies millies millena millia annorum. Cogita inquam, tot annos in flammis transigendos, & nec dum momentum decessit de æternitate: c *numerus annorum ejus*, inquit Iob, *inæstimabilis.* Ea supereſt æternitas gaudiorum beatis, & tormentorum damnatis. ô Iesu parce! ô Iesu dirige, in hoc bivio tam disparis æternitatis.

Archimedis tempore nonnulli arbitrabantur numerum arenarum infinitum esse.

d *Numeroque carentis arenæ, Mensorem*, ridebant, cum manifestò demonstret Clavius e 52. characteres arithmeticos excedere numerum arenarum, quæ universum hoc, ad concavum firmamenti oppleret; tametsi arenulæ tam exiguæ forent, ut decem millia, unum granum dumtaxat papaveris, magnitudine adæquarent. Nunc si lubet, omnia folia arborum

a Greg. l. 27. mor. c. 26.

b August. in Psal. 36. conc. 2. c Iob. 36.
d Horat. l. 1. ode 28. e Clavius in sphæram cap. 1. sub finem.

UVA. BHSC. BU 02224

convertantur in folia chartæ, insuper extende a *cœlum sicut pellem* pergamenam, omnes pennæ volucrum aptentur in calamos, totum mare in atramentum, omnes cæleſtes intelligentiæ velociter ſcribentes, arithmeticis numeris hæc omnia explerint: innumeros numeros eſſe facultas omnis humana & angelica facilè conceſſerit; quos tamen Deus pares vel impares novit. Nunc tot mundos conditos contemplare, omneſq; illos hoc univerſo, tantò capaciores, quantum unitas ab hoc innumerabili numero exceditur: atque illos mundos rurſum ſolo cumulo arenarum oppletos; tum verò, ex tot tantiſque tam immenſis arenarum montibus, ſingulis mille millionibus annorum aviculam quampiam, unam arenulam roſtro decerpere & auferre, quot myriades millionum labentur, quàm pugillum arenæ ex hoc cumulo ſuſtulerit; & certum eſt tantos montes & colles, non modò minuendos, ſed & penitus delendos eſſe; & his omnibus ſublatis, quid tandem ſolatii? quid ſpei damnatis affulgebit? quantum provecti in itineribus æternitatis? quàm propè à termino æternitatis? Eheu attendite mortales, poſt hæc tam longa, tam diuturna; tam immenſa, tam immania tormenta, nil de æternitate imminutum, nil de tormentis immutatum: nam ut rectè Nazianz. b *æternitas nec tempus, nec temporis pars ulla eſt.* Tantumque abeſt ut poſthæc tempora, futurus ſit tormentorum modus & finis, ut tunc dici poſſit, jam primùm incipit æternitas, tota eſt & ſupereſt æternitas.

Eſt qui hos tam ingentes arenæ montes è ferro aut chalybe conſtare concipit, & ſingulis centuriis annorum, aviculam caudâ ſuâ leviter affricare: quot milliones annorum, & millionum revolutiones lapſuros credis, quàm ferreæ moles, & montes illi chalybei, detriti fuerint? quos tamen in æternitate tota, indubitatum eſt minuendos ac conterendos eſſe: juxta illud Prophetæ, c *Contriti ſunt montes ſæculi, incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Tunc æternitas damnatorum tam integra, ut puncto temporis, quoad inferna deſcenderunt; d *Ardebunt miſeri in igne æterno in æternum*, inquit Bernardus. Cujus ferrea pectora hæc cogitatio non emolliat? contemplate apertis cæli cataractis, & ruptis fontibus abyſſi (ut in diluvio contigit) totum univerſum aquis ſubmerſum; ad hunc verò tam immenſum Oceanum poſt annos mille dumtaxat, muſca ad bibendum advolet: quantum arbitraris tenuiſſimo ſiphunculo hauſtura eſt muſca in vices ſingulas? quando verò exhauſtura hoc tam immane aquarum pelagus? cum tamen finitum ſit, aliquando finem habiturum eſt. e *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Solatio maximo damnatis foret Seraphici Bonaventuræ contemplatio: quæ eſt: f ſi quiſpiam damnatorum ita plo-

a Pſal. 103. b Nazian. orat. 38. in nat. Chriſti.

c Habac. 3. d Bernard. lib. Medit. cap. 4. e Pſal. 31. f Bonav. de ferno cap. 49

UVA. BHSC. BU 02224

raret, ut ſingulis centenis annis non niſi unam lacrymulam funderet ; hæ autem guttulæ tot annorum centuriis aſſervarentur , ut demum mare aliquod æquarent: Eheu quot annorum milliones erunt revolvendi , dum vel rivulus, ne dicam Oceanus, fiat? & tamen tunc verè dici poterit : jam primum incipit æternitas. Sed fiat hoc iterum, & ſæpius, alius fluvius ſeu mare ex his tam raris & amaris guttulis colligatur, rurſus eo tempore exacto verè dici poterit, jam primum incipit æternitas. Caino jam poſt 5. millia annorum , quos ille tranſegit in loco tormentorum, tam integer ſupereſt annorum luctuoſorum numerus, ac ſi hoc die in igneum iſtud ergaſtulum deſcendiſſet. Fleverit hic infelix Cain aliquando amariſſimum lacrymarum mare, nihil ſpei affulgebit, æquè remotus à portu beatæ illius æternitatis. Hæc deſperatio tormentorum omnium graviſſimum aſſiduo voluptatis momentaneæ ſectatores vivaci recordatione conficiet: poſt tot annorum ſpatia , quaſi nihil de pœnis acciſum ſit , rurſus ab initio tormenta ſubeunda ſine fine, ſine modo, ſine termino in æternum. Hîc quandoque in tædio , in corporis animiqúe conflictatione , in carcere , in cruciatu æternitatem nobis fingimus ; eſt qui menſes , qui annos complures lecto affixus contabeſcit, heu quamdiu? heu æternitas , non ſemel ingeminat : & eheu ignorat quid ſit æternitas ! O breves nimiùm æternitates ! eſt qui tetro carcere , obſcuro antro ad decem, ad viginti annos continetur, centenos ille computat, noctem illam tam longam non ſemel æternam clamat ; ſed ignorat quid ſit æternitas. Breves nimiùm æternitates ! *a* Æternitatem in ſpecu ſubterraneâ ſe emenſum exiſtimabat Pecchius Ciſalpinus vir magnanimus, qui cùm iter faceret, à viro illuſtri, cujus odium incurrerat, delatus in inſidias & captus, inſtar felis in ſaccum conjicitur, atque ita in hoſtis ſui caſtrum deportatur : hîc in altum fœdumque antrum dejectus Pecchius, unico è fidioribus famulis conſcio, eique cura ab arcis domino commiſſa in dies fruſtillo panis & pauxillo aquæ captivum aleret , vt ſic vivendo, diu mori poſſet. Interim Pecchius totis urbibus oppidiſque quæritur , nuſquam reperitur ipſe, ſed jumentum quo uſus eſt, ſanguine nonnihil aſperſum : quocirca cædis ſuſpicione factâ, ſedulò in homicidam indagatum : reperti ſunt duo, quibuſcum aliquando rixatus ſciebatur. Miſeri tormentorum ſævitie adacti , Pecchium à ſe occiſum faſſi ſunt , reclamante conſcientiâ. Sceleris damnati , alter gladio, alter laqueo addicitur , ita inſontes ducti & trucidati ſunt. Interea in longâ illâ nocte captivus animam trahit, eâque moriendi ratione, novemdecim omnino annos tranſegit , quibus veſtem non poſuit , ſed totus computruit. O carcerem! ô cloacam! ô ſuſpiria! ô tormenta! ô noctem æternam! ô miſeram æternitatem ! Iam filii velut mortuo parenti parentarant ; inter-

a Majolus contingentia colloq. 4. Drex. gymnaſium patientiæ p. 2. c. 2. ſect. 3.

ie-

UVA. BHSC. BU 02224

ierat jam totus etiam in meoriâ propinquorum Pecchius. Annis igitur jam novemdecim in hoc tetro ac diro antro exactis, arcis dominus captivi domini capitalis hostis obiit, dilapsus famulus; quid nunc misero fiet? successor hæres ut castrum in ampliorem nitorem instauraret,& accessionem ædibus faceret, hinc illinc muros dejici jussit: ventum est ad hanc ipsam subterraneam speculum, quam nulla janua,sed foramen dumtaxat, idque angustum aperiebat. Hîc exaudiri gemitus, hîc ex alto pectore sonare suspiria; conterriti primùm, mox resumptis animis antrum laxatur, & ecce homo instar stygiæ umbræ apparuit,in globum quasi convolutus, à vertice ad umbilicum defluentibus capillis, unguibus ferarum in morem, horrendus: obstupuêre operæ ad hoc spectaculum, undique velut ad Faunum aliquem, Satyrumve, aut simile silvarum monstrum concurritur: prudentiores qui afluxerant, suasere hominem non statim aëri exponendum, ne visus aut vitæ usum subitâ mutatione perderet. Sic paulatim ad auram liberiorem educitur. Hic plurimæ quæstiones velut ab inferis redivivo propositæ, quis, quâ domo, quâ gente,unde illuc venerit,quando, quamdiu illic detrusus, quantum temporis in hac terrimâ specu traduxerit? quid responsi hîc expectatis? nec dies, nec menses, nec annos hic inire potuit, se vivum in alium orbem,in regionem æternitatis, ereptum sæculo sine mensura temporis, illic sese latitasse arbitrabatur. Sed ô vanam æternitatis umbram! ô captivitatem, si cum inferorum conferatur,glorioſam! ô levem, ô brevem æternitatem!

Etenim ut ait Augustinus: a *Omnis res quæ finem habet, brevis est:* decem annorum morbus brevis est, quia finem habet; viginti,triginta annorum captivitas brevis est, quia finem habet; at apud inferos, vinctos reperies qui jam quinque millia annorum in illo igneo & candenti ergastulo transegerunt, nec ullus finis est. O si vel unum ex his contueri daretur, qui tot sæcula captivus apud inferos exegit, qui hîc in divitiis, in deliciis, byssо & purpurâ, heu quantùm mutatus ab illo!

b P. Hermannus Hugo de primâ scribendi origine, scribit captivum quemdam in longo carceris pœdore tamdiu detentum, ut quo miserias suas manifestiores faceret, cùm instrumenta deessent scribendi, unque suo, qui in immensum excreverat, in cuspidem aptato, & in crenam fisso,atramentum ex salivâ & carbone temperato, epistolam scripsisse ad suos. O si ex illo inferorum carcere quispiam de iis, quos vivos jam à revolutis tot annorum millibus tartarus absumpsit, quidpiam ad nos litterarum dare contingeret, pro calamo ad manus ungues essent, nec carbones deessent, quos lachrymis temperatos, in atramentum converterent: & quid cheu hi exararent? quàm ô terribilem! ô formidabilem æter-

a Augustin. in psal.60. b Cap 9.pa.86

UVA. BHSC. BU 02224

„nitatem! væ nobis, & æter-
„num væ! væ quòd nati ſimus,
„nec denaſci poſſumus: morte
„æternâ vivimus, deficimus, &
„ſubſiſtimus, mors enim noſtra
„eſt ſine morte, defectus ſine
„defectu, finis ſine fine, & eheu!
„huc nos duxit momenta-
„neum quod delectat, in æter-
„num quod cruciat. Signentur
„hæ litteræ annulo æternitatis,
„pro ſigillo anguis caudam ro-
„dens; hoc lemmate adjecto:
„NUNQUAM ET SEMPER; a *quia*
„*quidquid æternum eſt, ſemper eſt.*

Hæc legimus, hæc intelligimus, hæc credimus, & ridemus! amabo vos, iſtæc exclamatio Amandi ſemper inhæreat: *b O væ æternum nunquam finem habiturum! ô finis ſine fine, mors gravior omni morte! ſemper mori & non poſſe unquam emori.* Semper uri, & non comburi! indubitatum eſt: *Ignis eorum non extinguetur*. Iſa. cap. ult. & Apocalypticus ille Angelus: c *Deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* idque in æternum: ſed quid eſt hoc in æternum? quid eſt æternitas? d ô æternitas, inquit Auguſtinus, magnum bonum eſſet, ſi poſſemus intelligere quid eſt æterniras? ideo *quidquid vis, dicis de æternitate, quia quidquid dixeris minus dicis, ſed ideo neceſſe eſt aliquid dicas, ut ſit unde cogites, quod non poteſt dici.* Quis mihi ergo dicet, quid ſit illa tam longa, tam immenſa, quæ omnes manet æternitas? eſt circulus in ſe recurrens, cujus centrum ſemper, circumferentia nunquam. Quid eſt æternitas? eſt annulus ſine termino, qui nullâ ſui parte deſinit, ſed in ſe ſemper revolvitur. Quid eſt æternitas? eſt annus jugiter in ſe revolutus, qui ibi oritur ubi moritur. Quid eſt æternitas? eſt oceanus, cujus altitudo nullâ bolide inveſtigari poteſt. Quid eſt æternitas? eſt ſpatium immenſum, quod nullo oculo pervadi, nullo curſore confici poteſt. Quid eſt æternitas? eſt labyrinthus ſe gyris & ſpiris intorquens, qui ſemel ingreſſos circumducit, & circumagit. Quid eſt æternitas? eſt ævum ævorum quod non interit, ſed eodem modo ſemper ſe habet.

Quid tandem eſt æternitas? neſcio quidem, & dum omnia dixi, nihil dixi; id unum ſcio æternum eſſe, quod ſolus Deus ſua immenſitate complectitur, quod tamdiu erit, quamdiu Deus erit, Deus æternus: tamdiu beati in æternis gaudiis, tamdiu damnati in æternis tormentis. Sed hoc tamdiu, quamdiu? quis explicet? lucem fors afferet Africanum ſidus: e *In æternum erit ipſum diu, & ideo verè diu erit.* Sed rurſus quæro, hoc æternum diu, quamdiu, an nullo tempore menſurari poteſt? quid ni, Theologorum principem Aquinatem, cujus, ipſo Chriſti teſtante vicario, quot pronuntiata, tot oracula, conſulamus. f *Si motus cæli ſemper duraret, tempus non menſuraret ipſum (æternum) ſecundum ſuam totam durationem, cùm infinitum non ſit menſurabile.* Hoc infinitum, hoc æternum excedit omnem mortalium, imò & cæleſtium capacitatem. Silet

a Auguſt. in pſal. 2. b Horolog. ſap. c Apoc. c. 9. d Aug. in pſal. 60.

e Aug. in pſ. 145. f Garaſſus doct. curi. pag. 106. Deaponte in Sapient. tom. 2. pa. 89. S. Thom. 1. p. q. 10. a. 4.

hîc

UVA. BHSC. BU 02224

hîc resolutus Durandus, hæret venerabilis inceptor Occamus, stupet speculator Vincentius, hallucinatur irrefragabilis Hallensis, cæcutit illuminatus Majero, obmurescit authenticus Gregorius, hebescit acies subtilis Scoti, Seraphici Bonaventuræ, incomparabiles Augustini, angelici imò divini Aquinates, unam æternitatem omnium non modò hominum, sed & Angelorum captum infinito intervallo excedere ultrò profitentur, cùm ne Deus ipse, in eâ terminum, aut ultimum suppliciorum diem, qui in æterno reperire non est, valeat inueri.

§. II.

Cursus vitæ nostræ ad annulum æternitatis dirigendus.

INter varia ludorum genera, is inter potentes aulæ dynastas usitatissimus: hastiludio ad annulum contendere, in quo ipsi reges quandoque se victores maximè gloriati sunt. Omnes hîc in stadio currimus, ad unum annulum beatæ æternitatis omnes contendimus; qui eum attigerit, is verè victor, gloriâ æternâ dignus censetur; ad hunc omnes collimare ac collineare debemus, illud Bern. penitius attendentes; a *Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque, veluti æternitatis semina jaciuntur.* Stupebit insipiens cùm ex hoc modico semine, copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro qualitate sementium.

a Bern. serm. 15. ad Cler.

Senserat hoc Zeuxes inter primi ævi pictores laudatissimus, qui operi suo morosiùs & diutiùs, quàm artifici tam eximio conveniret, immorari dicebatur, cumque interrogaretur, cur tam exactè quaquaversum omnia, tamque lento penicillo effingeret? respondit: *Diu pingo, quia æternitati pingo.* quidquid & nos operis facimus, sic ad æternitatem spectat, ut quivis dicere possit: Æternitati scribo, lego, canto, oro, laboro; quidquid facio, quidquid etiam cogito; æternitati cogito, quidquid dico, omnia mea opera æternitati dico, *dico opera mea Regi* æterno. Quòd si hæc nostrorum laborum meta est, non ergo volante aut oscitante, sed attentâ pingamus mente & manu; ut perfectè elaborata opera in æternitatem transmittamus. Nobilissimus Poëta Græcus Euripedes apud Alcestidem aliquando questus est, quòd ingenti nisu summoque tridui labore, non nisi tres versus scribere potuisset; Alcestides contrà gloriatus sese uno die facilimè centum versus fundere: ad quem Euripides, intimum animi sui sensum exponens, hoc, inquit, scias velim: *Versus tuos in triduum tantùm, meos in ævum duraturos.* Hoc assiduè cuique nostrûm cogitandum, quidquid hac die, hac horâ fecero, id non triduo solùm, sed in ævum, in omnem æternitatem durabit. Hanc æternitatis orbitam calcavit & nobis inculcavit magnus Gregorius, dum ait: b *Vigilanti curâ per cuncta opera intentio nobis nostræ*

b Greg. lib. 11. in Iob.

UVA. BHSC. BU 02224

penſanda eſt, ut nihil temporale, in his quæ agit, affectet, ſed totam ſe in ſoliditatem æternitatis figat; intentio in annulum æternitatis dirigenda eſt, non eſt temporale & mortale quod inſtat: minima opera æternæ mercedis, & gradus: gloriæ nunquam finiendæ capacia ſunt. Æterno pretio vel leve penſum compenſari ex S. Hugone diſces, qui expendens illud Pro. 31. *Digiti ejus apprehenderunt fuſum: hoc eſt*, inquit, *rectitudinem intentionis, per quam electi, omnia opera quaſi fila in orbem æternitatis retorquent*. In omnibus ergo operibus tuis præcellens eſto, ora, ſtude, certa, labora, uni Deo, uni cælo, uni æternitati; omnia certè eò mittenda ſunt, vel ad ſupplicium, vel ad præmium. Repeto millies, repetenda millies, ſemel cogitatum, dictum, factumque, æternum eſt. Hæc utinam omni momento, omni horâ, ante omne opus ſeduìò cogitemus; ut quemadmodum annulus Caroli V. in quo pro adamante horologium circumferebat, quâque horâ dominum admonebat, ita & nos æternitatis annulus quæque hora dum ſonat ante mentis oculos induceret illud, cum B. Thereſa in horas ſingulas recogitando, jam unâ horâ vicinior patriæ, vicinior æternitati. Hæc ſi quis recolat, in unam omnia diriget æternitatem. In quo documento eſſe poterit *a* Iſmenias Thebanus, vir ſapiens; qui legationem patriæ causâ, ad Perſarum regem ſuſcepit: hunc tribunus militum Tritrauſtes, ex officio ad regem deducturus, unum, inquit, ô Thebane, hîc ex lege Perſarum obſervandum eſt, ut qui in conſpectum regis venerit, non priùs ſermonem cum eo conferat, quàm eum adoraverit; Iſmenias, duc, inquit, regi me ſiſte, cumque jam eò ventum eſſet, annulum legatus, quem geſtabat, digito detractum, clam abjecit ad regios pedes, & mox procumbens, velut adoraret, illud animo ſecum verſabat: *Non tibi, ſed annulo*, quem iterum ſuſtulit, velut adorationis munere perfunctus. Plurima ſunt, non negamus, gravia perpeſſu, quæ tamen facilè, & ſuaviter perferemus, ſi hunc ipſum æternitatis annulum aſſiduò adſpexerimus, illud animo identidem verſantes: *Non tibi, ſed annulo*. Eſt venia danda inimico, arduum & difficile; at æternitatis annulum oro adſpicias, & dicas: *Non tibi, ſed annulo*, id eſt, non in tuam inimice, ſed in æternitatis gratiam hoc facio; eſt injuria gravis concoquenda, acerbus quidem bolus, ſed condias eum, & dicas: *Non tibi, ſed annulo*. Vigiliæ, jejunia, rigores, carnem macerant, dic alacri animo: *Non tibi, ſed annulo*. Dolor, paupertas, fames, morbi eveniunt, perfer, & obdura, *non tibi, ſed annulo*. In omnibus adverſis, dic centies, millies, *non tibi, ſed annulo*.

a Elian. l 1. variar. hiſt, cap, 21,

Tra

UVA. BHSC. BU 02224

§. III.

Præ annulo æternitatis, omnia humana, ut vana & momentanea despiciuntur.

REfert *a* auctor histor. Scholast. & alii in Exodum, cùm Moyses duxisset in uxorem Tharbim, filiam regis Æthiopiæ, jamque in patriam suam redire statuisset, uxorem omnimodo conatam reditum præpedire: cujus affectui ac blandimentis ut Moyses se exsolveret ac subduceret, duos annulos fecisse fertur gemmis insertis, tantæ virtutis, ut alter memoriæ, alter oblivionis vim conferret; illum verò oblivionis dedisse uxori, ne sui recordaretur, alterum memoriæ, sibi reservasse, ne patria umquam excideret.

b Duos consimiles annulos Iustinianus mentibus nostris inserit, dum refert, ex Philosophis unum aliquem rogàtum in extremis, ut præclarum aliquod documentum ac salutare monitum, monumenti loco posteritis relinqueret, qui cum loqui non posset, calamo arrepto expressisse duos circulos, seu duo magna O O; variis à morte, super his characteribus altercantibus, uno affirmante mortem esse omnium oblivionem, ac illud significare voluisse, alio aliud asserente, quidam rem acu tetigit: Ego, inquit, existimem per duplex O O illum significare voluisse, corpus jam suum cursum & circulum confeciisse, & ex cinere in cinerem redire, animam in cælum, unde originem ducit, circulum auspicari, quem nunquam conficiet: Ex his, nónne prior circulus, aut annulus, omnia humana contemnere, omnium oblivisci? alter cælestis patriæ, & æternæ beatitudinis nunquam non recordari persuadebit? exemplo Israëlitarum, qui jam Ierosolymâ exules, quó patria nunquam excideret, sanctæ civitatis typum in annulis expressérunt, ad quod alludens propheta ait: c *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea.* Ita & vanissimos mundi sectatores, ubi brevissimum vitæ nostræ circulum & immensum æternitatis annulum volvere cœperunt, & parentum, & propinquorum, & divitiarum, & deliciarum omnium obliti, uni beatæ æternitati assiduâ meditatione intenderunt.

Talis fuit ille *d* Theodorus annis adolescens, sed certè judicio senex, christianis ortus parentibus, de quo juvat acuratissimum æternitatis scriptorem *e* P. Drexelium audire. Hic die toti Ægypto festâ, cùm in amplissimâ parentum domo risus, cachinni, tripudia personarent, cùm geniales mensæ ad epulas invitarent, ipse clauso sed casto ingemiscens vulnere secum ipse sic expostulare cœpit: Infelix Theodore, & quod inde tibi lucrum si mundum lucreris universum, multa habes, & quamdiu habebis? abundas, epularis, tripudias, & quamdiu hæc omnia? ecquid autem? delicias has retineam,

a Cornel. in Exod. c. 2. v. 11. *b* In Iob c. 11. pag. 5, c. 13.

c Psal. 136. *d* Vita S. Pachomii c. 29. *e* Tom. 1 pag. 23.

UVA. BHSC. BU 02224

perdam æternas? dic Theodore, num hoc Christianæ legis est, in terra sibi cælum effingere, & per delicias ad delicias transire velle? aut ego me valde fallo, aut Christus per spinas eundum dixit. Abrumpe & brevibus gaudiis præfer æterna. dixit & madentibus oculis in penetralem domum se recipiens, ibique se asternens precari cœpit: Deus æterne, cor meum tibi patet, meus ad te orator, meus est gemitus, hoc unum & *præ omnibus unum* deprecor, ne me mori sinas morte æternâ; dum hæc orat intervenit Mater, & rubicundulos madidulosque oculos curiosa observatrix statim advertit. unde, inquit, hic mœror mi fili? & quæ hæc tua solitudo hoc die? jam mensa te vocat, tu unus desideraris. Cui Theodorus, quæso te Mater, inquit, meam à mensâ absentiam honesto purga nomine: nauseanti stomacho cibum aut potum obtrudere, nec ipsa tu suaseris. ita clementi dolo, matrem à se removit, ipse solus cum solo Deo, cæteris epulantibus penitius, in æternitatis adyta ingressus, & quis, inquit, hactenus fui, aut potiùs quis deinceps esse volo, si quidem æternitatis regno nolim excidere? age Theodore viam quam Christus sanguinolentis vestigiis signavit insiste: animum quem à naturâ flexilem habes, contra parentes & propinquos alioque mollem adversarios, Christus infractum reddet. At revera durum est in has sese angustias redigere, & quemdam quasi carcerem, è quo mortuus efferendus, ingredi; at ubi inferorum carceres æternâ morte ac nocte clausos attenderis, ubi post breves tenebras lucem æternam proposueris, quid molestum accidere poterit? adeò æternitatis annulum hic menti infixerat, ut parentibus, deliciis omnibus, jam longum imò breve vale, pro vita dixerit, & omnia humana fastidiens in Pachomii disciplinam, se nudum tradiderit. adeò verum illud Bernardi: a *Æternis inhianti fastidio sunt transitoria.* eadem æternitatis cogitatio Rolanduni virum nobilem omnes mundi delicias fastidire coëgit: hic enim dum festo die epulis, lusibus, ac saltibus traducto, vesperi ad mentem rediret, b *Hem,* ait, *ubi nunc festum quod egimus?* ubi totius diei lætitia? ubi omnia? ut hic dies, sic reliqua transcurret vita, nihilque supererit, nisi longa & infelix æternitas; hoc adeò illi insedit, ut postero die ad familiam S. Dominici, quasi ad Beatæ æternitatis portum, animum fluctuantem, appulerit. De istiusmodi verissimè Gregorius: c *Veri Sancti præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis defigent.* in unam æternitatem si quis vel semel attentos mentis oculos defixerit, omnes opes, honores, voluptates ut momentaneas ac fluxas contemnet ac despicier. Lucem si lubet ab ethnico mutuare. Tullius Tuscul. 3. *Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo.*

Carthago, Athenæ, Coryn-

a Bern. epist. 12. b Platus de bono Status Rel. lib. 3. cap. 38. c Lib. 8. mor. c. 20.

thus,

UVA. BHSC. BU 02224

thus, Thebæ, Troja, Babylon, vastæ urbes, nunc vana nomina; & quò nunc cecidit Hierosolyma? olim Apostolorum unus Christo Magistro structuarum Hierosolymæi Templi demonstrans, magister, ait, aspice quales lapides? qualis structura, respondit Christus: *Non relinquetur lapis super lapidem.*

Romæ pæne idem quod Hierosolymis accidit, nunc vetus Roma quæritur, & in se tumulata dici potest: hîc fuit; Theatra, Mausolea, miracula omnia vix cadaveris sui reliquias reliquerunt: vulgò voces sunt, ista structura æterna est, hoc monumentum immortale. Sed heu ubi nunc saxea hæc æternitas? audi hîc Justum Lipsium ad Albertum Archiducem inclamantem: a *heu res mortalium vel maximorum parvæ! heu validissimorum instabiles! imo omnia illa somnium, umbra, nihil, si cum æternitate comparentur.* Inter urbes orbis maximas Gandavum annumerari solet, hanc referente *b* Strada, dum Carolo V. Imp. Albanus dixisset, ob rebellionem meritam esse funditus everti: offensus immiti censurâ Cæsar, jussit illum in turrim conscendere, ac tum rogavit. *Combien de cuir pour faire un tel Gand?* hoc tamen Gandavum, in quo ædes supra quinque & triginta millia, civium qui armis bellisque gerendis ad octoginta millia censeantur, ut Sanderus Meyerus, aliquando tamen domuum & dominorum acerba cinis erit. Verissimum illud Lactantii, *mortalia sunt opera mortalium.* *c* Miratus sum, inquit Cornelius à Lapide, Romæ me nullum vestigium Palatii Cæsaris Augusti, Tyberii, nullam domum, monumentum Scipionum conspicere, imò nullum ex hisce aliisque gentilium familiis, vel nominis tenus superesse, periit omnis memoria eorum. Sic aurea domus Neronis, Diocletianæ Thermæ, Antoniana balnea, Severi septizonium, colossæum Julii, amphitheatrum Pompæi, vix sui vestigium & nomen in libris reliquerunt.

Nunc Romæ Roma quæritur in media
Romæ Roma sepulta jacet.

Hæc Augustinus ruminanda proponit dum ait: d *Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, livores, flos fæni est, floret illa domus, & magna domus, floret illa familia, & quàm multis floret? & quàm multis annis vivunt? multi anni tibi, breve tempus Deo in comparatione longorum, & longè viventium sæculorum.* Hæc secum reputent, qui ampliſſimas familias alunt, altissima palatia incolunt, latiùs quàm lætiùs habitant, omnia hæc in cineres, cùm Dominis redigenda. Unum illud solatio esse ex Apostolo potest: quòd e *habemus domum non manufactam, æternam in cælis.* Sunt qui æternitatem in immortalitate nominis collocarunt: sed ô vanam! ô insanam æternitatem, in membranis, in chartis, in libris relinquere, ex quibus tot amplæ bibliothecæ luculentissimo incendio & sibi apud Inferos

a Lips. in dedicat. de magnitudine Rom. *b* Strad. anno 1568.

c Cornel. in Cap. 21. Isai. *d* Aug. in Psal. 102. e 2. Cor. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

æternum pabulum ſuppeditarunt; qui verò per præclara facta in memoriâ hominum fuerunt, quid ex eâ ſecum ad inferos, inter tormenta ſolatii tulerunt? eheu ſapientiâ ac prudentiâ orbis oraculum audieris, titulis & dignitatibus caput orbis adoratus fueris, ſi in æternum perieris, quid proderit? honores certè ut fluxos & vanos ducere, docet Eccleſiæ liber Ritualis in inauguratione Epiſcoporum, qui hæc illis verbà recitanda admonet: *Annos æternos in mente habe.* quòd quòtenacius inhæreret, Jacobus Blaſius, ordinis S. Franciſci Namurcenſis Epiſcopus, pro ſymbolo ſibi ſumpſit: *Vrget æternum.* & Guilielmus à Bergis ex illuſtriſſima Grimbergorum familia, tertius Antverp. Epiſcopus, Gregorio XIII. à cubiculis, demum Archiepiſcopus Cameracenſis, hoc ſymbolum ſibi delegit: *A momento æternitas.* Cogitate hæc ô mortales, & antequam æterni ſitis, ſive in gaudiis, ſive in tormentis, æternitatem prævidete. Omnia transeunt, ſola reſtat, nec tranſibit æternitas. Aptâ ſimilitudine rem expreſſit Leonardus Leſſius: a *Tempus*, inquit, *& temporalia omnia, ſunt ſicut flumen quoddam: æternitas ſicut rupes firmiſsima, ſub quâ flumen raptim tranſit.* Sola æternitas in motu immota manet; quare nec cor humanum umquam in fluxis mundi bonis conquieſcet, niſi uni ſtabili inhæreat æternitati. Quod ſcitè expreſſit S. Auguſtinus: b *Vanum eſt cor hominis, quis tenebit illud, & affiget ut paululum ſtet, & capiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis?* in hac mente immotâ defixus, velut marpeſia cautes, celeberrimus ille cancellarius Angliæ Thomas Morus, omnia humana, ut fluxa & tranſitoria deſpexit: ad hunc cùm Aloyſia cariſſima uxor cum liberis captivum viſeret, oraretque obnixè ne bona omnia, famam, vitam, quibus multis adhuc annis frui poterat, ſubitò præſcideret, ſæpiuſque hanc vitæ diuturnitatem inculcando, finem dicendi non faceret; ipſe tacendi dedit, hæc paucis percunctatus: c & quamdiu mea Aloyſia, inquit Morus, frui hac vitâ potero? tum illa, totis viginti annis mi Vir, ſi Deus voluerit. Vis ergo, ait Morus, æternitatem viginti annis commutem? næ tu imperita es mercatrix ô Aloyſia, d *& quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.* nam ſi annorum aliquot millia diceres, aliquid tu quidem diceres, ſed tamen ad æternitatem quid eſſent? velut umbra, velut ſomnium quod pertranſiit. Sic enim ratiocinatur Chryſoſtomus: e *Si quis intra centum annos unâ tantùm nocte ſuave lætumque ſomnium vidiſſet, centenis vero annis ob id puniretur, an ſomnium hoc appetendum eſſet; quod autem eſt ſomnium ad centum annos, hoc eſt præſens vita, ad futuram, imo infinito minus; & quod eſt gutta ad pelagus, hoc anni mille ad futuram æternitatem.* f Et alibi hoc confirmans. *Tempori*, ait, *infinito quid conferes? quid ſunt decem millia annorum, cùm*

a Leſſ. de Perfect. divin. lib. 4. c. 3.
b Vide 15. Tollenaer in Ecc. pag. 781.

c Stapleton in vita. d Iob 2. e Chryſt. ho. 20. ad pop. f Hom. 28. in Epiſt. ad Hebr. 1.

ſecula

UVA. BHSC. BU 02224

ſecula cogitas infinita ? nónne quantum eſt ſtillicidium minimum, abyſſo comparatum ? Quare ſi via impiorum hîc proſperetur, ſi potentes, ſi prædivites, ſi florentes videris, non te affligant, nam a *iſti florent felicitate ſeculi, florent ad tempus, pereunt in æternum.* Elige an amare temporalia, & perire cum tempore, an amare Chriſtum & in æternum vivere ? Attenta mente hoc ſecum expendit *b* Margareta Auſtriaca Philippi III. Uxor, quæ paucis ante extremum morbum diebus, inambulans regia porticu, vidit piam tabulam appenſam, in qua anguſtæ ſcalæ in cælum erectæ : per quas genio tutelari duce quoſdam conſcendere vidit, infernè verò per latos gradus turmatim alios, tenentes tympanum & cytharam, ad Tartarum proruentes. hîc regina in lachrymas profuſa, dum à matronâ comite rogaretur, Reſpondit, ô ſoror! in hoc ancipiti bivio collocata ſum, dubia prorſus, ubi animus è corpore, exceſſerit, an hac, an illac ? quod iter arreptu-rus. Anceps hæret integerrima princeps, & nos ad hæc itinera æternitatis ſecuri properamus, cùm ſummi utrimque momenti ſint, quæ Chriſtiano hîc in deliberationem veniunt. utrimque æternitas eſt, ſed altera æternùm miſera, altera æternùm beata, à te pendet utram elegeris, c *Alterutrum è duobus eligamus,* clamat Bernardus, *aut ſemper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis; bonum ſiquidem & malum, vita & mors ante nos ſunt poſita.* Hæc ita tenaciter B. Cæſario Arelatenſi præſuli inhæſerunt, ut non interdiu modò, ſed & noctu in ſomnis non ſemel exclamare auditus ſit, Duo ſunt, nihil eſt medium, duo ſunt, aut in cælum aſcenditur, aut in infernum deſcenditur. Voluptas brevis, pœna æterna; momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat, elige, ſemel malè elegiſſe, ſemel periiſſe, æternum eſt.

a Auguſt. cit. Novarin. riſus Sardon. c.25. *b* Bourcheſius trutina ætern. c.6. *c* Bern. l. de anima c.3.

§. IV.

Annulus æternitatis contra omne lethale virus peccati, præſens amuletum.

SUnt qui Amethyſtos, alioſque pretioſos lapillos in annulis circumferunt, è quibus arcano naturæ prodigio, ubi gemma ſudare incipit, vicinum venenum certò perſentiſcunt: unde poëta:

Annule qui peſtem fœdumque arcere venenum,
Pectore, qui philtri crederis eſſe loco.

Hanc virtutem longè potentiſſimam in ſe continet annulus æternitatis, modò gemmam huic annulo aptam inſeruetis, ab *d* Eminentiſſimo Cardinale Baronio poſteris traditam; hic in annulo calvariam ſculpi juſſerat, inſinuans à morte pendere æternitatem, quam ſemper in oculis, ſemper in animo defixam habebat; cui hoc illuſtriſſimi Cameracenſis ſymbolum quadrat: *A momento æternitas.* Quiſquis hanc gemmam annulo inſertam, animo impreſſam circumfert,

d P. Rho exempla virt. pag. 559.

UVA. BHSC. BU 02224

cumfert, ipſus ilico ſudare, conturbari, venenum omne vicinum, ac prope imminens, à corde & animo repellet. quod præclarè obſervavit Leſſius, qui de æternitate tractans, ſic ait: a *Hæc cogitatio quotidie nobis animo verſanda, quia nulla ad omnes tentationes vincendas, ac pericula peccatorum cavenda potentior, nulla efficacior.* b Dum Carolus Quintus ex Italia per Gallias in Belgium properaret, jamque Pariſios ingrederetur, contigit Franciſci primi filium, Carolum nomine, lectiſſimum juvenem, Aureliæ Ducem, inopinatò inſilire in tergum Caroli, equo inſidentis, & inclamare: *Cæſar teneo te captivum*; quo Cæſar non parum commotus, benignè ſubridens principem complexus eſt, ſicque uno vecti equo, in chorum Francicarum matronarum, & magnatum venerunt: ubi Carolus obiter ſalutatâ Leonora ſorore ſuâ, Franciſci conjuge, prolixum miſcuit ſermonem cum Eſtampia, inſigni heroina, quæ apud Franciſcum perquam gratioſa; nec deſunt qui putent eam regi conſuluiſſe, ut Cæſarem in Galliis captivum detineret, ut ut ſit, Carolus rem ſubodoratus, non multò pòſt inter loquendum, conſulto ſibi annulum, in quo gemma ingentis pretii erat, è digito cum aqua defluere permiſit, quem cùm illa elevaſſet, & Cæſari præberet, noluit eum recipere, ſed cùm in amica manu eſſet, eum Eſtampiæ condonavit, atque ita evaſit. In te Princeps mundi, Domina caro, in perniciem tuam conſpirat, inter tot diſcrimina quot crimina verſaris; ſed annulum æternitatis in manus veſtras hodie dimittam, ſi Domina Eſtampia, id eſt caro, hunc gerat, non in digito, ſed in corde, ſalvus eris, incolumis evades. nec modò propinquum, ſed & intra viſcera virus admiſſum, hic annulus reſpuere coget, hominemque æternæ morti deſtinatum, æternæ ſaluti incolumem & innoxium reſtituet. c Hoc Alexander Pontifex in annulo ſuo, aliquando comprobavit, dum militi flagitioſo omnem animi medelam reſpuenti, annulum ſuum tradidit, eâ lege geſtandum, ut quoties adſpiceret imminentis mortis, unde pendet æternitas recordaretur. Vix paucis diebus geſtarat, ſupplex ad Alexandri pedes ſe abjecit, & omni veneno ejecto, in novum hominem reformatus eſt. adeò præſens contra omne peccati virus, hic annulus Amuletum eſt. accedit hujus rei teſtis regius vates, qui illius annuli virtutem ſingularem expertus, ait: d *anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus.* quid tibi ſomnum abrupit, quid quietem interturbavit beatiſſime Propheta? quæ hæc antelucana negotia, unde hic ſtupor, qui vocem adimit? unde hæc animi perturbatio? cauſam cognoſcite: *Cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui.* hæc annorum, hæc annuli revolutio,

a Leſſ. de perf divin. l. 4. c. 4.
b Surius comment. rerum in orbe geſt. pag. 391.

c Sandæi medicus Euan. l. 3, con. 5.
d Pſal. 79.

Davi-

UVA. BHSC. BU 02224

Davidem adeò exterruit, ut quietem & vocem ademerit; cogitavit dies antiquos instar umbræ præteriisse, cùm regnis tot reges Israël interiisse, omnesque in domum æternitatis introiisse: ubi nulli exitus, eodem se tendere vivaci meditatione ruminabat, sed de ancipiti bivio incertus, & trepidus exclamat: *Numquid in æternum projiciet Deus:* numquid in æternum projiciet à facie, in quam desiderant Angeli prospicere? numquid in æternum projiciet in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium? en ut formidet, & sudet, ut horreat æternitatem, ut divina judicia perhorrescat, ne perpetuis in se pœnis Deus animadvertat. at quis ex hac æternitatis recordatione animi affectus & effectus? *dixi nunc cœpi.* ita momento prope, se ipso factus est melior, & mutatus in virum alterum. Hæc magnus Hebræorum Rex, domi, militiæque curarum mole obrutus; modo non vacat iis, quæ inter carnis delicias, inter mundi illicebras assiduo versantur, negotio æternitatis diem, horam, momentum dare; æternitatis meditationem Religiosos, Anachoretas decere, liberè profitentur; cùm hoc exercitium omnes concernat, nec solitariis aut infimis dumtaxat mortalibus, sed summis etiam capitibus, & coronatis verticibus dignissimum, dies noctesque cum dubiâ æternitate occupari, si contra vitia fortes, si caritate ferventes, si de beata æternitate securi esse voluerint. At ne amara videatur hæc assidua æternitatis recordatio, Sanctus Gregorius in illa verba Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam & ordinavit in me charitatem*, hæc docet: *quid per cellam vinariam congruentius quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? & certe quicumque cogitationem hanc paulo altius in mentem demiserit, gloriari poterit: ordinavit in me charitatem.* quam salubri pioque instituto quotidie ad omnium actionum initium nobis proponeremus annos æternos; præsertim cum peccandi occasio, cum dæmonis suggestiones urgent, cum lædendæ conscientiæ instat periculum. hoc unicum servandæ caritatis Amuletum. ó peccatores si caritatem in vobis ordinare velitis, hanc cellam ingrediamini, æternitatem cogitate, exemplo Davidico in viros perfectos mutabimini. *a* Homo vanus & impius, cui Fulco nomen, cum nocte quadam, inusitata insomnia non ferret, & de latere in latus se obvertens, nec somnium conciliare, nec quietem capere posset, tædio vigiliarum cogitare cœpit & quid præmij poscis ut biennium aut triennium levi morbo, hisce plumis affixus transigas? & certæ mortis morbus prodromus me aliquando occupabit, nisi morte repentina subito obeam. at quid inde? corpus putrescet sub terra, quid autem & quo anima? Christus certè in ignem æternum, ob unicam læthalem noxam, vel animo admissam pronuntiavit. ah qualis ibi lectus erit damnatorum? quot annis illic jacebunt? mille & iterum mille annis, non in plumis, sed

a Benedictus Renatus lib. 5. magni ordinis.

in

UVA. BHSC. BU 02224

in flammis miserè torquebuntur. Tormenti genus fuerit *a* Ezechieli 390. diebus in uno latere quiescere; at quis in strato ferreo candenti, in ardoribus sempiternis, mille millium annorum millibus jacere poterit? his cogitationibus ita insomnis est factus, ut omnibus carnis illecebris, mundi deliciis valedixerit, & sacræ Cisterciensium familiæ se addicens, reliquum æternitati vixerit. Hic plures imitatores haberet, & omnes cum eo de sanctitate certarent, si in eandem æternitatis considerationem descenderent: *quis enim*, ut rectè Richardus Victorinus argumentatur, b *quis*, inquam, *tam insensata, tamque obstinatæ mentis homo uspiam poteris inveniri, qui non expaveſcat, & omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari? si diligenter aspiciat indesinentérque attendat, quàm sint modica, seu etiam momentanea ista omnia carnis oblectamenta, quæ pertranseunt; & quam sint immania, quamque atrocia tormenta illa æterna, quæ finem non habent, nec habere possunt.* Hæc cogitatio tot hominum millia & inter hæc tot impios, tot mundi ac Veneris procos, in solitudines egit; in monasteria, in sacros carceres compegit, à vita molli ac voluptuaria ad severam rigidamque coegit. Hæc æternitatis cogitatio mundum calcare, omnia terrena fastidire coegit. Testis B. Theresa fœcunda Religiosæ sobolis mater ac magistra, quæ puellari adhuc ætate. cum Roderico fratre & ipso puero, primordia futuræ sanctitatis ab æternitate inchoavit: cum enim sacrorum libellorum magisterio comperissent, tormenta inferorum æterna esse, identidem inter se super magnitudine hujus argumenti differuere, repetentes intimo animi sensu illud, *æternum, æternum, æternum.* & possent nominari homines religiosi complures, qui adhuc vivunt, & fatentur, ex hac una æternitatis consideratione, totum hunc mundum desipere, & insipere cœpisse, hac unicâ cogitatione omnes labores, omnes austeritates, quantumvis magnas, leves ac breves videri. Quod dilucidè Augustinus testatur: c *Quæ quisque patitur in hac vitâ, in comparatione æterni ignis, non parva, sed nulla sunt*; hoc motivo usus Olympius, de quo refert *d* Ioannes Moschus: Singularis patientiæ senem in cœnobio Gerasimi ad Iordanem, quascumque molestias patientissimè tulisse; intuitu æternorum: cumque eum de viâ, nescio quis, religiosus hospes conveniſſet, nec sine admiratione objeciſſet, & quomodo tandem, mi Olympi, in hac caveâ, in tanto æstu, inter cyniphes & muscarum examina durare potes? subjecit Olympius: Fili, inquit, hæc levia sunt, si cum æternis conferantur, illa tolero, ut cruciatus illos intolerabiles & æternos evadam, cyniphes patior ut vermen effugiam immortalem: hos æstus perferre facile est, qui ignem æternum considerat. ô Olympi! hoc brevi dicto olympum nobis

a Ezech. c. 14. b Richard. Victor. de Statu interioris hominis, Hom. 3. cap. 3.

c Aug. serm. 109. de tempore.
d Cap. 141.

apc-

UVA. BHSC. BU 02224

aperis. Hæc ſi ſecum plures cogitarent, plures de auſteritate, plures de beatâ æternitate cum eo contenderent, nihil durum, nihil arduum, nihil religioſo moleſtum appareret.

Conſimili brevi ſed nervoſa concione Seraphicus Franciſcus tirones ſuos ſub ponderefatiſcentes confirmavit: *Fratres, magna promiſimus, ſed majora promiſſa ſunt nobis: modica hîc voluptas, ſed poſtea pœna immenſa; modicus hic labor, ſed poſtea gloria æterna.* Fratres magna promiſimus dum paupertatem tam arctam profeſſi, qui in ſeculo opibus affluebant; caſtitatem angelicam, quæ in aſſiduâ & graviſſimâ cum carne & dæmone lucta ſervatur: obedientiam tam promptam & ſub tam gravi cenſura ſervandam; tamen, ut monet Hieronymus, *nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur.*

Quare concludo cum collanea *Chriſti* Bernardo, & opto millies, & millies, vel ſemel etiam, æternitas toties ingeminata menti inhæreat: *utinam,* inquit ſuaviſſimus Doctor, *utinam ſaperent, ſaperent utinam, utinam* & quorſum hæc nobis Bernarde ſapientia? *ut æternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut præſentia moderemur, præterita per intelligentiam dijudicemus, noviſſima provideamus ad cautelam.*b Infauſtum illud mortis præſagium impio Adriano Imp. fuit annulum è digito decidiſſe: mortis æternæ ſignum certiſſimum, annulum æternitatis non manu, ſed mente excidiſſe; aliter ſapuit Iuſtus ille Lipſius qui hunc annulum ut fidam beatæ æternitatis arrham ad extremum ſpiritum aſſervavit, ut hæc ejus noviſſima verba conteſtantur, quibus ita Deiparam compellat: ô Mater Dei adſis famulo tuo cum tota æternitate decertanti, nec me deſeras in iſta hora, à qua pendet æternæ meæ ſalus. Memento & mei in illo momento momenti maximi, à quo pendet tam diſpar æternitas. Hæc nos ſemper & ubique ſolicitos teneat, illudque melliflui Doctoris pro aculeo animis infixum hæreat: *Nulla ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur æternitas.*

a Bernar. ſerm. de SS. Apoſt. Petro & Paulo.

b Ælian. de Adrian. Imp.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA II.

Tunc videbunt. Luc. 21.



ADYTIS CORTINA RECLVSIS.
Virg. 3. Æneid.

DOMINICA I. ADVENTUS.

De judicio, in quo oſtenditur ſummum tormentum fore, manifeſtationem occultorum ſcelerum, per cortinam, in die Revelationis aperiendam.

§. I. *Tormentum gehennâ gravius, Revelatio occultorum ſcelerum in judicio.*
§. II. *Illuminabit abſcondita tenebrarum.* 1. Cor. 4.
§. III. *Simulatæ juſtitiæ, ac perſonatæ virtutes detegentur.*
§. IV. *Orbi quoque innoteſcent, occultiſſima opera juſtorum.*

Tunc

UVA. BHSC. BU 02224

DICTORVM & fictorum mos eſt, ſi picturam aut ſtatuam in templis ſuper aram, vel ad extremos ædium parietes propalam depingant, aut cælo fingant, ſub rudi ſipario delitescere, ne adſtantium oculi, opus infectum præmaturè cenſeant; at opere confecto cortinam removent, ac omnium oculis ſpectandum, ac cenſurandum proponunt. *Cortina*, teſte Servio, ſic dicta, quòd *cor teneat* quaſi abſconditum; hac aliquando diductâ, a *omnia nuda & aperta erunt*, & ut rectè Baſilius; b *quæ prius corpore, quaſi veſte contecti, minime habere putabamur, ea nudata ſe omnium oculis ingerent:* etenim inquit, *mens noſtra velut pictor eſt, in animâ, velut in tabulâ, cogitationes, prout vult, format: & ſicut pictor quod in obſcuro pinxit, poſtea in medium profert, & diducto velo ſpectandum proponit, ita poſt vitæ exitum corpore, velut velo amoto, ea quæ à ſe in animâ, ceu tabulâ, picta ſunt in occulto, in lucem prodibunt; tunc videre erit animæ tabulam variâ hiſtoriâ refertam, & omnibus in ſpectaculum propoſitam.* Hactenus magnus Baſilius, qui ſic concludit: *Si igitur ex divinis litteris hiſtoriæ & virtutes conſpectæ fuerint, laude dignus judicabitur; ſi vero turpes & indecoræ picturæ, turpibus hiſtoriis & monſtroſâ ſpecie apparuerint, quanto, Deus bone, pudore ac confuſione, pictor dignus judicabitur.* Quis dignè valeat explicare, qui pudor, quæ confuſio, quanta abominatio futura ſit, dum non modò per rimam, ut Ezechiel exhibet abominationes, ubi mulieres cum ſuo Adonide, ſacerdotes cum dorſo ad altare ſpectantur, ſed quando *adytis Cortinâ reclusis* omnia pateſcent? & *in fine hominis denudatio ejus.*

a Ad Heb. 4. b Baſil. lib. de vera virg.

§. I.

Tormentum gehennâ gravius, revelatio occultorum ſceleratum in judicio.

EST qui quæſtionem hanc ænigmaticam, ſeu paradoxum proponit: quandonam futurum ſit, ut damnati nolint egredi inferno, & beati nolint manere in cælo? noſtis quando? hoc fore aſſerunt in die judicij: tunc enim beati geſtient cum duce ſuo prodire in campum, c & ſe exhibere *in magnâ conſtantiâ adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt*, tum ut judices ſint tyrannorum ac ſceleratorum, qui ſe perſecuti ſunt, tum ut ſuaviſſimam illam vocem audiant, *venite benedicti*, & publicum meritorum acroama, ac coronam recipiant, qui hîc in antris & ſpeluncis terræ latuerunt; denique ut corpori ſuo virtutum conſorti jungantur, in eoque dotes & accidentalem gloriam adipiſcantur; damnati verò perhorreſcent egredi inferno, ne vultum iratum fulminantis judicis intueantur, ne ſententiam illam horrendam omni æternitate numquam revocandam ſtabiliri, & ad illud *Venite* luctuo-

c Sap. 5.

ſam

UVA. BHSC. BU 02224

ſam illam Echonem audiant, *ite* maledicti in ignem æternum *ô lamentabilis Echo!* a *quid poteſt terribilius cogitari*, inquit, Auguſtin. *quàm ite ? & quid delectabilius, quàm venite? duæ ſunt voces, quarum nil horribilius unâ, & nil jucundius alterâ* ; ſed amabo vos, quid in hoc judicio maximè formidandum, quid in toto hoc apparatu terribiliſſimum fore cenſetis ! b *dies iræ, dies illa, erit dies illa magna, & amara valde : ſol obſcurabitur & luna non dabit lumen ſuum. Dies tenebrarum & caliginis, & ante faciem ejus ignis vorans.* an haſce tenebras damnati maximè perhorreſcent? *ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur.* num hanc elementorum confuſionem, orbis univerſi incendium, mare bulliens, ut ſpectaculum maximè horrendum formidabunt ? an vultum judicis ? an ſententiam æternæ damnationis ? aliud omnibus his terribilius erit tormentum, ipſo inferno gravius, ob quod igneo ſuo ergaſtulo egredi detrectent, & cum Propheta clament, c *quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me ?* tormentum hoc magnus Baſilius commemorat : d *Supplicium omnium graviſſimum eſt, opprobrium illud & confuſio ſempiterna*, hoc ſiquidem graviſſimum tormentum quod ipſâ gehennâ Iob gravius ducebat, coram toto mundo occultiſſima ſcelera *nuda & aperta* proponi, & oratione 23. de judicio idem Baſil. confirmat, e *gravior quàm tenebræ, quàm ignis æternus erit ille pudor.* Horrendum quidem illud quod adfert Hieron. f *Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribus pectora ferient, potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt* ; ſed horribilius longè ſpectaculum erit, cùm incipiet g *mugire adytis cortinâ recluſis.* Seraphicus Doctor Bonaventura refert nocte mediâ à monachis conſpectum currum igneum, cum globo candenti per ambitum, dormitorium, refectorium, chorum, totumque monaſterium devectum, & ita luce ſuâ omnia colluſtraſſe, ut quiſque perſpiceret, quid alter ageret, quid cogitaret, immò intimos ſenſus pervaderet : & ut Bonaventura ait : h *Ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conſcientia nuda fuit* ; ut verò poſtliminio S. Franciſcus ad eos viſit, ac palam varios de iis arguit, quæ jam cuique manifeſta erant, innotuit ſanctum Patrem, in ſpecie globi candentis, ſuorum corda luſtraſſe. Quòd ſi hoc in conſeſſu, talis lux derepente affulgeret, ut alter alteri conſpicuus fieret, an hîc neminem adulterum, neminem injuſto ære oppreſſum, nullum hererodoxum, neminem quemquam ſibi capitalem hoſtem intueretur ?

Aliud haud abſimile D. Anſelmo accidiſſe legimus, qui ſub initium ſtudiorum, dum noctu ſacros Prophetas volveret, ſubiit animum hæſitatio. quî fieri potuerit, Deum ſacris illis vatibus revelaſſe, & quaſi ob ocu-

a Auguſt. Solil. c 3. b Sophon. c. 1. Matth. 24. Ioel c. 2. c Iob. c. 14. d Baſil. in Pſal, 30. e Baſil. cit.

f Hieron. ad Heliodor. g Vir. 3. Eneid. h Bonavent. in vita S. Franciſci cap 4.

los

UVA. BHSC. BU 02224

los posuisse res non existentes, & quæ post multa sæcula futura essent; dum ecce ea lucis claritas affulsit, ut in cellâ suâ, inter quatuor parietes concluſus, perspexerit dilucidè, quid toto monasterio quisque religiosus ageret: hunc campanile trahere, illum consurgere ad matutinum, alterum in storeâ se vertere, sacristam lampades accendere, alium socordem & somnolentum ad chorum pergere, idque longè distinctius quàm si in meridie coram adstitisset. quod & de S. Benedicto Gregorius asseruit: a *Omnis mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est.* At in die illo

a Greg. l. 2. dial. c. 36.

§. II.

Illuminabit abscondita tenebrarum. 1. Cor. 4.

DIes ille b *revelationis justi dicii Dei* dum *lux solis erit septempliciter*, in momento, in ictu oculi, cortinâ remotâ, manifestabuntur omnia, quæ ab orbe condito, quæ à primo die, & horâ, quâ homo ratione uti cœperit, egerit, dixerit, cogitarit, juxta illud Psalm. c *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & seculum in illuminatione vultus tui:* quò spectat illud Bernardi: d *Quadam vi divinâ fiet, ut cuique sua opera bona vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur:* quid in adolescentiâ, quid in juventute egerit, quid à parentibus, ab aliis surripuerit, quid in studiis Duaci, Lovanii, Parisiis abligurierit, quò cum sociis iverit, quæ colloquia instituerit, quoties famæ viri probi, religiosi detraxerit, quoties scelera jactarit, e *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* quæ desideria, quæ adulteria, quid foris in pratis, in silvis, an non f *peccare noster novit in sylvis amor?* Quid in lucis, quæ tunc lucis satis habebunt? quid domi in caveis, in solariis, quid in clausis cubiculis, in cellis, in angulis, in antris, in tenebris, clausis cortinis sceleris peractum sit, g *manifestari oportet ante tribunal Judicis.* Si vel uni Francisco, uni Anselmo, vel levem socordiam religiosi manifestari erubuerint, quid erit toti orbi manifestum fieri? lubet huc aureum flumen derivare Chrysostomi: h *Si nostrum cujusquam occultum crimen hoc ipso die in medium delatum, huic confessui innotesceret, nonne fieret, ut ille interire ac terram debiscere, quàm tot sui peccati testes habere mallet?* ecquis hic confessus ad omnem populum urbis? si coram eo in foro adulterium tuum, indutus albâ veste manifestare deberes? quid erit in die revelationis, in conspectu omnium hominum occultissima flagitia, quæ nunc uni confiteri erubescis, in illo conspicuo orbis Theatro in valle Iosaphat manifestanda fore? i *Quid tunc nobis miseris fiet,* quærit Chrysostomus.

b Ad Rom. 2. Isa. 30. c Psal. 89.
d Bernard. in Manuali.
e 1 Cor. 4. f Seneca in Hippol.
g 2. Cor. 5. h Hom. 5. in epi. ad Rom. i Chrys. ibid.

UVA. BHSC. BU 02224

ftomus ; *cùm omnia orbi universo palam facta, in tam aperto támque illustri theatro denudata omnium oculis subjicientur ?* Si hic viro honesto palam eam notam inurerem, illum ittic loci spurium alere aut nothum, *nónne fieret, ut ille interire mallet ?* & tamen in die revelationis nothi notissimi erunt ; si de puellâ nobili, quid sub obscuro vespere cum proco verborum ac basiorum miscuerit, exponeretur, *nonne fieret ut illa interire mallet ?* Si è prostibulo talis adolescens, talis conjugatus protraheretur pleno die, *nónne fieret, ut ille interire mallet?* Hujuscemodi percunctatur Cyrillus: *Quid facies in judicio, ubi secretó fornicantes in publico producet omni carni ?* & quidquid clausis cubiculi foribus, sceleris admissum est. [a] Inter Lolhardi errores novissimus est, Deum nescire, aut non punire mala, quæ sub terrâ fierent; unde & fornicabantur promiscuè in locis subterraneis, ut refert Spondanus. Omnes illi impuri Lolhardi sectatores, è criptis subterraneis adducet Deus in lucem omni populo ; insuper in hac materiâ peccati omnes circumstantiæ simul innotescent, ut notat Basilius, [b] *non enim confusé, sed singula per partes, velut in picturâ cernentur,* quomodo ad patrandum quis adulterium rem adornarit, quo incessu, quo habitu, quo corporis situ alienam uxorem pellexerit, castam columbam seduxerit : videbitur jactus oculorum impudentissimæ fœminæ in Ioseph, assidua molestia, preces, munera, technæ, lacrymæ, fuga Iosephi, horror peccati, pallium, *velut in picturâ* ; aliter quam res Confessario manifestetur, coram quo omissis circumstantiis aggravantibus, honestis terminis, verbo unico fornicatus decies, puellam decepi, cum aliena plus minùs vicies rem habui ; sed quæ verba cum illa habuerit, quomodo induxerit, quem modum, locum, tempus præscripserit, non exponit. P. Gauda dicere solitus erat, unum foramen, aut rimam esse, per quam videre liceat, quid in orbe agatur, eamque rimam esse cancellos confessionalis ; at longè manifestiùs in die illo revelationis, ubi meritò illud Hieremię usurpabit: [c] *Confusus sum & erubui.* Isa. 13. *Visitabo super orbis mala, facies combustæ eorum*, heb. *rubentes* præ pudore, & uti Ecclesia canit : *Culpâ rubet vultus meus*, exclamat hîc S. Anselmus lib. similit. *Latere erit impossibile, apparere intolerabile.* Quis pudor ora subit, quæ confusio reorum animos perturbat, dum fatale theatrum mortis conscendunt ? patenti foro, omnibus conspicui ? dum illas voces audiunt, ecce illic proditor, falsarius, ille qui adulterinam monetam cudit, ecce ille fur, ille sacrilegus, ille homicida; si quis ingenuâ indole, nobili genere, in religioso habitu, hæc sibi dici audiat, *Deus bone, nónne fieret ut ille interire mallet ?* ubi verò illa *magni cortina theatri* aperietur & dicetur, iste mercator, qui exiguo tempore tantas divitias conquisivit, ecce per quas frau-

[a] Spondan. an. 1315. tom. 1. p. 541.
[b] Basil. lib. de vera virg.
[c] Ierem 31.

des

UVA. BHSC. BU 02224

des & dolos, per adulterinas merces, quomodo imperitis imposuerit, ecce quam usuram exercuerit, aliena bona invaserit; in officinâ ubi ulna pollice brevior, libra scrupo gravior, mensura justo minor proferetur; ecce iste sartor, quantum sibi ex teniis aureis, ex byssо, holoserico reservarit, integra vexilla ex centonibus dæmon illic ventilabit; ecce ibi omnis massa, quam minutis particulis pistores conflarunt; ecce ille sutor quot paria calceorum festis & Dominicis; ecce iste advocatus, consiliarius, quam sententiam tulerit, quas lites protraxerit; intentiones, desideria, cogitationes intimæ patebunt. Hîc reis in catastam productis, præconis voce ea flagitia solùm proclamantur, quæ publica, ac passim nota sunt; ipsa facinora solum in hoc foro plectuntur, quæ sæpe longè plura & atrociora. animo voluerunt: hîc consilia cordium manifestabit, in die illâ illuminabit abscondita; uti solis radiis deteguntur sordes in angulis, feræ in sylvis.

Apocal. 4. *Coram eo mare vitreum simile crystallo.* Nil adeò declarat profunditatem cordis ac mare, quis poterit bolide fundum maris investigare? quis omnes syrtes & voragines cognoscere? quis cordis humani intimos sinus, quis subdolas fraudes, quis simulatas amicitias? quis fictas devotiones? hinc Psal. 103. dicitur: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.* Ecce figuram cordis humani, quot monstra peccatorum, quot desideria lasciva, quot sensus & consensus pravi? sed quærit Deus à Iob cap. 38. *Numquid ingressus es profunda maris, & in novissimis abyssi deambulasti?* quasi rem impossibilem, hoc profundum scrutari; idem de corde sentit Jeremias cap. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans renes & corda,* cui profundum cordis, erit in die illa, *aquasi mavitreum simile crystallo:* qui ad solem, vitrum, aut lucidissimum crystallum contemplatur, in ea quid non transparet? minutissimi nævi & atomi notantur: ô domini! quisque nunc in se descendat, in cordis fundo quid non comperiet? intelligere hæc non potes, legere potes: Doctore S. Hieron. b *Formidabiles libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, & verba, & quæcunque egimus in hac vitâ: nec solum actus, sed & cogitationes, & intentiones cordis. Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur,* & ne lumen lectori desit, dicit & docet Apostolus: c *Uniuscujusque opus manifestum erit, quia in igne revelabitur.* Ubi aptissimam similitudinem adducit *d* B. Thomas à Villânovâ: Sicut in papyro scripta quibusdam succis malorum medicorum, non apparent characteres litterarum, sed ad ignem positi, tota apparet scriptura, sic in illo igne omnia monstrabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consi-

a Apoc. 4. b Hieron. in cap 7. Danielis. c 1. Cor. 3. d Thomas à Villanova conc. 1. in nativ. Virg.

UVA. BHSC. BU 02224

lia cordium, quæ modò oblitterata. Hoc veritus Auguſtinus, ita de ſe loquitur: a *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea: non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum; tot judicibus inops adſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono, tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla, tot convincar teſtibus, quot me monuerunt proficuis ſermonibus.*

Tunc demum falſæ ſyngraphæ, falſa juramenta patebunt. b Rudolphus electus Romanorum Imperator inter refractarios principio regiminis habuit Othocarum regem Bohemiæ, qui renuit Rudolpho ſubeſſe, inque ejus verba jurare, quem paulò antè in ſuo ſervitio ac aulâ palatinum habuerat; res prælio dirimenda erat, jamque in campo utrimque acies diſpoſitæ, cùm formidanti Othocaro injecta melior mens, petiit per legatos ab Imperatore hoc ſibi dari, ut ſub tentorio, quaſi poſt cortinas, coram principibus, clam juramentum præſtaret, quod in utriuſque exercitus conſpectu pudor vetabat: acceptat Imperator, ſtatimque tentorium excitari jubet ingenioſæ fraudi opportunum: nam cùm ante Rudo phum Auguſtali ſubnixum ſolio Othocarus genu poſito, fidem præſtaret, adducto artificiosè funiculo, quatuor tentorii latera ita extemplo conciderunt, ut exercitus uterque ingeniculantem Imperatori regem cerneret, acclamantibus Germanis; frendentibus & dolum tacitè execrantibus Bohemis; præſertim verò is pudor animum uſſit, illuſi turpiter Othocari; ut juſto bello ſtatuerit ignominiam vindicare, ſed conſilio infelici tum à ſuis, tum à fortunâ deſertus, in conflictu cecidit: habent hîc quod metuant qui virtutem erubeſcunt, qui in ſcelere lucem oderunt, qui nunc ſub latibulis, & papilionibus, tentoriis, tectis, fornicibus fornicantur; detegentur, cùm repentè à quatuor orbis angulis, ſipario diducto, in conſpectu utriuſque exercitus beatorum ac damnatorum in campo Ioſaphat omnia manifeſta erunt: & eheu c *quantorum* (magno teſte Hieronymo) *ſperata pudicitia in die judicii dehoneſtabitur.*

a Aug. in medit. c. 4. b Vide Spondanum anno Chriſti 1277. tom. 1. pag. 364.

c Hieron. ad Fabiolam de veſtitu Sacerdotum.

§. III.

Simulatæ juſtitiæ ac perſonatæ virtutes detegentur.

DAvid Pſalm. 74. *cùm accepero tempus ego juſtitias judicabo.* Lorin. hîc: *Si juſtitias judicabit Deus, quanto magis injurias? quid faciet de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque juſtitias judicabit?* quot nunc innocentes, quia tenuioris fortunæ, quia deſtituti atlante, causâ cadunt, aut ad iniquum contractum coguntur, in annos differuntur, omnia deperdunt? dum alii muneribus, favoribus, promiſſis, potentioribus fulti, lites etiam injuſtas lucrantur. Quot iniquæ ſententiæ in ſæculares, in Eccleſiaſticos! Quid *faciet in iſto die de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque*

UVA. BHSC. BU 02224

quoque justitias judicabit? quàm alia erunt judicia Dei, alia hominum? quàm multi ad illud supremum tribunal litem, cum omnibus expensis lucrabuntur; quibus hîc abjudicata causa, istic rursus ventilabitur, revisio instituetur, partes audientur,& ut ait Lorinus ad illud: *Justitias judicabo*, id est, *vindicabo passos injuriam, decernam penes quos sit justitia.*

a Cyprianus ad Florentium criticum & obtrectatorem: *Habes tu litteras meas, & ego tuas; in die judicii ante tribunal Christi utræque recitabuntur*, & decernet penes quos sit justitia.

b Edmundus Campianus generosus iste Christi pugil,in foro Londinensi, jam extremo supplicio afficiendus, sic Reginam Elizabetham alloquitur: *Veniet Elizabetha dies ille, ille dies, qui tibi liquido demonstrabit,utri te dilexerint; Societas Jesu, an progenies Lutheri*: eluceſcet aliquando ille dies,qui liquidò demonstrabit viros illos, qui hîc calumniis impetuntur, depinguntur ut helluones,ut Eucliones, ut superbi, ambitiosi, esse viros integros,temperantes,non lucri temporalis, sed æterni cupidos, animarum non pecuniarum zelo exteras terras petere, vitam exponere,animam ponere,omnia perferre; viros spiritu Dei ferventes, nunquam graviori scelere commaculatos; veniet aliquando ille dies, quo viri illi, qui modo probi, justi, temperantes, in pauperes munifici æstimantur, detractâ larvâ,ambitiosi, subdoli,libidinosi, ebriosi probabuntur; qui hîc boni catholici, templa, conciones frequentantes; perniciosi hæretici apparebunt. Qui nunc benigno vultu humanissimis verbis, maximis promissis se amicos integerrimos professi, quàm malignè de absente locuti, quid contra eos moliti, quid animo foverint manifestabitur.

c Fertur Nero Senatores Romanos, severos illos Catones rogasse ut in sui gratiam populo ludum facerent, & saltum histrionicum, in foro Romano inter se agerent;quod cùm subterfugerent, ut alienum à dignitate suâ, ursit, dixitque, si id eos puderet, omnes larvati coram populo choreas ducerent; cùm excutere non possent, habitu maximè deridiculo, quo minùs innotescerent, & saltus quàm possent leviſſimos efformando, larvati in scenam prosilierunt. dum ecce quos post cortinas sepositerat, satellites prodeunt, qui cuique larvam detrahant, ac omni populo ludibrio faciant, quò ita pudore suffusi fuerunt, ut suffecerit ad vitam non paucis auferendam.

Erit aliquando ille dies, quo larvâ illâ probitatis, sinceritatis, sanctitatis detractâ, omnes fraudes ac nequitiæ patefient: *Mens enim humana*, teste Tullio,*multis simulationum tegitur involucris, & quasi velis quibusdam obtenditur cujusque natura; frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur*: at tunc velo amoto, omnis hypocrisis detegetur: tunc quæ hîc maximè piæ ac ferventes, quæ hîc sanctæ habebantur, in dies 3. 4. missas, alternis aut

a Lib. 4. Ep. 9. *b* Cornel. in cap. 5. Sap. tSabunt justi.

c xiphilinus Dio Cassius in Nerone.

UVA. BHSC. BU 02224

ſingulis diebus ad communionem, cum lacrymis in maxillâ, de divinis diſertiſſimæ; cognoſcentur ab aliquo ſuperbiæ dæmone obſeſſæ fuiſſe. Hoc ſenſu etiam exponit Lorin. illud: EGO IUSTITIAS IUDICABO, *quod ad illos ſpectare ait, qui aliorum nunc opinione ac ſuo etiam falſo judicio, mundi videntur ſibi, & iniquitatem fuco contegunt juſtitiæ.* Veniet dies ille, quo orbi innoteſcet, quis princeps Franciæ feſtis ſolemnioribus ſe in adyta monaſterii abdebat, quaſi animum illic generali exomologeſi expiaturus ſibi ac Deo meliùs vacans, cùm interim hoc otium nanciſceretur, ut clancularias litteras ad regni proditores cauriùs deſtinaret; tunc Jupiter Diphtheram Diogenis inſpiciet, qui auſterus & humanorum contemptor eſſe videbatur, & à morte in perâ ejus, duæ teſſeræ ac effigies amaſiæ reperta eſt.

Venier dies ille, quo tot in habitu ſancto, exterminantes facies ſuas, qui temperantes & abſtemii videbantur, quaſi ſacerdotes Bel, lautè & cautè epulantes, potitantes innoteſcent: de his Gregorius: *Sunt qui videntur habere jejunium Pauli, vigilias Petri, ſed in finem denudatio operum.*[a] Tunc orbi univerſo ſpectandus erit vir Religioſus (familiam premo) Antonius Picenus, qui dolosâ pietatis imagine pleroſque mortalium oculos præſtrinxit: adeò ut poſt quadraginta dierum, quam ſimulabat inediam, cæleſtes genios haud ſecus quàm Redemptori, cibos ei miniſtraſſe ambitioſo rerum ſanctimoniæ fuco in vulgus ſpargeretur, cùm interea ingentem cereum, cui clam intrita phaſianorum, caporum, & ſimilium gulæ illecebrarum, ad manum haberet: uti & craſſum ac rotundum cingulum infarſerat, unde vitam furtim tolerabat. *Tunc videbunt*, non per rimam (ut Propheta loquitur) ſed carnis hujus pariete deſtructo, & cordis velo ſemoto, abominationes quæ in ſacris ædibus perpetrantur.

Quot tunc paſtores ovium ſub pelle ovina, lupi apparebunt? & qui quaſi Seraphini charitate divinâ ardere videbantur, carnalitate ac libidinis flammis ſe fœdè, ac innocentes agnos commaculaſſe deprehendentur? Nunc quidem peccata ſacerdotum tegenda, at tunc ad confuſionem ſummam, omnia manifeſtabuntur. Bern. ſer. 55. in Cant. expendens illa verba *b* SCRVTABITVR JERVSALEM. *ut ſæcularium manifeſta ſunt opera præcedentia ad judicium, & non egent ſcrutinio ſed ſupplicio; mea autem qui videor monachus & Hieroſolymita, peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu monachi adumbrata, & idcirco neceſſe erit ſubtili ea inveſtigari diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.* Hæc de ſe S. Bernardus: quid de ſe perverſi religioſi? quot reperire eſt, ſtatuis ſanctorum, aut parietibus pretiosè conveſtitis conſimiles? qui ſi ornatu nudentur, putridus truncus, araneæ, & ſordes apparent: de nocte quædam miro fulgore lucere videntur, & interdiu ligmum putridum fuiſſe deprehenditur; in campis, in ſylvis,

a Æneas Syl. in Europ. Tylingen. paradiſ. pag. 140.

UVA. BHSC. BU 02224

sylvis, obscurâ nocte lucidissimæ gemmæ quandoque apparent, ubi manu attollis, ad lucem adspicis, noctilucæ, viles vermes sunt. a *Iustitias judicabo*, & appositè Prophetа subdit: b *Liquefacta est terra & omnes qui habitant in eâ*. Quæ verba eleganti similitudine exponit idem Lorinus ibidem: *Sub nive*, inquit, *latere sordidæ res possunt, hæ res apparent, cùm illæ liquescunt; similiter existunt aliæ pulchræ, elegantes, quæ decerni prius nequibant*. tum subdit; *Egregium futuri judicii symbolum, quando justitiæ sol Christus, radix præsentiæ atque sententiæ suæ, cuncta opera hominum in apertum producet*. Fimetum in hyeme nive tectum, candidum apparet, at ubi sole nix liquefacta, omnes sordes manifestantur: similiter existunt aliæ pulchræ, amœnissimæ areolæ, hortorum viridia, sepia opere topiario, exerunt se aprici flores, anemones, &c.

c Aliam similitudinem proponit Christus ab arbore ficus, quæ Vere novo florere incipit, in hyeme arbores frugiferas ac sylvestres dignoscere vix datur, sed in æstate d *à fructibus eorum cognoscetis eos*. In hieme qui agrum conspexerit, quid productaurus sit ignorat, an triticum, an panicum, an steriles avenas & urticas. Verùm ut Poëta canit:

e *Quidquid sub Terrâ est, in apricum proferet ætas.*

a Ezech. 8. b Psal. 74. c Matt. 24. d Matt. 7. e Horat. l. 1. ep. 6.

§. IV.

Orbi quoque innotescent occultissima opera justorum.

TUnc manifestabuntur omnia opera occultissima justorum, ardentia desideria martyrii, affectus piissimi, actus interni fidei, spei, charitatis, religionis, submissionis, resignationis, f *tunc laus erit unicuique à Deo*. Chrys. hom. 6. in Matt. de Magdalena: *Capillis capitis &c. hæc quidem extrinsecus cuncta fiebant, ea vero quæ in secreto mentis agitabat, multo erant ignitiora, multoque majora: quæ tantùm Deus ipse cernebat*. Plurima nos latent de gestis sanctorum, quæ soli Deo nota & in diem revelationis reservata.

Tunc innotescet quid in illâ ecstasi 8. dierum, mens S. Ignatii commenta sit: quid Theresa in raptu seraphico: quid in monte Arverniæ Seraphicus Franciscus, per quadraginta dies Christo confixus cogitarit: tunc apparebunt omnes victoriæ Virginum, & g *tunc laus erit unicuique à Deo*.

Tunc innotescent jejunia, orationes, lacrymæ, cilicia, flagella, omnes austeritates, quas religiosæ animæ clausis cellis, quas teste lunâ Anachoretæ in antris, in speluncis, in criptis terræ exantlarunt; Quid Paulus ille dux asceticus supra sexaginta annos speluncâ tectus, nemini visus, noctes & dies, Deo teste, egerit; quid Antonius, quid Onuphrius, qui à juventute spreto regno, per 60. annos in solitudine ab omnium oculis remotus vixit. Quid g Alexandra 12. annos thala-

f 1. Cor 4. g 1. Cor. 4 h Rad. de S. claus. mum

UVA. BHSC. BU 02224

mum in tumulum commutando egerit; tunc innoteſcet quot mortuos noctu Tobias ſepeliverit, quot arcanæ eleëmoſynæ non ab uno Nicolao donatæ fuerint.

Tunc apparebit orbi universo S. Eliſabetham Hungariæ regis filiam in recondito horti angulo, caput ſcabioſi mendici laviſſe.

S. Hedwigim Duciſſam Poloniæ, pretioſum ſtratum in cubiculo habuiſſe, ſed in durâ ſemper recubuiſſe.

Tunc apparebit qui nunc videntur mollibus ac pretioſis indui, hirſuto cilicio cinctos fuiſſe: tunc apparebit ſancta Clara adhuc puella ſæcularis, ſub damaſcenâ cyclade: Borgias adhuc Dux Gandiæ, ſub holoſerico thorace cilicium geſtaſſe: tunc toti mundo apparebit *a* Andream Oviedum ter quotidie in ſe flagellis ſæviiſſe: P. Ægidium Gonſales cilicium è tribulus ſibi aptaſſe, quod à morte cruentum repertum eſt: fortiſſimum Chriſti martyrem Alphonſum de Caſtro quadrageſimalem eſuriem toto anno ſervaſſe; illuc adferetur ſaxum, quo P. Ioannes Ruiz pro cervicali utebatur. Qui hîc plura deſiderat Nierembergii aſcetica conſulat.

Tunc apparebit quid Deipara 63. annis, quid Chriſtus 30. in vitâ privata egerit, quid in nocte illâ extremæ lanienæ perpeſſus ſit, de quâ non injuriâ Hieronymus aſſeverat: *Chriſtum ultimâ nocte talia paſſum, ut in die judicii omnium integra notitia reſervata ſit.*

Quæ cùm ita ſint, meritò quiſque illud Bernardi uſurpare poteſt: *b Væ mihi miſero! cùm venerit dies illa, & aperti fuerint libri in quibus omnes mei actus, & cogitationes, Domino præſente recitabuntur: tunc demiſſo capite præ confuſione malæ conſcientiæ, ſtabo trepidus, & anxius, cùm dicetur de me: Ecce homo & opera ejus.*

O mercator, qui nunc apparet vir probus, in pauperes profuſus, væ tibi cùm dicetur: *Ecce homo & opera ejus.* Ecce homo ob uſuras, & iniquos contractus damnatus. Conſultiſſime, ampliſſime domine, qui hîc frequenter in templis, in concione: *Ecce homo & opera ejus*, quia pauperes oppreſſit, lites protraxit, munera admiſit, damnatus; nobiliſſime Domine, frequens in uſu ſacramentorum, non potator, non ſcortator, *ecce homo & opera ejus*, ob punctum honoris, ob injuriam illatam, quam animo fovit, damnatus. Talis religioſus, talis concionator, *ecce homo & opera ejus.*

a Nieremb. aſcetica pag. 86.

b Bern. in med. c. 2.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA III.

Quid existis in desertum videre arundinem?
Matth. XI.



CONSTANS IN LEVITATE SVA.

Ovid. lib. 5. Trist. el. 8.

DOMINICA II. ADVENTUS.

De Inconstantiâ humanâ, quæ per arundinem à sapientiâ figuratur; unde tu illud Inconstantiæ symbolum ne commune dixeris.

§. I. *Arundines in fide instabiles.*
§. II. *Virga stultitiæ arundinea.*
§. III. *Fidere amicitiæ humanæ, est niti baculo arundineo.*
§. IV. *Quàm aptè Poëtæ finxerint puellam in arundinem conversam.*
§. V. *Vacua & inanis arundo est.*

UVA. BHSC. BU 02224

Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? Matt. 11.

COMPERTUM est quemadmodum Judæi Christo illuserint, quàm indignè tractarint, quot injurias, quot opprobria, contumelias, diras, Sapientiæ æternæ, Veritati primæ impegerint: pro stulto & phanatico exploserint; inter quæ non infimum ignominiæ, & irrisionis genus fuit; dum rex gloriæ spinis coronatus, pro regali sceptro, arundinem manu excepit.

Profectò, ut Deus erat, ac futura, & nos omnes, ut præsentia spectabat, indubiè ingemuit, complures futuros huic arundini inani, fragili, & instabili perquam simillimos. Tum siquidem spectabat quantum injuriarum sibi inferendum esset, per inconstantiam ac instabilitatem mortalium, qui nunquam in eodem statu permanent, omni vento, adverso, secundo, circumferuntur arundinum instar; ad quas spectandas non longè excurrendum, non in Ægyptum, non in desertum secedendum; arundines in aulis principum, arundines in foro, arundines in curiâ, arundines in monasteriis, arundines in privatis familiis, inanes, vacuæ, variæ, instabiles, fragiles, innumeræ reperiuntur. Quod vobis hodie demonstrandum suscepi.

§. 1.

Arundines in fide instabiles.

[a] OLim inter arundinem & olivam contentio fuit, de viribus ac robore; arundo certè, ut se manifesto graciliorem ac debiliorem videret, cum olivâ vel densâ etiam quercu, certare non dubitabat, industriæ suæ confisa: quâ ad omnem ventum se inclinare, caput demittere, & in omnes partes flectere norat; dum contrà oliva, adversis ventis obniti, caput altiùs attollere, ne quidquam de rectitudine dimittere, eligens potiùs frangi quàm flecti juxta illud Senecæ: [b] *Flecti non potest, frangi potest.* & vel casu suo coronam justitiæ & constantiæ, arundini præripere. Facilè perspicere est, quàm raræ ejusmodi olivæ, & robora: quàm multæ arundines reperiantur, quàm multi in aulis principum, ad levem favoris favonium, caput inclinent; adverso timoris, aut spei flatu impetiti, à rectitudine & statu mentis deflectant; ad quamlibet auram mobiles, calida & frigida, eodem ore proflent, si quem hominem, aut etiam integram religiosam familiam, regi charam perspexerint: laudare, deprædicare, extollere, si regem aut primatem, ejusmodi homines parvi facere videant, & ipsi contemptim de illis, lacessere, aspernari; nil nisi placita loqui norunt, assiduò prurientes auribus: quos Pierius lib. 5. docet, arundines in fistulas convertere. Talis arundo non erat Joannes, qui non norat, humani favoris auram capere, & blanda auribus insusurrare, aut à rectitudine mentis ullis turbinibus dimoveri; sed instar roboris perstabat, frangi malens, quàm flecti; nec etiam capite diminu-

[a] Æsop. fab. 143.

[b] Seneca hyest.

UVA. BHSC. BU 02224

to, locus coronæ defuit, constantiam cadendo firmam, ut arundines stabilem inconstantiam, stando testantur. Gregorius hom. 6. in Matt. *Arundo vento agitata, non erat Ioannes: quem à status rectitudine, nulla rerum varietas inflectebat.*

At quot arundines in Angliâ, Hollandiâ, in toto Belgio repertæ sunt? quæ ubi adversitatis & persecutionis turbo afflarit, ubi aut de bonis, aut de patriâ excedendum, aut à fide & religione recedendum, ubi vel vita periclitatur, vel anima: malunt flecti, malunt tempori servire, caput subdere, quàm constantiam suam, contra omnes impetus comprobare. *a* Sub Henrico Octavo qui 376. monasteria destruxit, religiosi utriusque sexus, supra decem millia, ad sæculum redierunt; quot religiosi voto castitatis adstricti in vocatione suâ immobiles videbantur; ubi adversitatis turbo invaluerit, agitantur, & ubi erat impetus spiritus; illic feruntur & ventis verba, & vela moniales dederunt. Tales arundines vidit Trajectum, ubi dum civitas sub rege Catholico erat, nonnulli se Catholicos simulabant, sacramenta frequentabant, at ubi Regi erepta, ne urbe, & officio excedere cogerentur, fidem mutarunt; tales Bredæ, tales Sylvæ-ducis. Auctor operis imperfecti, qui putatur Chrysostomus, ait: b *Homo carnalis, fatuus in fide, levis in sensu, arundo est.* si talis turbo in hanc urbem desæviret, quot arundines reperirentur, si aut palam officio, dignitate aut vitâ ipsâ privandi, aut à religione decedendum, quàm pauci cum Thoma Moro, & Henrico Polo, se quercos præberent: quàm multi politici se accommodarent tempori, in omni fide se salvari posse. *c* Fuit minister quidam Catholicus, intimus Theodorico Ariano, hic ut Regi gratificaretur, Arianus factus est; quod ut Rex cognovit, capite plecti jussit, dicens: si Deo fidem non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, eam servabis? *d* Quin Constantius Imperator, quo animos suorum exploratos haberet, finxit se idolis immolare velle, ac iis cultum adhibere: pœnam ac privationem omnis dignitatis iis interminando, qui Christo repudiato, ad superstitionem suam non accederent: ubi is persecutionis notus spirare cœpit, ecce omnes, qui antea in fide nutarant, & instar arundinum omni vento mobiles erant, ilicò se idolorum cultui devoverunt, ceteris Christianis roborum instar in fide persistentibus; quod ut Imperator cognovit, omnes has arundines, hos in fide instabiles, è regno suo removit. e *Talis arundo vento agitata non erat Ioannes, quem à status sui rectitudine, nulla rerum varietas inflectebat*; arundo non erat, sed quercus: quam nec adversa, nec prospera, à status sui rectitudine, nulla varietas deflectebat. Semper animus rectus & erectus in Deum: Judæi eum ut Prophetam, ut Angelum, ut Messiam colebant ac venerabantur; nil hisce blandis favoniis, à rectitudine deflectit. Joannes conjicitur in carcerem, ut læsæ majestatis reus, Vincîtur, miserè torquetur: Ioannes non erat arundo, ingens turbo exoritur, olli sangui-

a Bzovius tom. 20. pag. 27. b V. Lobb. Dom. 2. advent. quæst. 27.

c Baronius an. 493. d Mariana de rege l. 2. c. 8. e Greg. cit.

UVA. BHSC. BU 02224

neus, ſupra caput adſtitit imber, qui excidium illi minetur, Joannes non erat arundo, *flecti non poteſt, frangi poteſt.*

§. II.

Virga Iuſtitiæ arundinea.

QUot in foro, quot in curiâ arundines: quot conſultiſſimi, expertiſſimi, ampliſſimi Domini arundinum inſtar, à rectitudine mentis & juſtitiæ infiectunt! qui profectò, mihi ſcitè per arundinem piſcatoris, adumbrari videntur, quâ piſces capi ſolent, ut Ovid. ait:

a *Tremulâ, dum captat arundine piſces.*

Hæc arundo gracilis, & mobilis, minimo piſciculo ſe inclinat, & à rectitudine deflectit. Quibus jam officia deſignantur? quorum lites expediuntur, quibus adjudicantur? Video talem competitorem eſſe ſtolidum, Juvenem, perverſæ vitæ, hæreticum, omnino ineptum; uxori miſit monile, argenteam lancem, murenulas; quid hic aget? quot ſunt, qui arundinis inſtar, ad hæc ſe inclinant, & à rectitudine deflectunt? jam per annos lis hæſit, teſtamentum talis viduæ, hominis plebei, honeſti civis, exhauritur, ad ſummam penuriam redigitur; pars interim aſſiduò urget delationem, appendens munera, & inclinat ſe, ſed hæc alio. *b* Refert Cauſſinus in ſymbolis, quemdam ſuæ fidei commiſſum aurum, in cavâ arundine, quâ pro ſcipione utebatur, abdidiſſe: ad judicem vocatus, arundinem, in qua erat aurum, tantiſper creditori committit, donec ſublatis manibus juraſſet, ſe depoſitum reddidiſſe; mox arundinem, cum pecuniâ recipit, en quis arundinis uſus; ut furtivum aurum recondatur; huic arundini conſimiles videri poſſunt, qui ſe auro, & injuſto pretio oppleri ſinunt, idque etiam perjurio adhibito, legitimo Domino ſuffurantur. Facit huc quod refert Euſebius Nierenbergius: *c* Turcas, Græcos, Armenos, Arabes, Perſas, Judæos, Ægyptios aviụm pennis in ſcribendo uti non conſueviſſe, ſed arundine, quam in calamum ſcriptorium adaptant; *d* unde olim Perſius: *inque manus chartæ nodoſáque venit arundo:* nec injuria calamus apud Latinos, pro arundine uſurpatur: cùm in litteris efformandis, inſtabilitas arundinis, non oblitteranda, graphicè deſcribatur. In inſtrumentis publicis, in cauſis privatis, in codicillis, textum, contextum, ſtylum, pro favoris favonio commutant, quàm pauci cùm Pilato dicunt, *quod ſcripſi, ſcripſi*; Si ſententiam revocaris hunc torquem, hoc monile uxori; quis reſpondeat, *quod ſcripſi, ſcripſi.* Non eris amicus Cæſaris, excides gratiâ potentis, quis perſiſtat: *Quod ſcripſi, ſcripſi*; privaberis officio, *quod ſcripſi, ſcripſi.*

Quoties accidit, talem nepotem, talem filiam hæredem in teſtamento ſcribi, tali religioni ſummam tot florenorum, tot pia legata, illis pauperibus delegari, & paulò pòſt, ob ver-

a Ovid 8. Metam. *b* V. Dom. 1. Quadrag. Cauſſin. lib. 12. Cap. XI.

c Nierenb. hiſt. nat. pag. 450.
d Sat. 3.

bum

UVA. BHSC. BU 02224

bum asperius, ob sinistram quampiam suspicionem, testamentum laceratur, eodem calamo, novum conscribitur, novi hæredes, omnia pervertuntur, & testamentum novum veteri adversatur.

Quot epistolæ amatoriæ, benevolentiæ, favoris, & obsequii pleniſſimæ, uno tempore missæ sunt, & paulò pòst; vel quòd filium, vel fratrem ab amico illo non adeò benevolè acceptum, vel quòd operam suam in perdifficili quodam negotio denegarit, eodem calamo, quàm amaræ, quàm virulentæ litteræ exarantur? nónne calami hi arundinei, leves, instabiles? Quis ergò neget illud Gregorii in Vaticano, oraculum, a *Arundini mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit.*

a Greg. cit.

§. III.

Fidere amicitiæ humanæ, est niti baculo arundineo.

AMabo vos, nónne ejusmodi amici arundini perquam simillimi sunt, qui minimo infortunii, injuriæ, imò vanæ suspicionis vento moventur, mutantur. Scitè Petrus abbas Cellensis: b *Nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam; sine profundâ radice; amicitia accidens est, non substantia.* Accidens est quod nunc adest, nunc abest: Minimâ alteratione, calore, frigore, rarefactione aut condensatione, accidentia mutantur; ita & amicitiæ arundine fragiliores, levi verbo, contemptu, ex sola imaginatione, quia non invitatus, exclusus à comœdiâ, in viâ non salutatus, non satis honesto loco in mensâ, quod ex oblivione, & imprudentiâ accidit; tales *in amore imitantur arundinem.* Quæ prius velut in fistulas aptatæ, suaviſſimè auribus admodulantur arundines, continuò in tela conversæ, vulnera infligunt, ac c *hæret lateri lætalis arundo.* Quidquid damni, quidquid ignominiæ inferre possunt plenis buccis, velut arundines, quæ Midam infamarunt, effutiunt, de quo Ovid. in Met. quæ tonsor arcanam in scrobem clam elocutus fuerat, post annum, *Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus Cœpit, dominique coërcuit aures.* Et tamen istjusmodi amicitiis homines confidunt, ejusmodi amicis nituntur. In paucis gratiosi apud virum principem, potentem, cui se ac sua omnia committunt, si ipsi aut filii ad dignitatem evehendi, hoc homine, hujus commendatione quasi baculo ac scipione nituntur, muneribus sibi devinciunt. Interim dum ad rem venitur, dum officium conferendum, promiſſis onerat aures, manus vacuas prætendit, datur alteri, & confisus es baculo, sed arundineo confracto. Isai. 36. Sennacherib Ægyptiorum inconstantiam arguens, dicit: *Ecce confidis super baculum arundineum confractum illum, super Ægyptum.* Si tu super fratrem tuum, super sororem tuam, super virum illum inniteris, *confidis super baculum arundineum confractum istum*; subducet se, & cor-

b Lib. 5. Epist. 21.

c Virg. 4. Æn.

UVA. BHSC. BU 02224

rues. Spondet quidem opem & operam, omne obsequium condicit, interim dum aliquo suo incommodo, aut damno, opera impendenda, subducit se, excusat se; habes avunculum, aut amicum aliquem divitem Euclionem, quem multis annis fovere, in omnibus favere solebas; addicit mercedem, semel offendis, & lautam hereditatem, quàm tibi millies addixerat, alteri adscribit: *Confisus es super baculum arundineum.* e Carolus VII. in Regno suo singularem quendam amicum virum bellicosum habebat, quo in omnibus, velut baculo, nitebatur, quòd fidelitatem suam variè comprobassèt: petiit ergo Rex quodam die familiariter, quid esset in mundo, quod illius cum rege amicitiam infringere posset? respondit illi intrepidè, *un affront Sire*, unum dedecus. Hoc rogo, inquit, ne inuras, quia novi fragilitatem meam. Nónne Rex confisus super baculum arundineum? Sed ne arundineto excedamus, quot hâc nostrâ tempestate huic arundini similes? quot reperiuntur, qui verbis byssynis, qui promissis aureis, longè plura spondent, quàm rogaveris? tu, illis fidis, & niteris. Nosti illum hominem, te vanâ spe lactare, opes emungere, & succo omni expresso, velut è citrio, conari te pessumdare, & nil nisi verba dare? Pharao quid non dixerat, quoties promiserat libertatem Israëlitis? & quoties mutarat? Ezech.c.29. *Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel, ecce ego adducam super te gladium.* Quare maledictus homo, qui confidis in homine. Apparent baculi, apparent solidi scipiones, & inanes ac fragiles arundines sunt, in his tamen omnem opem, spem omnem passim homines reponunt.

a Barrij solitude pag. 295.

§. IV.

Quàm aptè Poëtæ finxerint puellam in arundinem conversam.

PAn, Deus pastorum, inter Nayades Syringem Nympham adamavit, quam dum insequitur, illa in arundinetum conversa est, reperitque, dum brachia injicit, nil nisi inanes arundines se complecti, ut Ovid. li. 1. Metam.

Tanaque dum prensam sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ, calamos tenuisse palustres:
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos,
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti.

Quot inanes ac vacuas arundines moderni adolescentuli indies insequuntur, dum vanas ac vagas, comptas ac cerussatas puellas, arundinum simillimas depereunt? ut jure meritò Poëtæ finxerint, puellam in arundinem conversam. Quid enim hodiernâ die in puellâ stabile? omnia membra totius corporis, oculi, manus, pedes, digiti, labia, lingua, arundinis instar assiduò jactantur; caput vertumni instar, quod vel audire pudor est, in templo circumgyratur: quis enim hîc salutationes puellæ intrantis, socij adventis, oculorum & mentis evagationes, assequatur? olim circa aras & delubra Deorum, arundineta consita legimus ut Poëta testatur:

a *Ara*

UVA. BHSC. BU 02224

a *Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata cannis.*

at ejuſmodi arundines, mirum eſt, veri Dei aras cingere, & celeſti igne non deflagrare. Sed pergo porrò, inſtabilitatem arundineam, ex vario corporis habitu, oſtendere aggredior. Curiosè quidam obſervat optimam connexionem, celebris illius dicti, à magiſtro noſtro Chriſto prolati: *Quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum?* Quid indumentum, quid veſtes molles ad arundinem? profectò, ſi quis advertat, quanta in indumentis varietas, quanta in veſtibus inſtabilitas: nemo quiſquam mirabitur, ſi inſtabilitati arundinis conferatur. Quot modi, quot formæ, quot genera veſtium; nunc adſtrictæ, nunc laxæ, nunc breves, nunc longæ: quot ſtriæ, quot teniæ, quot figuræ pileorum, calceorum, capillamenti, barbæ? Tertullianus, lib. de pallio c. 3. comparat pavoni: *Multicolor, & diſcolor, & verſicolor: Numquàm ipſa, ſemper alia; & ſi ſemper ipſa, quando alia: toties denique mutanda, quoties movenda.* Ita varium & mutabile ſemper fœmina; nullus pavo tam varius, tam multicolor, & diſcolor, & verſicolor, quàm modernæ puellæ ſunt, & juvenes. b Pavo, teſte Plinio, quotannis cùm foliis arborum caudam & pennas ponit, quæ vere novo renovantur, hæ non quotannis, ſed quot menſibus, hebdomadis, diebus, novas plumas, novos modos, novas veſtes induunt: c diceres corpora eorum inſtar lunæ mutari, quæ cùm à Latona matre ſibi veſtem aptari peti-

a Ovi. me, l. 6. b L. 10. c. 20. c Plu. in c. 7. ſ.

iſſet, nullus ſartor repertus eſt, qui congruentem faceret, quòd indies, & in horas mutaretur. Qui Apologus ſcitè inconſtantiam puellarum expreſſit, quibus ſemper nova forma placet, nec ullus ſartor veſtem aptarit, niſi quam indies, prout fœmina, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet, mutarit, variarit. Atq; peritiſſimi ſartores, ſutores, qui indies quid novi, pro mobilitate genij, ac mutabilitate ingenij, ſuppeditent. Iubet in tabula rem clariùs oculis ſubjicere: d Iuſſerat ſibi Turcarum Imperator omnem gentium habitum veſtitumque depingi, pictor ubi Hiſpanos colari modico, thorace fulto; Helvetos laxis femoralibus, Polonos tunicis pelliceis; Hibernos ſtragulâ, alios alio ſibi proprio habitu expreſſiſſet, ubi ad Germanum ventum eſt, hominem interulâ tectum ſtatuit, & juxta, varij generis ac coloris pannos, cùm forcipe appingit; hanc picturam ſuam interpretari juſſus, hi, inquit, Poloni ſunt, iſti Helveti, illi Hiſpani, ubi ad hominem illum inveſtem devenit, hîc, inquit, Germanus eſt, certâ veſtis formâ, pingi non poteſt, cùm in dies variet. At modo hi mores ex Germania, è Gallijs, in Belgium commigrarunt, ubi, *Tot modo ſunt mores, quot habet natura colores.*

e Pſalmiſta ait, puellas circumornatas, *ut ſimilitudo Templi*; vix videas in Templis toties ornamenta mutari, quoties illarum veſtimenta. Nec ullum colorem induunt; abſq; manifeſto vanitatis argumento: Etenim, proprietates obſerva, quid quoque deſignent:

d Puteani Com. p. 137. e Pſal. 142.

UVA. BHSC. BU 02224

Blanche.	*Innocence.*
Bleu.	*Fidelité.*
Colombin.	*Amitié.*
Jaune.	*Plaiſir.*
Rouge.	*Vengeance.*
Iſabelle.	*Libertin.*
Incarnat.	*Amour.*
Verd.	*Eſperance.*
Tané.	*Regret.*
Gris.	*Travail.*
Verdemer.	*Perſeverance.*
Feuille-mort.	*Eſperance perdue, &c.*

Ex his nunc pallam coloris candidi, innocentiæ, & virginitatis geſtant ſymbolum; dum animo Æthiopiſſam, lenam, ac Helenam referunt. Nunc Cyanei, cæleſtis conſuetudinis æmulam; ceterum, hæ *curvæ in terris animæ, & cæleſtium inanes* vagantur. Nunc purpurei Martyrum; ſed Diaboli. Nunc Janthini fidelitatis; ſed cum perfidio. Nunc praſini, conſtantiæ; ſed in levitate. Nunc flammei, flammarum, quibus cùm divite ſemper arſuræ, indicem.

Sic modo ſunt mores.

Collaria quoque cum luna mutantur, & hac frequentiùs quot menſibus innovantur: non tot columbarum & pavonum colla, adverſo ſole colores referunt, quot collaria formas induunt. Iam rotunda, jam cornuta, jam ſimplicia, jam triplicia, jam lota, jam illota; jam tenuia, jam craſſa; jam promiſſa, jam contracta; jam candente ferro, jam aſſerculis; jam chartis, jam ſtriis arundineis erecta, implexa, inflexa. Nunc mantilia, nunc faſcias, nunc ſtrophiola, nunc oram interulæ reflectunt. Indies aliæ atque aliæ formæ. *a* Brevi uſu, tanto molimine, ut fœminâ hoc ævo fuerit, nummorum quàm virtutum ditior, quæ eo vanitatis & luxus proceſſerit: ut in unicum collare lavandum, explicandum, & ad certam formam componendum, centum quinquaginta florenos expenderit. O Mores! præſtaret profectò laqueum collo geſtarent hujuſmodi, quæ egenorum fauces, hoc vano colli ornatu, præfocant; utinam *b* Chryſoſtomum audiant intonantem: *Quot pauperum ventres poterant inde paſci! & quot corpora nudè agentia, poterant contegi! ex his quæ à ſolo collo, & humeris pendent: nullius alterius gratiâ, quàm in damnum, & nocumentum animæ.* *c* Cauſſinus in aulâ ſanctâ: puellam Pariſienſem, mundo ſpectabilem, mentis oculis proponit ante tribunal judicis conſiſtentem cum collari, quòd valebat cenſu annuo honeſtæ familiæ: & in quo expoliendo, artifices manus, tres omnino annos inſumpſerant.

Mitto in juvenibus modos, qui cùm toti in puellas abierint, non minùs varios. Horum vel ſolum capitis tegumen attendite: jam pileus faſtigiatus, jam depreſſus, jam acuminatus, jam planus: jam brevi, jam margine largo. Jam fungi inſtar, capite ſe totos tegunt, jam Turci in morem totum diem admittunt. Jam retro, jam ad latus inflexus. Jam cinerei, jam candicantis, jam muſtelini, jam cervini coloris. Hic pileum geſtat è pilo canis Pontici, tribus nixum pilis; ſexcenties jam mutatum, in formas omnes. Quare

a Drex. tom. 1. pag. 418.

b Chryſoſt. hom. 37. in c. 15. Gen.
c Cauſſin. tom. 4. pag. 95.

iis

UVA. BHSC. BU 02224

iis optimè congrueret informis ille mimi seu Ardelionis pileus, qui omnem formam induit.

Si è pileis ad pilos fæminarum, ad barbam virorum descendamus, non claudicabit illa similitudo viridis Arundinis, à Claudiano adducta: *Vertice luxuriat crinalis arundo*. Quot hîc stylos, quot calamos, quot calamistros: quot pigmenta, quot figmenta crinium? & ut Servator dixerit, neminem posse, unum pilum nigrum, album facere; jam nescio quo diabolico præstigio, pectine plumbeo, aliisque pigmentis, omnes colores inducunt. Quot cirros, quot circulos cincinnis inducunt, ut concinnæ sint! & ut Hortensius ob plicam in veste turbatam, dicam alteri indixit; ita & hæ ob pilum vento turbatum, in Deum insurgunt. Moris quondam fuit caput in luctu, pulvere aspergere: nunc in luxu est; toto vertice pulvere consperſæ sunt. Quæ utinam moris Ecclesiæ recordarentur, quia in pulverem revertentur. Aut illud Augustini animo volverent, quia vertex ille in flammas erumpet: a *Crines tuos inficis malo præsagio futurorum; capillos jam tibi flammeos auspicaris.*

Quid de pallis & palliis dicam? nunc viri pallia gestant ad imos talos; nunc ad umbilicum, histrionum in morem. Modò pallium simplex, modò fultum, modò alatum: jurares vespertilionis exuvias esse. Nunc uno humero, nunc brachio implexum, nunc non gestant, sed à famulo gestatur. Palliorum copiam quis explicet? ad profectionem alia, ad convivium alia, ad consilium alia; alia festis, alia feriis; Lucullo similes, qui Prætori in spectaculo exornando, centum petenti, ducenta obtulit. Sunt qui asserant, tot habuisse, quot dies in anno.

Rem miram audi, & planè monstrum pretiosæ vanitatis: b Fuit anno 1518. princeps sacri ordinis, qui talarem tunicam habuit suffultam plumis, quas pellio è carduelium seu acanthidum capitellis, opere prorsus incredibili confecit. Heu quot centuriis, quot millibus avicularum, ad unam hanc togam convolandum erat! nimirum ut unicus homo ad insanam varietatem vestiretur, tot avium turmæ & vita, & vestibus erant spoliandæ. Sed ne arundineto excedamus, de his aliquando erit uberior dicendi locus. Nos hactenus arundinis instabilitatem expendimus. Accedit arundinem esse materiam facilè combustibilem, ut ubi adolescens petulantem gestum, lascivum oculum, verbum obscœnum in consortium puellarum projicit, dici possit illud Sapientis, quòd hæc sint, c *sicut scintillæ in arundineto.* Quæ facilè ignem excitabunt, & arundinem incendent.

Quid, quòd puella reperta sit, quæ quò faciliùs flammas suas spargeret, litteras incensorias arundini inclusit; juvat hæc ex nobili auctore hîc transferre.

d Sigismunda filia Tancredi, Principis Salernitani, in arundine (commodo excitandis ignibus instrumento) amatorias litteras cuidam palatino, humili loco nato, Guiscardi nomine, misit: is his acceptis, simulque

a Aug. doct. Christ. l. 4. c. 21.

b Drex. to. 1. p. 427. c Sap. 3. d D. A. Burgundia veritas c. 37. Leon Aretin.

UVA. BHSC. BU 02224

viâ ſubminiſtratâ, per eas prorſus exarſit; ſed turpem cum Amaſio conſuetudinem pater detexit. Obtruncat juvenem, & exſectum pæne adhuc ſpiranti cor, in aureâ phialâ, filiæ mittit; at illa quaſi, munere læta, ſapienter, inquit, cor aureum, parer, aureo tumulo donaſti. Et mox in lacrymas ſoluta, velut unionibus cor perpluebat. Interim venenum haurit, & cor cordi apponens, unum moribunda patrem rogat, ut eodem tumulo condatur. De ſimili arundine, dici poteſt illud Maronis:

----- a *arſit arundo,*
Signavitque viam flammis----

Et eheu æternis pabulum ſubminiſtravit, utinam ſola.

a Æneid.

§. V.

Vacua & inanis arundo eſt.

ULtima arundinis proprietas eſt, quòd vacua ſit, extus vireat, intus areſcat; extus ſolida & robuſtâ, intus medullâ & robore deſtituta. b *arundinetum vitam ſæcularium*, appellat; *qui more arundinum, per temporalem gloriam foris, quaſi ad alta proficiunt, ſed intus à ſolidâ veritate inaneſcunt.* In Braſiliâ, & Pernanbuco arundines ſunt, quæ intus ſaccharo & dulci liquore repletæ, ut Virgilius ſignificaſſe videtur; 4. Georgicorum:

Mellaque arundineis inferre canalibus.

Sed hujuſmodi in hiſce partibus non reperiuntur. Fuit qui hoc audierat; ſaccharum in arundine creſcere, ad Schaldin ſedens, ſingulas arundines infregit, ſed nil niſi magnum inane reperit. Multi extus probi, temperantes, prudentes, Catones apparent, ſed intus medullâ ac robore virtutis deſtituti ſunt, quales omnes politici, medullâ virtutis, & fructu veritatis vacui: hos ſcitè depingit S. Hilarius in Matth. c. 11. *In arundine, homo talis oſtenditur: de gloriâ ſæculi, vitæ ſuæ inanitate ſpecioſus; ipſe autem fructu veritatis vacuus, exterior placens, & nullus interior.*

De arundine Indicâ refert Eteſias, tantâ eſſe craſſitudine, ut viri duo, porrectiſſimis brachiis vix complecti poſſint: altitudo quanta mali in navi, decies mille homines conſimilis arundo fert, ſed intus vacua, & emedullata; quot homines videmus ut arbores, ut robora, ut quercus, ut malos navium? & arundines ſunt, intus vacui ſolidate virtutis, vani, inanes. Quot religioſi, viri Eccleſiaſtici qui extus veſte ſanctâ, ſed intus inanes? quot robuſto ac valido corpore, ſibi immortales videntur? & ſubito morbo, levi calore febris, ignem concipiunt, corruunt, & cadendo fragilitatem ſuam teſtantur. Mitto hîc ne longior ſim, arundines ad ripas fluviorum paſſim ſpectari, ut notavit Amb. Lucæ 7. *Arundines*, inquit, *fluvios amant: & nos labentia mundi caducaque delectant:* Et quia ut ſacræ paginæ loquuntur: c *Moveri ſolet arundo in aquâ*, radicem in luto, in limo defixam habet: hinc quid mirum, ſi ſubſiſtere nequeat? d *Infixus ſum in limo profundi*, inquit David, *& non eſt ſubſtantia.* e Tales omnes ebrioſi & luxurioſi; qui ut centies, ſexcenties ad con-

b Greg. 33. moral. c. 3.

c 3 Reg. 14. d Pſ. 68. e Barrad. to. 2. p. 562

feſſio-

UVA. BHSC. BU 02224

fessionem deflectant, emendationem spondeant; minimo vento in alteram partem inclinant, ut rectè S. Hilarius observat: a *Ad omnem ventorum motum*, id est, *immundorum spirituum flatum vagantes*. Denique, ut *b* Plinius refert arundo Indica, bifariè secta, navis vicem subit, ut sic fluitare pergat, nec instabilitatem in aquis, unde nata, deperdat. Sed si lubet, hanc arundineam navim, quæ inconstantiæ humanæ vivum symbolum est, sacrarum scripturarum testimonio stabiliamus. Disertè more suo celeberrimus divini verbi præco Hieronymus Baptista de *c* Lanuzâ, super Mausoleo, quod Simon Patri ac fratribus exædificasse legitur, verborum flumine velificatur: Quo porrò consilio naves super columnas collocavit? *d* res adeò inter se, toto elemento dissitas, contraria adeò inconstantiæ, & constantiæ symbola, *Simon vir consilii*, copulavit? Nisi ut omnibus declararet, fratres suos navigii in morem, variis hîc adversitatis, ac bellorum turbinibus jactatos, nihilo minus Deo nixos, veluti columnas perstitisse. Ut apud Lanuza, Serrarium, aliosque interpretes legere est.

Unum dumtaxat supereſt; ut homo, omni arundine mobilior: omni arundine inanior: omni arundine fragilior sit: excogitatum tamen esse, quomodo columnâ stabilior, scipione solidior, clavâ robustior existere queat; si nempe hæc arundo, in manum ejus transscribatur, quæ mobilia confirmat: infirma consolidat: fragilia corroborat. Homo nixus mundi inconstantiâ, fretus opum copiâ, fultus honoris aurâ: nihil habet stabile, præter instabilitatem, sed desolutoriâ levitate, inter instabiles ventos, prosperos & adversos, fluctuat: & arundinis instar, teste Ambrosio, e *vel odio dirigitur, vel gratiâ inflectitur, vel aliorum mendacio depravatur*.

At verò si illa arundo consistat in manu Christi, tum enimverò homo ille, ad quascumque turbas & turbines inconcussus stabit. In hac potenti Dei manu, plus virtutis arundo habitura est, quàm baculus in manu Eliæ, quam virga in manu Moysis, quàm gladius in manu Gideonis, quàm mandibula in manu Sampsonis, quàm clava in manu Herculis. Quia f *in manu tuâ virtus & potentia, & non est, qui* {quantumvis fragilem arundinem} g *de manu* tuâ *possit eruere*.

a Cap. 11. in Matt. *b* Plin. l. 16 c 36. *c* Lanuza hom. 37. n. 73. *d* 1 Mac, c. 13 v. 29.

e Amb. in Psal. 118. serm. 20. e 1. Paral. 29. g Deut. 32.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA IV.

Tu quis es? Joan. 1.



OLIM TRVNCVS ERAM.

Horat. l. 1. *Sat.* 8.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Præstantissimam scientiam esse *Cognitionem sui*: quâ homines ad dignitatem evecti, recordentur, qui fuerint: exprimitur per truncum informem, in statuam effictum.

§. I. *Qui sui cognitione neglectâ, inutili ac futuli scientiæ sese dederunt.*

§. II. *Cognitio sui, ut scientia longè præstantissima præ ceteris commendatur.*

§. III. *Compertum est, qui è vili emersérunt, nec se, nec suos agnoscere.*

§. IV. *Exempla eorum, qui suæ sortis ac conditionis memores, illud* γνῶθι σεαυτὸν *observarunt.*

D O-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es? Joan. 1.

PRIscis Græciæ Philosophis nihil antiquius, nihil solemnius esse solebat, illo pronunciato: γνῶθι σεαυτὸν, nosce teipsum, quod ut omnium oculis perspicuum esset, templo Delphico aureis literis, nunquam obliterandum, inscribi placuit. Divinum certé effatum, Christiano dignissimum legi, ac intelligi, & alto pectore infigi; ut rectè monet Aquinas vates:

E Cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν:
a Figendum & memori tractandum pectore.

Hæc enim scientia longé omnium utilissima ac pulcherrima est. Audi quid sanctus Clemens lib. 3. pædag. dicat: *Est*, inquit, *omnium disciplinarum pulcherrima, ac maxima, seipsum nosse.* Hanc unam scire, nihil ignorare est; se nescire, nihil scire est. Unde Hugo de S. Victore: b *Melior est scientia si teipsum cognoscas, quàm si te neglecto cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cælestium terrestriumque omnium cognitionem habeas: multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cùm tamen summa Philosophia sit, sui cognitio.*

a Iuven. sat. xi.

§. 1.

Qui sui cognitione neglecta, inutili ac futili scientiæ sese dediderunt.

THales Milesius, teste Laërtio, cuidam percunctanti, quid rerum omnium difficillimum foret? *Seipsum*, inquit, *nosse.* Ab hac scientiâ ipse toto cælo aberravit, dum supra se raptus, revolutiones cælorum & cursus planetarum speculando, in fossam proruit; unde à vetulâ sibi exprobrari audiit: Frustrà altitudinem cæli eum contemplari, qui altitudinem putei, qui ante pedes, ignorat. Ecquid enim juvat solerter indagare maculas solis, & non videre maculas animi? quid juvat observare eclipses, ac defectus lunæ, & negligere defectus proprios?

Quid juvat cognoscere quot gradus sol sit supra horizontem, & non videre quot gradus fecerit in perfectione? attendere influentias planetarum, & non excipere influentias gratiarum? Alii toti sunt ut amplitudinem terræ metiantur, quot milliaria distet Roma Hierosolymis, Antverpia Constantinopoli; & ignorant quàm longè peccator distet à Deo. Dionysidorus peritus Geometra in epistolâ, quam in sepulchro ejus repererunt, describit se ad centrum terræ devenisse, esseque eò spatium quadraginta duo millia stadiorum, unde conficiunt in ambitu, terram complecti ducenta quinquaginta quinque millia stadiorum. Eratosthenes verò ex indubitatâ ratione umbrarum, demonstravit mensuram universæ terræ esse trecenties quindecies centena millia passuum. In hos Geome-

b Hugo de S. Vict. lib. de claustro anim.

UVA. BHSC. BU 02224

metras, quos vulgus æstimat, sic insurgit Augustᵃ: a *Scientiam terrestrium cælestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum, in quo profecto meliores sunt, qui hunc scientiæ præponunt nosse se ipsos, laudabiliorque est animus, cui nota est infirmitas humana, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum scrutatur.* Cælum & terram ingenio complecti volunt, & exilitatem ac vilitatem suam non capiunt. Archimedes in pulvere lineas ducebat, ᵇ nec *recordatus est, quia pulvis sumus*, seque ultimam lineam ducere. Ejusmodi ut fatuos perstringit Seneca. ᶜ *Fatuum*, inquit, *est, studere divisionibus terrarum, & se nescire metiri.* Et alibi: ᵈ *Metiri me Geometres docet latifundia, potiùs doceat, quomodo metiar quantum homini sit satis. Quid mihi prodest scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere?* ac tandem exclamat? *O egregiam artem! Scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam: intervalla siderum dicis: nihil est quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus sit, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit, ignoras?* Idemque sentiendum de iis, qui tonum unum in numeris musicis absonum carpunt, & secum ac cum suis discordant, unde subdit: *Stultumque est vacare concordiæ musicorum, & non habere concordiam cum proximo, vel cum seipso* ᶠ *Doces me*, inquit, *quomodo inter se acutæ & graves voces consonent, fac potiùs quomodo animus secum meus consonet.* Multi norunt virtutes herbarum, morborum callent alexipharmaca, & vitiorum ignorant antidota. Vires herbarum ille probè norat, ᵍ *qui disputavit super lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de jumentis & voulcribus, & reptilibus, & piscibus.* Hic sapientissimus mortalium, qui omnia norat, seipsum & quid sibi conduceret ignorabat, ut de seipso fatetur dicens: ʰ *Quid necesse est homini majora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ?* & cùm omnia sciret, palam confessus est: ⁱ *Viam autem Domini ignoravi*, cumq; omni scientiâ suâ longissimè aberravit.

Dolendum hoc magis, complures reperiri qui posthabitâ salutari sui cognitione, insanientis sapientiæ studiosi ac magistri, inutili ac futili labore consumuntur, de quibus non insciteᵏ Martialis:

ᵏ *Turpe est difficiles habere nugas: Et stultus labor est ineptiarum.*

Horum integram classem Romanus Philosophus inducit: „ ˡ Didymus ille Grammati- „ cus, qui ab assiduitate laboris „ χαλκέντερος, id est, ferreis „ visceribus, dictus est, quatuor „ millia librorum scripsisse di- „ citur. Miser si tam multa su- „ pervacanea tantùm legisset. „ In his libris de patriâ Homeri „ quæritur, in his de Æneæ ma- „ tre verâ: in his libidinosior „ Anacreon an ebriosior vixe- „ rit? in his an Sappho publica „ fuerit? & alia quæ erant de-

ᵃ Augustᵘˢ. lib. 4. de Trinit. in proœmio. ᵇ Psal. 102. ᶜ Senec. lib. de liberalibus studiis sub initium. ᵈ Seneca ep. 88. ᵉ Ibid. ᶠ Sen. ep. 88. ᵍ 3. Reg. 4. ʰ Eccl. 7. ⁱ Sap. 5. ᵏ Lib. 2. ep. 95. ˡ Sen. ep. 88.

„ di-

UVA. BHSC. BU 02224

„ discenda si sciret. Consimile studium Tiberii Imperatoris Romani fuit, de quo Suetonius, has quæstiones cum sciscitari consuetum: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter filias Chironis? quid Sirenes cantare consuessent? Quorumdam studium fuit scire, quem remigum numerum Ulysses habuerit? priórne scripta sit Ilias, an odyssea? dexteróne an siniſtro pede Æneas exscenderit? utrum prius fuerit ovum an gallina? de quo *a* septem Sapientes fusè apud Plutarchum; quid inter stillam & guttam intersit; reperire & invenire, quantum differant apud Nasonem:

---b *& non inventa reperta est.*

c Socratem quis occupari credat ut saltum pulicis, pede ceræ impresso metiri queat? quasi Philosopho dignum sit, operoso studio consectari, ter millies quadragesies quinies hunc saltu uno, molem corporis excedere. Quid, quòd & hujus ævi viri, ceterùm docti, his annumerari possint, qui operosè pervestigant si chimera esset homo, cui scientiæ sese traderet? inter quos professor ille accensendus est, qui ut *d* Drexelius commemorat, quæstiones Theologicas nihili faciebat; sed si modales incidissent, *ubi absolutùm*, aut *respectivum*, quasi Solimannum debellasset, ita insurgebat. e *De illis nemo dubitabit*, inquit Seneca, *quin operosè nihil agant, qui in litterarum inutilium studiis detinentur, quæ jam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum remigum Ulysses habuerit?* &c. Hæc ille. Et subdit: f *Quàm insanum sit, quærere, utrum major ætate fuerit Homerus, an Hesiodus? an minor Hecuba fuerit quàm Helena? Ulysses ubi erraverit? & eheu*, inquit, *non efficimus ne nos semper erremus.* Hanc vanam ac insanam scientiam in se deplorat Augustinus, sui ac salutis suæ oblitus. g *Tenere cogebar*, inquit, *Æneæ nescio cujus errores, oblitus errorum meorum, & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem; cùm interea meipsum in his à te morientem Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus.* Fatuum est nosse, quot annos erraverit Æneas, & non attendere quot annos in terram longinquam aberraverit à patre, à patria. *h* Scotus in thesauris selectorum exemplorum, refert de nobili Florentino, qui mille florenos collegerat, ut Europam lustraret: quod consilium dum cognato suo viro prudenti exponit, respondit is potiùs in sui cognitionem, diligentiam talem impenderet: salutem enim majorem adferre, si domi norit vitia, quam extra patriam, si multorum hominum mores lustraret & urbes.

i Huc spectat quod vir apprimè eruditus Iurisconsultissimus, & toto imperio Romano celeberrimus usurpare solebat: Nos Germani (liceat dicere) prudenter, sed periculosè fatui, filios nostros in regiones exteras amandamus, ingenti sumptu, & sæpe cum jactura pudi-

a Plut. in conviv. 7. Sap. b Met. l. 13. c Aristophan. nubes act. 1. sc. 2. d Drexel. Rhetor. l. 1. c. 10. e Sen. de brev. vitæ c. 13.

f Epist. 88. cap. 13. cent. 1. cap. 1. g August. l. 1. confess. h Verbo didici 29. i Drex. Rhet. lib. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

pudicitiæ; sæpe etiam vitæ, ut diversarum nationum idiomata condiscant. Qui inde, ubi redierint, linguam patriam & vernaculam ignorant, cum Deo loqui, & se intelligere nesciunt. Hi ce omnibus meritò præfert Hipponensis Præsul, quemdam virum, probum nomine & re: a *Hic*, inquit, *præposuit scire infirmitatem suam magis, quam scire mundi mœnia, fundamenta terræ, & fastigia cælorum.* Quid enim prodest curiosa sectari, abstrusa naturæ invenire, & seipsum perdere? Doctor Angelicus in opusculis, unum aliquem Philosophum inducit, *b* qui è vitro alvearia fieri curarat, cum quibus in desertum secessit, ac illic per 30. annos moratus est, ut disceret quemadmodum apes mella conficiant, & favos struant, sed alveariis cerâ obductis, fine suo frustratus fuit; cui hoc epiphonema magnus Doctor subnectit: *Quanto melius hoc tempus, in cognitione sui impendisset?* Huic curiosorum hominum generi aptè responderi posset, quod olim Augustinus Afro, curiosè percunctanti: c *Quid ante mundi creationem Deus fecisset?* Respondit sanctus Præsul: *Curiosis parabat infernum*, quod utinam non plures experientiâ comprobassent.

Aristoteles ille princeps Philosophorum de quo Lucretius agens, dixit: Genus humanum ingenio superavit. Averroës ejus interpres ait, quod natura in Aristotele extremum potentiæ suæ exhauserit. Ammonius in vitâ Aristotelis, asserit eum præ nimiâ subtilitate, pro dæmone habitum. Hic vir, hic est, qui cum omni suâ scientiâ, dum æstum Euripi, motusque ejus capere non posset, seipsum perdidit, dicens: *Aristoteles non capit Euripum, Euripus capiat Aristotelem.* Idem exitus Plinii fuit, qui cùm Vesuvii flammas non caperet se in eas præcipitem egit. *d* Nónne in illos rectè cadit illud Bernardi, quo Abaliardum solertem ac subtilem Hæreticum perstringit: Abaliardus nihil nescit omnium quæ in cælo & in terrâ præter seipsum. *Nihil est*, inquit, *quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Ambulans in magnis & mirabilibus super se. Melius illi erat, si juxta titulum libri* (quem inscripsit, scito teipsum) *seipsum cognosceret & saperet ad sobrietatem.*

a Aug. l. 4. de Trinit. in Proœm.
b Sanchez Royaume de Dieu l. 5 cap. 4. sect. 1. in fine. c Beyerlinc. apophth. facra pag. 187.
d Bernard. ad Innoc. Epist. 191. & 192.

§. II.

Cognitio sui, ut scientia longè præstantissima, præ cæteris commendatur.

VArii variis se dant scientiis, Arithmeticæ, Musicæ, Philosophicæ, Medicinæ, Iuri, Praxi; sed scientiâ ac praxi noscendi seipsum, perpauci occupantur, de quâ tamen Doctor mellifluus: e *Multæ scientiæ hominum, sed nulla melior est illâ, quâ cognoscit homo seipsum: beatus homo, qui se potest cognoscere.* Miramur & indignamur nugis seria postponi, & scientiam omnium pulcherrimam ac utiliffi-

e Bern. de inter. domo cap. 28.

mam,

UVA. BHSC. BU 02224

nam ; quæ in ſui cognitione conſiſtit , ludicris poſthaberi , quaſi verò non plures hujuſmodi malè feriati homines reperiantur. Studia veſtra attendite , & videbitis quàm pauci huic ſcientiæ ſeſe dediderunt, quàm pauci aſſecuti ſunt illud , *noſce teipſum* ; quod ſuis temporibus divinus Plato notabat : *In foro vix decimum quemque eſſe, qui ſeipſum norit.* Perſius ne unum reperit. Hoc enim queritur:

Vt in ſe nemo tentat deſcendere , nemo!
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Nemo quiſquam percunctatur ſeipſum, *tu quis es ?* nemo ſeipſum intuetur; *a* oculis, inquit magnus Baſilius , perquam ſimiles ſumus , *Qui cætera omnia vident , ſeipſos non vident.* Tales Iudæi erant, qui non ſe, ſed Ioannem interrogabant : *tu quis es ?* ita paſſim quæritur, cujus is conditionis ſit, quî ad tale officium emerſerit ? quâ capacitate ſit ? & interim *tu quis es?* ille quàm doctus, quàm dives , illa filia unde tam lautum matrimonium, unde illi filio tam opiparum patrimonium ? in tali familiâ quid agatur, quæ œconomia, quî vir cum uxore , cum liberis, cum ſervis ? & qui hæc inquiris , *tu quis es ? Vt in ſe nemo tentat deſcendere, nemo.* Veriſimè Seneca. b *Hoc nos peßimos facit, quod nemo vitam ſuam reſpicit :* cùm tamen hæc ſcientia longè præſtantiſſima , mortales optimos , imò beatos reddat. Bernardum audiamus ſic aſſerentem : c *Scio neminem abſque cogitatione ſui ſalvari , de quâ nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini.*

Quod ſacris litteris & SS. PP. teſtimoniis pleniùs comprobabo. Eccleſiaſticus cap. 51. quæſivit ſapientiam , ut de ſe fatetur : *Cùm adhuc junior eſſem, quæſivi ſapientiam :* poſtulabat eam vir ſanctus Ieſus filius Sirach : d *Animam meam,* inquit , *direxi ad eam, & in agnitione inveni eam.* Quid eſt hoc ? niſi in *cognitione ſui* inveni eam , ut rectè Ianſenius. Quærebam ſapientiam extra me, ut Philoſophi naturas rerum , Aſtrologi motus cælorum , Coſmographi terras & provincias luſtrando ; reflexi oculos in me, quis fuerim, quis ſum , quis futurus ſum ? unde corpus ? quò anima ? & hæc vera ſcientia , quam Bernardus inculcat: e *Iſta tria in mente habeas : quid fuiſti , quid es, quid eris ?*

Confirmat doctrinam hanc *f* Sponſus in Canticis : ardet Sponſa intelligere ubi paſcat beatas animas in meridie gloriæ: quam ſic coarguit : *Si ignoras te , ô pulcherrima mulierum, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum , & paſce hœdos.* g Hæc verba obſcura ait Auguſtinus. Verum de ignorantiâ ſui loqui cenſet *h* Ambroſ. Hier. Greg. Bern. & S. Thomas , quî ſenſum horum verborum volunt deſumi ex eo , quòd Sponſa rem arcanam petat noſſe à

a Baſil. hom. 9. Hexam. b Epiſt. 83.
c Bern. ſerm. 37. in Cant.

d Eccl. 51. e Bernar in form. honeſt. vitæ. f Cant. cap. 1.
g Aug. ſerm. 50 de verb. Dom. h Ambroſ. in Pſalm 118 ſerm. 2. Hier. Epiſt. 22. ad Euſtoc. Greg. in c. 1. Cant. & 16 mor. cap. 21. & l. 30. c. 12. Ber ſer. 34. in Cant. D. Thomas in c. 1. Cant. Auguſt. lib. de Paſtorib. cap. 15. to. 9.

Spon-

UVA. BHSC. BU 02224

Sponſo:quæ oves prædeſtinatæ? ubi eas paſcat? quas aureolas decernat? hinc eam commonet,ne ſupra ſe ſapiat, ſed ſeipſam conſideret. Vide,inquit Auguſtinus, *quomodo comminetur* Sponſus, quàm blandè illa: Annuntia mihi quem diligit anima mea, ubi paſcat,ubi cubet? ille verò ſeveriſſimè: niſi cognoveris temetipſam, ô pulchra inter mulieres,exi. Si te non cognoris, exitura es in veſtigiis brutalibus appetituum, & paſces hœdos,non oves. Si te ignoras, egredere. *Dura increpatio*, inquit Bernardus, *hoc quippè verbum,ſervi & ancillæ audire ſolent, à valdè iraſcentibus Dominis; exi hinc, egredere è domo.* Recipis ancillam in domum tuam, filiam bubulci aut lanionis, incultam, ignaram,agreſtem: inſtruis, excolis, mores induit civiles, rerum peritiam acquirit,fit pediſſequa, fit à cubiculis, adminiſtrat familiam; tandem ſeipſam non ampliùs dignoſcit, inſolеſcit, fit incorrigibilis, contumax,ut nec Dominam,nec Dominum revereatur. Quid fit? quid dicitur? quia ignoras te, exi,egredere è domo. Ignoras te quomodo hâc intraris, ſeminuda, inculta,omnibus deſtituta, vade & noſce teipſam.

§. III.

Compertum eſt, qui è vili emerſerunt, nec ſe, nec ſuos agnoſcere:

Iuxta tritum illud:

Als niet kompt tot iet /
Dan went iet/ ſy ſelve niet.

COnſpexerat *a* Alexander Farneſius nanum tenuioris fortunæ, quem ob informem corporis formam, ut ſingularem,in aulam adlegit. Ad hunc, ubi non multò pòſt, ſolatii causâ, pater pauperculus viſeret; negavit ſe patrem noſſe; quod ut Princeps reſciit flagris benè exceptum vereri lacernâ indutum dimittens, ſe ac ſuos noſſe præclarè edocuit. Hic nanus quia è caulâ in aulam adſcitus, in honoris apice, ut videbatur, conſtitutus, opibus velut baſi fultus, ſe nanum ignorabat, ignarus nanum etiam in monte, non majorem ſeipſo fore: ut quidam aptè expreſſit, dum nano in ſublimi alpium, hoc lemma ſubſcripſit: *non ideo eſt major.* Nihil tamen familiarius iis, qu, è vili ſtirpe ad alta aſſurgunt, quàm ut ſeipſos neſciant, ne ſemel interrogent, *tu quis es?* quis adeò ſuperbè incedis, quis pater, quis avus tuus? *tu quis es?* dum ruſticus nobilem, ſervus dominum, ancilla heram induunt, dedignantur, vicinum mechanicum, amicos pauperes, imò propinquos ac demeſticos ſuos ſalutare.Depingit eos vivè S. Innocentius: b *Præſumit ſe meliorem, quia crevit in ſuperiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat, heſternos, comites contemnit antiquos, vultum avertit, viſum attollit.* Quod nititur illo Pſalmiſtæ; c *homo cùm in honore eſſet. non intellexit, comparatus eſt jumentis.* Ecquid homini in honore, cum jumento commune eſt? reſponſo ſervit Bucephalus Alexandri, qui Plinio, ac Curtio ſuffragantibus, eo faſtu & arrogantiâ fuiſſe perhibetur,ut impexus, incom-

a Bonaert. in Eccleſ. c. 41. verſ. 25.

b Innocent. l. 2. de contemp. ſæculi c. 30. c Pſal. 48.

ptus,

UVA. BHSC. BU 02224

ptus, regioque ornatu destitutus, quemvis sessorem admitteret; phaleratus verò, & ornatus, ita superbiret, ut præter Alexandrum, neminem admitteret: adeò etiam in bruto animante, honores mores immutarant. Tales & illi, qui privati, ac tenues, ad omnia se aliis submittunt, ad publicos honores provecti, omnibus superbè dominantur, imò & parentes suos excutiunt, & erubescunt.

a Fuit filius Carbonarii, quem pater multis expensis, utpotè generosæ indolis, ac summæ spei, in studiis aluerat. Hic in aulâ educatus, Rege mortuo, ut ingenio & gratiâ valebat, in Regem delectus est. Hoc, ubi pater resciit, ut erat fuligine tinctus, exultabundus & gratulabundus ad aulam contendit, Regis affatum petit; at filius se patrem nosse simulat, ad quem pater non me nosti fili? cui ille hoc stolidum responsum dedit; *quî ego te noverim? qui meipsum vix nosco.* In ejusmodi filios ut insanos, meritò Seneca debachatur: *parentes*, inquit, *non amare impietas, non agnoscere insania est*; verius & severius Augustinus: b *Caninum est parentes non agnoscere:* & quem ille vereatur aut revereatur qui parentum nomen dediscit? nostis hujus detestandi fastus causam? Consulem Romanum, sed sanctum audite: *c Iam scio*, inquit Boëtius, *morbi tui aliam vel maximam causam, quid ipse sis, nosse desiisti.* Hæc una elationis causa, quòd non attendis, qui sis, & qui fueris. Arbor sylvestris, dum surculo inserto nobiles fructus producit,

d *Miraturque novas frondes, & non sua poma:*

Truncum tamen originis suæ indicem, hinc illinc labruscis germinantem continet, unde innotescit quid sit, fuerítve. Si pleriq; truncum & originem suam, qui hîc se circumspiciunt, attenderent, non rarò se èrobore sectos, patre lanione, avo fullone progenitos despicerent. Memorabilis est Stropha, quam Joannes Teutonicus retundendæ quorundam jactantiæ, magis ingeniosè, quàm religiosè excogitavit. Nam ut *e* Delrio, Joannes Teutonicus tametsi obscuris parentibus & illegitimo thoro genitus esset, quia tamen singularis eruditionis titulo inclaruit, Halberstadiensem Canonicatum, solis nobilibus concedi solitum, accepit. Sed collegæ eum duplici nomine contempserunt, ut ignobilem, & nothum; itaque volabant passim sarcasmi; quos ut retunderet, collegas illos invitat ad convivium, interque reliquos mensæ sales ac lepores, injicit mentionem acroamatis magici, & quærit, num suos singuli parentes coram intueri cupiant?

Ubi sentit singulos ardere videndi desiderio, elicit malo carmine, umbras deformes, coci, stabularii Morionis, quorum facies illi in paternis ædibus se aliquando conspexisse fatebantur. Suum quoque patrem exhibuit habitu Sacerdotis, pingui aqualiculo. Dimissis

a Bonaert. cit. *b* Aug. tom. 10, fragm. 2. de decalog. Præc. 4. *c* Boet. l. 1. de consol. prosa 6

d Virg. 2. Georg. *e* Delrio disq. mag. lib. 2. quæst. 30. sect. 2.

c larvis,

UVA. BHSC. BU 02224

larvis, *Eja*, inquit, *dicite fide bonâ, eccujus patrem nobiliorem judicatis?* Sed illi perterriti, & pudore suffusi, quando ex infimæ sortis hominibus se prognatos intellexerunt, vitio adulterantium matrum, suam quisque domum repetivere, nec ultra Ioanni vitium sanguinis exprobravere. Ita olim de nobilitate gloriantes compescuit Satyricus:

a *Majorum primus, quisquis fuit ille, tuorum,*
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

„ Audet & Plato, neminem Re-
„ gum non aliquando è servis,
„ servorum neminem non ali-
„ quando è Regibus prognatum,
„ asserere. *b* Et sanè (pruden-
„ tissimi viri monitum est) ni-
„ miam in majorum seriem
„ disquisitionem, non suasero.
„ Fors, ubi curiosius scrutatus
„ omnia fueris, aliquem in cru-
„ ce, vel securi reperies. Sed demus, ut ab illustrissimâ Croyorum prosapiâ progenitus sis, ut noris quâ origine natus; Cælestinos prope Lovanium addi illic Dux Arschotanus docebit, se lineam parente colono, & matre rusticâ, ab Adamo nempe & Evâ ducere, unde vulgò jactatur:

Als Adam spitten/en Eva span/
Waer was doen den Edelman?

a Iuv. Sat. 8. *b* Scrip. polit. Christ. l. 1. c. 9.

§. IV.

Exempla eorum, qui suæ sortis & conditionis memores, illud γνῶθι σεαυτὸν, observarunt.

WIllegisus ille, quem patre rhedario natum, Ottho III. subito primum inter Electores Archiepiscopum Moguntinum adlegerat, in veteris fortunæ suæ memoriam, rotam (quæ exinde Archiepiscopatui Moguntino semper insigne fuit) & in musæo, & ubique sibi propositam voluit, cum hâc Epigraphe: *qui sis fuerisque memento*. Sic Deum illum apud Poëtas imitatus, qui è trunco & informi ligno, in Deum effictus, de se fatetur:

c *Olim truncus eram, ficulnus inutile lignum.*

Norunt hoc vel ipsi Barbari hoc plurimum conducere, ut in officio contineantur, quemadmodum litteræ Indicæ 1599. testantur, quæ sic habent: *d* referunt oculati testes quemdam ibi Regem Mogor ex Tamberlani nepotibus imperare, cui solenne est, quemque etiam viliſſimum ob heroica facta, ad dignitates & fortunas provehere; quos tamen ut contineat, recordatione pristinæ vilitatis, sancivit, ut pro insignibus cuique præferantur instrumenta sui opificii; fabro malleus, sartori forfex, sutori subula, &c.

Si hac ætate, quisque qui se nobilem deprædicat, pro gentilitia tessera instrumentum patris, aut avi gestare cogeretur, quot ulnam aut forficem, quot ex parentibus scribis, advocatis, syndicis calamum depictum haberent? quod tamen præstantissimi duces ac dynastæ non erubuerunt. Agatocles Siciliæ Rex semper testaceis vasis utebatur, ne se filium figuli oblivisceretur. Lechas Rex Poloniæ, ab aratro ad regnum evectus,

c Horat. l. 1. Sat. 8. *d* Iustinianus in Tob. de remed. superb. c. 11.

vestes

UVA. BHSC. BU 02224

veſtes ruſticas in palatio ſuſpenſas ſemper in oculis habebat, ne conditio animo excideret. a Alter Rex Poloniæ Primiſlaus, dum à ſtiva ad ſolium vocatus eſſet ; Sculponeas, ac perones aſſervari juſſit, ne unquam ruſticum exueret. Quin hac tempeſtate non pauci reperti, qui virtute propriâ ad magna contenderunt, qui vel eo, gloriati ſunt, ſe non ex fumoſis magis, quàm famoſis majorum imaginibus, ſed ſuis clarè factis emerſiſſe; talis excellentiſſimus ductor exercitus Becquius; talis Johannes de VVert; talis Ægidius de Haſe ; qui meritò illud Marii uſurpare poſſunt ; *malle ſe nobilitatem parere, quàm acceptam dedecorare.* Quare nemo non laudi vertit Ægidio de Haſe, dum quondam Gandavum ingreſſus, ex templo matrem adiit, quam reperit in rubra ſubucula liba pannica coquentem : curavit illi novas veſtes, & rhedæ impoſitam per urbem circumvexit. Inde queſivit trullam ſuam, omneſque cæmentarios ad convivium invitavit, utque eos addecet, cereviſiâ ac bubula excepit ; at poſtero die rurſus invitatos, more nobilium lautiſſimè habuit, eoſque percunctatus eſt, num animos haberent militiam ſequendi, per quam ad ſimiles honores evehi poſſent. Benè Chryſoſtomus „ monet : *Melius eſt ut in te glo-*
„ *rientur parentes, quàm ut tu in*
„ *parentibus glorieris.* Et in eam-
„ dem ſententiam alius. b *Sa-*
„ *tius eſt me meis rebus florere,*
„ *quam majorum opinione niti, &*
„ *ita vivere, ut ego ſim poſteris meis*
„ *nobilitatis initium, & virtutis*
exemplum. Patricius Socrates non fuit marmorario genitus. Cleanthes rigando hortulo locavit manum ; Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit: incunabula Tulli Hoſtilii aggreſte tugurium accepit. Tarquinium Priſcum mercator genuit: Servius Tullius à ſervo imperium tenuit, protulitque in imperio conditionis ſuæ nomen. Ex tabernâ macellaria ad conſulatum Varro conſcendit. Plebeiæ fuerunt Deciorum animæ, Septies Roma conſulem ab aratro Marium vidit. In volumen excreſcam, ſi è plebe, è fece Imperatores recenſere voluero, qui hos requirat, politicum Scribanii conſulat; & ex hoc facilè colliget, nobilitatem priſcam à virtute bellicâ, non generis claritate, originem ducere. Ea propter nemo erubeſcat, propriâ ſe, non alienâ virtute, ex umbrâ in ſolem prodire : ſuâ, non parentum prudentia, in ſenatorum ſubſellia conſcendiſſe: patre Iro progenitum, ſua ſe induſtria, ac Dei imprimis beneficio, opes Crœſi accumulaſſe. Ingenuè non ita pridem id faſſum (fido teſte) mendicum accepi: is ubi Antverpiæ ſtipe ac fortuna aſpirante, mercator effectus, ingentes ſibi divitias comparaſſet, opulentos mercatores menſæ adhibuit, ſplendidè excepit: poſtquam bellaria illata, amyſtidem ſupra ſuam ſanitatem inſtituit, è ligneâ ſcutellâ, omnibus propinans; dicens hanc eſſe ſcutellam, qua porrecta ad fores templi, ſæpius ſtipem rogarat, ex qua toties frigidam hauſerat ; nunc ſe Deo grates re-

a Æneas ſylv. de reb. Bohem. b Scriban. polit. Chriſt. lib. 1. cap. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

referre de prosperâ sibi fortunâ concessâ. Ejusmodi omnes hoc illustriores, quod ultrò cum Sixto V. Pontifice, profiteantur se illustri domo natos, quæ solis radiis pervia erat, aut cum Benedicto XI. (qui ex supremo Ecclesiæ vertice, matrem in vili ac obsoleto habitu spectabilem esse voluit) non erubescant paupertatem complecti ut matrem. Quo fructum illum longè utilissimum consequuntur, ut in altissimâ fortunâ non altum sapiant; sed usquequaque, animi demissionem, vultus modestiam, & vitæ comitatem circumferant. Quod probè novisse refert *a* Magister Avila, virum à prudentiâ, divitiis, & prosapiâ illustrem in paucis, qui pauperculam duxit è rusticâ casâ & tuguriolo petitam, non cæco amoris impetu, sed destinato consilio, ut uxorem haberet, cui non solùm suus in vultu decor, sed & in animo virtus & insignis demissio esset; quam ut servaret seros in annos, curavit vestem illius, qua primùm usa suo in rure, vestem, inquam, rusticanam, vilem, pannosam, detritam, eo loco appendi, unde ferè continuò incurreret in oculos, moneretque primæ sortis ac conditionis: ne scilicet in sericâ togâ, in purpurâ, in auro superbiret, pristinæ paupertatis immemor; sed potiùs in altissimâ fortunâ seipsam noscens, humiles servaret animos, mariro obsequentes. Quot etiamnum arrogantes, fastuosæ, contumaces, pervicaces in splendido vestium apparatu, in auratis rhedis matronæ superbiunt, quæ ubi ex imâ plebis fece, vel formâ vel fortunâ emersere, propinquos, parentes, majores suos vel in tabulâ, moribus antiquis depictos, ut alienos aspernantur, execrantur. Has mariti, veteri indutas lacernulâ, utinam se ac suos cum rubore noscere doceant, aut si malint à modestissimo juvene sapere, nec se efferre condiscant. Præceteris *b* illustre, sacræ paginæ in Josepho, tradunt testimonium: hic Primus in aulâ Pharaonis, cùm fratres suos hospitio excepisset, eos monet, ut coram Rege se pastores profiterentur; imò ipse in purpurâ, sic eos compellare non dedignatur: *Fratres mei venerunt ad me, & sunt viri pastores ovium.* Licet eodem loco dicatur: *detestantur Ægyptii omnes pastores.* Ex quibus omnibus ut hanc utilissimam cognitionis propriæ scientiam, in pauca contraham, hanc brevem D. Bernardi ad sororem suam, theoriam accipite: c *Orans quidam sanctus* (de Augustino loquitur) *Deus*, inquit, *noverim me, noverim te, brevis oratio sed fidelis: hæc est enim vera philosophia, & utraque cognitio prorsus necessaria ad salutem.* Noverim te fontem gratiarum, noverim me cloacam miseriarum, noverim te abyssum omnis bonitatis, noverim me abyssum omnis malitiæ. Noverim hoc sacro Christi adventantis tempore te magnum Deum, infantem in cunis parvulum: noverim me vilissimum mancipium, elatum supra me, supra te. Hanc totos viginti annos Paulæ Ro-

a Epist. 52. part. 2.

b Gen. 46. c Bern. serm. ad sororem.

manæ

UVA. BHSC. BU 02224

manæ piam commentationem fuiſſe comperies: quæ ut Hieronymus teſtatur: a *Bethlehem ingreſſa & in ſpecum Salvatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum virginis diverſorium, & ſtabulum in quo agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, extemplò hoc mentem ſubiit: noverim te maximum in hoc minimo tugurio. Subdit enim Hieronymus: *Me audiente jurabat cernere ſe oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præſepe Dominum.* Et quem mundus non cognovit, Paula agnovit. Tum in ſe mentis oculos reflectens, divitias, faſtum, mundum omnem ſuum intuita: *Ego miſera*, inquit, *atque peccatrix, digna ſum judicata deoſculari præſepe, in quo Dominus parvulus vagiit? orare in ſpelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? hæc requies mea, quia Domini patria eſt, hîc habitabo quoniam Salvator elegit eam.* Quò factum ut Paula ubi cognovit, ſummum imum, maximum minimum effectum, illa *Gracchorum ſtirps, Soboles Scipionum, Martiæ, Papiriæ, Matris Africani vera & germana progenies, Româ prætulerit Bethlehem, omnes ſuos paupores pauperior ipſa dimiſerit, minimaque fuerit inter omnes; pauperem Dominum pauper ſpiritu ſequeretur.* Hoc ſe, hoc Deum noſſe eſt, hæc qui novit, in uno, eoque æterno verbo, omnia novit.

a Hieron. Ep. 27. ad Euſt. de Epit. Paulæ.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA V.

Aspera in vias planas. Luc. 3.



ARDVA PRIMA VIA EST. *Meta.* l. 2.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Vias Christo venturo planandas, purgandas & exornandas. Ut (quemadmodum Ambrosius serm. 65. monet,) *superveniens Dominus nil offendat in nobis.* Ad quod conducet primum, serrâ Pœnitentiæ, aquâ lachrymarum supernè adstillante, aspera æquare.

§. I. *Aspera in vias planas æquanda.*

§. II. *Regi venturo viæ mundandæ, juxta illud:* Intelligam in viâ immaculatâ, quando venies ad me. *Psalm* 100.

§. III. *Vario splendore, ac ornatu viæ instruendæ: quia* viæ ejus, viæ pulchræ. Proverb. 3.

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Aspera in vias planas. Luc. 3.

CUM Romæ in viam se daret Consul, præibant armati fascibus satellites, ac præcones, qui alta voce ingeminabant illud: *Date viam Consuli, Quirites, date viam Consuli.* E cælesti capitolio descendit magni consilii Angelus, Deus-homo; mortales vias ingreditur, præcedit divini verbi præco: a *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Hanc vocem etiamnum per deserta hujus mundi, Ecclesia insonat, ut observat Augustinus, homilia 3. de S. Joanne: *Non tantùm isto tempore clamavit Ioannes, quo Pharisæis annuntians Dominum Salvatorem, dixit, parate viam Domini; sed & hodie clamat in nobis, & vocis suæ tonitruo, deserta nostrorum concutit peccatorum.*

Quare via Domino venturo sternenda, 1. aspera in vias planas æquando, excelsa montium ac superbiæ juga evertendo, rupes pertinaciæ, ac scopulos scandali secando, sylvas peccatorum radicitus extirpando; atque adeò per saxa, per sylvas, *rectas* faciendo *semitas* ejus: quia ut *Oseas c.* 14, ait: *Rectæ viæ Domini, & justi ambulant in eis.* 2. Via strata, omni limo ac fimo expurganda, *Via* enim Domini *immaculata.* 3. Vario virtutum splendore, ac vivis imaginibus exornanda.

a Luc. 3.

§. 1.

Aspera in vias planas æquanda.

XErxes, teste Justino, dum Græciam invadere tentaret, aliquot millia hominum cum malleis ac securibus præmittebat, ut viam sternerent, exercitui profecturo. Alii montes evertebant, valles complebant, rupes secabant, sylvas exscindebant, fluvios opplebant, aut aliò denique derivabant. Non Græcia, non Latium, sed magni regis nobilissimum Emporium, civitas Bethlemica nobis petenda est; b *Ardua prima via est:* primùm peccatori saxa & rupes perrumpenda, sylvæ vitiorum exscindendæ, ebrietatis rivi, ac lacus luxuriæ opplenda. c *Haud facilem esse viam voluit Deus;* Sed viam pœnitentiæ, sudoris, ac laboris. Expertus Psaltes loquitur: d *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras,* hoc est, interprete Hugone Cardinale: *Vias pœnitentiæ.* Hannibal ille Romanorum terror, excelso animo Dux, per altissima Alpium juga, per immistas prope nubibus nives, per cælo minantia saxa ac rupes, cum exercitu maximo in Italiam, velut in alterum terrarum orbem, sibi viam stravit: & antequam cum hoste congrederetur, naturam vicit aceto, exesas rupes securibus, ac vi summa secando. e *Invia virtuti nulla est via.* Ut

b 2. Metam. c. Virg. 1. Geor. d Psal. 16.
c Ovid. lib. 2. de Ponto el. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

non immeritò fulmini assimiletur, quod Saguntino, ut ait Florus, incendio conflatum, saxa ac rupes rupit. Unde Juvenalis Satyra 10.

Expende Hannibalem ---
---Pyrenneum
Transilit: opposuit natura Alpemque nivemque:
Diduxit scopulos, & montes rupit aceto.

Fateor non minoris moliminis esse superbis excelsas mentes, quàm montes deprimere; at ubi summus imus factus est, quis se erigere audeat? non minus arduum avaris fuerit, aureos montes, in pauperum ventres, quàm Alpes in humiles valles dimittere. Difficilius cor saxeum, prece pauperum emolliri, quàm scopulos; quod tamen hodierno die, serrâ pœnitentiæ findi, insuper non aceto, sed amarissimis lacrymis colliquescere: cumuli injustarum mercium, dominis restitui, & æquari deberent. Hoc est, quod divinus Præco monet, facere a *Aspera in vias planas*. Ejusmodi vias Peruani duas regi suo straverunt, quas Nierembergius, jure, regias appellat, à Cusco usque ad Quitum: unam per planitiem, alteram per montana, quæ ad 25. pedes latæ, protenduntur per quingentas leucas: ut Huayna Rex Peruanus iter institurus, per illas incederet. Incredibilis laboris opera, adæquatis profundis vallibus, editissimis humilitatis rupibus. Has in animo Deus vias requirit, dum dicit: b *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas*. Ambulant peccatores vias difficiles, quamdiu per prærupta vitiorum, per dolosos anfractus, per excelsa superbiæ juga vagantur, quamdiu Hannibalem & Xerxem non æmulantur, montes & alpes æquando. In via lassantur iniquitatis, & vias Domini rectas, planas, ac pulchras declinant, totoque cælo aberrant. Duas vias nimium quantum dispares, assignat Ambrosius: c *Una* inquit, *justorum, altera peccatorum: Una æquitatis, iniquitatis altera. justorum via angustior est, iniquorum latior; una sobrietatis angustior, hæc ebrietatis laxior; ut possit capere fluctuantes: hic libertas est cupiditatum, illic servitutis injuria; hic convivium, illic jejunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum: illic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, illic graves gemitus:* de hac re unicè solicitus Innocentius PP. IV. pro Symbolo sibi sumpsit: d *Notas fac mihi Domine vias vitæ*. Psal. 15. In bivio enim cum Hercule constitutis, quam viam ingredi juvat, non facilè decernere est, nisi dispares ejus exitus attenderitis. De his viæ ducem peritissimum sequimini Hieronymum, e *Vide quanta sit inter has vias separatio, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illà celebratur & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitiis per consuetudinem, quasi declivior ac mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facilè ad se rapit commeantium multitudinem; hæc vero insueto calle virtutum, tristior atque horridior, ab his tantùm eligitur, qui-*

a Nieremb. Historia naturæ p. 140.
b Luc. 3.

c Ambr. in Psalm. 1. d Spondan. to. 1. p. 207. e Hier. Ep. 4. ad Celantiam.

bus

UVA. BHSC. BU 02224

bus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis.

Sed pauci inveniunt eam, Turba omnis latam ac spatiosam viam ingreditur, & ut Romanus Philosophus observat: a *Pecorum ritu sequimur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur.* Ut verissimam, experientia comprobet epigraphen illam, collegio Sabaudiæ Lovanii inscriptam: *Chacun suive Savoye* Perpauci qui illud Horatii usurpare queant;

b *Ibam forte via sacra, sicut meus est mos.*

Perpauci morem habent indies via sacra, ut divinis intersint, incedere. Festis & Dominicis ad verbum Dei audiendum: ad animum exomologesi expiandum, sacra synaxi reficiendum: illamque per plateas dilatam, in supplicatione comitandum: hac qui incedere consuevit, illi verè competit illud Poëtæ:

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos.

Ab hac sacra via nec pluvia, nec nix, nec hyems, nec ulla tempestas facit declinare, aut deviare: c Alexander Rex Macedo interiorem Persidem penetraturus, pervenerat ad viam perpetuis obsitam nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat, locorumque squallor & solitudines, fatigatum militem deterrebant: ipse Rex equo desiliit, d *Negata tentat iter via.* Primusque dolabra per glaciem sibi viam fecit: pedesque per nivem, ac concretam glaciem, exercitum duxit. O mortales, qui in lubricis mundi bonis toties corruistis, & prope ad inferos decidistis! sortem nostram deplorat Jeremias: e *Lubricaverunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum.* Unde in illud Psal. 34. *Fiat via earum tenebræ & lubricum*, exclamat Hipponensis Præsul: *Horrendæ via! tenebras solùm quis non horreat? lubricum solùm quis non caveat? in tenebris & lubrico, quà is, & ubi pedem figis? Sunt ista mala, magnæ pœnæ hominum. Tenebræ, est ignorantia, lubricum, est luxuria.*

f *Hæc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.*

Quare tu Domine per hæc fluxa, per caduca, per lubrica mundi bona: g *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia*; dirige in viam rectam. Hoc SS. Domini Leonis X. votum fuit, qui illud sibi psaltis in Symbolum delegit: h *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Psal. 16. A semita enim vitæ declinasse, æternum errasse est. Paucis ergo, hanc viam nobis dux noster Christus assignat, non diu quærenda; impressa reliquit vestigia, sanguine notavit: *Hac itur.* Ut hæc vestigia sequamur, stimulo esse poterit, quod Clemens Alexandrinus observavit, ad illa verba cælestis sponsi: i *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia principis:* olim nempè puellas subter calceos seu cothurnos suos, aureos clavos gestare solitas, quibus verba amatoria scitè insculpta: quæ à deambulantibus arenæ impressa, studiosè ab amasiis, vestigia prementibus, legebantur.

a Seneca de vita beata cap. 1. b Horat. l. 1. Sat. 6. c Curt. l. 5. cap. 14. d Horat. l. 3. Od. 2.

e Thren. 4. f Virg. 6. Æneid. g Psal. 16. h Spond. tom. 1. p. 339. an. 1272. i Clemens Alexand. in c. 7. Cant.

UVA. BHSC. BU 02224

Non verba, at efficaciſſima amoris teſtimoina, nobis ſanguinea amantiſſimi JESU deſignant veſtigia. ne hæc legere pigeat, præclari Doctoris peroratio impellat: In *Pſal.*36.a *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Ipſe eſt, inquit Chriſtianus, qui non aſpernatur viam Chriſti, ſed vult viam Chriſti ſequi, per paſsiones ipſius: noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, qua ipſe ivit; dura videtur, ſed ipſa eſt tuta via: alia fortè delicias habet, ſed latronibus plena eſt.* Hæc eſt, *b* VIA PRIMA SALUTIS Altera eſt

a Aug. in Pſal. 36. *b* Virg. 6. Æneid.

§. II.

Ut regi venturo, omnes viæ mundentur. Iuxta illud: *c Intelligam in viâ immaculatâ, quando venies ad me.*

OMnes ſordes tollantur, cloacæ expurgentur: ut antiquitus Origenes *Hom.* 21. obſervavit in illa verba, PARATE VIAM DOMINI: *in corde noſtro via præparanda eſt Domino: Magnum eſt cor hominis, & ſpatioſum; ſi fuerit mundum.* *d* Abener Rex Indiarum, nato ſibi venuſto ac eleganti filio Joſaphato, ad quadraginta Aſtrologos, & Ariolos convocari juſſit, qui horoſcopum infantis indagarent, ac futura prædicerent. Dum omnes proſpera præſagirent, unus qui ceteris eruditione præcellebat: quantum, inquit, ex ſiderum curſu aſſequi poſſum, ô Rex, filius tuus ampliore ac potentiore regno potietur, atque ipſam Chriſtianorum Religionem, quam adeò inſectaris, amplectetur. Quo vaticinio rex perculſus, palatium novum filio exſtrui juſſit, ac cavit ne cui ad eum primis annis acceſſus pateret: Pædagogos illi ac ephœbos ætate florente, formâque venuſtâ conſtituit; quibus mandavit, ut nihil eorum, quæ in vitâ moleſta ſunt, in oculos incurreret; non morbum, non ſenectutem, non mortem aut aliud quippiam, quod animo ejus officere poſſet, aſpiceret; ſed in omnibus deliciis ac cupediis educaretur. At regius puer, ubi adolevit, & Æthiopum ac Perſarum more ritè inſtructus eſſet, auratum carcerem aulam, & auguſtum palatium animo anguſtum exiſtimavit. Quare quid extra aulam ageretur, ſcire animus fuit. Quod ut parens reſciit, animadvertens puerum ſe conficere, & contabeſcere, idque unum in votis, liberè exſpatiari liceret, voluit rex omnes vias comparari, per quas filius proceſſurus erat. Omnes luſcos, claudos, morbidos, capulares ſenes à viis arceri, ne quid morbidum aut horridum offenderet; inſuper omnem viam precioſiſſimè conveſtiri ac adornari: undique concentus muſicus eum proſequeretur, choreæ ac ſalutis inſtituerentur, tum per tranſennam, varia ſpectacula exhiberentur:

e *Lætitiâ, ludiſque viæ, plauſuque fremebant.*

Sed omni tamen induſtriâ, non ita cautum fuit, quin leproſum, & alterum oculis orbatum conſpexerit, qui ad veritatem, duces fuêre.

c Pſal. 100. *d* Damaſ. hiſt. Barla. & Joſaph. c. 4. ſect. 5.

e Virg. 8. Æneid.

Opta-

UVA. BHSC. BU 02224

Optarat Pater Cæleſtis, rex regum, & dominus dominantium, ne quid filio viam univerſæ carnis ingreſſuro, ferale aut fatale occurreret. Ideò præmiſerat præconem ſuum, ut viam pararet, ne quid Principem pacis perturbaret. Ambroſius ſerm. 65. *Parare jubemur viam Domini, ut ſuperveniens Dominus, non offendat in nobis.* Omnes cæcos, claudos, paralyticos, leproſos, id eſt, omnes morbos animæ longè arceri à conſpectu ſuo vult. Quamobrem appoſitè Eccleſia Dominica 2. Adventus, quo viam meliùs Meſſiæ venturo appares, indicat omnes genus morborum curatum eſſe; *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur; ut ſuperveniens Dominus non offendat.* Quod quo efficacius fiat, longiùs, ſed non ſecus viam digrediar. Pachini Baptiſmum ſuſceperat vir primarius, in agro Pantinſi oppidi natus, quod tridui itinere à regiâ diſtat: *a* huic omne ſolatium erat, precioſam Euangelii gemmam reperiſſe; ſed & cives ſuos ejuſdem volens reddere participes, duos ſecum è ſociis in patriam duxit, quorum unus ſcribit: iter omne tricenum leucarum, arte manuque paratum eſſe; utrimque arborum æquo intervallo diſtantium, ordinibus conſitum. Juxta illud:

b *Indulge ordinibus, nec ſecius omnibus in unguem*
Arboribus poſitis, ſecto via limite quadret.

Quæ iter præſertim æſtate umbroſum, amœnumque reddebant, ad centum hæ leucas extenduntur: iter hoc latiſſimum ab omni nobilitate rhedis, equis, ſellis geſtatoriis frequentatur, ut mirandam rem magis eſſe dicat, quàm deſcribendam. Ejuſmodi viæ, poſitis recto ordine arboribus, incredibile quantum oculos & animos gratiſſimo proſpectu oblectent, ſic tamen ut ſi vel unus truncus exorbitet, aut citra lineam exerret, omnis ordo ac decor pereat, qui totus in rectitudine conſiſtit; *c* unde Papyrius, cum aliquando cum prætore Prænestino obambularet, & ejuſmodi fortè rectæ ſemitæ inſiſteret, lictorem juſſit expedire ſecurim: expalluit prætor expedirâ ſecuri, adeſdum lictor, inquit, excide radicem hanc, quæ nobis ambulantibus incommodo eſt. Expendat quiſque penes ſe, an vias adeò rectas fecerit, ut nihil Chriſtus per illas ſibi occurrens, offendiculi inventurus ſit. Multi hoc ſacro adventus tempore, pararunt viam Domini: indies audiendo verbum Dei, ut verbum incarnatum dignè ſuſcipere queant, vias ſuas ad ſacras ædes rectà direxerunt: Religioſi, nec non alii integerrimi viri jejuniis ac eleëmoſinis, excipiende hoſpiti ſe compararunt, ceſſant connubia, convivia, commeſſationes: viæ mundæ, viæ pulchræ, floribus ſtratæ; at quis inficiabitur ad illas vias quandoque ſepulchrum aut cadaver fœtidum reconditi flagitii delitescere; quemadmodum *d* Lipſius deſcribens amplitudinem urbis Romanæ orbis dominæ, ejuſque magnifica & ſtupenda opera, cenſet ac recenſet inter

a Iarricus de rebus Indicis tom. 3. l. 2. c. 53. b Virg. 2. Georgic.

c Chreſol. Antol. p. 1. c. 2. ſect. 1.
d Lipſius de Magnitud. Rom. l. 3. c. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

præstantissima, amplitudines viarum, munitiones: è quibus facilè princeps Appia juxta illud Poëtæ:

Appia longarum teritur regina viarum.

Hanc Appius Romanorum Censor ante annos nongentos struxerat, & à se nomen indiderat. Longitudinem ejus quinque dierum spatio, teste Procopio, vir expeditus vixdum possit emetiri. Ab urbe Româ Capuam pertinet: eâ latitudine, ut duo currus, ex adverso obvii, liberè queant pervadere, & commeare; & est sanè hæc via præter ceteras spectabilis, si quidem Appius ex aliâ & longinqua tunc, ut reor, regione, excisos lapides, & hos quidem silicios ac suopte ingenio durissimos, in hanc viam vehendos curavit: quos planos, deinde leves & quadratos incisione factos, junxit, & in ordinem locavit; metalli nihil, vel alterius cæmenti inserendo, sunt tamen ita conne xi, ut speciem visentibus præbeant, non arte conjunctos sed naturâ congenitos esse: & quamvis tot jam sæculis atterantur assiduis plaustris jumentisque, non tamen serie sua vel minimum dimoventur, neque franguntur, imò ne lævorem amittunt. De hac viâ, ipse Lipsius, qui mira ac miranda viderat, ingenuè fatetur: *Stupor me habet, cùm vel unam Appiam considero.* Habes viam & ornatum: sed præcipuum quod in viâ notandum, & quod maximè ad rem nostram facit, hactenus transgressi sumus: *Præcipuum*, inquit, *hoc fuit, quod monumenta & sepulchra ad viam sita, & latus utrumque prætexebant, libertorum, servorum, scortorum, superba monumenta; mirari, dolere, illudere, & detestari occasio erat.* Detestemur & nos animorum secus viam funera, *ne quid superveniens Dominus offendat.* Via per quam recens elatum funus, contaminata censebatur, & superstitiosè declinabatur, ut tradit Eunapius: a *Clamavit*, inquit, *per aliam viam eamus, hac est funus deductum. Et cum dicto aliam ingressus est, quæ purior videbatur.* Hæc attentius secum quisque dispiciat, num hac de causâ Dominus longè à se declinet.

a Novarini Schediasm. pagina 116.

§. III.

Via Christo venturo, vario ornatu, ac splendore instruenda.

SPecioſus juxta ac pretioſus triumphus fuit, quem *b* anno 1500. amplissima Resp. Gandavensis Domino suo Carolo, V. Romanorum Imperatori recens nato adornavit. Sub id tempus, ut via in ædem S. Joannis sterneretur, quâ Cæsareus puer ad baptismalem lympham deferendus, erecta Porticus, è palatio ad ipsam summam ædem, opere mirabili ac sumptu incredibili: in longitudine habens pedes ter mille quingentos: in latitudine septem: totidemque in altum porrecta. Collucebant in hac egregia ac regia via, bis mille, & centum faces, cui illud aptè Maronis præfixero:

--- c *Lucet via longo*
Ordine flammarum ---

b Laur. Surius commentar. rerum in orbe gest. anno 1500. c Virg. 11. Æneid.

Vise-

UVA. BHSC. BU 02224

visebantur quadraginta arcus verè Triumphales, ingentium portarum instar, è quibus tres cæteris augustiores erant, & una quidem sapientiæ, altera justitiæ, tertia paci ac concordiæ, inscribebatur. Fuit & via altera sublimis, stupendo opere, in aëre pensilis; quæ magnanimum Carolum a *nequidquam terrenæ fecis habentem*, in cælum eveheret. E fastidio ædis D. Nicolai ad apicem turris capitolinæ: super vertices domorum, funes protensi, quibus tabulæ compactæ, & concinnatæ præcelsam porticum, funalibus quaquà collucentem stravere, ut ne Baptismo tingendus, vel terram contingerent, qui lustrandum gestabant. Mitto hic in adventum Christi, pro facibus tot scintillantes stellas, noctem in diem versisse, & fulgore suo, venturo pacis Principi præluxisse. *b* Quid quod Historiographus Hispanus commemorat, eâ nocte visam in Hispania nubem, quæ luce sua meridiem vincebat. Parum hoc, exorti Romæ tres Soles, qui sacræ Triados Solem, aspectabili longè pulchriorem, portenderent. Sed hæc Phænomena Superis relinquo. Nos spectat, ut quot in Carolinâ porticu faces, tot in Christiano pectore ardentia flagrent desideria; *c Porro quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum*, tales in nobis flagrantissimos affectus exciremus, quales in corde suo disposuit Seraphicus Franciscus, & Catharina illa Bononiensis, qui hac nocte natali, divinum Pumilionem habere hospitem meruerunt. Quales ardentissimi amoris faces Christo nato præluxerunt B. Angela de Fulgino & B. Margareta à Castello, in quarum corculo, serenissimus hic infans arcana cælatura sculptus erat. In nobis nil tale ideò cælum sculpit, quia saxea heu nimis corda gestamus: quia cordi nostro Adonidem, impressum habemus. Sacrilegum Ariani Imperatoris factum detestamur, qui ut stabuit Bethlemitici religionem tolleret, in eo statuam Adonidis erexit; *Vt in specu* (inquit Hieronymus ad Paulinum) *ubi Christus parvulus vagiisset, Veneris Amasius plangeretur*. Idem interim sectantur, in quorum cordibus, infamis hic Adonis recumbit: quid mirum si divinum hunc cupidinem exturbent. Sed in viam redeo: elia luminaria virtutum sunt, quæ viam sternunt & illuminant: fingunt Poëtæ *viam lacteam* in cælo, per quam heroes ascenderunt; *Hac iter est superis*. Hæc via innumeris stellis lucidissima, d *Lactea nomen habet, candore notabilis ipso*. Consimiles virtutum stellæ viam lacteam sanctissimo Patriarchæ Benedicto, stravere: qui ubi è vivis excessit, viderunt duo Religiosi, viam amplam, & rectam, innumeris stellis fulgentem: tum vocem hanc de cælo delapsam excepere: *Hæc est via, qua dilectus Domino Benedictus ascendit in cælum*: hac nobis iter in cœlum est, hac homo ad Deum, & Deus ad homines libens descendit, sed ut humana via insistamus,

a Ovid. l. 1. Metam. *b* Lucas de Tuy Lobb de nativit. c Aug. de doct. Christ. l. 1. cap. 17.

d Ovid. lib. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

alium viarum apparatum Brugenſes Principi ſuo adornarunt; rem ſic narrat Haræus an. Dom. 1429. Philippus XXXVII. Brabantiæ Princeps, ductûrus erat Elizabetham Joannis Regis Luſitaniæ filiam, ea ſub natalem Domini, Sluſam appulit, adducta à fratre ſuo, & legatis ex Flandriâ miſſis. His celebrandis nuptiis, novas ædes Philippus Brugis in regiâ exædificârat: ſed apparatum viarum attendite; quibus exornandis omnes omnium nationum mercatores, qui tum iſtic degebant, certare, omnes vincere videbantur. Ante regiam exſtructus Leo lapideus, qui anteriori pede, è triplici ungue optimum Rhenanum largiter fundebat. Intra regiam juxta Sacellum, cervus lapideus anteriori pede rubellum omnibus propinabat? monoceros in grandi aulâ ſpectabilis apparebat, cujus ex pedibus roſacea, abluendis manibus ſcaturiebat: varia ſimul vina mutatis vicibus, ut Hippocraticum, Malviſeam, Romaneam, Muſcadelam, aliaque exquiſita ſuo ex cornu, plena copia ſitientibus effundebat. *a* Quo in genere non minus celebrari ſolet, quod Carolo VI. Galliarum Regi, regnum ſuum ingreſſuro, prodiga munificentia Franci adornarunt: dum non unum modò fontem, ex vino Cretico obviis ſalire fecerunt: ſed in omnibus platearum diverticulis, ac compitis, lautiſſima convivia cuilibet appetenti, exquiſitiſſimis ferculis diſpoſuerunt. Hæc miramur, quaſi non majora Pater æternus in adventum magni Dei prodigia, prodigus effudiſſet, dum in ſpeluncâ Bethlemitica fontem uberrimum fecit ſcaturire uſque ad Bedæ tempora. Dum in Ægypto fons balſami erupit, cujus odore caperetur omnis ætas poſterorum. Dum teſte Oroſio, Romæ trans Tiberim fons olei promanavit. Ita cælum, ita ſolum, ita univerſum præluſit, & vias adornavit hoſpiti venturo, ut & nos animos ei præparemus, in quibus quærit diverſorium. Quod quo decentius, quo dignius efficiamus, *b* non aliâ nobis via inſiſtendum eſt, quam qua filius Dei, in terras ad homines viſere dignatus eſt, tua, inquam, beatiſſima Maria, quo parvulum natum excipere valeamus, veſtigia ſectando: neſcio enim quo auſpicatiſſimo nominis anagrammatiſmo *Maria Ieſu, mira es via.* Quid enim? an non illa eſt, quæ *initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen.* Heb. 10. id eſt, carnem ſuam; filium nempè, quem carne velavit, ſive per carnem ſuam, id eſt externum hominem ſuum, in quo tot ac tanta benè vivendi nobis exempla monſtravit, ut de eâ, quod olim de ſapientia, ſcriptura expreſſit, dicere liceat: c *Deduxit eos in viâ mirabili.* Quod tunc fieri videmus, cùm per maternarum virtutum veſtigia, non degener proles incedit: ubi illas hîc dumtaxat ſectabimur, quas parvulo jam in mundum venturo, Virgo Mater in corde diſpoſuit: quæ non humana ſed divina nobis manifeſtatione innotuêre; ſic enim *d* S. Brigitta cælitùs edocta teſtatur: cùm

a Barry p. 4. cap 6. pract. 3. pag. 345.

b Salmeron in Prolog. to. 3. tract. 33. p. 287
c Sap. 10. d Revel. S. Brigittæ l. 7. c. 21.

Virgo

UVA. BHSC. BU 02224

Virgo Maria caſtiſſimo ſuo Sponſo Joſepho comitata, nuſquam diverſorium inveniret, in ſpelunculam, ſeu deſertum ſtabulum conceſſit, & ut nox erat, excurrit Joſeph ad candelam in proximo accendendam. Virgo autem poſitis calceamentis, & albo pallio & velo capitis, produxit panniculos laneos & lineos mundiſſimos, tum tota in ecſtaſim rapta eſt. Quis hic non mille cereos hoſpiti venturo in corde accendat? quis non cum Virgine totus in ecſtaſim raptus hæreat? quis non calceamenta terrenorum affectuum exuat? *a* Etenim ſi domus S. Annæ, in qua Virgo Maria nata eſt, tantam etiamnum munditiam ab hac integerrimâ Virgine vel nudi parietes aſſervarunt, ut experimento compertum ſit, neminem niſi Virginem, eam inhabitare poſſe, quis in antrum illud Bethlemiticum quovis ſcelere pollutus impunè pedem inferre præſumat? quis dilectum noſtrum candidum, mundiſſimis pannis à Virgine involutum, immundo corde excipere non vereatur. Quin potiùs te ô *Maria Jeſu*, quæ *mira es via*, ſecuti, viam lacteam in animo paremus. Quo fiet ut melliſluo duce Doctore, ſuaviſſimum infantem & hoſpitem habere & complecti valeamus. Si nempè, ut Maria fecit, b *Sequamur Domine te, per te, ad te: quia tu es via, veritas & vita; via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.*

a Quareſm in Elucid. terræ ſanctæ l. 4. cap. 12. Nierenb. Hiſtor. nat.

b Bern. ſerm. 2. de aſcen.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA VI.

Puer autem crescebat. Luc. 2.



CRESCET ADHVC.

DOMINICA INFRA OCTA-VAM NATIVTATIS.

Semper in virtute & gratiâ crescendum; non modò ut glandes in robora, pueri in virum perfectum, sed celerrimè ut Sol crescit usque ad perfectam diem.

§. I. *Quomodo Christus crevisse dicitur sapientiâ & gratiâ.*

§. II. *Mortales crescere volunt in perituris & fluxis bonis. Crescendum magis in aternis & cælestibus.*

§. III. *Crescendum in virtute ut Sol usque ad perfectam diem.*

§. IV. *Humana omnia habent terminum magnitudinis, at homo justus, nullum habet terminum profectionis.*

§. V. *Deipara, aliique Sancti, qui semper in gratiâ & virtute creverint.*

D O-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA
Infra octavam Nativitatis.

Puer autem crescebat. Luc. 2.

PETRUS Lombardus, Parisiensis Antistes, quem, ut Sixtus Senensis testatur, omnes Theologorum scholæ, singulari quadam venerationis excellentia, *Magistrum sententiarum* appellant, & in quo unico omnium doctorum ingenia desudarunt: docet, primo instanti, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, a eas corporis humani angustias subiisse, ut non modò apiculæ exiguitatem, quod de humano fœtu Macrobius, aut etiam formicæ, ut Aristoteles tradit, superarit; sed eo se exinaniisse, ut aciem prope humanam effugeret: dicens; b *Membrorum illius Dominici corporis distinctio, in ipso momento conceptionis, & unionis, Dei & hominis, adeo tenuis erat & parva, ut humano visui vix posset subjici*; Divinum tamen illum Pumilionem eodem momento, membris omnibus ad unguem expolitum, animam ad omnes operationes, ea sapientia ac scientia, qua præcelluit vir triginta trium annorum, præditam exstitisse asseveravit. Unde ab Augustino perfectus homo vel tum appellatur: c *Mox*, inquit, *ut verbum venit in uterum, servata veritate propriæ naturæ, factum est caro*, & PERFECTUS HOMO. Quod docuit Jeremias, dum dixit: d *Fœmina circumdabit virum*:

a D. Thom. in 3. d. 3. q. 5. Arist. de anima c. 9. b Magist sent. l. 3. d. 3. c Aug. li. 13. de Trin. c. 9. d Ierem. 31.

Quæ sic exponit Bernardus. e *Virum autem dixerim fuisse Iesum, non solùm cùm jam diceretur vir propheta, potens opere & sermone; sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra, Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero.* Joannes quoque eum f *plenum gratiæ & veritatis* fuisse asserit. Ex quibus sic concludit S. Thomas: g *Nihil potest esse, aut intelligi majus, quàm quod aliquis sit unigenitus à patre; ergo etiam non potest esse, vel intelligi major gratia, quàm illa, qua Christus fuit plenus*: primo instanti conceptionis, ut disertè tradit in quæst, disput. quæst. 29. de gratia Christi. art. 8. in corp.

e Bern. hom. 2. super missus. f Ioan. 1. g D. Tho. p 3. q 7. a. 12.

§. 1.

Quomodo ergo crevisse dicitur sapientia, & gratia.

CUm ea non minor fuerit Infantis quàm viri; nascentis quàm morientis? Ad quæstionem propositam, distinguunt Theologi triplicem in puero Jesu sapientiam: una est, *Divina*, cui accedere nihil unquam potuit, discedere omnino nihil; altera est *Infusa* atque ingenita, jam inde à primo conceptionis momento, & huic quoque nulla facta est accessio. Postrema est *experimentalis*, & illa lapsu temporis aucta; puer enim majora

UVA. BHSC. BU 02224

jora in annos, in menſes, in dies, latentis ſapientiæ dabat argumenta : *Non aſſumens ſapientiam, ſed paulatim illam denudans*, inquit Theophylactus. Eum prope in morem, quo Zeuxis, aut Apelles unus aliquis tabulam à ſe affabrè elaboratam, non illico nudaret univerſam, ſed ſenſim per partes ſenſui ſubjiceret. Quam ſimilitudinem ſpectaſſe videtur Gregorius Nazianzenus: a *Servator noſter*, inquit, *proficiebat quemadmodum ætate, ſic etiam ſapientiâ & gratiâ: non quod incrementum aliquod ſuſciperet (quid enim ex perfectis ab initio perfectius fuit?) Sed quia hæc, nempe ſapientia & gratia, paulatim hominibus detegebatur.* Quod igitur de ſapientia & gratia Lucas Euangeliſta ſcribit, *Non ſecundùm quod erat, ſed ſecundùm quod apparebat*, ut B. Bern. loquitur, *intelligendum eſt.*

b Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus rem perſpicua ſimilitudine oculis ſubjiciet: Nónne ſol, inquit, in ortu ſplendidus atque ardens, ſenſim ſplendidior atque ardentior, in meridie ſplendidiſſimus juxta ac ardentiſſimus nobis eſſe videtur? & tamen quis noſtrum adeo in cæleſtibus peregrinus, qui neſciat ſolem, non alium in ortu & proceſſu, atque in meridie, ſed eundem in ſe ſemper citra lucis, aut caloris incrementum, æquè coruſcum permanere? haud aliter lux mundi, & *ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*, qui ſemper Sapientiæ ſplendore conſpicuus, & charitatis flamma præfervidus, tamen in utero Virginis radios quoſdam, veluti primam exorientis auroræ lucem diffudit, quæ paucos quidem, ut Virginem matrem, Joſephum, Zachariam, Elizabetham, & Joannem perſtrinxit; jam Chriſto nato, ceu orto ſole, claritas Dei circumfulſit paſtores, & divinæ lucis radii uſque in Perſidem penetrarunt, hinc ambulabant a *gentes in lumine ejus, & reges in ſplendore ortus ipſius.* Vix dum ſuper Horizontem ſol ſeſe extulerat, extemplo cæcutientes ac caligantes ſenum oculos, inſolito ſuæ lucis fulgore colluſtravit, ut oculatus teſtis exclamarit: d *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: lumen ad revelationem gentium*, quod creſcebat uſque ad perfectam diem; neque enim curſum ſuum ſol ſiſtere conſuevit, altiùs conſcendit, templorum adyta luſtravit, doctorum mentes, quaſi ſplendor firmamenti, ſapientiæ ſuæ claritate illuminavit. Mox ubi verbi prædicatione orbem peragrando, geliditſima pectora diſſolvit, luce meridiana clarius, mortalium errores confutavit: Ecce e *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Ac tandem in divini caloris apice, in amoris auge, ſol elevatus ſtetit, in Zenith noſtro ſublimis hæſit, atque ita hic ſplendor patris, nullo ſui in ſe lucis incremento, mortalium oculis ſeſe paulatim manifeſtando, detexit: qui ſenſus Cyrilli illius Alexandrini fuit qui l. 1. in Joannem ſic ait, *ſi plena eſt gloria ejus gratiæ & veritatis, quomodo ſapientiâ, ætate & gratiâ profeciſſe apud Lucam ſcribitur?*,

a Gregor. Naz. Orat. in Baſil. *b* Bellarm. Con. 15. Dom. 1. poſt Epipha. c Iſaiæ c. 60. d Luc. 2. e Ioan. 7.

UVA. BHSC. BU 02224

bitur? aut quid accidere poteſt ad plenum, ultra quod nihil eſt? ſed non ut verbum, aut ut Deus profeciſſe intelligitur, verùm quia magis eum indies homines admirabantur, illorum potius de Ieſu opinio, quàm illius perfecta creſcebat gratia, ut magis in diem agnoſcentes, magis illum procedere & gratia creſcere arbitrarentur.

Id autem dum feciſti candor lucis æternæ & lumen indeficiens, deviis mortalibus facem præluxiſti, ut & ipſi, ſicuti ætate & annis, ita ſapientia creſcerent, quod quàm optimè fieri queat expendamus.

§. II.

Mortales omnes creſcere volunt in perituris & fluxis mundi bonis, creſcendum magis in æternis ac cæleſtibus.

DOctor melliſluus ſic ſuos hortatur: a *Moveat nos, ipſum quoque ſæcularis cupiditatis exemplum: quem enim ambitioſum videmus, aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? & pudeat certè, ſpiritualium bonorum nos minus cupidos inveniri!* Hoc & nos monitos cupit, attentè nobiſcum expendamus quò famæ laudiſque cupido mortales agitet, ut poſſint

Creſcere, & in titulos ſurgere ritè novos.

Quantum Tyrones in ludo litterario deſudant, ut ex imis, è mediaſtinis, ad prima ſubſellia emergant? è claſſe in claſſem gradum faciant? è roſtris Tullianis in lyceum Philoſophorum, inde in Juſtiniani dicaſterium, aut denique in adyta Theologiæ penetrent? & in his quis non tam doctrinâ quàm denominatione mera extrinſeca effertur ac variis titulis excreſcere geſtit, ut Baccalaureatus, fiſci, licentiatus, ac doctoratus laurea inſigniatur. Ut doctiſſimus Dominus, tum eruditiſſimus, tandem eximius Dominus ac magiſter noſter indigetetur. Nec hoc ſatis; omnes ſibi ſymbolum Caroli V. uſurpaſſe videntur; *Plus ultra.* Tum primum Eccleſiaſticis dignitatibus, Decanatibus, Præpoſituris, Abbatiis, Epiſcopatibus, Cardinalitiæ imò Pontificiæ dignitati inhiare. Unde Tertullianus b in Scorp. Chriſtianos monet, ut nitantur aſcendere exemplo ambitioſorum: *Quorum terrena officia, in gradu æſtuant*, hoc eſt, non poſſunt ullo aliquo in gradu conquieſcere, in foro, in curia, conſultiſſimus ſatagit ut ampliſſimus conſiliarius, inde ut præſes evadat, à conſilio Flandriæ in Mechlinienſe, inde in conſilium ſecretum ſeſe penetrare. In militia quid gregarius miles per tot diſcrimina rerum ſpectat, niſi ut Signifer, Tribunus, Centurio, Capitaneus, Chiliarcha, Generalis, Præfectus exercitus conſtituatur? ſemper plus ultra creſcere geſtiunt. Hannibal (ut canit ille,)

Iam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit:
Actum, inquit, *nihil eſt in Pœno milite portas*
Frangimus, & media vexillum pono ſuburra.

Inter aulicos quis nobilitate, aut avito ſtemmate contentus?

a Bern. Epi. 342.

b Scorpiaco cap. 6.

quis

UVA. BHSC. BU 02224

quis non ſtudet novis titulis, equitis Aurati, Baronis, Comitis, Marchionis, Magnatis Hiſpaniæ, Regis, Imperatoris, contendere, & ſemper plus ultra conſcendere? Quæ dum recolimus, a *pudeat certè ſpiritualium bonorum nos minus cupidos inveniri.*

Pudor eſſet ſtudioſum poſt ſexennium etiamnum in rudimentis deſidere, ſemper inter infimos deliteſcere, iſque merito opificio, aut ſtivæ à parentibus applicaretur: Nam ut Joannes abbas apud Caſsianum ait: Miſerrimum *eſt, cujuſlibet artis & ſtudij diſciplinam quemque profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire.*

Sic qui in ſchola Chriſti, in virtute & ſui perfectione non creſcit, jure tamquam tali magiſtro indignus exterminatur: ut rectè Bernardus: b *Diſcipulus proficiens gloria eſt magiſtri*; contra verò: quiſquis *in ſcholâ Chriſti non proficit, ejus indignus eſt magiſterio.* Diſcipulus enim ſic dictus eſt, quaſi ſemper *diſci-plus* ab eo debeat. Quod in honoribus, idem & divitiis uſuvenit.

c *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

Compello vos, quem, quantum vis opulentum, aliquando exclamare audiſtis; *Obe jam ſatis eſt*, ſatis mercium, ſatis ſuppellectilis, ſatis fundi, ſatis jugerum, ſatis auri & argenti, ſatis Cymeliorum?

d *Sit pecore & multa dives tellure licebit.*

Plura congerere, cenſus augere, fundos extendere, opes cumulare, omni genere divitiarum in immenſum excreſcere omni ſolertiâ adniteris: utinam tam ſeduli, tam ſolertes ſimus, ut cæleſtes divitias numquam perituras conquiramus. Hoc incrementum virtutum Chryſoſtomus in nobis requirit: e *Quemadmodum in pecuniis*, inquit, *qui duos lucratus eſt aureos, proclivis eſt ad decem, & ad viginti colligendos, congregandoſque; ſic uſuvenit in virtute, qui fecerit bonum opus, officiumque præſtiterit, ſtimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum ſumit, ut alia quoque benefacta aggrediatur*; & quemadmodum avarus numquam dicit ſufficit, ita & ſitiens juſtitiam, *numquam arbitratur ſe comprehendiſſe.* f Quòd proſequitur Bernardus: *Numquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit ſititque juſtitiam: ita ut ſi ſemper viveret, ſemper quantum in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet: nam ſemper de bono in melius proficere, totis viribus conatur.*

a Bernard cit. b Bernard. Epiſt. 341. c Iuvenal. ſat. 14. d Horat. Epod. 15.

e Chryſoſt. orat. 4. adverſus Iudæos. f Bernard. Epiſt. 243. ad Abbatem Garinum.

§. III.

Creſcendum in virtute, non modò ut flores, & fructus in hortis, ut infans in virum perfectum; ſed ut ſol, uſque ad perfectam diem.

VBi Virgineus ille ſponſus, qui paſcitur inter lilia, caſtam ſponſam ſuam, à ſingulis corporis membris collaudaſſet, tandem ipſam toto corpore & animo pulchram, placuit horto concluſo ſimillimam deprædicare: g *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.* Ut quid non amœniſſimo prato, aut ver-

g Cant. 4.

UVA. BHSC. BU 02224

nantibus paſcuis eam comparavit? cauſam ex ipſo ethymo S. Iſidorus aperire videtur: a *Hortus*, inquit, *dictus ab Ortu, quod ibi ſemper aliquid oriatur*; In horto ne momentum, quo non aliquid de novo excreſcat, ut vel ſic *b creſcere in virtutibus* doceat; in pratis, pàſcuis ſemper una; in hortis ſemper alia, atque alia facies rerum ſuccreſcentium, ſeſe exhibet: Vere primo hyacinthi candidi, lutei, anemonos, ranunculi, violæ; his tulipæ, frittilaria; illis Roſæ, hemerocalles; tum lilia, Caryophilli, calendulæ, heliotropia ſuccedunt, qui vario ſuo ſchemate, ac odoratiſſimâ animâ, quam alij ex aliis pro naturæ ſuæ ratione exſpirant, ſtupendâ ſuâ varietate, quot flores oculis, tot virtutum ſymbola, vel taciti mentibus noſtris ingerere videntur: Ecquis enim non in violis animi dimiſſionem, in hyacinthis cæleſtium contemplationem, in tulipis caritatem auream, circumdatam varietate; in liliis pudicitiæ candorem; in roſis verecundiæ ruborem, aliaſque in aliis virtutes legere, & novo ſemper incremento in animo proferre, obtutu ſolo non commovetur? quod verè creſcere eſt, & juxtâ Prophetam: c *Ire de virtute in virtutem*. Hortatur nos cæleſtis hujus horti colonus, ut quemadmodum bulbo in ſpicam, in calicem, in florem, excreſcat, attentiùs in liliis conſideremus: d *Conſiderate lilia quomodo creſcunt*. Conſiderate alios quoq flores, fructus, frutices, quomodo creſcunt, gemma in pampinum, glans in quercum; conſiderate arbores, ut è tenui calamo excreverint, atque ubi adoleverint, primùm frondes, denique flores, tandem fructus protrudere; & hos primùm teneros ac tenues, clementiâ ſolis ac ſoli paulatim excoqui ad perfectionem perduci: Palma ſingulis menſibus, ſingulos ramos adjicit, unde olim menſes in ejus ramis numerabantur teſte e Pierio, & pòſt ætatis ſæculum fructificare incipit. Hæ plantæ, hæ frutices documento ſunt, ut in fructu bonorum operum creſcamus, juxta illud Apoſtoli: f *In omni opere bono fructificantes, & creſcentes*; qui creſcendi modus ut laudandus ſit, tardior tamen eſſe videtur, uti in pueris, qui ut maximè creſcere geſtiant, qui ſtaturâ puſilli ſunt, nec unum cereum S. Creſcentio accendant; longo tamen annorum tractu, vix cubitum ſtaturæ adjecerint, & multis luſtris opus eſt, priuſquam in virum perfectum excreverint; in ædificiis inſtruendis; quantæ molis ac moræ? Sunt qui aſſerant amplas civitates Anchialum & Tarſum, unâ die cœptas, perfectaſque eſſe. g Vaſtiſſima Terrarum loca momento temporis, ſaxorum oppleri multitudine, foſſis deſcribi, mœnibus cingi, ornari portis, & plateis diſtingui, tectis & ædificiis locupletari, quaſi ad cantum lyræ coagmentari; adhuc perniciori manu ædificium ſpirituale aſſurgere, & in cælum excreſcere debet. Accedit quòd hæc omnia videamus h *creſcere ſuper terram, at* ſummus ille rerum conditor, non in terris, ſed in cælis, idque ocyſſime

a S. Iſid. l. 17 cap. 10. b Mach. 9. c Pſal. 83. d Luc. 12.

e Pierius l. 50 Hierogl. f Ad Coloſſ. 1. g Imago 1. ſeculi. pag. 919. h Gen. 26.

nes

UVA. BHSC. BU 02224

nos crescere, & in via virtutis progredi, ardentissimè desiderat: dum hanc, quam ipse spectavit crescendi rationem, designat: a *Iustorum autem semita quasi lux splendans procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Hic crescendi modus perfectissimus, ac perniciissimus est: sic crescendum docet Cassiodorus: *non est nobis crescendi hic ordo qui multis est, paulatim provehi, mediocris probatur esse virtutis:* Hoc Cassiodorus de honorato & viro Patricio, quanto magis Religiosi non paulatim, sed statim, celerrimè crescere debent usque ad perfectam diem. Mediocris distantia solis à centro mundi, secundùm Tychonem continet 1180. semidiametros terræ. Quare si semidiametrum terræ statuamus conficere milliaria horaria 1214. quâ minorem nullus astronomorum posuit: mediocris distantia solis, qualem nempe habet circa æquinoctia, milliaria complectetur horaria 1396100. id est, unum millionem, trecenta nonaginta sex millia, & centum. His positis sequentia deducuntur: Sol circa æquinoctia conficit unâ horâ 5088oo. id est, quingenta octo millia, & octingenta milliaria Belgica, seu leucas, quarum singulæ horam unam exigunt. Sol ergò cum decem lineis, seu quod idem, decem horis recessit, 5. milliones, octingenta, octoginta millia milliaria Belgica currendo confecit: celeritatem ejus quisque vel oculo metiri poterit, experimento ex *b* Bellarmino adducto, qui volens aliquando curiosè cognoscere quanto temporis spatio sol totus, qui ex communi Astronomorum sententiâ 166. major terrâ est, occumberet in Mari, cæpi, inquit, ad initium occasus ejus, legere Psalmum *Miserere*, & vix totum bis legeram, cùm jam sol totus occubuisset; ergò necesse est, inquit, solem eo brevissimo tempore percurrere spatium multò magis quam septem millia milliariorum, quot continet diameter terræ, quam diameter solis longè excedit; quis cursum ejus, pennis assequatur? unius minuti spatio conficit 8480. milliaria Belgica: O homo! ubi à somno tibi redditus, ubi soporem excussisti, vides assurgentem auroram, id est, auream horam, quæ te admonet, non in terris sed in cælis progressum facere, non tardè sed celerrimè in hoc virtutis stadio decurrere: c *Quasi enim per quandam diem sanctis incedere est mente, ire semper ad meliora,* inquit, Gregorius, usquedum, perfectam beatitatis meridiem attingat, secundùm illud vaticinium Regis: e *Ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur Deus deorum in Sion.*

Quemadmodum ivit S. Fursæus, qui in quodam mentis excessu audivit de se, suique similibus, hoc ipso versiculo gratulantes angelos: unde non existimandum est hominem, hîc ad eam perfectionis meridiem pertingere posse, ut altiùs crescere nequeat, sed ut Gregorius ait: f *Vos autem usque ad perfectum diem crescite, ut quo usque patriâ æterna videatur, bonorum hîc operum argumenta dilatentur.*

a Prov. 4. *b* Bellarm. de ascensione mentis in Deum gradu. 7. c. 2.

c Hom. 3. in Ezech. e Psal 83.
f Greg. lib. 7. reg. Epi. 125. ad Claud.

§. IV.

UVA. BHSC. BU 02224

§. IV.

Humana omnia habent terminum magnitudinis; at homo justus nullum habet terminum perfectionis.

OMnia ad perfectionem tendunt & crescere ex natura sua satagunt, quæ ab imperfecto incipit, & paulatim magis magisque crescit, donec perfectionis suæ apicem consequatur; quercus crescit in annum centesimum, & hic terminus esto; *a* cervus quotannis unum ramum cornu suo adjicit, sed non sine termino, unde ejus ætas dignoscitur. *b* Ariaga de termino accretionis & augmentationis differens, docet homines crescere usque ad annum 25. quia ut homo crescat requiritur ut ossa & nervi molles sint, qui tunc obduruere; nec primi parentes, qui ad 900. annos vixerunt, semper sine termina creverunt: potest quidem homo post annum 25. crescere in crassitie, quia caro ratione nutrimenti, augetur, non tamen sine termino, nec enim potest homo magnitudinem turris, aut mus molem Elephanti adæquare. Confirmat Aristoteles c *Neque stirpes, neque animantia, aut horum partes, quantæcumque magnitudinis esse possunt.* Instar omnium autem hæc magni Thomæ sententia, hic sensus est: d *Si loquamur de quantitate naturali; sic potest esse repugnantia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, unde* Philosophus dicit quòd e *omnium natura constantium est terminus, & ratio magnitudinis & augmenti.*

At terminus virtutis, terminus perfectionis in hac vita, nulli positus est. Justis semper plus ultra progrediendum, & ut cum Poëta loquar,

f *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Quia numquam justus arbitratur se comprehendisse, semper plus ultra adnititur, ut sit perfectus, sicut pater cælestis perfectus est, quem terminum nemo attingere potest. Errarunt ergo Stoici, ut est apud *g* Ciceronem & Laërtium, dum asseruerunt virtutem non posse crescere & fieri majorem: & cum illis Seneca, dicens in hac vita posse hominem ita pervenire ad summum virtutis, ut *non sit incremento locus*; sed utinam hi soli istic stetissent. Error hic quoque fuit Joviniani, asserentis neminem unum aliquem crescere posse justitiâ ac virtute, uti neque à vitio, cælo judice, decrescere atque deficere.

Manavit ea hæresis ex alio infami placito, quòd & virtutes pares, & vitia omnia paria jactitarent, quod ipsum diu ante censuerunt Stoici; his affine fuit Lutheri dogma, qui & ipse pernegavit mortales crescere posse in justitiâ, eò quòd illa non esset intrinseca atque inhærens, sed extrinseca, & quasi ascititia: putà, imputatio justitiæ, quæ in justis omnibus par fuit, atque æqualis. Contra hos stetit stabitque in ævum omne, recepta cælo terrisque veritas.

a Pierius lib. 7. b Ariagæ Philosophia pag. 531. n. 60. c Arist. 4 Phys. text. 36. d D. Thom. 3. p. q. 7. a 12. ad 1.

e Arist. l. 2. de anima textu 41. f Virg. l. 1. Æneid. g Cicero lib. 5. finib. & Parad. 3.

Chri-

UVA. BHSC. BU 02224

Christianum justitia, gratia, charitate cæterisque virtutibus crescere posse, imò & debere, nisi & à se & à Christo suo deficere velit, atque degenerare. Si lubet Beguardos, & Beginas hîc audiamus, quorum inter ceteros, referente Spondano, hic error fuit: asserebant hominem in hac vitâ talem gradum perfectionis assequi, ut ampliùs proficere in gratia non possit; alioqui si semper crescceret, posse Christo perfectiorem fieri. *a* Addebant qui eum gradum adeptus esset, posse liberè corpori concedere quidquid placet, nec ad ullum præceptum Ecclesiæ, aut humanæ potestatis teneri, quia ubi spiritus, ibi libertas.

Contra similes, doctorem gentium inducit doctor subtilis Augustinus in Psal. 69. *Quantumcumque hic profecerimus nemo dicat sufficit, justus sum: qui dixerit, remansit in via; non novit pervenire: ubi dixit sufficit, ibi hæsit: attendite Apostolum, cui non sufficit;* b *fratres*, inquit, *ego me non arbitror apprehendisse. Et rursum dicit:* c *qui putat se scire, nondum scit quemadmodum eum oporteat scire: unum autem quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ gloriæ.* Jam olim Isaac ille orbis delitiæ & risus: *Ibat proficiens atque succrescens donec magnus vehementer effectus est.* Gen. 16.

Jacob Patriarcha dissimilem prorsus benedictionem duobus filiis moriens impertiit. Rubeno primo genituram obtulit, dixitque d *non crescas.* Josepho, *Filius accrescens. Ioseph filius accrescens, & decorus aspectu.* Quid sibi volunt duo illi fratres? primus, filios Christi degeneres designat, qui extra solem gratiæ in nocte ignorantiæ versantur, ac proinde meritò sibi quisque eorum, illud in tesseram assumit: *Non crescas:* At Filii Christi, cujus Josephus typus fuit, semper accrescunt in gratia & virtute, uti magister eorum.

§. V.

Deipara, aliique sancti, quî semper in gratia, & virtute creverint.

PErpetui profectus exemplar, quod in magnis Dei servis semper viguit, scala Jacob cælos pertingens donatabat: qua *e* Gregorius Nysse, & S. Bernardus, ajunt vitam cum virtute conjunctam effingi atque efformari. Atque, hoc est, *ascensiones in corde suo disponere*, ut ait David, & de profectus gradibus explicat S. Bernard. hoc est, ire f *de virtute in virtutem.* Hoc est, g *justum justificari adhuc & sanctum sanctificari adhuc.* Ut monet S. Petrus; hoc est, cum Paulo *transformari à claritate in claritatem.* Hoc est, *crescere in illo per omnia, qui est caput Christus.* Hoc est, *fructificare & crescere in opere bono.* Hoc est, *in anteriora seu priora se extendere.* Hoc est, *renovari de in die diem.* Hoc est, *abundare charitatem magis ac magis, & probare potiora.* Hæc est, *currere ut comprehendamus.* Quod ponderans Sanctus Bernardus. *Ipse, inquit, hominis, sæculique auctor, quamdiu cum hominibus conversatus est, numquid stetit? & quidem teste scriptura: Pertransit benefaciendo, & sanando*

a Spondan. an. 1311. hom. 1. pag. 523. b Philipp. 8. c 1. Cor. 8. d Genes. 49. e Nyss. orat. 5. de beat. f Bern. Epist. 254. g 1. Petr. 1.

omnes

UVA. BHSC. BU 02224

omnes; pertranſiit ergo ſicut non infructuoſe, ità non remiſſè, non pigrè, non lento gradu; ſed quemadmodum de eo ſcriptum eſt: Exultavit ut gigas ad currendam viam; porro currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? ideo Paulus ajebat: ſic currite, ut comprehendatis.

Talis erat Zeno laudatus à Theodoreto, qui ut ipſe ſcribit: a *Semper Dei aſcenſus, in corde diſponebat.* Talis & S. Iacobus ab eodem laudatus, *qui divinis rebus* quotidie, *creſcebat* Talis S. Fulgentius, *qui parum putans omne quod faciebat, de die in diem, melior fieri geſtiebat.* Talis fuit S. Pachomius, *qui plurimorum parum conſiderans inſtituta, dabat ſemper operam, cum proprio fratre ad majora virtutis augmenta conſurgere.* b Sed maximè hac in re excelluit S. Ignatius, de quo teſtis juratus in ejus vita narrat, *quod præſentem diem cum heſterno conferens, & cum profectu profectum; longiùs ſe quotidie progreſſum, & ardentioribus in dies inflammatum ſtudiis reperiebat.* Ita non tantùm proficiebat quotidie, ſed agnoſcebat ſe profeciſſe eò præclariùs, quò rariùs: nam ut Bernardus teſtatur: c *Ririſſima avis in terris, qui de gradu, quem in religione ſemel attigerit, modicum perparumper aſcendit.* Ignatium, inter alios quamplurimos Societatis noſtræ homines, P. Petrus Faber imitatus eſt, qui ut de eo Orlandinus: d *Studebat nullum omnino diem ducere, ſine inſigni aliqua progreſſione virtutis.*

a In hiſt. Relig. 12. ſect. 1. b Ribadin in vita. c Bern. Epiſt. 2. ad Ri[illegible] h. abb. d Lib. 2. ejus vitæ c. 11.

Quod ut omnibus virtutum ſtudioſis, tum vel maximè noſtræ Societatis hominibus curandum eſt, quibus hæc à fundatore impreſſa regula: *Vt current ſemper* (Seu ut eſt in Hiſpanico) *Adelantè*, hoc eſt, ulterius vel in dies magis ac magis, in viâ divini ſervitii progreſſum facere. In quo omnium longè magiſtram Mariam cum filio ſuo, uti ætate ſic gratiâ uſque ad perfectam diem creviſſe videas. Rupertus l. 6. in Canticis dicit Virginem Mariam, e *in ſuâ primâ ſanctificatione fuiſſe ut auroram, in filii conceptione ut lunam, in morte ut ſolem*: Quia ſemper in gratiâ crevit, uſque ad perfectam meridiem gloriæ: & ſub hac metaphora *Auroræ*, optimè eandem doctrinam expoſuit S. Bonaventura *in ſpeculo Mariæ c.* 9. & 11.

Quo poſito ſic pergit Suarez noſter: dico ergo B. Virginem per omnes ac ſingulos actus humanos totius vitæ argumentum charitatis, gratiæ, & gloriæ meruiſſe, quia multos habuit non modò malos, ſed ne indeliberatos; ſecundò ſemper correſpondebat divinæ gratiæ vocanti, & tantum cooperata eſt, quantum menſura gratiæ poterat. Ex qua multiplicatione quantus cumulus gratiarum excreverit, diſertus orator Tullianâ facundiâ commemorat; f non infimorum vel doctrina vel ſanctimonia hominum ſententia eſt, omnium ſanctorum Patrum, martyrum, omnium ſanctorum hominum ac angelorum, non dico exeuntis de vita Virginis, ſed intrantis, ma-

e Suares de vita Chriſt. q 37. diſp. 18 ſect. 181. f L. Libens orat. in aſſump. B. V.

UVA. BHSC. BU 02224

jorem gratiam exſtitiſſe. Finge hunc igitur animo quiſquis es, velut temporis puncta non amplius centum, ac puncto primo accedere tibi cogita aureum dumtaxat, in ſingula deinde puncta duplicandum: hoc modo ut duos conſequare aureos puncto ſecundo, ac tertio aureos quatuor; quarto aureos octo, atque ita geminato ſemper nummûm aureorum numero, ad punctum uſque centeſimum; quantas tibi opes obventuras credis horæ unius intervallo? quantas? multò, inquam, plus, quàm auri argentique ſit toto orbe terrarum.

Miratur hîc veſtrûm aliquis? nemo ut opinor, qui audiverit aliquando quomodo ætate noſtra Duaci Anno 1608. vice præſidi caſtri Bullonienſis, Ruſticanus homo verſutus in paucis, generoſum equum venderit, nullo alio pretio, quam ut frumenti grana ſibi numerarentur toties duplicata, quot in ferratis equi ſoleis clavi eſſent, erantque triginta duo. Res ita fit: primo clavo granum unicum datur; ſecundo grana duo; quatuor tertio; quarto grana octo; quinto ſexdecim; & ſic deinceps ad uſque clavum trigeſimum ſecundum; numeris paulò majoribus impleta eſt infima quædam menſura granis numeratis, quæ pluribus vicibus repleret duodecimam partem modii magni, quem vix homines ſex robuſti ferre poſſint. Numerus trigeſimus ſecundus & ultimus erat: *Decies millia centum quadraginta ſeptem milliones, quadraginta octoginta tria millia, ſexcenta quadraginta octo grana.* Quæ in menſura Duacena, conficiunt *quadringinta triginta millia ducenta octoginta quinque, cupas quas vocant*, quarum quatuor conficiunt unam raſeriam, quæ hominem ſufficienter onerat. Raſeriæ verò ex his conflantur *mille ducentæ triginta novem.* Quæ totidem ducatis facilè æſtimantur; equum carò vendidit, in quem mille ducentos triginta novem ducatos perſolvit, atque hoc ingens ex numeris duobus & triginta conduplicatis exſurgit incrementum. Quid ſi Arithmeticos numeros 100. quid ſi 200. ea proportione conduplices, quam innumerabilem ſummam confecturum arbitraris? ex hoc colligе, ad rem noſtram quod certâ Matheſios ſupputatione conſtet, Mariam ducentis tantùm charitatis actibus, poſtquam facta eſt Mater Dei, multiplicando ſingulos, meritam fuiſſe plures gradus gratiæ, quàm eſſe poſſint, in mille quingentis nonagintâ ſex millionibus mundorum, & aliis nongentis & triginta octo millibus, & quadraginta quatuor mundis, æquè magnis, ac hic mundus eſt, ſi eſſent pleni granis ſinapiis, à centro terræ uſque ad concavum firmamenti, computando unumquodque granum pro decem millibus Angelorum, vel Sanctorum, cùm tot gradibus gratiæ, quot habuerunt, cùm eis viſio beatifica donaretur.

Quod cùm ita ſit, jam intelligi poteſt opinor quanta fuerit Mariæ morientis gratia, cùm fuerit tanta naſcentis: nam in puncta temporis ſingula, quoad vixit (vixit autem annos. 72.) etiam quod Suarez & alii ſapientes volunt dormiens, ſuam illam bene

UVA. BHSC. BU 02224

bene merendo duplicavit gratiam. Planè ut de frumenti granis jam à me dictum eſt, cujus tam admirabilis quæſtus, certiſſimam Theologi rationem intelligunt, quòd amarit Deum, ſine interruptione, actibus ſemper elicitis, ut ipſorum more loquar, ex plenitudine habitus charitatis. Deus immortalis quid eſt hoc, quod dixi, gratiam Virginis primam majorem fuiſſe omnium ultimâ gratiâ? & per tot annos in momenta ſingula, quæ ſunt in unius horæ ſpatio propemodum infinita, cumulata millam altero tanto ſemper incremento: quod profecto non modò eſt creſcere *in mille millia*, ſed mille millionum millia.

Unius Virginis ſectatores plures reperti ſunt, qui ſic indies gratias conduplicari, virtutes augeri & in immenſum meritorum cumulum excreſcere fecerunt: inter quos è Societate noſtra, Franciſcus Suares, [a] cui potiori jure illud competit, quod Auguſtinus Varroni adſcripſit: *Vir undequaque doctiſsimus, qui tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur: tam multa ſcripſit, quam multa vix quemquam legere potuiſſe credamus.* Hoc tamen de eo luculentius exſtat teſtimonium, quòd ita mente in Deum intentus, ut in dies ſingulos, præter prolixas preces, ad centenos actus amoris Dei elicuiſſe comprobetur. Quos ſi per omnes totius vitæ annos conduplicaris, bibliothecam conflaris exarando. In eadem claſſe non infimo loco cenſendus Petrus Didacus Martinez, [b] qui præter decem horas orationis, in dies ſingulos eliciebat cum ſummâ diligentiâ ad calculum, quatuor millie actus amoris Dei, idque quotidie; nunc eum ad annos Virginis 72. ſupervixiſſe ponamus, habet annus dies 365. per illas autem ſi 4000. conduplicentur, qualem ſummam confectura ſint, lectori computandum relinquo. Par ſtudium fuit Mariæ Ogniacenſis, quæ flectebat millies & centies uno die genua, quot millia in annos ſingulos?

c B. Ioanna obſervarat per annum in officio divino ſe cum aliis monialibus in choro facere quinquagies mille ducentas inclinationes majores; novemdecim millia; quadringentas, viginti quatuor minores, quæ conficiunt ſexaginta novem millia, octingentos, & viginti quatuor actus religionis. Anima noſtra infinitorum graduum gratiæ & perfectionis capax eſt, ſine menſurâ, ſine termino ſemper creſcere poteſt, plus ultra provehi poteſt, & creſcere in mille millia. Hoc agamus & ut cum Bernardo concludam: *Ibi Chriſtiane fige tu curſus profectuſque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam.*

a In vita. P. Tylingem, paradis. Aug. de civit. l.6. c 2.

b Nierem de adoratione l.2. c. 2.

c Barrij Philagie pag. 490.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA VII.

Dolentes quærebamus te. Luc. 2.



TORMENTI GENVS. 8. *Æneid.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Pœnam damni, quæ ſummi boni jactura eſt, animus corporis exuviis ſolutus, quovis ſupplicio acerbiorem in ſe experitur. cujus rei ſymbolum, videſis falconem, qui jam liberâ oculorum acie, quò acriori impetu in prædam fertur, eò graviori violentiâ vinculis attinetur.

§. I. *Animæ corpore ſolutæ, quàm grave accidat, ad breve tempus, complexu ſponſi arceri.*

§. II. *Sanctis adhuc in corpore degentibus, quàm grave non poſſe diſſolvi.*

§. III. *Tormenti genus graviſſimum conſpectu Dei, æternum privari.*

D. O. M. I-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PRIMA
POST EPIPHANIAM.

Dolentes quærebamus te. Lucæ 2.

VARII varia se amisisse dolent, ut si quemque vestrûm compellem, quid potissimum amissum doleat, ad quid quærendum festinet? alter prolem, alter rei domesticæ jacturam conqueretur; hic litem, ille officium, iste prædium, alius uxorem se perdidisse gravissimè indolebit. *a* In hos Augustinus exclamat: *Heu nescit flere, nescit, inquam, flere, qui flenda committit.* Heu! nemo quisquam est inter nos, qui cum Psalte ingeminare possit, se die ac nocte, ob summum bonum amissum ingemiscere. Unus nobis Michas *b* idololatra ruborem incutiat: cùm nonnulli milites de stirpe Dan, ingressi domum ejus, vi abstulissent Deos ejus aureos, ita concitatus fuit, ut è vestigio eos insequeretur, plorans ac vociferans; illi verò, cùm Micham magnis clamoribus insequi viderent, dixerunt ad eum, quid tibi vis! cur clamas? qui respondit: c *Deos meos, quos mihi feci tulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis quid tibi est?* nihil ex omni supellectili attigerant, non pecunias, non alias divitias quibus affluebat, & clamat; *Deos meos tulistis, & omnia quæ habeo,* Quia omnia pro nihilo ducebat, ubi deunculos suos amiserat; quibus deperditis se omnia perdidisse, se mortalium infortunatissimum ducebat: etenim ut rectè Aug.

c *Qui te Dominę habet, beatus est, licet reliqua non habeat, & si reliqua omnia habeat, & te non habet, beatus non est.* Si ergo reliqua omnia amiseris, sed Deum possideas, nihil amisisti: nec nec alle/ quia omnia in te habes, dum eum habes, qui in se omnia habet. Unde ipse Moysi: d *Ostendam omne bonum tibi.* Et Seraphicus Franciscus omnibus destitutus, hoc assiduò usurpabat: *Deus meus & omnia*; quem si amiseris, omne bonum amisisti. Quodvis damnum, hoc majus, quo plus bonorum eripit. Grave damnum incurrere mulctam 10000. florenorum, perdere litem centum millium aureorum, in mari jacturam mercium facere, sed longè omnium gravissimum omnè bonum perdere. Chrysost. *Si illi qui solis lucem conspicari nequeunt, omni morte miserierem vitam degunt; quid ees perpeti credendum est, qui luce vultus Domini privantur?* Siquidem cæciratis damnum in visu tantum est, sed tantò id gravius quantò soliste, quàm hic, longè præstantior. Quid faciem divinam adipiscentibus beatius, aut non adipiscentibus infelicius? Si enim patriâ quis expulsus, & qui hæreditatem amiserit plangendus est: qui Deo privatur, quomodo plangendus erit? Tobias queritur cæcitatem suam: e *Quale mihi gaudium erit, qui*

a Augustin. in Psal. 118. b Iudic. c Vide Kearn. Dom. infra oct. Epiph. d Exod. 33. e Tobiæ c. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video. Queritur lumen ſolis ſibi ereptum, quod muſcis commune eſt, nec ullum gaudium ſibi eſſe ducit, dum illo caret: ô anima! quid erit lumine gloriæ in æternum privari? quid erit carere candore illo lucis æternæ? Mellifluum doctorem audite: a *Ego multo durius tormentum eſſe aſſero, quàm gehenna eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe. Nec opinor tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quàm caſum deplorare, quod cœlo,* (quod vultu Dei) *excidimus, qui eſt cruciatus omnium graviſſimus:* Quod pluribus comprobare aggredior.

a Bern. Epiſt. 5. ad Theod.

§. I.

Animæ, corpore ſolutæ, quàm grave accidat ad breve tempus complexu ſponſi arceri.

VIdiſtis quandoque aucupem in campos egreſſum, accipitrem aut falconem manu geſtantem, qui quamdiu ſcorteo pileolo tectos habet oculos, pleno die, ſudo cœlo, nox illi intempeſta eſt, nec picas, nec ardeas inſectari ardet; at ubi amotis tenebris, detracto hoc pileolo, prædam conſpicatur, jam geſtit, jam ardet, jam alas explicat, totus fertur in prædam. Dum interim Domino renitente ac retinente, omni niſu vincula diſrumpere ſatagit, *tormenti genus eſt*, & nimis heu *grave eſt, non poſſe potiri.* Dum in orbe hoc agimus, lumine orbati ſumus, animus corpori immerſus, oculos heu craſſo nimiùm cucullo obligatos habet: b *Vivit hîc anima*, ait Ambroſ. *operta mortis involucro.* Quid mirum ſi homo carnalis, non exardeſcat in ſpiritualia quæ non percipit? at ubi animus corporis exuviis depoſitis, cucullo per mortem detracto, in immenſo illo æternitatis campo conſtitutus, liberè circumſpexerit, tanta vi in conditorem ſuum rapietur, ut inter ſupplicia omnia, hoc ei futurum ſit ſummum maximumque, *non poſſe potiri*, & à conditoris aſpectu vel brevi morulâ diſtineri.

Anima Deo dilecta, gratiâ decorata, corporis mole libera ſummo impetu in dilectum rapitur, & hoc violentiùs retinetur. Sagitta nervo emiſſa celeri pennâ alite, velociùs per aëra volat. Saxum ingens ex alto decidens, quanto impetu ad centrum fertur? globus tormento bellico excuſſus, quantâ pernicitate jactatur, ut juxta quorumdam c obſervationem, quoque momento ad tria milliaria conficiat; his autem, ſi quis validum obicem in medio curſu objecerit, nonne ſagittam confringi, lapidem comminui, glandem contundi neceſſe erit? his omnibus inanimatis, longè major in anima impetus eſt, quo in Deum ſuum rapitur, quem ubi ſibi, ſuoque quaſi complexu eripi videt, non poteſt non graviſſimè cruciari. Gilbertus Abbas in illud Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem dilegit anima mea*, ſic ait: *Nemo quod ardenter quærit, non anxiè caret; tantoque cumulatiore angustia, ſi vicina ſpe jamque apprehenſura fraudatur.*

b Amb. ſer. 22. in Pſal. 116. c Tympli alcedonia c. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

Gen. 43. cùm Jacob misisset filios suos in terram Ægypti ut emerent frumentum, & remissi juxta præceptum Joseph, âd duxissent Benjamin: *Attollens autem Ioseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi?* Illis affirmantibus hunc esse Benjaminum, subitò, inquit scriptura: *Commota fuerunt viscera ejus*, super fratre suo: 70. vertunt: *Torquebantur viscera ejus*: Joseph fratrem suum dilectissimum intuitus, acerbissimè torquetur, intimis viscerimè torquetur, intimis visceribus commovetur: quid hoc? an cruciat dum præsens est quod amat? Ambrosium audite: a *Torquebantur viscera ejus, quia complectendi eum quem desiderabat, libertas differebatur.* Torquebatur quod liberè complecti non posset: in quem tanto desiderio æstuabat. Majestas principis, amorem fraternum occultabat, & sub hoc cinere ignis amoris magis æstuabat, *tantoque cumulatiore angustiâ, quo vicina spe, jamq; apprehensura fraudabatur.*

Tyrannis hæc amoris est, & amans martyr est, dum amato prope est nec potiri potest. MARIA Deo gravida, sed non gravata, per montana conscendit, ut cognatam suam viseret, & ecce in mutuo complexu, b *exultavit infans in utero* Elisabeth; Joannes gestire, exilire cœpit præ gaudio, adhuc in utero, & quia conditorem suum præsentem sentiebat, Martyrii genus illi erat, uteri carcere concludi, nec posse potiri, & foris deosculari.

Hic aurei Chrysostomi sensus est: c *Tamquam invictam custodiam*, inquit, *quatiebat matricem, in claustra naturæ insultabat calcibus, & clausis labiis, vociferabatur figuris, talia matri dicens: inquè sacis ô mater quæ tardas Prophetam, gestas in utero præcursorem Christi Regis, Martyrem stringis.* Procurrere, præcurrere gestiebat Joannes, hoc calce inculcabat matri se liberum dimitteret, gravissimè se hoc ergastulo cruciari: *Martyrem*, inquit, *stringis.* Quid illum Martyrem reddebat in utero? nisi quia præsens præsente potiri non poterat dilecto, *tantoque cumulatiore angustiâ æstuabat.* Ardentissimâ siti torquebatur dives ille Epulo, qui ut Lazarum in sinu Abrahæ conspexit, ilico exclamat: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aqua.* Solerter ut solet Chrysologus advertit; d *ut intingat in aqua, & non deferat aquam.* Petit linguam refrigerari, non tamen petit aquam adferri. *Ergo juxta te est aqua, & si juxta te est, quare de proximo non sumis? quare? quia vinctæ sunt manus.* Heu ferreis vinculis hic accipiter constrictus est! heu Tantalus hic captas aquas in aquis, *tantoque cumulatiore angustiâ æstuabat.* Narcissus (si vera est fabula Vatum) formosum pumilionem in liquido speculo speculabatur, amore ejus ex aquis totus in flammas abibat. Causam nostis amoris, intolerabilis ardoris? quid maxime illum cruciat, ut vivere mors sit? attendite:

e *Quoque magis doleam, nec nos*
mare separat ingens

a Amb. lib. de Ioseph. c. 10 b Luc. 1.

c Chrysost. apud metaph. & apud Surium in vita. d Chrisol. serm. 122.
e Ovid. metam. l. 3. fab. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

Nec vias, nec montes, nec clausis mœnia portis,
Exiguâ prohibemur aquâ.

Hoc maximè dolet, re tam vicinâ, non posse potiri. Sunt quos exigua aqua, non Oceanus vitiorum, sed levis culpa, dividit à complexu speciosi pumilionis præ filiis hominum : *Exiguâ prohibemur aquâ*; arcentur fideles animæ, ob exiguas lacrymas ex nimio affectu in funere parentum fusas, *exiguâ prohibemur aquâ*; exigua eleëmosyna, haustus aquæ frigidæ, tenuis cerevisiæ, ex inordinato affectu divitiarum, negatus pauperi, *exiguâ prohibemur aquâ*.

a Lessius de perfectionibus divinis, dilucidè more suo: si aliquis jam à Rege adoptatus, in ipso puncto quo aditurus est regni possessionem, ob aliquam culpam ejiceretur in exilium, donec eam culpam eluisset; quantum inde conciperet dolorem? quantum ingemisceret, se culpam illam admisisse? ita animæ justorum cùm se à gloriâ paratâ, eo momento, quo conferenda erat, vident repelli, & in reterrimum exilium ablegari, incredibili sauciantur dolore. Rem historica relatio pleniùs demonstrabit, quam Famianus noster, b *fama super æthera notus* sic exponit: Carolus V. morti vicinus, accito ad se Philippo II. Hispaniæ Rege, detegit Joannem Austriacum filium suum, quem sortis & originis suæ ignarum, clam etiam Philippo Fratre, ali jusserat, declarat eumdem Ioanni ac Philippo patrem esse; proinde advocaret apud se puerum, haberetq; non minus curâ & caritate filium, quàm sanguine Germanum fratrem. Sed Philippus Rex duos adhuc annos ab Cæsaris obitu exspectavit; quo interim Carolus filius, Hispaniæ Princeps adolescceret. Tum fratrem agniturus Valli-soleto ad Spinæ cœnobium venandi gratiâ, magno nobilium comitatu proficiscitur: ad eum locum jubet, è Villagarsiâ occurrere cum venatorum grege Aloysium Quiscia-dam (qui Joannem educarat) secumque Iohannem trahere. Aloysius instructa venatione, equum superbè phaleratum inscendit ipse, Ioannem vulgari jumento insidentem post se ducit, venatorum globo immistum. Cumque ad Torosum montem accessisset (quem circa locum venari prospectabat regium comitatum) ex equo repente desilit, idemq; ut faciat Ioanni significat. Paret ille: simul Aloysius ante eum provolutus in genua, *porrigat*, inquit, *osculandam mihi manum Celsitudo tua. Novi quid habeat veneratio hæc mea, mox à Rege qui te accersit intelliges: nunc equum instratum tibi hoc ornatu scande.* Restitit ad ea puer, subitâ novitate attonitus, tradidit tamen manum, atque equum scandit, suspensis admiratione qui aderant, & tamquam in scena, quem exitum ea catastrophe, habitura esset, intentis Cùm ecce in conspectum venit Philippus Rex, cum venatorum equitatu: ilico Ioannes ad pedes, præeunte Aloysio se dimittit, Regemque in id officii decorè compositus, de genu veneratur. Tum Rex manu puerum attollens, num satis teneat quo patre sit genitus blandè

a Less. de perf. l. 13. c. 17. b Strada de Bello Belg. l. 10. a. 1578.

UVA. BHSC. BU 02224

blandè interrogat ; cumque responsi dubius hæreret, quod illum quem patris habuerat loco, amisisse se jam videret, (nempe Aloysium) Rex equo depositus : *Macte*, inquit, *animo puer, præ nobilis viri filius es tu, Carol. V. Imperator, qui cælo degit, utriusq; nostrum pater est.* In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum reposuit, jussitque illi famulos accedere, utque sanguinis Austriaci ac Cæsaris proiem addecet, servire. Festo interim venatorum clamore personantibus latè campis, ac læto imprimis procerum plausu, diem illum faustum Regi, faustum novo Regis fratri certatim effuseque gratulantium. Rexque ipse solitus est dicere : nunquam se jucundiorem venando prædam, quàm eo die retulisse domum : sic agnitus Ioannes Austriacus, educari cœptus est in aula cum Carolo Hispaniæ Principe. Hactenus rei seriem. Sed quæro modò, dum Ioannes in aulam properat, dum omnium plausu Imperatoris tanti filius, Regis Hispaniarum frater consalutatur, si ipso momento in limine aulæ se subitò arceri, aditu prohiberi, in exilium mitti contingeret, quo animo funestam hanc catastrophem ferret? quàm grave illi esset tantæ gloriæ obicem opponi. *Vicina spe, jamque apprehensura fraudari.*

Dum in hoc orbe exposiți, peregrinamur à Domino, hæreditatem ad quam adoptati, qua simus origine nati, Christum fratrem ignoramus, quid mirum si nil magni & excelsi cogitemus? Ioan. c, 13. *Charissimi nunc filii sumus, & nondum apparuit quid erimus*, nos filii excelsi omnes; hæredes regni, cohæredes Christi, regno nati, sed ab infantia exposiți longè à patria, longe à cœlesti aula, *nondum apparuit quid erimus* : at ubi rapiemur obviam Christo, ubi anima audiet : *Ego sum frater vester*, ubi dignitatem suam cognoverit, ubi jam pedem in regium illud palatium inferre, coronam regni sibi paratam apprehendere voluerit, tum derepente si palatii valvas occludi, Regis aspectu arceri, in exilium se abripi conspexerit, hoc damnum maximum, *hic cruciatus*, ut ait Bernardus, *omnium gravissimus.*

§. 11.

Sanctis adhuc in corpore degentibus, quam grave non posse dissolvi, & frui visione Dei.

ETenim si homo hominis quandoque tanto amoris glutine conjungitur, ut mater Filii, sponsus sponsæ, conjux conjugis, amicus amici absentiam non sine acerrimo animi sensu ferre queat, quid erit sponsam illam Christi à sponso suo, à summo illo bono separari? *Qui est cruciatus omnium gravissimus.* a Rutilia Cottam *filium secuta est in exilium, & usq; eo fuit indulgentia constrictâ, ut mallet exilium pati, quam desiderium.* Ovidius ex urbe, orbis domina ad barbaros relegatus, non tam queritur cœli illius inclementiam, soli sterilitatem, frigoris acerbitatem, Scytharum inter quos versabatur barbariem, quàm urbis Romanæ, & in hac Cæsaris destitui presentiâ. Hinc queritur :

a Seneca ad Helvi. c. 16.

UVA. BHSC. BU 02224

a *Ergo omnis populus poterit spectare triumphos,*
Cumque ducum titulis oppida capta suis?
Hos super in curru Cæsar victore veheris:
Purpureus populi ritè per ora tui.

Sed ne videamur dumtaxat Ethnicorum historias, aut doctas fabulas secuti, sacros codices consulamus. Act. 30. dum Paulus valediceret præcipuis antiquæ Ecclesiæ Ephesinæ, & diceret: *Nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei.* Quo dicto, inquit sacer textus: *Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum.* Omnes flevêre & viri in lachrymas uberrim prorupêre. Quid causæ? *Dolentes maximè in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* Paulus quidem multa illis predixerat dignissima lacrymis; sed hoc præ cæteris cruciabat: *Quia faciem ejus non essent visuri.* Aureè hîc Chrys. *Dixerat, ingressuri sunt lupi rapaces, dixerat mundus sum à sanguine omnium. Hæc utraq; terribilia, & ad contristandum sufficientia. Maximè autem hoc omnium dolebant, quod ultra eum visuri non essent, qui est cruciatus omnium gravissimus.* Addit Arator hic, omnem populum effusum fuisse in littus, abeunte Paulo:

-----Longeque per undas
Obtutu comitante sequi meruêre carinam.
Additur in pelagus oculis via, raptaque fluviis
Puppis adhuc nota est, & mulcet imagine mentes.

a Ovid. l. 4. trist. el. 2.

Affectuque animi crescit mensura videndi.

Si ita Hent se avelli a facie Pauli, hominis bicubitalis, quid erit avelli à facie in quam desiderant Angeli prospicere, in qua est splendor paternæ gloriæ, & thesauri relucent bonitatis ejus. Plus dico, si animæ sanctæ, charitate ferventes, adhuc corpori immersæ, adeò molestè absentiam sponsi sui tulerint, ut vitam omni morte acerbiorem duxerint; ut ecstases, deliquia, ingentemque amoris tyrannidem passæ sint, cùm tamen tam parum per phantasmata pulchritudinem sponsi attigerint; quid erit ubi non in ænigmate, non oculis carneis, sed cucullo deposito, substantias spirituales clarè cognoscere, facie ad faciem capaces intueri; nec dabitur posse potiri.

b S. Anselmus Deum ignorabat, & totus Deum spirabat, hunc unum suspirabat: *Dic nunc totum cor meum, dic nunc Deo, quæro vultum tuum, vultum tuum Domine requiro*, & tamen subdit: *Nunquam te vidi Domine Deus meus, non novi faciem tuam. Tu fecisti me & refecisti me, & omnia mea bona tu mihi contulisti, & nondum novi te.* Aug. certè ut alter Paulus cupiebat dissolvi & esse cum Christo, ac proinde omni morte acerbiorem vitam ducebat; c *Quare*, inquit, *faciem tuam avertis gaudium meum per quod gaudeo? ubi es absconditus pulcher quem desidero? odorem tuum haurio, vivo & gaudeo, te autem non video, vocem tuam audio & revivisco, sed cur faciem tuam abscondis? fortè dicis: non videbit me ho-*

b Anf. in prosol. c. 1. c Aug. solil. c. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

mo,& vivet?eja Domine moriar ut te videam, videam ut hîc moriar: nolo vivere,volo mori,dissolvi cupio & esse cum Christo,mori desidero ut videam Christum, vivere renuo ut vivam cum Christo. Nostis causam cur Deipara JESUM duodennem ita plorârit & quæsierit? non quòd vereretur ne fame periret, aut quid incommodi pateretur, sed solam absentiam ferre nequibat. Bern. a *Tantùm subtractus vel ad modicum, ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebatur: tam enim dulcis est Dominus IESVS gustantibus eum, tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia materia doloris maxima sit.* B. Catharina Genuensis tanto desiderio æstuabat in regione vivorum complecti sponsum,ut quoties officio defunctorum interesset, nunquam graviùs indignaretur, quàm sibi non parentari ac justa persolvi, quæ summo jure sibi debita arbitrabatur.

Mater Teresa divino jaculo saucia,ad horas singulas exclamabat: eja age, jam unâ horâ propinquior es dilecto, quo in æternum frueris. *b* Raymundus Lullus ab amore insano ad divinum traductus, ita in Deum exarsit, ut dum mundum hunc solummodo ut exilium à cœlesti illâ patriâ, à dilecto suo JESU longè dissitum mente volveret, ilico deliquium pateretur.

Sed longè hoc exsuperat quod refert P. de Ponte in vita P. Alvarez c. 1 .Ioannem Baptistam Sanchez Societatis nostræ, tanto desiderio flagrasse videndi Deum, ut si quis illi affirmasset in vesperum esse victurum; eo die præ amoris magnitudine mortuus concidisset. Quæ omnia ut indubitata conprobat Bern.dum *c horribilius ac pœnalius æstimat ad tempus tolerare gehennam, quàm eum qui semel gustavit, quàm suavis sit Dominus, ab eo recedere.* Ita animæ quæ vel semel unicam stillam cælestis dulcedinis degustârunt: quid putas dixissent, inquit. August. *d* si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustassent, quam abscondisti timentibus te.

a Bern.hom. infra oct.Epiph. *b* Caussincourt S. Tom. 5. trac. 1. sect. 13.

c Bern.serm.35. d Aug. soliloq.c.22.

§. III.

Tormenti genus gravissimum, conspectu Dei, in quo omne bonum est, in æternum privari.

QUæ cùm ita sint, si amicus ab amico tanto sensu avellitur, si animæ in hoc exilio ita exardescant in sponsum, quem obscurè admodum in imagine contemplantur, & tamen cruciatum summum ducunt,à summo bono vel exiguo tempore sejungi, quid erit in æternum ad tenebras demandari! quid erit in æternum sole illo divinitatis carere? quid erit in æternum omni bono privari? quis adeò lapideo corde exclamat S. Ephrem: *Quis sortem illam damnatorum non defleat? quando à facie creatoris perpetuo excluſi, ab ipso & Angelis & electis omnibus separabuntur.* Quàm gravatè quandoque hominibus accidit à facie Principis aut Regis arceri: *Quis sortem illam damnatorum non defleat quando à facie creatoris perpetuo excluſi,&c.*

UVA. BHSC. BU 02224

a Anno 1525. quarto menſe Papiam obſederat Franciſcus Galliarum Rex. Obſidio ſoluta, ipſe captus Genuâ in Hiſpaniam ad Carolum V. adductus. At Carolus eum in conſpectum venire noluit, quod animum Franciſci ita dejecit, ut febri correptus ſit, quæ ei fatalis videbatur, niſi eum Cæſar conſpectu ſuo blandè ſolatus, ac propediem ſe dimiſſurum ſponderet.

Dum Comes Henricus à Bergis Silvâducis perditâ, Bruxellis Iſabellam infantem accederet, illa velo texit faciem ſuam, quo ita conſternatus, ut exitum reperire nequierit, quà intrarat. Narrat Raphaël Columba Dominicanus b Philippum II. duos Magnates (Grandes vocant) à ſe dimiſiſſe, ac prohibuiſſe ne in conſpectum ſuum venire præſumerent, quod indecentiùs ſe in divino officio geſſiſſent; quod ita illos perculit, ut unus mente captus totus inſanierit; alter præ mœrore contabuerit. Itane verò tam grave eſt non poſſe potiri vultu Caroli, non poſſe Iſabellam intueri, arceri conſpectu Philippi? *Quis ſortem illam damnatorum non defleat! quando à facie creatoris*, quodque omnium graviſſimum, *perpetuo excludentur*: perpetuo! in æternum! ut fideles animæ acerrimè torqueantur ſe conſpectu Dei privari, ſolatia tamen habent dolorum, mirabiliter in ſpe conſtituræ, ad tempus tantum privantur. Sed perpetuò! in æternum! quamdiu Deus erit Deus; c *& quis ſortem illam damnatorum non defleat.* Abſalon ob cædem Ammonis fratris exul, intercedente Thecuite, dixit David ad Ioab, ut rediret Abſalon in domum ſuam, ubi omnia habebat, ſed faciem Regis non videret, idque ad biennium; quod adeò affligebat Abſalonem, ut dixerit: *Quare veni de Geſſur, melius mihi erat ibi eſſe, obſecro ergo ut videam faciem Regis: quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* O anima! ad biennium privari vultu Regis tam grave Abſaloni eſt, ut patriam, propinquos, divitias, vitam, omnia pro nihilo ducat, ſi faciem patris nequit intueri. *Quis ſortem illam damnatorum non fleat?* Matth. 14. poſt miraculum 5. panum ſtatim *compulit* Jesus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eos trans fretum, donec dimitteret turbas: Et Lucæ 5. iterum volens transfretare *rogavit* (Petrum) *à terra reducere puſillum.* Quare primò utitur imperio *compulit*, hîc precibus *rogavit?* quia in 1. caſu mittit illos ſine ſe, debebant illum deſerere, quod illis durum, nec iviſſent niſi compulſi. In 2. caſu ipſe comitabatur. *Per quod patet*, ut Dionyſius Carth. ait, *quod nec ad horam libenter ſeparabantur à tam dulci & potenti Magiſtro: quid erit tota æternitate?*

d Dum Chriſtus eſſet captivus in domo Caiphæ, Joannes cum illo intrarat, Petro excluſo & pulſante ut intromitteretur, Joannes rogat ancillam ut aperiat: *Exivit diſcipulus alius qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum:* Quare ipſemet non aperit Petro?

a Spondan. to. 9. a. 1525. Maffejus, de geſtis Caroli. b Drexel. tribun. l. 2. cap. 9 c 2. Reg. c. 14.

d Ioan. 18.

UVA. BHSC. BU 02224

tro? acutè Chryſoſt. *Chriſtum ſpectabat, ideo dixit mulieri, ut eum introduceret.* Nec momento viſionem perdere volebat, quid tota æternitate? & quid videbant Apoſtoli, quid ſpectabat Joannes in Chriſto? faciem pallidam, lividam ſputis, oculos natantes lachrymis, totum corpus ſudore ſanguineo perfuſum, quid erit non biennio, non hora, non momento, ſed tota æternitate privari facie illa lucidiſſima, omni, nube deterſa? omni bono excludi? Chryſoſtomum audite: *Sunt quidam inſipientes qui ſibi ſufficere arbitrantur, ſi à ſenſibilibus inferni ſupplitiis eruantur, ego autem omni pœna gravius reor, à vultu Dei repelli. Imo ſi mille gehennas mihi proponas, non tantum hoc reputo neque abhorreo, ſicut à glorioſa illius ſocietatis jucunditate repelli, exoſum fieri creatori. & ejus aſpectu indignum æſtimari.* Quo cùm nihil efficacius dici poſſit, concludo, & dico: grave eſt in æternum pati rabidam famem ut canes, grave eſt rodi à verme qui non moritur, grave audire ſtridorem dentium, grave ad æternas tenebras ablegari, grave in ſtagnum ignis & ſulphuris immergi, grave in ignem æternum præcipitari; ſed longè graviſſimum, quod mille gehennas ſuperat, ſeparari à conſpectu Dei, nec in æternum poſſe potiri. Notat id propè S. Bruno qui exclamat: a *Addantur tormenta tormentis, & pœnæ pœnis, ſæviant ſæviùs ſæviſſimi miniſtri, creſcant crudeliſſima flagellorum genera, & Deo non privemur, qui eſt cruciatus, ut ait Bern. omnium graviſſimus.*

a S. Bruno ſer. de judic.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA VIII.

Cùm inebriati fuerint. Joan, 2.



CRESCERET IN VENTREM CUCUMIS. *Geor.* 4.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

De ebrietate, quæ potissimum incurritur per infames ritus bibendi, super sanitatem. Exponitur per cucumeres & melopepones laciniis appositis, quæ gutta jugiter manante, eos humectent.

§. I. *Quot haustus, moderni pro more habeant.*
§. II. *Ritus bibendi super sanitatem, minimè sanus corpori, & animæ.*
§. III. *Ab hoc infami ritu bibendi hæresim ortam esse, liquido demonstratur.*
§. IV. *An & quale peccatum sit, cogere ad æquales haustus.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SECUNDA. POST EPIPHANIAM.

Cùm inebriati fuerint. Joan. 2.

MOris est in hortis, ut pepones ac melopepones incredibiliter turgescant & excrescant, si aqua desuper, aut vascant, si aqua desuper, aut vasculo appositio, Siphonis instar, per laciniam guttatim stillet; idem in cucumere usu venit, qui in ventrem excrescat, si irriguum non desit, ut rectè poëta:

a Crescere in ventrem cucumis.

Ejusmodi cucumeres, pepones, ac melopepones, tam facilè mille, quàm unum comperierim, qui assiduo stillicidio crescunt in ventrem, domini abdomini servientes. Unum è millibus adduxisse sufficiat, Georgium Buchananum excucullatum Monachum: *b* Qui ubi vitam omnem Parisiis ac Burdigali, in universitate iniquitatum transegisset, inter omnes coëtaneos suos proficiebat, studens maximè calicibus epotandis; jam magister in artibus, sub finem vitæ vocatus in Scotiam, ut filium Sereniſſimi Regis magnæ Britanniæ (scilicet sus Minervam) instrueret: ubi plus indulgens genio & ingenio, hydropi conflictari cœpit, jamque hic totus in ventrem crescebat, nulli nisi sibi dolori, quod vulgo audiret, non *aqua intercute*, sed *vino intercute* laborare. Nec hic ei aqua, vel vinum hæsit; assiduo se ingurgitans, ne quidquam monentibus amicis, tam potenter potando, se hominem extinguere: consilium hac super re medicorum haberi voluit, qui unanimiter decrevere, si sibi temperare vellet, ad sexennium posse vitam producere. ecquid, inquit ille, si strenuè potitare pergam! Respondent post duas tresve hebdomadas funus fore, tum ille subsumpsit: *Recipe* vestrum vos recipite, potiones vestras potitate, mavelim ego per tres hebdomadas strenuè bibere, quam per sexennium medicè miserè vivere: & extemplo jussit adferri vasculum generosi vini, statuens non prius mori, quàm fundum cerneret; & quis credat cùm amplius bibere non posset, vasculo ad cervical posito, instar peponis per laciniam in os assiduo stillicidia derivata, ad moribundum refocillandum: dumque inter calicem supremaque labra mors natitaret, optabat totus vasi immergi, ut apud Epigonum rana, quæ in vas vini delapsa coaxabat, Φεῦ τίνει ὕδως πιέσι μανίην σὰ φρονα μαινόμενοι. Sub id rempus ministri qui ad eum viserant, orationem Dominicam illi præcinebant, & ad subsequendum voce hortabantur: ad quos ille, non aliam quam istam Propertii se nosse dictitabat: *c*

Cynthia prima suis, miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Atque in hac tristi atque infami elegia, purpuream vomit ile

a Virg. 4. Georg. *b* Garassus doctrine curieuse l. 6. sect. 13.

c Propert. l. 1. Eleg. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

le animam. *a* Ejuſdem farinæ homo Sebaſtianus Caſtilion, miniſter ſibi optimè miniſtrare ſolitus, qui inter pocula ſcripturis abuti, ac ad quemlibet hauſtum interrogare: *Tu quis es?* Ubi guſtarat, ſi tenue vinum eſſet, reſpondebat, *Ego ſum, qui ſum*; quia nil commovebatur: ſin verò generoſum, *Hic eſt filius Dei*, aiebat: claudebat potationem, *Per omnia pocula poculorum*. Alter capacioris ventriculi quàm cerebri, ubi in taberna vitrum cereviſiæ ac alterum vini depictum vidit, hoc ſacrum lemma ſubnotavit: *Meliora ſunt opera Dei, quàm hominum*, quibus ille peſſimè ad ebrietatem abutebatur. Melopepones.

Fuit qui in Balenam, belluam marinam capaciſſimam converti exoptabat, modò mare Creticum in merum creticum, aut in Eurypum vini, (ut olim ſub Heliogabalo) converteretur; ſcilicet id unum in votis, ut talis Eurypus, aut Eridanus, noctes atque dies influat in os ejus. Hujuſmodi belluam ſpectandam proponit Flavianus Epiſcopus, qui refert de peſſimo Imperatore Bonoſo, adeò vinoſum ac bono vino addictum fuiſſe, ut hoc paſſim ipſe jactitaret, (quod olim Biberius mero) ſe natum ad bibendum non ad vivendum, hoc Plautus anſeres & anates compellat, quibus guttur ſemper liquidum, & vixdum aqua exeunt, arent ſtatim. Ariditatem hanc probè caverat *b* Stratonicus cytharœdus, qui cùm per diem omnem in popinis dormiturus ſemper poculum adferri jububat; *Non quod ſitiam*, inquit, *ſed ne ſitiam*.

a Garaſſus l. 2. ſect. 15. *b* Epid. Enſ. lib. 2.

Quin & *c* Syracuſis repertus tam diu bibere, donec cooperta terra fœtum ederent ova. *d* Nónne hi jure cum Diogene in vaſe commorari poſſent? qui idcirco hanc ſibi cellam vinariam delegerat, ut in ea plangeret vacuum repertum, aut ſaltem odore: vini, quod redolebat, ſe reficeret. Sic

e *Canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.*

Vel certe ut anus illa apud Ariſtophanem, ſepulchrum ſibi eligerent in cavea, infra dolium, ut ſic oſſa arida, quaſi in via, *Gutta jugiter manante*, recondi poſſint, hoc brevi Epitaphio adſcripto.

Il eſt mort pour le trais-paſſés.

In quibus id meritò execratur Baſilius, *f* capacitatem potandi, fortitudini duci, potentes ad bibendum, athletas dici: *Nam qui plus hauſerit meri*, inquit, *is præ ceteris laudatur, is victoriam refert*, Noſtis quæ hæc laus ſit? Quibuſdam Philippum laudantibus quòd facundus, quòd formoſus, quòd vini capax eſſet, ſcitè Demoſthenes hoc audiens reſpondit: *g* prima laus Sophiſtarum eſt, ſecunda fœminarum, tertia ſpongiæ. Et diſertè Seneca, h *quæ gloria eſt capere multum? cum ſuperſtes toti convivio fueris, vinceris à dolio.* Interim corruptiſſimos mores deplorat Amb. i *Nota grandis ſi quis ſe excuſet, ſi quis forte temperandum vinum putet.* Hic cerebellum gallinaceum audit ab iis, qui capacitatem ſe habere jactant capitis illius gigantis, de

c Plin. l. 10. c. 54. *d* Garaſsus Doct. Curieuſe lib. 28. ſer. 5. *e* Horat. l. 2. Sat. 5. *f* Baſil. de Ebriet. *g* Epulum Gaſp. Ens p. 103. h Senec. lib. 12. Epiſt. 1. i Amb. l. de Eliac, 13.

quo

UVA. BHSC. BU 02224

quo Philoſtratus in Heroicis: Caput hoc ſupra ſeptuaginta duas pintas vini cepiſſe; iſtiuſmodi bibones parum expendunt illud oris aurei oraculum: a *Vini largior uſus, infinitorum eſt cauſa malorum.* Quæ mala omnia ex infami ritu bibendi ſuper ſanitatem, quo ventres in cucumeres diſtenduntur, profluere oſtendemus, & ne ebrioſorum more, quaſi gubernatores amiſſo clavo fluctuemus, ebrietatis fontes, id eſt, hauſtus ſuper ſanitatem, eorumque infames rivos ac ritus inſectabimur.

a Chryſt. hom. 10. in Geneſi.

§. I.

Quot hauſtus moderni pro more habeant.

A Sclepiadis medici pronuntiatum eſt: Super menſam primum hauſtum eſſe neceſſitatis, ſecundum voluptatis, tertium ebrietatis. Profuſior Suidas, ſapienti tres vini calices permittit: primum valetudinis, ſecundum voluptatis, tertium ſomni, hinc inquit Matineſius, *b* qui de bibendi ritu liquidiſſimè ſcripſit, laudabilis illa conſuetudo, quam, inquit, ipſemet meis oculis in aulis Principum uſurpavi, nobilium pueris tres dumtaxat vini cyathos porrigi, ſic ut cenſuram incurreret, qui hanc menſuram excederet; quin & viris Eccleſiaſticis in Concilio Laodicenſi cautum, ut ter tantummodo bibant: nec mirum cùm Apuleius: c *Sapientiſſimi illud dictum eſſe aſſerat: Primum craterem ad ſitim pertinere, ſecundum ad hilaritatem, ad voluptatem tertium, quartum ad inſaniam*; & quidem teſte Seneca. d *Voluntariam.*

b Pa. 128. c Lib. 3. Florid. d Sene. Ep. 83.

Seriò apud Athenæum comicus: *e* primum hauſtum conſecrat ſanitati, ſecundum amori, tertium ſomno, quartum injuriæ, quintum rixis, ſextum furori ac pugnæ. Hic quartum hauſtum tradit injuriæ, quòd corpori, quòd famæ, quòd animæ, quod Deo injurius, quòd omnium malorum cauſſa, quis credat? cùm jam, ô tempora! ô mores! niſi quater, quater, & decies quater reſpondeas, hoſpiti injurius ſis, & amicitiæ jura violes? f *Et per inimicam amicitiam*, inquit Auguſt. *adjurare homines non erubeſcunt, ut potum amplius accipiant quàm oportet.*

g *Bibunt cyathos numero totidem quot*
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Ita olim Martialis frequentius ſuper ſanitatem bibi ſolitum ait:

h *Nevia ſex cyathis, ſeptem Luſtina bibatur,*
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Quid, quòd communis Romanorum mos eſſet, decies ſuper menſam bibere, unde Plautus: i *Vide quot cyathos bibimus, tot quot digiti tibi ſunt in manu*, & addit; *tibi propino decem, affunde tu tibi inde ſi ſapis.* Juſtus Lipſius in legibus convivalibus: *Decem cyathi ſumma potio ſunto.* Martialis vult Sextilianum egregium bibonem, bibere fæcem, ſi ultra decem cyathos exſiccet.

k *A caupone tibi fex laletana potatur,*
Si pluſquam decies Sextiliane bibis.

e Athen. l. 2. dig. f Aug. Ser. 231. de Tempore. g Iuven. Sat. 13. h Mart. l. 10. i In ſticho. k V. Raderum in Mart. l. 1.

Augu-

UVA. BHSC. BU 02224

Auguſtus, teſte Suetonio, duodecim cyathos bibiſſe narratur, & modò ſunt qui ejus illuſtre exemplum ſequuntur, qui duodecim ſcyphos, (ô probrum!) in honorem duodecim Apoſtolorum, Boruſſorum more ebibant. Nec hoc ſatis, Ovidium audi lib. 3. Faſtorum, faſtis digniſſimum.

--- Annoſque precantur
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices, facta Sibylla ſuis.

Qui tercentenos calices una cœna exſiccant, nónne hi brevi numerum undecim millium adæquarent? ne autem copia obruere videatur, a *Primo*, inquit Amb. *minoribus poculis, quaſi velitari pugnæ præluditur; verum hæc non eſt ſobrietatis ſpecies, ſed diſciplina bibendi*, ut irritent ſitim. *b* Fuit qui Organi in morem vitreas fiſtulas majores ac majores in menſa habebat, quæ ſingulæ ſingulos ſonos percuſſæ reddebant, *ut, re, mi, fa, ſol, la*; has hoc ordine fiſtulas exſufflabat, *Ut utiliter, re realiter, mi mirabiliter, fa faciliter, ſol ſolenniter, la lacrymabiliter*, ut vinum oculis ſtillaret; veris certè lacrymis digniſſimi, qui uſque eò ſe ingurgitant, eò bibunt quaſi vinum iniquitatem ſuam. Has fiſtulas ſuo etiam tempore convivas exhilaraſſe damnat idem Pontifex: c *tamquam per fiſtulas, aut canales vina funduntur, hos homines, an ut res veriùs exiſtimaverim?* an pepones? qui toti in ventrem turgeſcunt. Pro numero porrò fiſtularum, d *ſonus epulantis*. principio enim convivii ut quidam perversè luſit: *Non ſunt loquelæ*, ad ſecundos miſſus: *Cœperunt loqui*; poſtea *in omnem terram exivit ſonus eorum*. aut ut hæreticus obſervavit, ſub initium prandii: e *In principio non erat verbum*, ſub medium *exiit ſermo*, ſub finem *in omnem terram exivit ſonus eorum*. Meliora ſanè ſuper menſam documenta tradit Tympius, *f* ſenes ac viri docti: ſint *vocales*; fœminæ ac juvenes: *ſemivocales*, ut interroganti reſpondeant; pueri & virgines: *Mutæ*, ſed ad hanc menſuram fiſtuiæ, nullæ mutæ, ſed omnes ſunt *vocales*, *liquidæ & conſonantes*, quidlibet effutiunt, in ſe & ſuos, in ſacros & profanos, in Deum & divos, & ut fiſtulæ melius ſonent, innumeros bibendi titulos importunè congerunt. g *Quid referam ſacramenta*, inquit Ambroſius, *quæ violare nefas arbitrantur: bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit ſit reus in devotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ſalute ejus non biberit. O piæ devotionis obſequium!* Quot calices pro ſalute Regis Hiſpaniarum? an ideò ſaniorem, aut magis incolumem arbitramini? Quot calices ad ſanitatem Principis Cardinalis? an ideò longiùs vitam produxit? pergit porrò Ambroſius: *Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute.* Quot hauſtus ad ſalutem Ducis Lotharingi, Amalphi, Baronis Becquii, ad felicem ſucceſſum exercitus? hæc in animos influe-

a Amb. de Elia c. 13. *b* Tymp. Alcedon. c. 41. c Amb. l. 1. de Eliac. 17

d Pſal. 41. e Garaſſus Doct. cur p 202. *f* Tymp. Alcedon. c. 32. g Ambroſ. de Eliac. 17.

re,

UVA. BHSC. BU 02224

re, hoc irriguo, victoriarum lauros excreiscere putatis? tandem etiam bibamus *pro filiorum salute*, ad salutem filiæ desponsæ, vel novæ nuptæ, ad salutem filii religiosi, ad salutem sororis, generi, avi, atavi; quot haustus jam super pacem? mille titulos excogitant, ut bibant, ad sanitatem, & morbum & mortem bibunt: hoc esse sanitatem bibere:

a *Non sani est hominis, non sanus juret Orestes.*

Bibunt capitis dolores, bibunt apoplexiam, bibunt lippitudinem oculorum, bibunt podagram, bibunt mortem corporis ac animæ, *non est in potâ vera salute salus.* Quod severè commonet Amb. b *Vocatis ut amicos, dimittitis ut inimicos, quanto melius in terram tua vina fudisses? Quid te delectant damna sine gratia? rogans ad jucunditatem, cogis ad mortem.*

a Persius Sat. 3. b Lib. de Elia c. 14.

§. II.

Ritus bibendi super sanitatem, minimè sanus corpori ac animæ.

VIdi in quodam celebri convivio argenteas cymbas purpureis velis, quibus inscriptum legebatur: *Vaert vvel*, hæ vino plenæ exhauriendæ erant ad sanitatem, *Vaert vvel*, nec attendunt simul involvi, *Vaert naer de hel*, hæc cymba Charontis est: fingunt Poëtæ Herculem scypho pro navigio usum fuisse, ut styga tranaret; heu nimis verè scypho utentes, ad inferna trajiciunt.

Quid quòd pietate impia ingluviem suam palliare studeant, dum non modò ad salutem vivorum, sed etiam mortuorum suas animas mergunt; quos sic perstringit sanctissimus Antistes: a *Hæc vota ad Deum pervenire judicant, sicut illi qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum! qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placari, qui jejunio passiones sustinere didicerunt.* sic olim super corpora martyrum; at hac tempestate non minus sobriè exorbitant in exequiis, super funera defunctorum. Potitant ad salutem animæ defunctæ, & faciliùs decem aut viginti animæ horum convivarum ad inferos per ebrietatem descendunt, quàm unam animam è purgatorio potando liberent; laudant benignitatem, benevolentiam, munificentiam hominis demortui, qua suis semper optimè esse voluit, atque extremo spiritu hoc inculcasse: exequiæ honestæ instituerentur, ne quis amicorum excluderetur, nihil deesset, sic d *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hic omnium plausus & approbatio, hic denuo ad salutem tam liberalis viri liberaliores haustus funduntur. Dicuntur ejusmodi homines pro patrono colere S. Hermelandum, de quo Surius 25. Martii refert, cùm corpus Sancti Hermelandi ad tumulum deferretur per ambitum Monasterii, hæsit ad limen refectorii, & derepente tanto pondere gravitabat, ut nulla vi moveri loculus loco posset: dant se in preces, post quas san-

c Amb. cit. c. 17. d Ioan. 13.

ctus

UVA. BHSC. BU 02224

ctus vir David, quasi divino Spiritu afflatus, scio inquit, ô fratres, quid sit, Abbas noster Hermelandus fuit dulcis homo, sicut succus est in pomo, novit nos ex officio funebri defatigatos, quare vult pro solita sua in nos charitate, ut sumant omnes in hac domo, hausturn cum lætitia: continuò se omnes conferunt ad refectorium, & ut Surius ait: Sumpserunt singuli singulos calices, & pondus erat alleviatum ac se deferri sinebat; ita hi virum bonum laudant, quo se liberaliùs invitent, & omnem difficultatem domus mortuariæ cantharo diluunt. Cùm tamen unum *De profundis* à sobrio dictum, plus proderit animæ, quàm omnes illi calices epoti ad salutem: & à fortiori, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*; si expensæ in exequias factæ, pauperibus erogarentur, ignem piacularem multò potentiùs hac ratione, quàm vino extinguerent. b *O infelicitas generis humani* (exclamat Augustinus) *quàm multi inveniuntur qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus, vel unum calicem dissimulant dare; nec attendunt quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit, quod feciſtis uni ex minimis fratribus meis, mihi feciſtis.* Profectò mos barbarus videtur, vix parens aut maritus ex oculis sublatus, terræ mandatus, à funere ad epulas, ad pocula reditur; saniora ad sanitatem Origenes suadet. c *Quia in perpetuum vivunt hi qui moriuntur, celebramus nimirum, religiosos cum Sacerdotibus convocantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus.* Alludit eodem Chrysost. d *Cur post mortem tuorum, pauperes vocas? cur Presbyteros, ut pro eo velint orare obsecras? non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut & propitium judicem inveniat.* Et ut quid tu convivas, potatores, helluones, ebriosos convocas? credo *ut defunctus requiem adipiscatur, ut & propitium judicem inveniat.* Credite bibones.

d v. Maren. pag. 10.

a Eccl. 3. b Aug. serm. de temp. 13. c Orig. in Iob. lib. 3.

§. III.

Ab hoc infami ritu bibendi hæresim ortam esse, liquidò demonstratur.

ALterum est quòd in hoc bibendi ritu non semel religio & fides orthodoxa periclitetur, & in vino naufragetur. Unde illud Eccli. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt.* Quoties accidit in Anglia, Germania, aliisque terris hæresi infectis propinent super mensam ad incolumitatem reformatæ Religionis, ad salutem Patriarchæ sui Lutheri, Calvini? quid hic agant presbyteri qui detegi metuunt? Quid tepidi Catholici, qui risum & scommata veriti? accidit in Anglia ut P. Personius pranderet in aula, ubi omnis nobilitas accumbebat, genialis haustus in orbem ire debebat, *Ad sanitatem Reginæ Elisabethæ ut caput Ecclesiæ.* Quid hic ageret Personius? nolle respon-

UVA. BHSC. BU 02224

ſpondere, ſe manifeſtare, ac certo exitio ſubjicere erat, hauſtu reſpondere, fidem exuere erat, dum ecce, a *caſu ſive Deuſve* dederit, vitro per manus ambulante, cerdo quidam detritos calceos venales proclamat. Audiit hunc Perſonius, nam atrium plateam ſpectabat, & ut lepido erat ingenio, hominem in aulam invocat; ſuſpenſis avidè convivis, interrogat: quot paria calceorum uno die conficere poſſet? hic, ſtrenua opera & omni induſtria, tria paria; ad quem Perſonius, manu aureis plena protenſa, hos, inquit, depono: me duodecim paria intra horam facturum, cerdone hærente nec habente quod deponeret, convivas compellat, quorum nonnulli cum eo decertant; curat Perſonius adferri duodecim paria ocrearum, & cultro arrepto, ſuperiore parte reciſa, calceos exhibuit: quo ludo conſpecto omnis turba in riſum, in plauſum effunditur, & hauſtus ad ſanitatem reginæ, excidit. Non leve tamen cuipiam hic periculum immineret, ut aut hæreſim imbiberet, aut ſanguinem funderet.

Et ubi quæſo *Geuſii* nati & baptizati, niſi in convivio ebrioſorum compotantium? rem omnem acuratè ex arcanis epiſtolis compertam, Strada *b* complexus eſt. Anno 1566. excepit Brederodius in Culemburgianis ædibus conjuratos peramplo ſanè convivio, ſed infauſto vel ipſis parietibus, hoc poſtea nomine ſolo æquatis: fuere convivæ circiter trecenti: narravit hic inter alia Brederodius Culemburgio, atque Bergenſi, quid ipſe aliique pridie audierant, qui propiùs ad Gubernatricem Margaretam acceſſerant, nempe à Carolo Comite Barlamontio univerſam illam nobilium virorum coronam voce Gallica *Geuſios* contemptim appellatos, quaſi nihil ei à mendicis ac nebulonibus pertimeſcendum; placet tamen nomen illud facere factioni proprium, atque ex eo petere inſignia firmatæ conſpirationis, itaque compotantes (& aderat forte illac præteriens Comes Hoogſtratanus) invitare ſeſe peralacriter, & Gheuſios invicem compellare, tum univerſi ſumptis majoribus poculis, Gheuſio nomini ſalutique fauſte ac feliciter comprecari, *vivant Gheuſii*, plauſu ingenti ſtrepituque conclamare: denique Brederodius ſub finem convivii, mantica quæ fortè domi reperta eſt, ad collum more emendicantium ſuſpenſa, ligneoque poculo vini pleno, manu elato, convivis ſimul omnibus propinat, agitque gratias quod ſe ad eum diem tanta animorum conſenſione comitati eſſent, eoque ſperare conſervaturos idem propoſitum, pollicitus ſe pro ea ſocietate ac ſingulis ſociorum, mortem libentiſſimè ſubiturum eſſe; ad ea verba magnis clamoribus ingeminatum *vivant Gheuſii*: inde Brederodius vino prægu-ſtato, cvathum ac manticam propè aſſidenti tradit, à quo in alios atque alios poculo illo atque ſacculo circumlatis, cum ſinguli reſalutato Brederodio inter bibendum, pro ſociorum ſalute

a Virg. l 9. Æneid. b Strada de bello Belg an 1565.

UVA. BHSC. BU 02224

ſalute caput devoviſſet ſuum, à menſâ conſurrexere, ac Brederodio ligneum vaſculum & manticam (nam ad illum redierant) parieti affigente, ſequuntur ceteri exemplum, & ſuum quique clavum parieti pangentes, ex uno in alium locum inſignia illa tranſmovent, deridiculis ſanè cæremoniis initiati. Quo tempore ſupervenientibus à Mansfeldii domo, ubi pranſi erant, Orangio, Egmontio atque Hornano, repotatio reſtituta eſt: reditur ad pocula, hoſpitibuſque bibentibus, eadem pro Gheuſiis vota permagnis acclamationibus renovata: addunt aliqui convivas jam madidos ſeſe vino indecorè perfudiſſe, mente nimirum de ſtatu jam verſa, nec hoc ſatis; ſtatuunt privatos extra parietes Gheuſium nomen efferre: ergo per dies inſequentes tota urbe apparent conjurati, veſtibus è panno cineracei coloris induti. Alii ligneas lagunculas, ſcutellaſque (quæ pauperum ſupellex eſſe ſolet) pileis affingunt, plerique nummum primo exſculptum è cera vel è ligno, poſtea ex auro argentoque, inſtar bullæ ſuſpendunt è collo, in cujus altera parte Philippi regis effigies hoc lemmate, ſed gallicè conſcripto: *Fideles Regi*. In altera, manica duorum complexu manuum intercepta, circumque legebatur: *Vſque ad manticam, juſques à la beſace*. Poſtremò barbas raſitare incipiunt, relictis in ſuperiore tantum labro, Turcarum in morem, productis utrimque alis, credo ut vilem mendicantium ſpeciem, ferocitate oris attollerent, ſeque ſimul ſupplices, ſimul metuendos oſtenderent. Atque hæc origo nominis Gheuſii fuit, hic primum fides naufragari, Religio ac viri Eccleſiaſtici ludibrio haberi cœpti. Vereri ac revereri neminem potator novit: a *Ebrietas* enim, ut D. Thom. ait, ſic dicta, *Quaſi extra briam, ſans bride*, & manifeſtè liquet *b* in ſympoſio illo anno 1565. Cameraci habito, dum apud VVarluſeum arcis præfectum cœnarent Archiepiſcopus urbis, Egmundanus, cererique honeſtiſſimi ordinis homines complures, agunt ſocii Egmundani multis atque immanibus cyathis Archiepiſcopum obruere: inde incaleſcente cœna, pileum cum Archiepiſcopi galero commutarunt, atque unà cum cyatho per convivas ex ordine tranſmittunt: non fert eam indignitatem Maximilianus à Meloduno Vice-comes Gandavenſis, Atrebati Præfectus: ſurgenſque è menſa, delatum ad ſe ex ordine galerum, Archiepiſcopo reſtituit. Aſt cibis ſublatis, poſtulat vaſtum aliquod poculum certus quis conviva, ac Archiepiſcopo propinat, reſpondet illuſtriſſimus paruiſſe ſe convivarum voluntati dum cœnaretur, cœna peracta non eſſe ſe ampliùs bibiturum; urget alter, negat conſtanter Archiepiſcopus: ibi tum excandeſcens recuſatus, ſat te, inquit, novimus, & ingentem pelvim arreptam, quæ manibus abluendis ad manum erat, conjicere Archiepiſcopo in caput parabat, ni Egmundanus pelvim avertiſſet, ſic tamen ut conviva ille, pugno

a Leſſius de jure lib 4. cap. 3. dub. 3.
b Hareus to. 3. pag. 32. an. 1565.

in

UVA. BHSC. BU 02224

in frontem Archiepiſcopi eliſo, pileum de capite deturbarit; Archiepiſcopus cùm ſe armis tueri nequiret, Egmondanum inclamat, qui ingentem vultu mœrorem præ ſe ferens quid facere oporteat invenire ſe negat, diſcedit itaque Archiepiſcopus Vicecomite, Nortcarmioque eum deducentibus, ſcripturumque ſe res eas regi palam aſſeverabat. Nónne veriſſimum hic illud Hieronymi comprobatur: a *Videas alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem jacere convivæ*, nulla habita ratione perſonæ, dignitatis, religionis, obſervantiæ, quæ omnia inter pocula exuuntur. Nunc cui mirum videbitur, ſi hæretici, ſi Gheuſii inter pocula vino baptizati, ebrietatem profiteantur, nec ebrietatem peccatum reputent? Sic enim lego apud *b* Prateolum, hæreticos natos ab Elpidio & Agape Trivenefica muliere, ebrietatem nec malum nec ullum peccatum dictitaſſe; in quos cadit illud Hieronymi: c *Si quando volunt feſtivè ac lepidè bibere, ubi ſe mero ingurgitaverint, ebrietati ſacrilegium cumulantes ajunt: Abſit ut ego me à Chriſti ſanguine abſtineam*, ut ego ebrius eundem non bibam, quia mala non eſt ebrietas. *Ecquam pallentem viderint aut triſtem, miſeram hanc, & Manicheam vocant, & conſequenter tali propoſito ſobrietas hæreſis eſt*; verè hæreſis maxima, ſobrietatem hæreſim ducere. In quam ne noſtrates Miniſtri Gheuſii incurrant, credo illos adeò ſtudere calicibus epotandis, à fundatore ſuo Luthero probè edoctos. Neſtorem ferunt illum Homericum, poculum tantæ magnitudinis habuiſſe, ut validus juvenis vix ambabus manibus geſtaret, ipſe verò unà amyſtide exſiccabat. Hanc fabulam Lutherus in hiſtoriam vertit nimis quàm veram: *d* inſtituit domi ſuæ Lutherus convivium ad quod profeſſores Univerſitatis præcipuos invitavit, atque inter hos Iſlebium; abſoluto prandio cùm omnes hilariores fuiſſent, Lutherus vitrum capaciſſimum, cujus idea exſtat, ſibi porrigi juſſit, quod tribus circulis diſtinctum erat: ex hoc convivis ordine propinat, cumque ad Iſlebium veniſſet, Lutherus vitri myſterium ei expoſuit, dicens: M. Iſlebi hoc tibi vino plenum propino, ad primum circulum decem præcepta continet, ad ſecundum, ſymbolum Apoſtolorum; ad tertium, orationem Dominicam; & porrò ad fundum uſque quod reliquum eſt in Catecheſi. His dictis Lutherus vitrum magno ſpiritu evacuavit; ac denuò impletum Iſlebio tradit, ut reſpondeat: qui decalogum totum uſque ad primum circulum exhauſit, impoſſibile ſibi dictitans ut infra circulum biberet; itaque vitrum depoſuit, quod ſine horrore deinceps intueri non potuit. Tum Lutherus, ſciebam, inquit, jam ante, quòd decalogum potare poſſet M. Iſlebius, at ſymbolum Fidei, orationem Dominicam, & quæ prætereà Catechiſmo continentur, nequaquam exhaurire valeret: quia antinomiam hanc ipſe quoque contra Lutherum inſti-

a Hieron. in c. 1. Epiſt. ad Titum. b Lib. de vita & ſecta hæret. cap. de Agapetis a. 395. c Hieron. de Cuſto Virg. ad Euſt.

d Matheneſius pag. 76.

UVA. BHSC. BU 02224

instituit, ut decalogus ex Ecclesia ad curiam deferretur. Huic convivio interfuit Spangenbergius apostata monachus, qui hoc memorabile factum descripsit in codice bibliorum, quod Lutherani mensalium colloquiorum tomo, postmodùm inseruerunt, titulo *Mirabilis historia*. At nónne meritò ministri satanæ, ministros Ecclesiæ confunderent, & Catholicis ruborem incuterent, si reperire est, qui Lutheri calicem ad fundum exhauriat, dum per ebrietatem non unum sæpè præceptum transgreditur: nam ut Augustinus, a *Ebrietas flagitiorum omnium mater est*, quod vel Ethnicus luce fidei privatus vidit: b *Omne vitium*, inquit Seneca, *ebrietas incendit ac dirigit*. Qui potu tenetur, quis symbolum, quis orationem Dominicam, tenet? quis vel apicem Catechismi? omnem rationem & orationem potus haurit: quare si dignitati, si honori, si integritati cautum velint, monet Hieronymus Ecclesiasticos, convivia ac symposia devitare: c *Facilè enim contemnitur*, inquit, *clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, non recusat; nescio enim quomodo etiam ipsi qui invitant ut venias, cùm accesseris viliorem te reputant*. Rem aptissimo Apologo exponit Vincentius Ferrar. Gallinas conspecto pavone attonitas stetisse, at ubi viderunt pavonem submissa cauda vasculo opportunè conspecto, in escam, & in potum ferri, ilicò quasi ad avem consortem & concolorem advolant, & quam ante suspexerant, nunc præ nimia familiaritate contemnunt; ita, inquit, quandoque in convivio plures fœminæ ac puellæ consederunt, intrat vir Ecclesiasticus habitu venerando, conticuere omnes; at ubi in escam, in frequentes haustus profusum, ad omnium sanitatem respondere promptum viderint, qui anteà veneration erat, jam contemptui & risui est. Hæc obiter. Sed nunquid in Catholicorum conviviis exemplo Lutheri, sub finem mensæ ingens cantharus evacuandus propinatur? Non diffitetur Ambrosius: d *Primo*, inquit, videmus *minoribus poculis velut velitari pugnæ, præluditur: deinde procedente potu longius, contentiones diversæ & magna certamina, quis bibendo præcellat; nota gravis si quis se excusat, & hæc donec ad mensas perveniatur secundas; at ubi consummatæ fuerint epulæ, & putet jam esse surgendum: tunc de integro potum instaurant suum, & cum consummaverint, tunc inchoare se dicunt* (titulo pio ad lucrandas *indulgentias Bonifacii* post gratias) *tunc deferuntur Phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum*. Hoc leve tormentum ingenio admovent. e *Non poculi sed profluvii genus esse* videtur, quò spectat illud Horatii f

Post hæc ludus erat cupa potare magistra,

Et suo tempore hos perditissimos mores damnat Augustinus g *Iam transacto convivio, expleta siti, cùm amplius bibere non possint nec debeant, tunc quasi novelli, quasi & ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere.*

a Aug. serm. 231. & 232. de temp. Chrysolog. serm. 26. b Sen. Ep. 83. c Hier. Epist. 2. ad Nepotiam.

d Amb. de Elia c. 13. e Amb. c 17. f Horat. l. 2, Sat. 2. g Aug. serm. 232.

Extre-

UVA. BHSC. BU 02224

Extremum illud malorum eſt, vi cogere ad potandum, graviſſimis etiam minis adhibitis, de quo Baſilius: a *De ebrietate per ambitionem contendunt, cujus auctorem legis diabolum habent, victoriæ vero præmium peccatum.* Quod quale peccatum ſit, & quando hoc ritu bibendi ſuper ſanitatem peccetur, placet paucis è Theologorum placitis aſtruere.

a Hom. in ebrioſos.

§. IV.

An & quale peccatum ſit, cogere ad æquales hauſtus.

LEſſius de Iuſtitia lib. 4. cap. 3. dub. 4. quærit utrùm peccatum ſit provocare ad æquales calices, & an fas reſpondere? Reſpondet provocationem illam eſſe peccatum mortiferum, ſi eam facias animo te vel alium inebriandi. 2. Si advertas, aut facilè advertere poſſis, inde in te vel altero ebrietatem ſecuturam, etiamſi non eo animo facias. Probat ex Auguſtino, b *Majora pocula proviđentur, certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et infra adfert eorum excuſationem. *Miſerabiliter ſe excuſare conantur dicentes: ingratum habeo amicum meum, ſi quoties illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit non dedero.* quam ſic refutat: *Et non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus.* Et in fine ſermonis: *Quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio ſuo alios adjurare vel cogere voluerit, & pro ſe & pro illis in die judicii reus erit.* Quærit ulteriùs Leſſius: ſi grande malum, ſi ipſam mortem minentur, ut reſpondeas, an teipſum inebriare aut periculo ebrietatis exponere poſſis? *Reſp.* videtur ſanè id eſſe illicitum, quia ob nullam cauſam fas eſt facere peccatum, atqui ſe inebriare eſt peccatum, ergò. Confirmatur ex mente Auguſtini ſerm. 232. *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant, perſona potens me coëgit, ut amplius bibam, & in convivio Regis non potui aliud facere; ad excuſandas excuſationes in peccatis, iſta prætendimus, & quod implere nolumus, non potuiſſe nos dicimus, nolle in culpa eſt noſtra, & non poſſe prætenditur: etiamſi ad hæc veniretur aut bibas, aut morieris; melius erat ut caro tua ſobria occideretur quàm per ebrietatem anima moreretur.*

Hoc barbarum aut Scythicum, teſte Laërtio: c aut bibe, inquiunt, aut hunc cantharum quantus eſt, in caput impingam tuum; dicterium hoc impudens adeò indigne tulit Empedocles, ut poſtridiè coacto concilio, & invitatorem & ſympoſiarcham reos egerit, damnandoſque curarit; adeò etiam Ethnicis hæc importuna potandi neceſſitudo diſplicuit.

Apud Perſas lege ſancitum erat, ne quis alterum ad bibendum incitaret: in convivio Aſſueri, d *Nec erat qui cogeret ad bibendum*, quo textu nequiter quidam abuſus dixit, fuiſſe in convivio Pincernam, e NEC nomine, qui cogeret ad bibendum. Adeò in rem ſuam perverſe Cotylones illi ſacram

b Serm. 232. de temp.

c Mareneſi. pag. 90. d Lib. Æſter, e Maten, pag. 84.

UVA. BHSC. BU 02224

paginam vertunt. Quin & Principes Catholici hunc barbarum, imò diabolicum potandi ritum publico edicto extinguere conati sunt. Anno 1500. sub Maximiliano, mandatum Electoribus Principibus, Comitibus, Nobilibus, ac Magistratibus Reip. tam status Ecclesiastici quàm civilis, neminem ad bibendum cogi posse, aut in certam venire. Idem severè instauravit in comitiis Augustanis Carolus V. Imperator: sed quod potissimùm in animis nostris locum habere deberet, est illud Origenis: a *Audistis edictum Regis æterni, lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis.* Ille legem sanxit, & transgresso ignem æternum minatur, nec commovebimur? Pro epilogo paucas praxes subnecto, quibus mente & corpore sano super sanitatem bibere, nimiam verò potandi importunitatem honestè excutere poterimus: exstat illud Alphonsi magni apophthegma, amicitiam tribus servari: pileo, folio chartæ, & vitro; pileo perhumaniter salutando, folio chartæ amico literas missitando: vitro denique haustum bonum propinando, sed hic moderatus sit oportet. Haustus amicitiæ in orbem eat, idemque calix per omnes transeat, uti olim Alexandrum feciſſe memorat Arrianus, qui pace inter Persas & Macedonas inita, convivium instituit, in quo craterem suum in orbem ire voluit, in concordiam utriusque imperii; biberunt autem ex illo cratere omnes convivæ, qui erant supra novem millia, aut potiùs delibarunt. Ad frequentes verò haustus excutiendos: Sunt qui sub finem mensæ ut coronidem imponant, dicunt hunc cyathum D. Georgio vel patrono tutelari propino, & hoc finem bibendi faciamus. 2. Aliud exemplum habes in eruditissimo Glareano, quem cùm hospes liberaliùs invitaret, & liberiùs incitaret, canem fortè saturum in triclinio stertentem conspicatus, sic impudentem molestiam retorsit: num isto cane insipientiorem me vultis? hic prius allatrabat, insiliebat, nunc exempta fame sitique, quietus est; ego verò satur non desistam? Quò spectat illud ingenioſi & ingenui adolescentis, qui cum à Principe quodam ad largiùs potandum urgeretur, respondit: veniam peto clementissime Princeps: *A bestia parum absum, vultne clementia tua, totum me bestiam fieri?* Profectò is ut Aristot. ait: b *Decies millies bestia deterior esset.*

3. Respondeat illis quod laudatus à Plutarcho Oreon cuidam: *Satius est me tuas nunc inimicitias subire, quàm valdè postea gemere.*

4. Ubi periculum quis sibi imminere sentit, ne ratio sede sua deturbetur, dum caput levius, dum lingua parum blesa, dum c

--- Iam vertigine tectum
Ambulat & geminis exsurgit mensa lucernis.

Plusquam tempus est ut desistat; hac cautela adhibita, quàm alter sibi, qui in cubiculo 12. Imperatores velut modimperatores depictos habebat, quos ubi ille præ vertigine capitis, inambulare credebat, ohe, inquit,

a Hom. 7. in Levit.

b Arist. l. 10. Eth. c Iuven. Sat. 6.

UVA: BHSC. BU 02224

quit, jam atis est, ohe Labelle, Imperatores modimperatores ambulare occipiunt, nec quid ultra delibabat. Vinum lene tormentum in arcem conscendit & gubernatorem expugnat, quin & cerevisia, ut lepidè Poëta:

Vnde suum ducat quæris cervisia nomen?
Quod cerebrum visat sæpè Sabelle tuum.

Ne & tuum cerebrum visat tempori provideas.

5. Potiùs vitrum, quasi inadvertenter, cum Diogene invertas & effundas: hic enim cum in convivio, vini copia obrueretur, & calice effuso indignantibus aliis respondit, si vinum hoc omne biberem, non tam vinum quàm me ipsum perderem. aut aqua diluat, ut ille, qui malebat vinum corrumpere, quam salutem corporis & animæ.

6. Patrem Eleuterium imitentur, qui omnia vitra apud se detinebat, ac tandem assurgens dixit, unum *Pater* & *Ave* plus ad sanitatem conferet. 2. si cras Pascha esset, nolletis me sic disponere, indies mihi Pascha est, quia in dies sacrifico.

Novi, qui ingens fructum fecalicei panis, alteri obtrusit, dicens: Ede tu hoc ad sanitatem meam, ego bibam ad tuam, tu hoc non potes, nec ego illud. Plura cuique pius animus suppeditabit.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA IX.

Si vis. Matth. VIII.



VOLVISSE SAT EST.

Tibull. lib. 2. Eleg. 10.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Omne bonum & malum, præmium & pœnam à *voluntate* esse. Cùm Deus habeat voluntatem pro facto, ut in sacrificio Abrahami ostenditur.

§. I. *Virùm actus exterior aliquid superaddat bonitatis vel malitiæ, supra actum interiorem.*

§. II. *Ostenditur malitiam omnem ex sola voluntate spectari.*

§. III. *Omne bonum ac meritum, in sola voluntate situm esse.*

§. IV. *An sola voluntate quis Martyr habendus?*

§. V. *Quomodo voluntas ferri possit in impossibilia, & per consimiles actus mereri.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA TERTIA
POST EPIPHANIAM.
Si vis. Matth. 8.

THEOLOGORUM Coryphæus & Doctorum Sol Aquinas, *a* ubi ingenii ac eruditionis radios usquequaque diffundere occepisset, germana ejus soror fama percepta, & sanctiori desiderio accensa, fratrem magistrum convenit, ut ab eo quid lucis in negotio salutis mutuaretur; hanc igitur illi quæstionem movit, non absimilem ei, quam quondam legisperitus à Christo scisscitatus est: b *Magister quid faciendo viam æternam possidebo?* Quæsivit hanc præcelsam & præcellentem scientiam sibi tradi, quia certò salutem suam consequi valeret;

c *Quæsierat multis, non multis ille moratus,*

Summam hoc diverbio complexus est Thomas: *Si vis*, non inedia macerandum corpus, non orationi vacandum, non in solitudinem secedendum, non opes in egenos profundendas, non frequentem S. Exomologeseos & Synaxeos usum, non longa præcepta tradit, sed hoc paucis, *Si vis*. Aureè Chrysostomus: d *Sufficit* VELLE *& confecta sunt omnia. Si* enim *ipse velis* salvaberis, *si velis* proficies, e *Si vis perfectus esse*, eris. Quod perspicuè satis Gentilis Seneca vidit, quærit ille f *Quid tibi opus est ut sis bonus?* Et respondet verbo unico: *velle*, quod omnes possunt. Edocuit hoc ab incunabulis per præcentores Angelos, Antonomasticos, Magister noster, dum edixit: g *Pax hominibus bonæ voluntatis*, ubi subtilis Doctor Augustinus observat, *h* non dictum pax Regibus, quid enim facerent populares? non nobilibus, quid enim facerent agrestes? non divitibus, quid enim facerent inopes? non bene valentibus, quid enim facerent infirmi? non jejunantibus, quid enim facerent imbecilles? non dantibus eleëmosynas, quid enim facerent mendici? *Numquid autem dixerunt Angeli*, inquit, *Pax divitibus hominibus in terra? sed pax in terra hominibus bonæ voluntatis*, quæ est in potestate omnium. Unde concludit, i *Vides igitur in nostra voluntate esse positum, ut hoc fruamur tanto & tam vero bono: quid enim tam in voluntate quàm ipsa voluntas est?* Quæ ità in domino nostro est, ut nec prospera nec adversa; nec homines, nec dæmones, nec Angeli, auferre aut præpedire possint, nec ipse Deus velit. Ut rectè Doctor Gentium: k *Quis nos separabit à charitate Christi?* cruciatus nulli, nullæ infestationes dæmonum, nulla Tyrannorum

a Annales Prædic. 1. p. l. 3. cap. 37. b Luc. 10. c Ovid. fast. lib. 1. d Chrysostom. hom. 24. in Epist. ad Heb. e Matth. 13. f Seneca Ep. 8.

g Luc. 2. h August. in Ps. 125. i Aug. l. 1. de lib. arbitr. cap. 28. k Ad Rom. 8.

UVA. BHSC. BU 02224

tormenta, nihil nisi unum quod reticuit, nempè nisi ipse velis, unde Bernardus: a *Cùm tot & tanta dixisset Paulus, unam scilicet propriam voluntatem reticuit, quæ salvationis & damnationis causa est.* Nullæ insidiæ malignorum spirituum, non concupiscentiæ fomes, non sociorum illicia, non habitus inveteratus, voluntati vim inferre possunt; contra verò si velle desit, nullæ commonitiones, nullæ comminationes, nulla exempla, nulla moderatorum solertia à scelere revocabunt; sic ut omne bonum ac omne malum, omne præmium ac pœna, salus & perditio à sola voluntate pendeat. Ubi primò sucurrit illa quæstio D. Thomæ inter Theologos agitata, 1. 2. q. 20. a. 4.

a Bern. lib. de Conscient.

§. 1.

Vtrùm actus interior aliquid addat bonitatis vel malitiæ, supra actum interiorem. b

COmmunis Theologorum doctrina est, actus externos nullam in se habere formalem bonitatem vel malitiam, nec ullam actibus internis superaddere; sed hos omnem bonitatem vel malitiam, & consequenter meritum vel demeritum habere ex solo voluntario libero, quod externis actibus imperatis non competit; adeò ut qui nudam voluntatem habuit effectu frustratam, & alter qui voluntatem opere complevit, æquè graviter deliquerint, Deo pares pœnas daturi sint, ita D. Thomas, c Cajet. Medina, Valent. Vasq. & ex PP. Augustinus D. Gregorius, Hugo Vict. apud Fagundez. Ex quo hæc consectaria sunt: Actum externum posse esse in uno peccaminosum, in altero meritorium. Verbi gratia, dat quis eleëmosynam ex pecunia aliena quam putat propriam; actus externus adulterii erat, quo Jacob cognovit Liam, sed citra peccatum, quia voluntas ferebatur ut in suam. Externus actus furti ejusdem rationis est in eo, qui accipit rem alienam, quam existimat suam, & qui auferret rem propriam, quam putaret alienam.

Est qui intendit jaculari feram & occidit amicum, est qui intendit occidere inimicum, & occidit filium aut feram. Sic quis vera dicendo mentiri potest, & falsa dicendo non mentiri. In his ubi voluntas mali est, illic peccatum est. Ubi voluntas deest, etsi actus externus, v. g. furtum aut homicidium secutum sit, nihil peccatum est. Ut paragrapho proximo ostendere aggredior.

In confessione tamen actus externi exprimendi, ex consensu Ecclesiæ, quia unum complexum morale constituunt; secundò, quia per actus externos meliùs judicium format confessarius, de statu pœnitentis: v. g. actum internum fuisse efficacem. Tertiò, ratione actionis externæ, peccata quædam reservata, iisque censuræ & excommunicatio annexa est. Quartò, sæpè admixtum scandalum.

b D. Thomas 1. 2. q. 20. art. 4.

c Tom. 2. præcep. 9. cap. 8.

UVA. BHSC. BU 02224

dalum. Quintò, infertur damnum, ex quo naſcitur obligatio reſtitutionis. Nunc

§. II.

Oſtenditur malitiam omnem ex ſola voluntate ſpectari.

QUæſitum eſt quandoque quo flagitii genere plures æternum incurrant exitium? Caroli Scribani hoc judicium fuit: è centum mortalibus ad quinquaginta ob luxuriam; ob ſuperbiam verò, ex centum, ad ſeptuaginta; ſed ob injuſtitiam, defectu reſtitutionis, è centum facilè nonaginta æternum perire.

S. Remigius unam libidinem orbis incendium ratus, dicere non dubitavit: a *Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci ſalvantur.*

Religioſus Orator Alberto I. Imp. à Concionibus, *b* perſpecta aulicorum licentia, hoc quaſi oraculum è ſuggeſtu libere pronuntiavit: neminem quemquam aulicorum ſalvari, niſi qui fonte Baptiſmatis luſtratus, in cunis vagiens innoxium ſpiritum exhalaſſet.

Refert S. Antoninus *c* cauſſidicos gregatim, ut porcos in haram, ad inferos proruere. Maximam autem hominum turbam hæreſeos ac idololatriæ virus afflaſſe, nemini dubium eſſe poteſt; nunc verò ſi unum malum eſſe aſſeverem, adeò potens ac late patens, ut non modò omnes homines, ſed & cacodæmones ad inferos præcipitarit, & quo ſublato, omnia ſcelera, omnes hæreſes tollantur, mortales omnes æternis ſuppliciis eruantur, imò & inferorum carcer deſtruatur, illudque tollere in poteſtate, imò hoc malum peſſimum voluntatem eſſe, indubie miraberis; Bernardum audi: d *Quid odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ille ignis deſæviet, niſi in propriam voluntatem?* Nec mirum, cùm omne peccatum, & omne malum ab una voluntate ſit, ut habet commune axioma, à magno Auguſtino conceptum, à Theologis receptum: e *Vſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium, & hoc quidem,* inquit, *manifeſtum adeo, ut nulla hic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.* Eſt qui invincibiliter ignorans eo die jejunium in præcepto eſſe, carne veſcitur; fuit quæ in ſomno oppreſſit infantem, in neutro peccatum: quia neutri voluntarium eſt. Ita Richardus Vict. f *Quidquid homo agat bonum eſſe non poteſt, niſi ex bona voluntate procedat, quidquid ex bona voluntate fit, malum eſſe non poteſt; ſine bona voluntate omnino ſalvari non potes; cum bona voluntate; omnino perire non potes.* Contra verò ſola voluntate ſcelus concepiſſe, non minus peccatum, quàm opere feciſſe eſt.

Adrianus Imperator: *In maleficiis voluntas ſpectatur non exitus.* Et apud Deum, ut docet D. Hieronymus, g *Nocuit, qui*

a Drex. Nicet. l. 2. c. 12. *b* Æneas Syl. lib. 3. com. in Pan. *c* Chron. Min. to. 2. lib. 10. c. 32.

d Bern. ſerm. 3. de Reſurrectione.
e Aug. lib. de vera Relig. cap. 14.
f Rich. Vict. part. 1. Benjamin. cap. 65.
g Hieron. Epiſt. 14. ad Celant.

UVA. BHSC. BU 02224

nocere disposuit. Mutii Scævolæ dextera erravit in Porsena; Saulis dum hastam vibrat in Davide. In Senatu quis profert sententiam iniquam, irrito effectu, quòd plurium suffragia, pro æquo stent, ab his peccatum æquè, ac si opere scelus complessent: quia a *voluisse sat est.* S. Odo in vita Geraldi Comitis: *Verum est illud vulgare proverbium, quia voluntas pro opere computatur,* unde & ille, *qui fratrem odit, homicida esse perhibetur.* Duplici homicidio rea fuit mulier, quæ marito duplici veneno, vitam servavit, de qua Ausonius,

Toxica zelotypo dedit uxor mæcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti læthalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem, vis geminata necem.
Quàm pia cura Deum! prodest crudelior uxor:
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Qui stricto mucrone Ignatium impetivit, qui glandem in Carolum Borromæum explosit, qui veneno pedes crucifixi tinxit, quos Pius V. quovis vespere exosculari solitus, ejusmodi facinorosi homines in suprema cæli curia, experti sunt nudam voluntatem pro opere computari. Secus ac judex humanus, qui de voluntate non judicat, quam ignorat. Thesim confirmat illud Matthæi cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ sic exponit irrefragabilis Doctor Augustinus; b *Si cui non contingat facultas concubandi cum conjuge alieno; planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse; non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Ita Biblis incestum solo animo foverat, & tamen ut factum Poëta decantat:

c *Has patitur pœnas peccandi sola voluntas:*
Nam scelus intra se, tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Mitto hic, quod multis familiare est, qui, voluntate sola, Dei clementia, efficaci, bruta, homines, filios, uxores, Religiosos, diris devovent.

Si ergò omne malum à voluntate est, si solùm voluisse, peccasse, si solùm voluisse periisse est, consequens est neminem perire, nisi velit, neminem damnari & in æternum torqueri, nisi velit; quæ quibusdam phrenesis videri posset, qualis olim puellas Milesias invasit, quæ ubi poterant, se è trabe sublimes dabant, aut laqueo præfocabant: causam rogatæ, non aliam dabant, quàm *volo mori, volo mori.* Ita mortem animæ nescio qua insania, peccator omnis vult. Quippè qui voluptatem vult illicitam, lucrum injustum, potum vult cui ebrietas annexa, is poculum vult, cui venenum & mors admixta est. Quin & quotidiè videre est homines adeò perversæ voluntatis, ut licet præsens exitium videant, nolint tamen resilire; exemplum illustre adfert S. Ambros. l. 4. in Luc. c. 4. de Theotimo, qui

a Tribul. lib. 2. & 10.

b Aug. lib. 1. de lib. arbr. cap. 3.
c Invenalis Sat. 13.

cùm

UVA. BHSC. BU 02224

cùm gravi oculorum incommodo laboraret, & perditè amaret uxorem, interdicto sibi à medico, usu conjugali, si oculos servare vellet, temperare sibi nequiit; sed cupiditatis impotens exclamavit: *Vale amicum lumen.* Ita peccator omnis mavult perdere lumen gloriæ, mitti in tenebras exteriores, salutem perdere, & perire, quàm cupiditates frænare. Quare quod deridiculo medicus corporis scisscitari videtur, ab homine calculo, podagra, alióve diuturno malo divexato, ut à paralytico 38. annorum Christus, *vis sanus fieri?* ea quæstio in moribus animæ, vim panaces obtinet: si enim velit, sanus est. Medicus ex pulsu arteriæ, optimè vim mali dignoscit, & cælestis medicus ex pulsu voluntatis, quæ duplici motu, *nolo* & *volo* prædita: tunc benè se habet salus animæ, dum prior ille motus *volo*, in Deum & virtutem fertur: *volo*, Deum, volo virtutem, volo perfectionem, volo salutem animæ meæ, & corporis; at pessimè dum *nolo*, pulsu prævalet: nolo istam dimittere, nolo restitutionem facere, nolo consortium devitare. Sic ut salus nostra in voluntate nostra posita sit, nec quisquam ita depositus, quin si velit, extemplo è quovis morbo animæ resipiscat cum Deo in gratiam redeat. Ut gratiam Principis quis sibi conciliet, apud eum auctoritate præpolleat, haud quaquam in potestate ejus est; at quantumvis quis hostis Deo capitalis sit, ubi voluerit amicus, filius, & hæres fiet. Luculentum hujus rei Augustinus inducit testimonium, *a* duorum nobilium, qui dum Imperator Treveris, Circensium spectaculo teneretur, deambulantes inciderunt in quandam casam anachoretæ, ubi unus eorum cùm quædam ex vita S. Antonii delibasset ad socium ait: *Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei* SI VOLUERO, *ecce nunc fio.* Et ut voluit fecit, ita & tu peccator, hostis Dei, mancipium diaboli, pabulum inferni, si vis amicus Dei fieri, ecce jam es, si vis à morbis animæ sanari, (nam ut ait Gregor. *Febris tua libido est, febris tua avaritia est*) *si vis sanus fieri*, jam sanus, jam salvus es. Vis mandata Dei servare, jam omnis lex completa est, b *tantummodo velle sufficit*, inquit Chrysost. *& totum quod jubetur impletum est.* Sed hactenus omne malum à sola voluntate esse: nunc

a Aug. l. 8. conf. c. 8. b Chrysost. hom. 17. in Matt.

§. III.

Omne bonum ac meritum in sola voluntate situm esse ostendemus.

GEn. 22. bona voluntas pro facto est, & Abram de facto à Deo compensatur: c *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen*

c Hieron. epist. ad Iulian.

UVA. BHSC. BU 02224

tum, ſicut ſtellas cæli: ubi Hieronymus: *Vnicum*, inquit, *filium voluntate jugulavit*: & uberius Chryſoſtomus: a *Conſidera Domini miſericerdiam, non pepercisti, inquit, filio tuo; attamen unum ipſum reducit; non eventum conſidera, ſed voluntatem: quantum enim ad voluntatem attinet, cruentaverat dexteram Patriarcha, & per cervicem pueri miſerat gladium, perfecturusque obtulerat ſacrificium: & ne mercedem* operi promiſſam defuiſſe credas, ſubdit; *Ego enim voluntatem coronare ſoleo, & propter mentem præmia præſto.*

David Rex fervens habebat deſiderium exædificandi templum Domino, quod licet per Salomonem exſtructum eſt, voluntatem tamen Davidis non minori Deus beneficio cumulavit, ut Regum cap. 7. videre eſt. Et confirmat Hieronymus: b *Voluntas quæritur, quæ etiamſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.* Ardet quis amore in pauperes commiſeratione tactus, ſolebat quotannis centena profundere, nunc ad tenuiorem fortunam redactus, vix opes alendæ familiæ ſuppetunt, hinc ſolam offert voluntatem; in ejuſmodi rectè cadit illud Gregorii: c *Ante oculos Dei nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate: nihil enim Deo offertur ditius bona voluntate.* Patet id in vidua, quæ duo minuta in gazophylacio impoſuit, quam Dominus præ ceteris collaudavit; ex quo Ambroſius: *Diſcant omnes munerum ſuorum valorem metiri, non ex quantitate doni, ſed ex quantitate voluntatis & affectu:* non enim reſpicit Deus munus, ſed voluntatem, & affectum dantis, non quantum ſed ex quanto.

Unde præclarè Hugo Vict. d *Poſſumus eſſe voluntate pares, qui facultate ſumus impares. Multum dedit Zachæus qui dives erat, & multum habebat; vidua illa, quæ duo minuta immiſit, parum habuit; tamen tantum dedit, quantum Zachæus. Minores facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat: ſi attendas quæ dederunt, diverſa invenies, ſi unde dederint paria invenies:* cui conſonat illud Poëtæ: e

Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos, auguror eſſe Deos.

Quid Apoſtoli quæſo contulerant, quo regnum cælorum, quo ſuper ſedes, & ſuper pulvinaria, ut dicitur, ſedere meruerant? jactant ſe ac ſi officium illud multis millibus ſibi comparaſſent, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia.* Hieronymus hîc: *Grandis fiducia ait, Petrus piſcator erat, dives non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter: reliquimus omnia.* Petrus retia, funes, lembum, & curtam ſupellectilem dimiſit, & præſidenter loquitur, ac ſi opes Crœſi, fundos Metelli deſeruiſſet. Bern. f *multum deſeruit, qui voluntatem habendi dereliquit: à ſequentibus Chriſtum tanta derelicta ſunt, quanta à non ſequentibus deſiderari potuerunt.* Omnia dimiſit, qui ni-

a Chryſoſt. hom. 47. in Geneſ.
b Hieron. in cap. 11. c Greg hom. 5. in Euang.

d Hugo Vict. lib. 2. de Sacra. cap. 6. p. 14.
e Ovid. l. 3. de Pont. Ec. 4. f Bern. Tract. in hæc verba.

hil

UVA. BHSC. BU 02224

hil vult: quapropter eam à Domino mercedem accipere meruit, ac si universum mundum reliquisset, quem libens sperneret si haberet, hinc August. a *Petrus non solùm dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat: Quis autem pauper non turgescit in spe seculi hujus? quis non quotidiè cupit augere quod habet? ista cupiditas præcisa est prorsus, totum mundum dimisit Petrus, & totum mundum Petrus accepit.*

Ex his quidam inferunt si *voluisse sat* est, quemvis facilè adæquare posse quemvis divorum in cælis; quis enim, inquiunt, non velit lacrymas Petri, zelum Pauli, castimoniam Joannis, imò collectim omnes omnium virtutes? possunt velle infinitos nummos in pauperes profundere, infinitos homines Christo lucrari, tormenta omnium martyrum subire, ac propterea præmium supra omnes consequi infinitum. Ad quod facilis responsio est: quidquid hactenus dictum est, de voluntate efficaci intelligi, de qua Bernardus, b *Quid planius, quàm quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?* Quare si voluntas dandi mille aureos, tam efficax esset, quam dum sequitur effectus, idem meritum haberet; sed hoc rarò contingit, qui enim dicunt se eam voluntatem habere dandi mille, vix se privant pauculis terunciis, & qui vellent martyrium, non ferunt verbum injuriosum, qui pestem & Indias pro salute proximi spirant, vix apud ægrum pernoctant. Quæ non voluntas sed velleitas, & simplex quædam complacentia est. Oportet nos similes esse Marco Bruto, de quo Augustus jactare solitus: *Magni refert quid ille velit, quidquid enim vult, valde vult.* Fateor in magnis sanctis, ut in Deipara, uti & in pessimis, ejusmodi actus efficaces voluntatis reperiri posse. Ut in Caligula, qui omni populo Romano unam cervicem optabat, quam uno ictu demeret; & in dæmonibus, voluntas omnes mortales perdendi est, non tamen actus infinitæ erit bonitatis aut malitiæ, licet tenderet in objectum infinitum, quia non possunt tam distinctè apprehendi, & consequenter nec intendi infinita: nec crescit actus ille confusus ea intentione, quæ æquivaleat, extensioni distinctorum actuum singulorum; ut si unus tantum mereretur laborando uno die, quantum alter infinitis diebus, deberet uno die intensione, & acceleratione infinita, tantum posse, quantum alter extensione infinita. Non possum quin hic paucis perstringam eos, qui dicunt se velle amico opitulari, sed facultatem non suppetere; orphani & pupilli causam tueri, sed tempus deesse; affinem tenuioris fortunæ promovere, sed in potestate non esse; libens operam elocare velle; sed vires non sufficere. Et sexcenta alia, quos severè Sapiens coarguit Prov. 24. *Si dixeris vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit* te verba dare, te imponere, te nihil minus velle quàm quod lingua loquitur; qui ut hominibus, certè Deo non imponunt, *qui inspector est cordis.* Venerat

a Aug. in Psal. 103. Con. 3. b Bern. Ep. 77.

UVA. BHSC. BU 02224

ad Basilium muliercula, litteras ab eo postulans, quibus à vectigalium solutione redderetur immunis, quas cum ad Satrapam regionis detulisset, ille iis visis respondit, se id facere non posse, ne quidem in Basilii, cui multum debebat, gratiam: quod ut Basilio renuntiatum est, hoc unum objecit: *Si voluntas prompta fuit, & defuit facultas, tolerabile est; si autem potuisti & noluisti, Christus te redigat in ordinem inopum, ut ubi volueris non possis, quod factum est.* Potuitque illud Hannibalis usurpare, qui cùm Romam oppugnare vellet, bis densissimo imbre coactus recedere, dixisse fertur:

Cum potui nolui, quando volui non potui.

a Sur. in vita.

§. IV.

An sola voluntate quis Martyr habendus sit.

VIctor Uticensis testatur *b* Armogastem mandato Theodorici filii Genserici obtruncandum, post multos cruciatus, à Jucundo Arriano morti subductum esse, ne martyr haberetur. Quod & aliis compluribus factitatum est; sed rectè docet Augustinus ejusmodi pati c *Martyrium in habitu animi, non in ipsa passionis experientia*; congestis aliquot exemplis rem manifestat Cyprianus; d *Non in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia morte frustrata, de camino ignis incolumes exierunt, aut non consummatus Daniel extitit in laudibus.* Eadem exempla adhibuerat Tertullianus, sic exclamans de tribus pueris: e *O Martyrium & sine passione perfectum!*

Præclarè quoque in eandem sententiam S. Augustinus Joannem cum pueris Babylonicis comparavit: f *Non quia Ioanni Apostolo passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit; quemadmodum tres pueri arsuri missi sunt, non victuri: negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? interroga, ignes passi non sunt, interrogat voluntatem, coronati sunt.* Similiter & Martyr Joannes fuit, dum venenum innoxius hausit, dum Tyrannus oleum & operam lusit. Ejusmodi g *voluntate, non actu Martyres exstitere,* qui inter feras illæsi, prunas ut rosas calcarunt, tormenta Tyrannorum incolumes evasere, qui non tormentis, sed ut cum Cypriano loquar *h* quibus tormenta defuerunt, quos Ecclesia purpuratorum albo martyrum meritò adscribit, ut plèniùs videre est apud Theophilum Raynaud.

Secluſa autem omni vi externa, ut sola voluntate strictè martyres non dicantur, par tamen illis meritum ex sola voluntate competere posse PP. ac D D. sententiæ suffragantur, quod de S. Felice Episcopus Nolanus sensit: *i*

Cœlestem nactus sine sanguine martyr honorem:
Nam confessor obit, pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine, mentem.

b Lib. 1. pecc. sect. c L. de bona comm. c. 21 de S. Virginitate c. 45. d Cypri. epist. 58.

e Tertull. c. 1. Scorp. f Aug. ser. 106. de diversis. g Laur. Iusti. serm. de Innoc. h De Martyrio per pestem p. 2. c. 1. num. 9. i S. Paulinus Natali. 3.

Mar-

UVA. BHSC. BU 02224

Martyrium sine cæde placet: passura voluntas
Sufficit, & summa est meriti testatio voti.

Idem judicium Justiniani Veneti, qui de Martino ait: *Martyrum exstitit consors, cujus animam licet gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*, par meritum nactus, aut fortasse superius, quam sanguine, sola voluntate sæpius martyr. Quod è Theologis confirmat Vasquez 1.2.q.76. *n.*12. dum docet, qui mortem pro Christo æque perfectè desiderat, atque is qui re ipsa mortem excipit, tantundem præmii reportaturum: *Neque enim*, inquit Cyprianus, *a* (agens de iis qui mortui in carcere) *virtus eorum, aut honor minor est, quo minus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur; quod in illis est. toleraverunt quidquid tolerare parati, & prompti fuerunt; qui se tormentis & morti sub oculis Dei obtulit, passus est quidquid pati voluit.*

Quare ardens & efficax martyrii desiderium, quod in multis confessoribus eluxit, meritum martyribus haud inferius peperit, cùm apud Deum tanta passi censeantur, quanta pati voluerunt. Sic Patriarcham Ignatium, Franciscum Xaverium, aliumque Assisiatem, aliosque innumeros, meritò martyribus pares fuisse Chrysostomi evincit auctoritas, qui idem tidem hoc suis inculcavit: b *Sæpenumero dixi vobis, martyrem facere non mortem tantùm, sed animi quoque propositum: non enim eventu solo, sed etiam voluntate martyrii corona comparatur:* Et paulò pòst subdit: *Paulus adfert martyrii definitionem, cùm ita dicit; quotidiè morior, quomodo quotidie moreris? qui fieri potest, ut uno corpore sexcentas mortes excipias? proposito nimirum animi*, inquit, *quodque ad mortem sim paratus.*

Ubi hoc observatu dignum, sola voluntate quempiam sæpius martyrem esse posse, atque adeò longè meritis exsuperare eum, qui una morte martyrii aureolam consecutus est, qualis exstitit Maria Ragia, quæ optabat amore dilecti sui Jesu, quot horis membratim conscidi, & sic omnibus membris mutila, in proprio sanguine naufragari, ac denuo in portum voluntatis reduci, ad eadem tormenta renasci, ad supremi judicii diem. Votum quidem supra naturam, non supra meritum. Quod Plato de amore insano, hoc Doctor Seraphicus de divino sapuit, dum dixit: c *Quod fieri non potest, hoc facere vult, amor.* De facto hoc ipsum S. Bonaventura comprobavit, *c* dum tota acerbissimas mortes subire optavit, quot unquam homines fuerunt, vel erunt, ut vel sic pro omnium mortalium sceleribus, satisfacere posset; vides quò voluntas evolet, & ubi opus moraliter, aut etiam absolutè impossibile, illic voluntas meritum ac præmium sibi comparare valet. Ex quo manifestò compertum est, Deum solam voluntatem spectare, voluisse, fecisse, ac sat esse.

a Epist. 37. b Chrysost. orat. de S. Eustachio.

c Barrii solitudo die 10. dissertatio 2. pag. 525.

UVA. BHSC. BU 02224

§. V.

Quomodo voluntas ferri possit in impossibilia, & per consimiles actus mereri.

ARistoteles 3. Ethicorum c. 2. docet : *Voluntatem esse impossibilium, ut immortalitatis*, quam ille impossibilem ducebat. Nec dubium est, quin voluntas velit impossibile, intentione efficaci, non absolutè, sed ex parte sua ; ita inquit Lessius, *a* possum velle ut parens non sit mortuus, ut nunquam peccaverim, & seriò pœnitens efficaciter intendit, destructionem peccati, etiam quoad esse præteritum, quæ ex suppositione, impossibilia. Imò tendit & in absolutè impossibilia, ut quidam impii optant, & volunt Deum non esse, quo impunè peccent, teste Bernardo : b *Ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria : omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire ; vult ergo, eum non esse Deum, qua quantum in ipsa est, vult eum, aut impotentem, aut injustum, aut insipientem.* Crudelis planè & omnino execranda malitia, quâ Dei potentiam, justitiam, sapientiam, perire desiderat. Ita omnes damnati efficaciter ex parte sua destructionem Dei, & sui volunt. Consimili modo juxta Scotum, Gabrielem, aliosque Doctores, peccatum primi Angeli fuit, quo appetiverit esse æqualis Deo, secundùm substantiam : quæ sententia, inquit Lessius, est valde probabilis.

a Lessius opus posthumum q 13. de Electione a 5. b Bern. serm. 8. de Resur.

Lucifero oppono lumen Ecclesiæ Augustinum, qui in amore ecstatico, ita voluntate in summam bonitatem exarsit, ut exclamarit : *c* si tu Deus esses Augustinus, & ego Augustinus essem Deus, vellem ego Deus fieri Augustinus, quo tu fieres & esses Deus.

Quò spectat illud Birgittæ ad Deiparam sibi apparentem : sic amo te Maria, ut malim me Birgittam nunquam natam, imò damnatam, quàm ut Maria filia Joachim, non fuerit mater Dei.

Velle aliquid quod impossibile est, passim insanum dicitur ; & tamen Paulus optat anathema esse à Christo pro fratribus, quod Bernardus expendens ait : *Vis audire insaniam, ecce illam, optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis. Insania est pro Christo velle anathema esse à Christo. Vis aliam? Moyses, si non dimittis, dele me de libro vitæ.* Insanum est ardentissimo actu Charitatis à Deo velle separari.

Mater Theresa optabat usque ad diem judicii pœnas purgatorii perferre, modò vel sic unam animam lucrifaceret.

S. Catharina Senensis optabat collocari super os inferni, ut eum sic aliis occluderet, etsi omnium in se supplicia suscipere deberet. Ejusdem animi fuit Catharina illa Bononiensis, quàm verò flagranti voluntate, anima Christi ac Deiparæ fuerit, quis valeat enarrare? Ejusmodi ardentissima desideria ex parte suâ efficacia, Deo non minus grata fuêre, quàm

c Pennequin amour divin part 1. pag. 132.

si ab-

UVA. BHSC. BU 02224

si absolutè effectum sortita.

Quare & nos ea in nobis excitemus, & cum Apostolo magna & ardua audeamus. 1. Cor. 2. *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego.* Nemo umquam sanctorum, locutus præsidentiùs. Audet ille quidquid voluit aliquis umquam sanctorum; an tu Paule stupendum illud, Abrahami sacrificium æmularis, quidquid in orbe tibi carum Deo immolando? an Jobo te constantiâ parem confidis? equuleos, ungulas, sartagines, quidquid umquam martyres perpessi sunt, tu unus intrepidus excipias? quidquid inediæ & austeritatis per ævum prisci illi Anachoretæ exantlarunt, subire non reformidas? idem & nos velimus, si salvi, si beati esse volumus. Richardus Victorinus exponens illud Psalmi: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*; expendit illud, *volet nimis*; *nimis*, inquit, *quia etsi plus posse suo, non tamen plus velle suo.*

Ita B. Borgias dicebat, volo me dimittere & abjicere plusquam ullus hominum fecerit. Simus & nos viri desideriorum, cùm teste Blosio: *Deus non minus sancto desiderio lætatur, quàm si tota anima amore & devotione liqueſiat.* Ita Augustinus desiderabat cum S. Gertrude omnem carnis substantiam in ceram, *a* ossa & medullam in Elichnium, animam in flammam converti, ut instar candelæ, in usum amantis consumi, & liquescere posset. Ejusmodi in se quisque ardentia excitet desideria, volet cum Xaverio, totas Indias Deo lucrari; volet cum Ignatio affectum propinquorum domare, qui literas suorum obsignatas igne absumpsit. Volet cum Aloysio accuratam regularum observantiam, qui ne folium chartæ, nec acum citra facultatem usurpasset. Volet cum Berchmanno ne minimam regulam transgredi, atque ita fiet, ut qui sic in mandatis ejus volet, ut deducat eum in *portum voluntatis*, ad quem anhelans exclamat Augustinus: *b O bona voluntas per quam ad Dei similitudinem reformamur! & ei similes efficimur. Ita amabilis est Deo bona voluntas, ut ipse in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit, bona voluntas illius summæ Majestatis Trinitatem ad se inclinat: sapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat. Charitas ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in ea custodit quod creavit ne pereat.* Quod quid est aliud, quàm cælum sibi hîc in terris, & regnum Dei in animis struere? dum nempè fit voluntas ejus, *c Sicut in cælo & in terrâ.* Ubi scitè Chrysostomus: *Iubet hîc degentes, conversationem cum cæli habitatoribus habere communem, & antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo vult fieri in terrâ, aliosque nobis Angelos terram monstrare.*

Sed querentur complures illud regnum perpaucis, imò vix ulli hîc in terris obtingere: ut fiat voluntas Dei in terris sicut in cælis: nimis enim dispares sumus, illi in patriâ beatissimi Spiritus, & nos in hac valle meri absynthii feracissimâ miserrimi exules. Superis illis om-

a Pennequin. p. 1. pag. 165.

b Augustin. manu. c. 25. *c* Matth. 6.

nia

UVA. BHSC. BU 02224

nia ad votum fluunt, nec est quidquam quod iis potest displicere; è contra verò nobis cælo extorribus, vis quidquam est, quod omninò arrideat: innumera sunt quæ quotidiè stomachum moveant. Iucundissimum illic, simul & facillimum divinæ voluntati se attemperare, ubi nil adversi vellicat. Hîc mille nos molestiæ infestant. Sicut ergo non æqualiter cantant saturi, & famelici, nec æqualiter saltant illi post lautas epulas, & hi post longas inedias, ita nec nos æquali cum beatis promptitudine precari possumus; *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: id est*, ut Doctor Angelicus exponit; a *Sicut Angeli faciunt voluntatem in cælo, sic nos terreni faciamus in terra.*

Quis hæc assequatur? Angeli in cælo omnes Dei voluntates, *hilariter, promptè, integrè, constanter, amanter*, exequuntur; Angeli in cælo semper mentis aciem in Deum intendunt, ut nutus ejus observent, & quàm promptissimè exequantur. Hæc tamen, ô Christiani, etiam in voluntate ac potestate nostra esse optimè docet Carthaginiensis Antistes; b *Christus*, inquit, *orare nos docuit: fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terrâ, idque non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult.* Id enim verò potuisse perhibetur, de quo divinum illud exstat elogium, c *Inveni David filium Iesse, virum secundùm cor meum*, QUI FACIET OMNES VOLUNTATES MEAS.

Hoc regnum Dei intra se clauserat B. Mechtildis, quæ, Christo intra cor concluso, voluntatis suæ clavem consignarat, in dies trecenties sexagesies quinquies iterando: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ.* Angelis etiamnum in terris consimilis vixit Catharina virgo Senensis, d quæ in corde suo fabricarat cubiculum ex tabulis voluntatis divinæ concameratum, in eoque quasi in cælo jucundissimè & sanctissimè assiduò habitabat, ut nihil cogitaret, loqueretur aut ageret nisi quod ex voluntate Dei esse crederet; audierat enim à Deo: *Crede filia Deum tuum magis posse scire & velle bonum tuum quam tu.*

Denique omnes voluntates Dei ad amussim spectasse censendus est ille, qui de se ipse testatur: *Tunc dixi, ecce, venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quod profectò nihil aliud est, quàm in terris cælum struere, & regnum Dei intra se habere. Quod qui ambit, studeat omnes voluntates Dei facere sicut in cælo & in terrâ.

a S. Thom. in c. 6. Matth. b Cyprian de habit. Virg. cap. 23. c Act. 13. d Cornel. in cap. 6. Matt. e Ad Heb. 10

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA X.

Quid timidi estis ? Matth. VIII.



SIC NOS IN LVCE TIMEMVS. *Lucret. l. 2.*

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Vanum omnem timorem mittendum : ut ne vanè conturbetur omnis homo, pueri in morem, ad sui umbram trepidantis.

§. *I. Panicus timor in castris perniciosissimus,*
§. *II. Rumores vani, terrores veros incussérunt.*
§. *III. Dæmon vanâ specie rigoris, â virtute, & Religione deterret.*
§. *IV. Vanissimus metus eorum, qui omnia in tenebris metuunt.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Quid timidi estis. Matth. 8.

AGRICOLÆ & hortulani, ut passeres aliasque volucres arceant à frugibus & fructibus, è stramine aut centonibus, larvam seu terriculamentum exponunt : quod adeò illis terrori est, ac si satelles armatus excubaret. Hæc nos ridemus, vel maximè ridendi, qui ipsis passeribus, ac pueris, quos sui umbra territat, meticulosiores sumus, & ut Propheta ait : a *Vanè conturbatur omnis homo.* Cassandrum exanimavit timor Alexandri efficti in statua; imaginatio est quæ torquet, non imago : ista solum eget pharmaco, & satis remedii est, si non sit. Appositè Seneca: b *Exterrebunt te non tantùm pericula, sed suspiciones : vanis semper agitaberis.* Arctemonem infelicem fecit, stulta inanium periculorum formido, qui veritus ne fortè cælum rueret, nunquam in publicum prodibat, nisi famuli, quocumque incederet, scutum supra caput gestarent, ne quid ex alto, improvisò feriret. Scitè eos describit Satyricus :

c *Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.*
Quum tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.

Ex horum numero fuit Caligula, de quo Suetonius, d ad minima tonitrua, & fulgura connivere, caput obvolvere; ad majora verò proripere se è strato, sub lectumque condere solebat. Ubi profectò tutò ac benè latuit. e *Quemadmodum*, inquit Seneca, *aves, etiam inanis fundæ sonus territat, ita isti, non ad ictum tantùm exagitantur, sed ad crepitum.* Quin & hâc tempestate complures, etiam viros, adeò meticulosos reperire est, ut ad inanem tonitruum crepitum concidant, ad fulgura exanimentur : apti scilicet, qui aperto campo, inter bellicorum tormentorum tonitrua, & fulgura consistant.

Mirandum magis, ad Eclipses ad defectum Solis & Lunæ, Indos adeò conterritos fuisse, ac si de orbis excidio, tum ageretur : donec tandem à nostris edocti, non esse nisi umbram terræ, aut corpus lunæ interpositum, ac tali die, tali horâ certò & necessariò Eclipses futuras, prædicerent. Sic olim ferunt gubernatorem navis, in quâ Pericles, Dux Atheniensium vehebatur, visâ Solis Eclipsi, repentè quasi exanimem concidisse; sed hunc metum ei ademit Pericles, oculos ejus pallio obvolvens suo, addensque eodem modo Solis deliquium accidisse, Lunæ obductu. Sic aliqui exorto timore, quasi amisso gubernaculo rationis, manus dant, & impotes mentis feruntur; nam ut rectè Varro, metus sic dictus est, quasi *motus mentis*, quod hominem

a Psalm 38. b Sen. Epist. 104. c Iuven. Sat. 13. d Sueton. cap. 50, 51.

e Sen. Epist. 74.

à men-

UVA. BHSC. BU 02224

à mente & rectâ ratione dimoveat. Ita nobilis Anglus, ad conſpectum felis obriguiſſe: alius Princeps ad præſentiam muris concidiſſe legitur, de quo illud extat:

a Men ſeyt ons van een Prins/
die noyt ghelweldt ontſagh/
Maer van een kleyne muys/
als doodt ter aerden lagh.

Quare ne in vanum conturbetur omnis homo, ſed ut omnem timorem mittamus, hortatur nos Chriſtus, dum diſcipulos tempeſtate jactatos coarguit: *Quid timidi eſtis?* qui vehitis maris Dominum ac domitorem. Nos integros, tutoſque lugemus; adeo ingenioſi malorum inventores nobis ſumus, & periti fabri calamitatum. Ipſa opinio pericula creat, & metum: qui ex præcelſis deſpiciunt ſpeculis, deficiunt viribus, ut collabantur in præceps, nemine impellente, niſi cogitatione ſuâ: Ipsâ opinione periclitantur. Quidam effuſum humanum ſanguinem ſpectantes, aut vulnera, concidunt animo; cùm ipſi vulnerati ſint compotes. In hos cadit illud Philoſophi: b *Plura ſunt quæ nos terrent, quàm quæ premunt: & ſæpiùs opinione, quàm re laboramus. Quædam magis torquent quàm debeant, quædam antè torquent quàm debeant, quædam torquent cùm omnino non debeant.* Cui panico timori, ut occurramus, paucis ejus naturam, ac incommoda proponemus.

a I. C. Schat der geſontheyt. Pag. 232. b Seneca epiſt. 13. ad Luc.

§. I.

Panicus timor in caſtris perniciosiſſimus.

FErtur Pan, Higino teſte, concham tortilem invenisse, eaque perſonans, Titanas Jovem oppugnantes, novæ tubæ ſono, in fugam vertiſſe: atque inde timorem panicum dictum eſſe.

Hic timor panicus ſæpe tota caſtra turbavit, integros exercitus in fugam egit, munitiſſimas civitates evertit, timor panicus videri poſſet ille Madianitarum, dum complosis lagenis, & luce illico in nocte conſpectâ, ac ſimul vociferatione Hebræorum territi, in fugam acti, ac mutuâ cæde conciderunt, ut diſertè Iud. 7. *Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt, & mutuâ ſe cæde trucidabant.* Sed his, vis divina ſe immiſcuiſſe cenſenda eſt: naturali ſtratagemate ſe Hannibal hoſtium globis expedivit c. Q. Fabius exercitum Hannibalis undique cinxerat, quo diſcrimini Hannibal ſe eripuit, timorem panicum Romanis incutiendo: duo millia boum, quæ ex præda circumducebat, nocte adduci jubet, & cujuſque cornibus, ſarmentorum faſciculum alligari, atque incendi; boves his flammis incitati, per alta juga curſu evadunt, quos inſtructus ſuo ordine Punicus miles ponè ſequebatur. Romani, qui in præſidio montium erant, novitate rei perterriti, ex opportunis locis diſceſſere; & Fabius Punicam fraudem, metuens, ſuos intra vallum con-

c Plut. Franc. Patr. l. 5. de Rege tit. 4.

tinuit.

UVA. BHSC. BU 02224

tinuit. Sicque Hannibal incolumis, cum omni exercitu, evasit. Quæ res manè cùm diluxisset, omnibus ludibrio ac risui fuit: nec parum de Fabii maximi laude decerpsit. Sic olim Seneca: a *Multa per noctem habita terrori, dies vertit in risum.* Gallici annales testantur, b cùm Belgæ nocte quadam sublustri, lunæ lumine vidissent arundinetum vento agitatum: putaverunt exercitum esse Ludovici XI. qui ex insidiis, ipsos trucidare vellet; sed aurora exurgente, omnes in risum effusi sunt. In consimiles certè cadit illud Levit. 26. *Terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium.* c Ferdinandus Aragonius Rex Neap. Canusium versus exercitum movens, exploratores præmisit, qui agmen cervorum per noctem conspicati, Nicolaium Picininum, cum Joanne Andegavensi, qui regnum affectabat, in armis stare crediderunt; Ferdinandus se tanto hosti imparem ratus, exercitum inde dimovit. d Quid Indos multitudine innumerabiles, ad conspectum fœminæ, in fugam vertit? causam hanc assignat Salianus; dum Semiramis ea Bactriana in Indiam movit, non elephantos, sed lignea simulachra elephantorum, virgultis & stramine referta, in campum eduxit; his verò larvis elephantorum, turbatis Indorum equis, impressione opportunè factâ, Indos in fugam egit. Ejusmodi propheta explodit, & risui exponit dicens: *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Consimiles timoris argues tu Drance, dum tu interim

e *Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram*; Dum vel minimò sub noctem strepitu nuper exaudito, argento & auro tuo metuens, toto tremuerunt ossa pavore. Quid te Thrasonem, quid te militem gloriosum, timidum facit, nisi quod honori, quod existimationi quemque tuæ insidiari arbitraris? f *Vmbras montium vides quasi capita hominum*, qui famam obscurare, & se supra te efferre videntur; cùm tu tibi umbram jacias quæ terrori sit: non inscitè Elephanto conferri queunt: hîc totas arces armatis instructas, in hostium cuneos defert: inter tubas & tympana, inter tela & faces, intrepidus: ad grunnitum suis, ad conspectum muris, & quod magis mirere, ad sui umbram cohorrescit, ac terga vertit. Videas, qui nec tubam novissimam, nec inferorum faces, nec agmina dæmonum; sed umbram infamiæ, levem injuriam, ab exiguo masculo velut musculo illatam, cane pejus & angue perhorrescunt. Qui umbratici homines, *sæpius opinione, quàm te laborant.* Sed pergo porrò: quid quod non modò agmen boum, cervorum, vimineorum Elephantum, validos sæpè in fugam convertit, dum terror hic vanus animos occupavit: nec modò sonitus folii, aut arundines motæ; sed & nubes volantes, ac pulvis concitatus ingentes exercitus fudit. g *Sic vertimus terga*, inquit Seneca, *quemad-*

a Sen. Epist. 105. b Pellegrini in c. 1. Matt. parad. 10. pag. 53. c Pontan. l. 2. bell. Neap. d Salian. Annal. a. mundi 2090.

e Iuven. Sat. 10. f Iud. c. 9. g Sen. Epist. 13. ad Lucil.

modum

UVA. BHSC. BU 02224

modum illi, quos pulvis motus, fuga pecorum exuit castris. Hujus rei luculentum extat testimonium : *a* dum anno 1536. Carolus V. & Franciscus Galliarum Rex , hortatu Pauli III. ad Niceam, in colloquium venturi crederentur , & de pace ineundâ utriumque legationes mitterentur: in ipso portu Villafranciæ , ubi Cæsariana classis stabat , accidit ut nonnulli sub meridiem palabundi , in altissima alpium juga conscenderent ; & ecce , densam nubem conspiciunt. Plerique adventantis Turcici exercitus, id signum suspicati, rem omnem detulerunt: ac continuo tumultu ac trepidatione ortâ , tandem compertum est, ab agricolâ nubem pulveris excitatam , cùm in areâ fabes excerneret, atque ita trepidatio in risum versa; sic ut ipsorum Principum intellectâ præproperâ credulitate, pudor mentes confunderet, & jocosis sermonibus inanis metus ventilaretur. Sap. 17. timor ac formido Ægyptiorum describitur ; *Spiritus sibilans , aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentium, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant præ timore.* O timidos ! ô trepidos Ægyptios ! quid ad suavis auræ sibilos , ad lene murmur aquæ, ad concinnum avium cantum, cui arguta respondet echo , velut ad tonitrua , aut tormentorum fragores , præ timore defecerunt. Simile quid nostris temporibus accidisse, per vanos rumores, nòn minus mirandum est.

§. II.

Rumores vani , terrores veros incussérunt. b

DUm Albanus cum copiis suis esset in Transilelania, *c* Daventriæ expectans ab exploratoribus, an pontes sustinendis tormentorum oneribus pares forent : hi non multùm provecti tympanorum strepitu exaudito , mox & vexillis quatuor inspectis , illicò ad Albanum redeunt; adventare hostem , inque proximo esse, referentes. Is etsi ægrè adducebatur & crederet , quia tamen à speculatoribus diversæ , uti assolet , nationis , id asseverabatur ; properè tribunos præfectosque admonet pugnæ, aciem instruit : simul alios qui propiùs observent hostium numerum, & vires, inmittit; quibus inde digressis , in conspectum veniunt 4. vexilla , prælata totidem curribus , velo ac fronde intectis , in quibus nova nupta magno agrestium circumludentium comitatu , in vicinum pagum, belli secura vehebatur. Enimverò ad exercitum relata, non magis de rediculo fuit exploratoribus , quàm ludo , ea rusticorum inter arma simplicitas; versoque proinde in hilaritatem repentino illo pugnæ apparatu, præteriens ante aciem sponsa , festo scloporum plausu consalutata est. Mansitque facti memoria in VVallonicâ militiâ, ut si exploratores meticulosius è vano rumore reditum

a Iovius lib. 37. Hist.

b Anno 1565. Strada de bello Belg. pag. 397.

ad

UVA. BHSC. BU 02224

ad ſuos feſtinarent, num ſponſam viderint, militari joco interrogentur. Hæc Strada.

Libro Numerorum cap.13. exploratores terræ promiſſionis homines timidi, redierunt *ad filios Iſrael, dicentes: terra quàm luſtravimus devorat habitatores ſuos: populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo: quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Lorinus hîc verſ.33. dicit: mentiti ſunt exploratores, ſic abſolutè aſſerendo, quòd terra devoraret habitatores ſuos, uti & in eâ nimis hyperbolicâ comparatione Hebræorum, cum locuſtis; & tamen hi ficti, hi falſi rumores, quid non trepidationis, quid non murmurationis in caſtris Iſraëlitarum concitarunt? rumores hominem conturbant, inquietant, curas & angores incutiunt, & ſæpe ſæpiùs, ut Seneca ait, a *Nos aliqua fabula ſine auctore ſparſa, conterruit.* Quot hâc miſerâ bellorum tempeſtate falſi rumores, fabulæ inanes ſparſæ? talem locum interceptum, illum deditum: b *Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.* Jam ſpargitur te certò causâ caſurum, jam filium in conflictu occubuiſſe, &c. Soletur nos gentilis Philoſophus: c *Illud tibi præcipio, ne ſis bis miſer ante tempus; cùm illa quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe numquam ventura ſint, certè nondum venerint.* Cùm d Cn. Pompeius in comitiis ædilitiis ſacrificaturus, hoſtiæ reſpergeretur ſanguine, & infectas cruore veſtes domum remitteret: Julia ejus uxor, cruentas veſtes intuita, ſuſpicata Pompeium trucidatum, præ timore è veſtigio expiravit. Quare hoc documentum ab Ethnico acceptet Chriſtianus: e *Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quâque re ſit: ſcies nihil eſſe in iis terribile, niſi ipſum timorem.* Et adfert exemplum à pueris, qui larvis terrentur: *Quod vides accidere in pueris,* inquit, *hoc nobis quoque majuſculis pueris evenit; illi quos amant, quibus conſueverunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaveſcunt. Non hominibus tantum, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua.* Porrò matribus id quotidiano in uſu perfamiliare eſt, quæ ubi horribili larvæ obtentu pueros abs ſe deterruerint, eâdem demûm obversâ inanem metum oſtentant, ac perſonam reddunt, cui à fletu mox pueri arrident. Huc facit quod Lorin. in cap.13. Num. verſ.33. docet, aliud genus timidorum eſſe, quos Iſraëlites illis vanè conturbatis „confert, dicens: Applicari „quoque commodè poſſunt „hæc eadem ad timidiores, pu„ſillanimitateque ſpiritus agi„tatos: quibus in viâ Domini, „& in legis divinæ obſervatio„ne, cuncta videntur quaſi „monſtra, & inſuperabilia, lar„væ horrendæ.

a Sen. Epiſt.13. b Propert. l.2. El.1. c Sen ibid. d Plut. in Pomp. e Sen. Ep.24.

§. III.

Dæmon vanâ ſpecie rigoris, & auſteritatis, à virtute & religione deterret.

DOmos Religioſorum, ac Monialium, ut carceres ſibi

UVA. BHSC. BU 02224

bi imaginantur: ipsa loci facies, & primus aspectus quiddam triste, emortuum, & ferale sensibus repræsentat: conclusas illic teneras ac nobiles filias, inediâ exhaustas, quasi monstra intuentur: ipsum Christum, ut phantasma, vel ut alii vertunt, ut spectrum reformidant: ipsas virtutes, humilitatem, abnegationem sui, mortificationem, ut furias adversantur. Rem historica relatione collustrabo: narrat Dion lib. 42. dum Salonitani ab Octavio Augusto obsessi essent, hoc stratagemate se liberasse: noctu atris vestibus induerunt urbis matronas, promisso capillitio, facie turpatâ, terribiles larvas assumentes, manibus faces gestantes, ex urbe summo silentio in hostium castra contenderunt: eas ponè sequebantur armati. Ergò has conspicati vigiles, dæmonum aut furiarum catervam æstimantes, fugam capessunt: illi interim undique incendia spargunt, armati alios mactant, ipse Octavius in fugam agitur. Ita adolescentes in religionis arcem, in monasteria quæ passim paradisi vocitantur, admitti peroptantes, diabolus velut inanibus spectris fugat, & objicit quasi monstra quædam de filiorum Enac: emittit siquidem è religione humilitatem, paupertatem, castitatem, pallidam & marcidam sui afflictationem; pulcherrimas in se virgines, sed austero habitu, & deformes variis larvis, potissimum vulgi opinionibus, ut quasi furiæ videantur; ipse dæmon hanc catervam sequitur, territi tirones, inferni incolas ac monstra quædam arbitrati, fugiunt, capiuntur, mancipia dæmonis redduntur.

Religio, inquit Bernardus, paradisus, inhabitantes Angeli; & tamen quoties accidit, ut velut custodis sepulchri, dum hos Angelos, & Angelas vident, nimio austeritatis horrore concepto, terreantur: *factique sunt velut mortui.* Vident punctiones, sed non unctiones. Magdalenam sequantur, aliasque mulieres, quæ nullis difficultatibus, nec mole lapidis terrentur; ita multæ teneræ ac nobiles filiæ Christum sponsum quærentes, nullas difficultates reformidant. Nos expallescimus, & lapidem nobis magnum fingimus, quem in progressu revolutum videremus. Christianè Seneca: *Non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt.* Similis tremor apprehendit Andream Spinolam, priùs Societati nostræ quàm nomen daret: *a* is enim cum provectiori jam ætate, nempè ut ipsemet humili quodam joco de se queri solebat, triginta & octo annos habens in infirmitate, de seculo relinquendo deliberaret, atque in partem contrariam tum valetudini imbecillitas, tum deliciarum consuetudo, familiæ nobilitas, dignitas, quam in Ecclesia gerebat amplitudo, denique disciplinæ difficultas, & multæ aliæ rationes quasi agmine facto ad terrorem ei sese offerrent: repentè Dei bonitas, hunc Prophetæ versiculum ejus menti objecit: b *Ponet pedès meos quasi cervorum*, ad ardua quæque & difficilia superanda, Quo tanquam lumine

a Platus de statu Relig. l. 3. c. 16. b Ps. 17.

quo-

UVA. BHSC. BU 02224

quodam oborto, ita illustratus est, ut quemadmodum ipse narrabat, omnes istæ timidæ ac diffidentes cogitationes, momento evanuerint, isque animo penitus obfirmato ac constanti adversus illa omnia incommoda permanserit: & quidem brevi, cum Augustino expertus est, quàm suave subitò factum sit, à suavitatibus & deliciis mundanis abstinere: nam cùm anteà adhuc secularis, quoties nostrorum mensæ interesset, quod amicitiæ causâ nonnumquam faciebat, multa fastidire soleret, utpotè delicatioribus epulis, argenteæ supellectili, & exquisitæ cuidam munditiæ assuetus, idem deinde Societatem nostram jam ingressus, cùm primùm ad communem mensam venit, omnia ei visa sunt longè alia, quàm priùs viderentur: mantilia nitidissima, patinæ atque orbes, quasi exargento; ipse verò locus, totus optimo odore fragrans: ita ut nihil apud se dubitârit, quin illa omnia præter nostrum morem, parata essent Rectoris jussu, ad suam videlicet infirmitatem, extraordinariis ejusmodi deliciis relevandam. Itaque & tum de hoc cum Rectore questus est seriò: & posteà suum hunc errorem sæpius ipsemet, amicis familiariter narravit.

Bellarminus in Psalm 90. exponens illud Davidis: *Non timebis à timore nocturno*, sic ait: Illos initio conversionis ut plurimùm occupat timor nocturnus, hoc est, metus quidam, atque horror laborum, difficultatum, angustiarum; quas in viâ Domini esse, sibi persuaserunt: & quamquam ægrorum more medicamentum virtutis salutare non ignorant, adhorrent tamen, quod amarius illis videatur; sic Augustinus de seipso fatetur: a *Punctum temporis quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: retinebant me nugæ nugarum*; & vanum fuisse timorem ex eo collige, quòd expertus dicat: *Quàm suave mihi subito factum est, à suavitatibus nugarum abstinere! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* Alii religionem ut cruentam Martis palæstram, in mentis acie efformant, in quam velut in arenam progressis, animus parandus est ad tentationem; quâ denuntiatione ita terrentur, quasi inter assidua prælia vivendum semper esset: itaque satius esse putant pugnam declinare, quàm hostem irritando, ultrò se periculis objicere. b Quæ fusè Platus noster. Alios timor invasit, ne voluntas, quæ initio fervere videtur, lapsu temporis intepescat, c retrò aspiciant, rursumque à sæculo, cum notâ familiæ, parentum ac propinquorum indignatione, resorbeantur. Hæc multorum infelices ac infames exitus confirmare. Quem timorem non nocturnum modò, sed tartareum, ægregiè D. Gregorius his verbis convincit: d *Multos sæpè videmus, vitam quidem sanctæ conversationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare; qui incerta mala, dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vin-*

a Aug. l. 8. Conf. c. 11 b Platus l. 3. c. 18. c Platus l. 3. c. 32 d Greg. l. 30. Mor. c. 12.

UVA. BHSC. BU 02224

vinculis incauti detinentur ; multa enim ante oculos ponunt , quæ si eis in conversatione eveniant, subsistere se non posse formidant : de quibus bene Salomon ait : Iter pigrorum quasi sepes spinarum : nam cùm viam Dei appetunt , eos veluti spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspicionis pungunt.

Denique ut hunc timorem nocturnum discutiant, diem illum sibi ante oculos statuant, quo quidquid hîc durum, quidquid asperum , quidquid difficile, quidquid horridum visu fuerit, dissipabitur , quando, a *primordia nostræ conversionis* (ut Bernardus loquitur) *primus exagitat timor , quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, & insueta austeritas disciplinæ : is timor nocturnus* in clarâ luce fugabitur, & intuitu præmiorum, vanus ac nullus fuisse manifesto cernetur ; nunc verò , inquit , quoniam abscondita sunt ab oculis nostris , & nox est, *tentamur à timore nocturno, & pro bonis quæ non videmus , formidamus , quæ in præsentiarum sunt adversa tolerare.* Alius timor nocturnus omninò puerilis est, de quo Lucret. l. 2.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt : sic nos in luce timemus ;
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant.

a Bern. in Cant. serm. 33.

§. IV.

Vanissimus metus eorum, qui omnia in tenebris & nocte metuunt.

IN hunc Poëtam, hanc notam fecit Philosophus : b *Falsum est Lucreti , non timemus in luce, omnia nobis fecimus tenebras : nihil videmus , nec quid nocetat , nec quid expediat.* Ipsas tenebras timemus. Sunt , quod mireris , viri martem spirantes , pleno die medias acies perrumpentes , hosti terribiles, non indecoro pulvere sordidi, qui noctu ad minimum strepitum pallent , noctu apud cadaver propinqui, imò vel propriæ uxoris excubare , cœmeterium transire , gravissimè reformidant : Pisandro timidiores , qui verebatur , ne animæ suæ occurreret. Vide hîc Strenam de nomine JESU, c ubi de 3. procis inani timore, à puella fugatis , quorum unus se mortuum simulavit , secundus Angelum, tertius dæmonem , quò amœnum lectorem remitto. Nos de his Chrysostomi judicium audiamus : d *Pueri*, inquit , *larvas timent , ignem non timent ; sic nos timemus mortem* (& mortuum) *quæ est larva , contemptu digna, peccatum non timemus*, quod verè est timendum. Hoc , nec quidquam aliud timebat Macarius, e cui cùm in viâ diversorium deesset, nocte concubiâ, cœmeterium adiit , ut somnum caperet, quoque molliùs cubaret, cadaver illic insepultum trahens, ac cervici supponens, pro pulvi-

b Sen. epist. 110. c P. Poiters in strena pag. 68. d Chrysost. hom 5 ad pop. e Rosvveyd. vitæ P P. pag. 585.

UVA. BHSC. BU 02224

no usus est; teterrimi dæmones, hanc hominis præfidentiam indignati, cadaver agitare cœpeperunt, at ille intrepidus idipsum contundebat, dicens: surge & vade, si vales. Ad quas intrepidi voces, cacodæmones territi aufugerunt: adeò illud Sapientis comprobatum est: a *Timenti Dominum, non occurrent mala*, sed fugiunt ab eo.

Verùm ut hoc tolerandum sit, quod natura cadavera abhorrere videatur, quis eos non timiditatis arguat, qui ne soli solarium conscendere, caveam petere, hortum intempestâ nocte inambulare, nec prece, nec pretio adduci queant? non soli in cubiculo, vix soli in strato dormire audent, veluti pueri trepidantes, in quo illustri documento P. Alvarez fuit, *b* qui invisens Mariam Diatiam, quâ B. Mater Theresa perquam familiariter, & assiduâ sociâ utebatur, conspexit in angulo cellulæ ejus, præter lectum ejus, aliud parvum stratum: quærit cui lectulus ille serviat? confessa ingenuè metum suum, dixit, ubi semel malè à dæmone excepta fuisset, posthac timuisse semper, nec ausam in cellâ solam pernoctare, ideòque se puellulam aliquam secum sumpsisse. Quod acriter reprehendit P. Balthazar: post tot divinæ bonitatis testimonia, post tot æternæ providentiæ signa, quâ ligat tartareos spiritus, tam exiguam esse fiduciam, ac fidem, de præsentia & auxilio Dei. Quo si destituatur, quid infans opitulabitur? quare è cellâ non priùs discessit, quàm lectum hunc tolli, ac ejici vidit:

a Eccl. 33. *b* Vita P. Alvarez c. 10.

hoc sacrum illi monitum pro scuto objiciens; *Qui timet Dominum nihil trepidabit*. Eccli. 34. expendant timidissimi lepores sanctos anachoretas securos, ac solitarios, inter lustra ferarum, inter dæmonum infestationes, & inferorum spectra. S. Xaverium deserta ac solitaria templa noctu adiisse, ut soli Deo vacaret; S. Dacium Archiepiscopum Mediolanensem (auctor est Gregorius) *c* dum Constantinopolim Corinthum profectus, nusquam aptum sibi hospitium comperisset, ad ædes divertisse per plures annos malignis spiritibus, & dæmonum lusionibus infestas: evenit quippe intempestâ nocte, viro sancto conquiescente, hi nocturni lemures emergerent: extemplò latratus canum, sibilos serpentum, rugitus leonum, aliorumque animalium inconditos tumultus cierent: experrectus ad has dæmonum vociferationes venerandus antistes, omnes securus irrisit: & miseros vos, inquit, qui altissimo similes esse contendistis, sed ut video, jumentis comparati estis. Vel exemplo vestro edoctus sum, non altùm sapere, sed Deum timere. Hâc animi præsentia illicò omnes abesse jussit. Tandem omnem animis terrorem facilè excusserit, Bernardus, qui serm. 13. in Psal. 90. de leone infernali, *Mugire potest, sævire non potest; rugiat quantum vult, tantùm ne fugiat ovis Christi. Non sumus bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Vera bestia, verè rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo terrore cadat: qui*

c Greg. lib. 3. dial. cap. 4. Bollandus 14. Ian.

solâ

UVA. BHSC. BU 02224

ſolâ futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non ictu, ſed tubâ proſternitur. Hic Leo terrere poteſt, nocere non poteſt. Nero primates regni, *a* familiares ſuos, ſic quandoque terruit: Leones cicures alebat, quibus dentes excuſſi, ac unges reſecti. Hos inopinatò caveâ immiſſos, in aulicos ſuos concitabat; illicò clamor, trepidatio, & plurima mortis imago, ſuperos ac inferos implorabant. Donec tandem ſe metu exanimatos, à feris illæſos, ac innocuos videntes, cum leonibus luſerunt tanquam cum agnis. Sunt qui dæmonem ut gigantem, ac alterum Goliath reformidant, ſed â puero Davide proſternendum. Alanus Copus in dial. 3. c. 13. *b* Subierunt, inquit, quidam vaſtam quandam ſpecum, & penitiùs introgreſſi, gigantem immensâ magnitudine, telumque, inſtar trunci arboris; manu tenentem, viderunt: conſternati, & præ metu propè exanimati, præcipites aufugerunt in proximam villam. Quo rumore paſſim diſſipato, tota vicinia armata ad ſpecum concurrit, eamque ingreditur, propiuſque jam armis confiſa, accedere eſt auſa; diu verò fixis oculis, nec ſine horrore gigantem intuiti cum voce motuque omni eum carere viderunt, audaciores inde facti, propiùs accedunt, & tandem attingunt; corpus verò contactum, in pulverem diſſolvitur. Creditur fuiſſe unus, ex famoſis illis ac antiquis Siciliæ gigantibus, ante multos annos demortuus. Timebant Siculi gigantem, vivus illis videbatur, ac formâ terribilis: dum ecce digito uno corruit, & in cineres redigitur. Infernalem illum Goliath nos formidamus, quem ſi Deo fiſi, armis juſtitiæ aggrediamur, vel ſolo contactu evaneſcet. Sic in energumenis ſæpè compertum eſt, innocentes puerulos ad nutum ſuum dæmonem loqui, tacere, conquieſcere, imò apud Japones recenter etiam in fugam vertiſſe. Pilos aliquot ex barbâ S. Vincentii Ferrerii, illum Leonem infernalem domuiſſe, in orcum ablegaſſe. Denique ſic vivamus, ut nihil timeamus niſi ſolum peccatum. Hoc olim Olympiadem docuit Chryſoſtomus, una res gravis, & formidanda eſt olympias, nempè peccatum: reliqua omnia fabulæ. Quòd ſuo exemplo comprobavit: etenim cùm Eudoxia ei graves minas intentaret, quòd iniquis ejus conſiliis ſe opponeret, reſponderunt legati, *Fruſtrà ô Regina illum hominem terres, nihil ille timet niſi peccatum.* Talis fuit S. Ambroſ. de quo teſtatur magnus Theodoſius referente Theodoreto: *c Novi*, inquit Imperator, *conſtantiam Ambroſii; & quod nullo regiæ majeſtatis* TERRORE *divinam legem tranſgredietur.*

Talis non ita pridem in Societate noſtrâ eſtitit vir primæ nobilitatis, ſed illuſtrioris virtutis Antonius de Padilla, *d* qui in ſupremo mortis agone cùm anxius Deum judicem formidaret, ſciſciranti cuidam iſne timor inde oriretur quòd lethalis alicujus criminis conſcientia

a P. Perduccius d'une bonne mort. c. 19.
b Barrad. tom. 4, l. 8. cap. 6.

c Theodoret. l. 5. hiſt. c. 18, *d* P. Alegambe in biblioth. Script. Societatis.

UVA. BHSC. BU 02224

teneretur? *Jesu bone*, exclamat, *quod hoc monstri*, Religiosus & lethale crimen! quî possunt unà consistere? hic verè tanquam à facie colubri abhorrebat peccatum.

Ejusmodi quippè uti & fortissimi omnes Christi Athletæ non timuerunt eos, qui occidunt corpus, sed solum peccatum, quod potest & corpus & animam perdere in gehennam. Quem locum cùm luculenter sacri interpretes, Doctores, & inter hos Augustinus exponat, supersedeo, rem ipse in historiâ oculis subjicio. Eam sic enarrat Hermannus Hugo de militiâ Equestri l. 3. cap. 1. Cohortis unius dux (nomen teneo & consultò taceo) antemissus unà cum Præfectis aliis duobus, portam urbis cujusdam tormento effractam invadere, cùm unus altérve angusto foramine ingredi jussus ab excubitoribus intra portam interimeretur, ipse sibi lethalis culpæ conscius, perfractæ portæ conspectu, non secùs ac tartareæ januæ horrore perculsus aditum tentare extimuit. Affirmant si intrasset, urbem futuram fuisse in nostrâ potestate. Ergò metu restitit, restitêre & ceteri, reque infectâ domum redîre. Hominem ad se evocatum, ignaviæque convictum belli Imperator, securi subjecit. Ille priusquam supplicium cervice exciperet, pronuntiavit ingemiscens se cùm urbis porta invadenda sibi esset, admonitum subitò sceleris, quo nondum animum expiarat, eoque metu adeò territum fuisse, ut nec famam, nec vitam manu carnificis auferendam adeò exhorruerit, quàm flagitium illud animo obversans, quod gravissimis iisque æternis inferorum flammis animam addiceret. Edoctus, ut opinor, *a* probè ab Anselmis, Edmundis, Ludovicis: si hinc peccati horrorem, illinc inferni dolorem cernerent, vivos se in barathrum præcipites daturos, quo hoc immanissimum peccati spectrum effugere valerent.

Concludo singulari documento: *b* vir integerrimus, & exploratâ sanctimoniâ notus, interrogabatur, quid in orbe rerum omnium maximè timeret? nil sanè, ajebat, nihil timeo; at illi certatim quæstionibus urgebant virum: non times lanienam cordis, angores conscientiæ, mortem non times? non penitùs ait; non times diabolum? tam parum, atque canem mortuum? non times inferorum supplicium? neutiquam; non mundum, non insidias, non tyrannos, tormenta non times? nil eorum timeo; Deum saltem timebis? Deum, inquit, amo, non timeo. Dic tandem, quid ergo times? nihil sub Sole, nihil supra Solem, nihil in orbe hoc universo:

---- c *Si fractus illabatur orbis*
Impavidum ferient ruinæ.

Et dicti rationem cœpit reddere: egestatem, inediam, nuditatem, famem, sitim, talia non timeo, quia mala esse non possunt, nisi malis; nam & filius Dei pauper fuit, sitivit, esurivit, nudus exspiravit. Morbos & dolores non timeo, hæc enim sobrium faciunt animum, & vel nolentem compellunt ire ad

a Bonaert. in cap. 21. Eccl. v. 1.
b Drex. to. 2. pag. 636. c Horat.

Deum:

UVA. BHSC. BU 02224

Deum: Dei filius in doloribus fuit; infamiam, maledicta non timeo, quia ad ſalubrem modeſtiam deprimunt: nec enim magis contemni aut irrideri poſſum, quàm Dei filius. Mortem non timeo, quia aditus ad vitam: omnes amici Dei, Mater Dei, Dei filius mortuus fuit. Diabolum non timeo, quia canis ligatus & quò magis me vexat, hoc arctius Deum meum complector. Infernum non timeo, quia tantùm pro diabolis, & inimicis Dei; ego Deum amo, Dei amicus volo, & ſtudeo. Hinc nec Deum timeo, quia in orbe toto fideliorem amicum non habeo. Ita nec inferos, nec mortem timeo; & tamen ſubdit, valdè timeo. Quid ergò times? nihil, id eſt, peccatum: hoc ſupra modum timeo; hoc timendo, nihil timebimus. Cui accinit S. Paulinus: *a*

----- *Non metuendi*
Cauſa, timere Deum, quem quiſquis non timet unum,
Omnia jure timet. -----

a S. Paulin. natali 8.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XI.

Ad comburendum. Matth. 13.



CORPVS, *anagramma.* PORCVS.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

De tormentis inferni, quæ anima in corpore, instrumento peccati, & sordidissimo porco patietur. Hæc paucis ex illo Chrysostomi complectemur.

§. *I.* Nec oculus vidit.

§. *II.* Nec auris audivit.

§. *III.* Nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus odientibus se. *Chrysost. lib. de reparat. lapsi.*

§. *IV. Horum tormentorum considerationem utilissimam esse.*

DO-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

Ad comburendum. Matth. 13.

GAleni hoc pronuntiatum eſt: a *Bruta quædam (ut Simia) hominem partibus externis referunt, internis vero nullum animal homini tam ſimile quàm porcus*, ſecundùm compoſitionem, numerum ac ſymmetriam omnium partium; *quamobrem*, inquit, *anatomiam in eo inſtituimus*, ut apto prorſus anagrammatiſmo, *corpus porcus* dicatur. Nec modò Phyſicam hanc ut re, ſic nomine *corpus*, & *porcus*, ſimilitudinem habet, ſed vel proximè moribus & vita peccatoris corpus, adeò porcum refert, ut quaſi Circes epoto poculo, omnino in porcum degeneraſſe videatur.

Origenem audiamus, b *Porcis*, inquit, *ſimiles dicuntur ij, qui peccatorum fœtoribus delectantur, ſicut porci qui fœtorem omnem tamquam odorem ſuaviſſimum expetunt.* Ut non injuriâ homines ventri, ac veneri, omniſque vitiorum cœno immerſi, vulgari paræmia:

c *Epicuri de grege* porci indigetentur.

Ecquid cauſſæ fuiſſe exiſtimatis, quòd dæmones in porcos ire poſtularint, & quòd Chriſtus dæmones exaudierit? Mat. 8. d *Dæmones autem rogabant eum dicentes, ſi ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis, ite.* Ad primum ſic Divis Thomas reſpondet: e *in porcos mitti petierunt, quia nullum animal eſt immundius porco, unde & porcus dictus, quaſi ſpurcus, eo quod in ſpurcitiis delectetur.* Ita Doctor Angelicus.

Ad ſecundum, hoc Auguſtini reſponſum eſt: f *Dimiſit Dominus dæmones ire in porcos, ut oſtendat diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt*, quò ſpectat illud Euthymii: *Dæmones ingrediuntur porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter converſantur, & in cœno voluptatum volutantur.*

Sed quid tandem miſeris illis porcis actum eſt? g *Ecce*, ait Evangeliſta, *impetu abiit totus grex per præceps in mare*; At quò evaſerint, ubi eos conſpexerit Sebaſtianus Barradius, h lucilentus teſtis exponet: hic vir hic eſt qui conſilio prophetico vivus ad inferos deſcendit, ne ut ait Bernardus, eò mortuus deſcenderet: ita enim quodam die inferna meditatus eſt, ut ni mentem ab inferis revocaſſet, præ horrore mortuus concidiſſet, inde igitur ut feliciter emerſit, hæc poſteris tradidit: *En tibi porcorum finem, in mare.*

a Gal. libell. de Anat. Geſnerus de quad. pagina 873. v. 60. b Orig. hom. in Pſal. 37. c Horat. l. 1. epiſt. 4. d Mat. 8. v. 31.

e D. Thomas in caten. f Auguſt. hic. g Matt. 8 h Recueil des hommes illuſtres. Barrad. tom. 2. lib. 5. c. 18.

UVA. BHSC. BU 02224

in abyssum, in profundum illud Tartari pelagus, magno impetu viri libidinosi cæterique scelerati feruntur, tandemque in amarissimum illum omnium calamitatum Oceanum præcipitantur. Et ut eorum apud inferos lanienam oculis subjiciat, *Horum*, inquit, *porcorum finis est non cælum sed marcellum, id est, Tartarus.* Hoc tandem pro paræneſi subjungit: cum *pastores demersos viderunt sues, fugerunt*, ut ait Evangelista. a *Si fidei oculis tot sues* (erant duo millia) *in tartaro videmus demersos, porcinos, quæso fugiamus mores.* Idem suadet Lactantius, *interdixit Iudæis Deus ne porcinâ carne uterentur*, id est, ut ille interpretatur, *ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur*, & quidém æternam, ad comburendum igne inexstinguibili; quemadmodum damnati non semel se exhibuerunt in speciem porci truculenter tosti, ac terribiliter torti. Solent nostri carnem quam fumo indurare voluerint, copioso sale inspergere: in inferno, ignis pro sale, & fumus ascendit semper; quare cùm animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus, velle voluptuoso, aut temulento spiritales Paradisi delicias proponere, ubi omnes erunt sicut Angeli Dei, esset hoc, lilia & rosas, ante porcos projicere velle cælestis illius Ierusalem splendorem, homini sordido enarrare, quomodo *platea civitatis aurum mundum sit*; & *duodecim portæ duodecim margaritæ*, cùm non nisi præsentibus capiatur, esset margaritas ante porcos abjicere. Homo igitur sensibilibus immersus, cùm sensu maximè ducatur: pœnam sensus, quâ dæmones ac damnatorum animæ apud inferos cruciantur, evidenter ex D. Thomæ & Augustini doctrina perspiciat: *c* qui ut igne corporeo spiritus torqueri comprobent, illos corporibus alligarunt: *Sunt* enim *quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est*, ait Augustinus. *d*

In quibus corporibus quàm horrendè torqueantur, videre erit in barbarâ illâ lanienâ, quam tyranni ac carnifices corporibus humanis, per exquisita supplicia intulerunt. Quæ quò perspicaciùs sub sensum cadant, statui illud Apostoli ad sensum nostrum traducere? e *Oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum*, quæ in rem nostram sic vertit Chrysost. f *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt; quæ præparavit Deus offendentibus se, qui est status*, inquit, *omnium malorum aggregatione pessimus.* Hic sensus Originis fuit, de quo illud: g *Vbi benè nemo melius.* Ipsum audite: *Sicut porro de bonis justorum in cor hominis non ascenderunt quæ Deus præparavit diligentibus eum, ita & peccatoribus præparavit ob fornicationem, ob adulterium, quæ in cor hominis, non ascenderunt.* Hoc ergò ordine inferorum tormenta rudi carbone adumbrabo.

a Ita Corn. hic. b Lactantius 14. de Relig. cap. 17.

c D. Thom. lib. 4. contra Gentes. cap. 90. d Aug. lib. 21. de civit. cap. 10. e 1. Cor. 2. f Chrysost. l. de reparat. lapsi g Orig. hom. 18. in Ierem.

Nec

UVA. BHSC. BU 02224

§. 1.

Nec oculus vidit quæ præparavit Deus odientibus se.

QUid non spectavit sub Nerone, Diocletiano, Decio, Valeriano, aliisque diaboli administris & inauditæ crudelitatis inventoribus Roma? Quid non vidit sub Maximino Alexandria, sub Henrico & Elizabethâ Anglia? sub Taicosamâ Japonia, quid non conspexit? Quæ omnia ne umbra sunt eorum quæ scelerati apud inferos perpetiuntur. a *Pone*, inquit Chrysostomus, *ignem, ferrum, & bestias, & si quid his difficilius: attamen nec umbra quidem sunt ad illa tormenta.*

Rem miram optima fide V. Beda commemorat ævo suo contigisse: fuit in provincia Nordan paterfamilias Drithelmus nomine, hic vi morbi ad extrema redactus, tota nocte jacuit in mortuum. Ubi diluxit ad se rediens, omnibus attonitis, vitam sibi concessam ait; sed longè alia ratione ducendam, si quidem extemplò, sese in prolixas preces abjecit, mox faculltates omnes in conjugem, liberos & egenos dispertiens, omnibus mundi curis exutus, satis rigore vitæ loquebatur, quàm horrenda in orbe altero vidisset. Rex Alfridus vir literatissimus, studiosè, ac crebrò illum audiit de thermis stigiis narrantem, quæ ille in cœnobii angulo noctu ac interdiu, animo volvens, mirabiles austeritatis effectus in se exercebat, hoc unum commiserantibus reponens: *Acerbiora vidi.* Quidquid aliis horridum & immane videbatur, hoc unum ingeminabat, *acerbiora vidi.* Jacobus nobilis Persa, ab Isdegerde Rege jussus novem horarum carnificina, membratim à capite ad imos talos conscidi, singulis commissuris, & articulis seorsim dissectis; immane tormentum. Sed inferorum spectator dicet: *Acerbiora vidi.*

Quintinus Romanæ nobilitatis vir, Senatorii ordinis, inaudita pertulit supplicia: nam postquam bullienti oleo, pice, adipe perfusus, latera facibus adustis, totum corpus catenis cæsus; ori ejus sinapi, calx, & acetum infusum, ipse deinde binis ferreis sudibus à vertice ad crura transfixus, omnes digiti inter ungues clavis terebrati sunt: hæc tam atrocia viri nobiles, ad horrorem spectantium subierunt, sed ô nobilissimi Domini, ô potentes sæculi: *atrociora vidi*, ubi b *potentes potenter tormenta patientur.* Martina nobilis virgo quatuor palis affixa, fustibus & flagris cæsa, unguis laniata, bestiis objecta, demum ad flammas damnata.

Christina pro Christo, fervenți oleo peruncta, dum tyrannus oleum & operam ludit, pice perfundit, tenaciùs Christo adhæret; serpentes immissi, lingua evulsa, ubera resecta, quibus virgo non eget. Tandem sagittis confixa, quarum pennis in cælum evolavit, quid ad hæc, ô teneræ virgines! exhorruistis? *acerbiora vidi.*

a Chrysost. hom. 49. ad popul. Antioch.

b Sap. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

Emmeramo Ratiſponenſi Pontifici poſt digitos præciſos, oculos effoſſos, nares ac aures reciſas, manus etiam ac pedes truncati, dein lingua præciſa eſt. Auguſtodunenſis Præſul Leodegarius, oculis orbatus primum martyrem ſe vidit, nudipes per teſtas, & aſpera ſaxorum fragmina juſſus ambulare, labiis & linguâ mulctatus, tandem ſecurus poſt hæc, ſecuri caput ſubjecit. Marcus Arethuſus Epiſcopus, lanceolis undequaque compunctus, melle oblitus in junceam ſportam impoſitus, apum, veſparum, ac culicum morſibus, in lanienam datus, ſed ô excelſos Eccleſiæ præſules, *acerbiora vidi.*

Tandem ut curſim cætera cum Curtio attingamus: a *Ignis*, inquit, *ſuppliciorum ultimum eſt*, quo ſi quid atrocius inveniri poſſet, ingenioſa crudelitas, in Laurentium excogitaſſet, qui toto corpore lacerato, ore ſaxis obruto; candenti craticulæ impoſitus eſt. Exercuiſſet in Petrum Marcellini ſocium, qui flagellis conciſus, ubi in vulnera hiantia, acetum cum ſalè infuſum fuit, lento igne aſſatus eſt: tentaſſet barbara ſævities in Carolum Spinolam, qui igne eminus ac lentè admoto, tres horas vivus ambuſtus eſt; unum adinvenit Anglia, dum ſuper nudos ventres, vivos glires obverſis pelvibus detentos, inſtructis ignibus per viſcera dentibus ac unguibus effugium quærere coëgit. Sed longè *acerbiora vidi.* Ignis non exſtinguetur, nec vermis eorum moritur. Quid ad hæc ô viri Religioſi, Eccleſiaſtici? *acerbiora vidi* longè, longè *acerbiora.* Hieronymus qui hæc attentè contemplatus eſt, exclamat: b *In uno igne, omnia ſupplicia ſentiunt in inferno peccatores*; quidquid per candentes craticulas, laminas, ignitas forcipes, ſartagines, liquata metalla, aliáve tormentorum genera, vel ſcelerati, vel ſancti ab orbe condito pœnarum ſubierunt, id omne in uno igne apud inferos peccator in ſe unus experitur. Plus dico, omnia hæc noſtra, ignes noſtri, quantumvis luculenti, picti ſunt ſi cum igne infernali conferantur. Tartarei ignis ardor, inquit Anſel. c *Sic iſtum materialem ignem vincit, ut iſte, pictum ignem.* Horreſcit animus intuens fluvios liquati metalli, dum campanæ aut machinæ bellicæ funduntur; igneus ille fluvius, pictus eſt ad ſtagna inferorum. S. Franciſcus ad ſolum conſpectum ferri candentis, totus quandoque contremuit. d Climacus dicit ſe vidiſſe cocum dono lacrymarum præditum, qui hoc ſe conſecutum dictitabat, quòd videns hunc ignem, recordatione flammæ æternæ, ſe omni quiete indignum judicaret. O ſi nos quoties huic noſtro igni affidemus, eum ut pictu, ad veros illos & vivos inferorum rogos conſideremus, quomodo non cum S. Furſeo e gelidiſſimâ hyeme, etiam medias inter nives, vel nuda hujus ignis re-

a Curt. lib. 6. cap. 12.

b Hieron. in Pammac. c Barrad. to. 3. pag. 618. d V. Speranſa punct. 148. e In vita 16. Jan.

cor-

UVA. BHSC. BU 02224

cordatio, largum sudorem, exprimeret. Quantum animi fervorem, quantam lethalis noxæ formidinem ingeneraret? etenim si hic ignis noster pictus, tantæ virtutis sit, ut nemo quisquam articulum ardenti cereo, per horæ quadrantem, quocumque proposito lucro aut voluptate, admovere sustineat, quem non commovebit ligatis manibus & pedibus mitti in ignem æternum? juvat scire quid hîc August. sentiat. a *Non erit*, inquit, *iste ignis sicut focus tuus; quo tamen si manum tuam mittere cogaris, facies quidquid voluerit, qui hoc minatur: si tibi dicat, scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum, nam si non feceris manum tuam mittam in focum tuum, facies ne ardeat manus tua.* Ex quo sic tandem concludit. *Minatur ergo inimicus, tam leve malum, & facis malum, minatur Deus aternum malum, & non facis bonum. Vnde piget, nisi quia non credis? sed si non credis, jam judicatus es, & experieris miser quod non credis, prima veritas te arsurum igne æterno pronuntiat.*

b Lutherus certè non credidit, dum Sybillæ Ducissæ Saxoniæ, quæ in comitatu habebat complures speciosas puellas, dixit, si tales in inferno essent, libenter se cum illis, eo descensurum. Descendit hic infamis Paris & multas illic formosas Helenas reperit:

c *Sunt apud infernos, tot millia formosarum.*

Sed eheu! quas nunc voces daret? ô veneri, ac formæ proci, ô porci ventri, & abdomini nati, de quibus Propheta ait: d *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Consentit Cyprianus: d *Mortales miseri vivent inter incendia, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas, miserabilia corpora cremabuntur.* Illic porci illi Troiani, omni genere vitiorum farti, Tartareo incendio horrendum in modum, sine fine torrebuntur; f *Acuminato infixi* palo, inquit Sandæus, *instar nefrendis*, quî assatur ad vitales flammas, in æternum rotari pergent. Spectaculum ejusmodi vidit, & ingemuit Flandria: g cùm tres impuri Ganeones, cum scortis suis, altum stertentes, sub noctem effractis portis viderunt Cacodæmonem trucis viri specie intrantem, habitu, venatorio, & cum eo duos parvos cocos. Unus eorum lecto extractus, veru infigitur, & luculento igne exstructo, spectantibus sociis probè assatur. & ne visum inane pures, manè collegam suum reperêre omninò assatum; scio locum, inquit Delrio, & ordinem, sed utrumque silentiô involvo. Compello vos, si ob noctem in flagitio traductam; postridie quis vestrûm in foro sic lentè assandus esset, an scelus ille anhelaret? & eheu! hæc in æternum peccatores manent ob momentaneam voluptatem. Inculcavit id olim suis Chrysostomus: h *Quod momentanea & leve delectationis nostræ, aternum*

a August. in Psalm 49. b V. Perard in festo S. Ignatii. c Prop. l. 2 & 21.

d Psal. 72. e Cyp. serm. de Ascen. f Sand. Purg. pag 48. g Delrio disq. mag. lib. 3. pag. r. q. 7. sect. 2. h. Chrysost. l. de reparat. lapsi.

UVA. BHSC. BU 02224

ignis ac tormentorum pondus operatur in vobis.

Alterum prorsus ferale spectaculum quale *nec oculus vidit*, proponit dem Chrysostomus *a*, nec velim existimemus ut hîc fieri solet, & in futurâ vitâ contingere, ut scilicet solatium aliquod ferat socios habere miseriæ: dic enim, quæso, si quis damnatus ignibus, filium unà intueatur, odoremque ex ipsius carne ascendentem hauriat naribus, nonne morietur? Quo pacto pater filium, in eadem damnatione positum videns, solatium capiet? Hoc tormenti genus Phocas in Mauritium, Adrianus in Eustachium adinvenerunt, dum ante ora parentum, complexu in medio sua viscera, liberos suos crudelissimè torqueri viderunt. Alexander Hircani filius Dux Judæorum, uno die octingentos in crucem sustolli jussit *b*, & in meridie ante ora parentum uxores ac liberos sævissimè trucidari; at aliud longè immanius spectaculum, numquam finiendum, apud inferos obversabitur. Ubi ut Greg. ait: c *Ignis & ad consolationem non lucet, & tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet: nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi, flammâ illustrante, visuri sunt, quorum amore deliquerunt.*

Pater videbit filium, cui ut divitem hæreditatem relinqueret, à justitia deflexit; avunculus nepotem, quem ineptum in dignitatem extulit, & ita perditè amavit, ut cum multis perdiderit. Illic videbunt juvenes quas hîc tantopere deperierunt filias, jam furias, Medeas ac Medusas monstra terrima, iisdem suppliciis deputata.

O oculi qui modò tot horas ante speculum contemplamini, illic specula ustoria, quæ faciant oculos flammas & faces ejaculari. O oculi, qui tot lascivos conspectus, in speciosas formas, in fœdas tabulas, obscœnos libros jactatis! quæ spectra, quàm horribiles visu formæ occurrent? ó noctem æternam! oculus qui hîc lucem fugit, d *usque in æternum non videbit lumen.* O fera spectra! ô monstra horrenda! S. Bernardus in Psal. 90. Refert quendam conspecto dæmone ita fuisse territum, ut clamore omnes excitarit, & toto die quasi Phreneticus fuerit. Eòdem spectat quod Antoninus commemorat, quendam Fratrem Dominicanum viso dæmone dixisse, ociùs se præcipitaturum in fornacem accensam, quo tale tam horribile spectrum effugeret. Cùm tamen certum sit, ab humanis oculis non posse fœditatem naturæ ejus perspici, & hanc umbram esse fœditatis quam in se habet, ut Catharina Senensis aliquando docuit, e *Quod homo præ horrore mortuus concideret si vel deformitatem unius dæmonis intueri posset.* Cui cum Deus puncto temporis diabolum in sua specie exhibuisset ubi si-

a Chrysost. hom. 48. de ira. b Ægesippus. c Greg. l. 9. mo. in 106. ubi nullus ordo.

d Psal. 48. e Blosius monil. Spirit. c. 14.

UVA. BHSC. BU 02224

bi reddita; dixit malle se per prunas ardentes nudis pedibus ambulare usque ad supremum judicii diem, quam formam adeò terrificam rursus intueri. Quid erit tot millia millium cacodæmonum semper oculis obversari? O oculi hic flete, ne in hunc locum tormentorum veniatis, *Vbi erit fletus*, numquam finiendus; postquam mare Atlanticum lachrymis æquarint, nihildum sceleris expiarint magno teste Bonaventura *a*. Et eheu, indubiè, ut singulis millenis annis unam lachrymam fundant aliquando diluvium aquarum effuderint, veruntamen ad Deum non approximabunt.

a Bonav. de inferno c. 14.

§. II.

Nec auris audivit.

PLura certe suppliciorum genera fida relatione auribus accepimus, quàm oculis conspexerimus. Quam tragicas historias quandoque narrari audivimus. Quàm truculentos latronum eventus majores & patres nostri annuntiaverunt nobis, tinniunt ambæ aures ad ferales carastrophes, quas judicium tribunalia, in latrones, parricidas, sacrilegos, regum ac principum sicarios decreverunt. Mercurius Gallicus lata satis fama evulgavit inauditum hactenus supplicium anno 1610. 27. May in Ravilliac exercitum. Interemerat hic cultro in pectus adacto Henricum IV. Regem Christianissimum; quare hanc in eum Senatusconsultum sententiam pronuntiavit. Præmissa coram primaria Ecclesiæ Parisiensis porta traductione supplici ac stigmatica, in plateam supplicio destinatam ducatur, ibique in tabulato forcipibus candentibus, pectus, brachia, femora, ac suræ illi inurantur, manus dextera parricidii cultrum tenens, igne sulphureo concrematur, in partes forcipibus inustas plumbum liquefactum, oleum fervens, resina accensa, ceraque simul cum sulphure liquato injiciantur: quibus peractis, corpus ejus à quatuor equis distrahatur, membra cum corpore igne consumantur. *Horresco referens.* Hæc si tibi ob verbum famæ, aut pudicitiæ noxium, ob oculum liberiorem, ob haustum liberaliorem, ob petulantem manum, ob fœdam cogitationem vel momento admissam subeunda forent, quam studiosè hæc mala, quibus noxa lethalis subest, declinares? perversam hanc inconsiderantiam deplorat Hipponensis Præsul: b *Quàm lugenda*, inquit, *perversitas; ut animam quam Christus suo Sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem diabolo vendat; verè nimium plangenda & miseranda conditio, ubi citò præterit quod delectat, & manet sine fine quod cruciat.*

Audivimus, ut cum Chrysostomo loquar, c *Quod criminosos trahunt, quomodo ligant, quomodo faces tormentis admovent; sed hæc omnia*, inquit ille, *ludicra & risus sunt, ad illa supplicia*, inaudita inferorum. Anno 1584. Balthazar Gerard Bur-

b Aug. serm. 250. de Temp. c Chrysost. hom 49. ad pop. Ant. *d* Haræus tomo 3. pag. 364.

UVA. BHSC. BU 02224

gundus 27. annorum juvenis, Guilielmum Naſſavium Orangii Principem; tumultuum Belgicorum choragum, ſclopo occidit. Hanc cædem etſi inſtinctu divino, ut aſſerebat peractam, exquiſitis tormentis luit. Primum equuleo eductus, utroque manuum pollice ſuſpenditur, centum plumbi libras pollicibus pedum alligantes, addidere pendenti flagra ac virgas, ut toto corpore affatim ſanguis defluueret. Depoſito, ſub digitorum unguibus, longas profundiſſimè acus infigunt, utriuſque brachii axillis anſerina ova toſta ſuppoſita, tum brachia compreſſa donec exuſtis axillis ſanguis copioſè diffluueret. *Et hæc omnia ſunt, & riſus,* ad ea quæ te manent, ô peccator, audi porro & contremiſce. Die inſequenti crines ei omnes è corpore tolli jubent, dicentes magicis eum artibus ſibi inſenſibilitatem inducere, deinde foco luculento eum admovent, novis calceis aruina probè infectis indutum; corio contracto pedes una cum calceis in globum verſi; tandem ad ſupplicium rapitur 14. Julii, palo alligatur; tum manus, qua Orangium trajecerat, laminis candentibus, quibus liba cancellata coqui ſolent, imponitur, quam carnifex cum oſſibus ac nervis ita abſumpſit, ut nidor propè forum compleret: tum brachia, femora, crura, tergum, ſcapuli, ac pectus ignitis minoribus forcipibus miſere excarnificata. Hinc bombarda, qua Orangium trajecerat caput ejus validè percuſſum, denique poſt tot tormentorum genera juvenem majori ſcamno imponunt, ac ventre, cultro quo porci jugulantur, ſenſim aperto, cor raptum, eductumque in faciem conjecerunt, inteſtina igne combuſſerunt, in quatuor partes corpus ſectum, quatuor portis urbis Delphenſis, ubi hæc tragœdia peracta, ſuſpenderunt, caput præpilatæ haſtæ infixerunt; ſed eheu, alia longè atrociora peccatorem manent, qui ipſum filium Dei truculenta rurſus cæde in crucem agit, aliam ille in torturam conjiciendus, ubi carnifices numquam laſſantur, ubi cruciatus numquam minuuntur, veriſſimum illud Tertulliani: a *Peccator traditur diabolo, quaſi carnifici in pœnam.* Sed quàm dire hic carnifex torqueat, nequit explicari. Audimus concionatores de hiſce pœnis quaſi Apologos, aut poëtarum figmenta narrantes, ut ſomnia hæc omnia reputamus. Audimus homines in duello occiſos, in hæreſi, in flagitio, morte repentina obruros, ridemus quaſi nil infortunii accidiſſet; in hos inſurgit Hieronymus: b *An putamus fratres quod jocando Prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apoſtoli, Chriſtus infantiliter comminetur, joci non ſunt ubi ſupplicia intercedunt, ſi jocando paſſi ſunt, credantur & jocando locuti.* Fuit qui quoties audiret alta illa nomina Platonis, Ariſtotelis, Julii Cæſaris, Catonis, Ciceronis, alto pectore ingemiſcebat; ſuccurrebat ſi quidem illud: laudantur ubi non ſunt, cruciantur ubi ſunt.

Sed nec auris audivit horribiles gemitus, lamenta, ejula-

a Tert. de Fuga. b Hieron. ad Pammac.

tus,

UVA. BHSC. BU 02224

tus, vociferationes, rugitus quos damnati inter flammas eructant, quò spectat illud stratagema, quod Megarenses ab Antipatro obsessi excogitarunt: a dum porcos pice oblitos, & setis incensis in Macedones immiserunt, qui incondito suo grunnitu, quasi furiæ, hostem illico dissiparunt: aliam profectò symphoniam noctes atque dies apud inferos tot porcorum millia, mutuis auribus insonabunt; cùm hic vel una nocte canem latrantem, infantem audire vociferantem, potissimum homini morbido, non levi tormento sit. Loquuntur etiam num horti Neronis feralem illam musicam, quam Christiani suffixi palis, & lento igne ustulati, imo pectore producebant. At quis memoret questus, lamenta, blasphemias, execrationes, diras, quibus tot millia damnatorum igneum illud ergastulum complebunt? illic lasciva cantica, verba spurca, in æternum Væ convertentur, illic filius execrabitur, & mille maledictis proscindet patrem, uxor maritum, frater sororem, pater filium, amasius scortum. Illic jactabuntur horrendæ blasphemiæ in benignissimum redemptorem, fontem omnis bonitatis. b *Quis credidit auditui nostro?* Quorum ferrea pectora hæ voces non lancinant! c *Quid metuet*, inquit Bernardus, *si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur.* O si vel unam vocem ex hoc carcere erumpentem audire possetis, me tacente, hæc sola sat disserta foret. Hoc saltem quod potestis, moneo, ut aurem cordis huic loco tormentorum quandoque applicare velitis & derepente eas blandis hujus maris sirenibus occludetis.

a Cæsius de Mineralib. l. 3. c. 7. sec. 20.
b Ierem. 53 c Bernard. Compunct. cordis c. 20.

§. III.

Nec in Cor hominis ascendit quæ præparavit Deus odientibus se.

HÆc Augustini sana doctrina: d *Sicut nullum gaudium rerum temporalium, ex aliqua parte simile potest inveniri vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt, ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum ignibus comparari, aut par excogitari.* Quid non pœnarum ac cruciatuum mens humana valet excogitare? omnia hactenus visa & audita tormentorum genera, intellectus in unum aliquem accumulare potest, omnia omnium Martyrum ac flagitiorum supplicia uni dumtaxat intentari; quæ nemo vi humana carnificum infligere, nemo perpeti valeret; animus cogitatione complecti potest. Concipere est tantam fuisse dolorum Christi acerbitatem (quorum vel recordatione sanguinem sudarit) ut omnium Martyrum longè superarit, & tamen, ut Suarez, cum communi Theologorum 3. p. q. 46. a. 6. non tam gravia fuere tormenta, ac ignis infernalis. Et illos ipsos acerbissimos Christi cruciatus cogitatione intendere, & extendere valemus; at quantumvis omnium hominum intellectus vires suas intendat, ac contendat; numquam vel mini-

d Augst. de Catech. rud. c. 24.

mum

UVA. BHSC. BU 02224

mum inferorum tormentum assequetur: *Intende animo*, inquit S. Isidorus, a *quascumque sæculi pœnas, quoscumque tormentorum dolores, quascumque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehenna, & leve est omne quod pateris.*

Quid non morborum corpus mortale exagitat? quam acerba, quam acuta podagræ, calculi, aliorumque morborum mala: quam longæ noctes, quanta medicorum carnificina! Lessius gravissimis calculi doloribus divexatus, exclamare solitus: O peccatores, si Deus hic in uno membro ita torqueat, quid in inferno erit? ubi nec membrum, nec nervus, nec musculus sine cruciatu erit. Intende animo quidquid intellectus Doctoris Angelici de hisce pœnis excogitavit. b *Sicut propter perfectam Sanctorum Beatitudinem nihil erit in beatis quod non sit gaudii materia, ita nihil in damnatis, quod non sit eis materia & caussa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiam pertinere poterit deerit, ut sit eorum miseria consummata.* Hic dolorem intercipit somnus vel deliquia, leniunt amicorum colloquia, refocillant alia solatia, ut rectè Seneca: c *Magnos cruciatus habet morbus, sed hos tolerabiles intervalla faciunt.* Quæ heu apud inferos nulla sunt, numquam dolor remittit, nunquam sensus hebescit. Commune hic pronuntiatum est, nullum violentum perpetuum, & quò quid violentius affligit, eò citius sensum & vitam adimit. Quod diserte testatur Romanus Philosophus: d *Hoc solatium, inquit, vasti doloris est, quod necesse est, desinas illum sentire si nimis senseris: nemo potest valdè dolere, & diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret: brevis morbus ac præceps alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet.* Hæc precor animo expendite: *Nemo potest valdè dolere, & diu.* In inferno, *valde & diu*, Ubi ignis numquam extinguitur, tortores numquam lassantur, anima non moritur, sed torquetur *valdè, & diu*; & quamdiu? Bernardum attendite: e *Sic ignis ibi consumit, ut semper reservet, sic tormenta aguntur, ut semper renoventur; ardebunt miseri in igne æterno, in æternum.* In æternum? quid est hoc? quamdiu est illud æternum? cogito tres horas lento igne hominem assari, tres dies, tres annos, vivum in flammis vociferari, centum millia millium annorum, & eheu his transactis, quamdiu? in æternum? in æternum uri & non comburi. Quærit & piè queritur Isaias: f *Quis igitur ex vobis habitare poterit cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis?* Quis ex vobis, Nobilissimi, Amplissimi Domini, qui hic epulamini quotidiè splendide, qui hic pretiosè induti, enutriti in deliciis, in lectis eburneis, quis ex vobis quiescere poterit in lecto ferreo candenti, in quo Salianus Epulonem describit, hoc brevi lemmate adjecto: g *Semper mori & non perire.*

Quis ex vobis consultissimi, clarissimi Domini Advocati, Medici, qui hic adeo podagræ, calculi dolores perhorrescitis,

a Isid. in Sijn. cap. 1. b S. Thom. quodl. 8 q. 7. a. 16 ad 2. c Senec. epist. 78. d Senec. epist. 78.

e Bern. lib. Med. c. 4. f Isa. c. 33. g Salian, de Timore Dei lib. 9. c. 1.

quis

UVA. BHSC. BU 02224

quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante? Quis ex vobis ô teneri adolescentes, ô molles filiæ, qui hic adeò cilicia, flagella, jejunia, vel ignis scintillam, vel punctúram acus reformidatis, quomodo habitare poteritis cum igne devorante? hic vel noctem unam in molli strato insomnem ducere, tormenti genus reputatur. S. Ludwina hominem perditum ad frugem redegit, qui dum consilio illius ad expiationem scelerum, noctem unam supinus in plumis dormire non posset, expendit quomodo in flammis volutari posset in æternum, ita dum ad alium prostitutæ nequitiæ religiosus viseret ac discederet hoc aculeo relicto: *a* decubiturus expenderet quo lecto, quibus stragulis, quo cubili apud inferos uterentur, ita hic una nocte inhorruit, ut mane ad religionem convolarit. Ex quo manifesto concludo,

a Valadier. Advent. Sabb. 2. hebd.

§. IV.

Horum tormentorum considerationem saluberrimam esse.

INvitat ad hanc, & benè & feliciter precatur Propheta, dicens: b *Descendant in infernum viventes; ne videlicet*, ut Bernardus ait, c *descendant morientes*. Descendit Theresa, quæ ex hoc igne, in divinum prorsus exarsit: descendit Borgias, descendit Hieronymus, descendit Bernardus, qui sic exclamat: d *Regio gehennalis, regio dura; extimescenda, terra afflictionis & miseriarum: totus tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea.* Descendit & Job de quo Hugo Cardinalis: e *Prodigium sanctitatis timet.* Et nos stuppæ ac stipulæ, inter mille occasiones, inter delicias non formidamus.

Tyranni olim quandoque picea ac sulphureâ veste reos induebant, ut nocturnis in tenebris, tanquam faces aut Phari, transeuntibus iter, navigantibus portum ostenderent, unde Juvenalis: *f*

---Tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, & fixo
gutture fumant.

O si vel unus ex inferis in conspectum veniret, is profecto omnibus portum salutis in hac spissa scelerum caligine ostenderet. Si mercator inter hiatum terræ, stagnum liquati auri, in eoque usurarios fluitantes cerneret; & eheu! tot mercatores damnati, an de fraude cogitaret, an sic fluxis inhiaret, ut æterna negligeret? si legisperitus in musæo suo hominem in toga ignea deprehenderet (& eheu tot legisperiti damnati) quàm acurate hic lites & causas expenderet. Si medicus in lecto non calida febri, sed in medio flammarum æstuantem cerneret, (& eheu tot medici damnati) quàm subito ille medicus seipsum curaret: si Consiliarius, si Senator, in sella ignea, virum consularem intueretur (& eheu tot dam-

b Psalm. 54. c Bernard. ad fratres in monte de vita solit. d Bern. serm. de S. Nicolao. e Hugo Card. in cap. 10. *f* Iuven. Sat. 10.

nati)

UVA. BHSC. BU 02224

nati) ut ille Baro in Anglia, *a* qui moribundus sex consiliarios in toga ignea conspexit, quàm puras à muneribus manus, quam incorruptam justitiam servarent. Si religiosis feriale spectaculum objiceretur quod aliquando Neapoli *in* triclinio exhibitum, *b* non ambitio nec crapula ullum duceret ad tartara. Ex omni classe hominum tot damnati, tot æternis ignibus addicti, in ærernum. Feriat illud Bellarmini. *c* Si vel unus mortalium, vel unus ex hoc cœtu certò damnandus esset, meritò sibi quisque maximè timeret. Hæc ne leviter dimissa per aures, abeant in auras, inferorum incendia assiduo sint mentis oculis subjecta fidelibus, nemo adeò ferus ac ferreus erit, qui ad has flammas, non mitescere possit. Cùm gentem barbaram Hybernorum, & plusquam hyberno frigore obrigescentem, dictione quantumvis fervida, nequidquam emollire valeret Patricius, hoc prodigium patravit: campum qui ei pro suggestu erat, derepente subsidere, & immani hiatu patere fecit.

d *Hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare*
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.

Flammarum vortices eructare videbant, & hisce ignibus ferrei animi mollescere cœperunt, & ad meliorem frugem converti. e *Convertantur peccatores in infernum.* ait Psalstes. Quid hoc? an in inferno quis à scelere resipiscat? ad Deum convertatur? Euthymius non negat: convertantur, inquit, à præsenti vita, & illic sub terram deferantur (cogitatione nimirum) ubi dicuntur esse pœnarum loca. Hæc cogitatio est, quæ mirabiles morum vicissitudines, ac animorum conversiones effecit. Hæc inferni recordatio complevit religiosa claustra monachis, deserta anachoretis, ad ardua quæque, & quantumvis aspera adegit. Audite Hieronymum. f *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, &c. quotidie lachrymæ, quotidiè gemitus, scorpionum tantùm socius & ferarum.* Quorsum hæc tam austera? causam subjungit: *Ego ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram.* Quid tot nobiles ac prædivites adolescentes ac puellas intra quatuor parietes in religiosis claustris se vivos tumulare compellit; nisi gehennæ metus? quid omnia quantumvis aspera, levia reddit ac lenia, nisi gehennæ metus? Sincerus Doctor Thomas ille Campensis: g *Ibi erit una hora gravior in pœna, quàm hic centum anni in amarissima pœnitentia.* Quod antiquorum Patrum oraculo confirmo & concludo: *h* Quidam fratres invisentes senem monachum in maxima austeritate viventem, rogarunt quomodo rigorem illum perferre posset? quibus ille: omnis labor totius temporis quo in hac solitudine vixi, nondum unius horæ tormentorum æternorum spatium adæquat. Hæc tota die meditatio tua sit, sem-

a Pædag Christ. c. 8. sect. 6. apparition d'enfer. *b* Salian. de timore Dei lib. 8. c. 38. *c* Bellarmin. de inferno. d Virg. 6. Æneid. e Psalm 9.

f Hieron. Ep. ad Eust. g Lib. 1. cap. 24. h In vitis Patrum lib. 3. num. 3.

per

UVA. BHSC. BU 02224

per hoc ſtagnum ſulphuris, hunc locum tormentorum animo volvas, ubi miſeri in faſciculos colligantur, avari cum avaris, invidi cum invidis, blaſphemi cum blaſphemis, adulteri cum adulteris, ad comburendum igne inexſtinguibili. Aut ſi lubet contemplare eos ut lateres in fornaci compactos. Fuit qui in meditatione ignem concepit, dum eos ut haleces in vaſis, ſic igne medio in baratro compactos, mentis oculis propoſuit, ex illo Marci: a *Ignis non extinguitur : omnis enim igne ſalietur.* Ubi ut Maldonatus, aliique interpretes obſervant, igneus hic ſal ut ſemper urat incorruptos ſervabit, juxta illud Prophetæ. b *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Dictum, inquit Innocentius, c hoc eſt, à ſimilitudine jumentorum, quæ non radicitus evellunt herbas, ſed ſummitates tantummodò carpunt, ut iterum herbæ renaſcantur ad paſtum : ſic & impii quaſi morte paſti reviviſcent ad mortem, ut æternaliter moriantur. Quæ cùm vivaciſſimo ſenſu expenderet Bernardus, *d* attonito ſimilis exclamavit: *Vt paveo gehennam! contremiſco, à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam: horreo vermem rodentem & ignem torrentem; fumum & vaporem, & ſulphur, ſpiritum procellarum. Quis dabit capiti meo, aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium.* Hæc ſanctiſſimus Archimandrita nos vivos meditari docuit, ne mortui eo deſcendamus: *Nemo enim eorum*, ut aureus Orator ait, g *qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet.*

a Marc. 9. b Pſalm. 48. c Innocent. de contempt. mundi lib. 3.

d Bernard. ſerm. 16. in Cant. e Chryſoſt. hom. 2. in c. 2. ad Theſſ.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XII.

Minimum est quidem omnibus seminibus.
Matth. XIII.



IN MINIMO VIS MAXIMA.
DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Malitiam peccati venialis, ejusque vires ad subruendas animas, in grano pulveris nitrici, quod est minimum omnibus seminibus, juvat contemplari.

§. I. *Minima culpa venialis excedit omne malum pœnæ & aliud quodvis malum.*

§. II. *Noxa venialis, quæ minima putatur, quantam pœnarum vim inferat.*

§. III. *Quam horrendè in Purgatorio igne expietur.*

§. IV. *Probatur ex causis naturalibus, plura venialia ad mortale disponere.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEXTA
POST EPIPHANIAM.

Minimum quidem est omnibus seminibus. Matth. 13.

IN minimo Sinapeos grano, vim maximam latere, testatur Plinius, qui virtutem ejus sic paucis complectitur: *Granum sinapis*, inquit, *acre & mordax, lachrymas ciet.* Quò spectat illud Plauti:

Teritur sinapis scelerata, cum illis qui terunt:
Triusquam triverint, oculi ut exstillent, facit.

Et olim à vetusto Poëta: a *Triste sinapi.* Nec non, *Fletum factura sinapis* dicitur.

Aliam virtutem Doctor Ecclesiasticus, Augustinus observat serm. 2. de S. Laur. *Granum sinapis dum teritur, accenditur, & ubi teri cœpit, acrimoniam exhibet; cibum flammei saporis exhalat, & tanto caloris fervore succenditur, ut mirum sit, in tam frivolis, tantum ignem fuisse conclusum.* Ecquis non obstupescat, in minimo grano pulveris nitrici tantum ignem, tantam vim delitescere, ut arces integras, & urbes quantumvis munitas evertat? si enim unum granum incensum teste Snellio, peritissimo mathematico, spatium occupet, centies vigesies quinies millies majus seipso, non incenso, ubi massa pulveris compressa fuerit, quo illud tam ingens spatium inveniat, summa vi sibi viam faciat necesse est, *ut mirum sit in tam frivolis tantum ignem fuisse conclusum.* Quod admirans Spondanus, non dubitavit hunc pulverem tartareum, è sulphureo ac tormentario cerebro Bertholdi Nigri anno salutis 1380. in perniciem generis humani natum, & satum, inventori periclitandum, ac orbi proscribendum conscribere. At longè potiori jure è sulphureo nigerrimi Cacodæmonis ingenio jam ab orbe condito adinventum verè tartareum juxta ac tormentarium, noxæ venialis pulverem, detestandum quidem, at testandum est, irrefragabili teste August. qui lib. de nat. & gratia c. 38. docet hunc tormentarium delicti venialis pulverem, justissimum Abel corripuisse: *Abel*, inquit, *quamvis merito justus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione jocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquando immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret cogitavit aliquid unde ejus in aliud evocaretur intentio, & quoties illa & similia surrepserint.* Hæc grana venialium ut minima videantur, incendii non levis causa sunt. Et omnem vim sinapeos nimium quantum antecellunt. Etenim quis reputet minimum delictum veniale, adeò acre & mordax esse, ut omne robur virtutis corrodat, tantam acrimoniam in se habere, ut sanctissimis viris, ubi non

dente

& Ennius,

UVA. BHSC. BU 02224

dente sed mente conteri ceptum est, amarissimas lacrymas expressérit: quod ut alios omittam, magnus Hieronymus de B. Paula Romana commemorat, *a* eam tot lacrymis minimam noxam venialem expiasse, *Vt illam gravissimorum criminum crederes ream.* Sic Bernardus se acum non accepisse, sed desideraisse, deploravit. Eusebius apud Theodoretum *b* 40. annis unam evagationem mentis gravissimæ luxit. Complures sunt, quibus minimum peccatum, verbum acerbius, mollior offensa, risus levior, copiosor cænula, aspectus incautior, negotium solutius curatum, temporis exiguum dispendium, cogitatio tardius expugnata, sanctioris operis licet non imperati neglectus, aliaque ejusmodi piacula minora, oculatis Dei servis, uberrimas lacrymas, imò & sanguinem copiose elicuerunt. Comprobat idipsum Salvianus ex eo quod fideles oculis comparentur, eosque ut pupillam Deus diligat: quis autem nescit oculum vel minimo pulvisculo turbari, & in lacrymas effundi: hinc sanctus Doctor: c *Perfectæ & sinceritatis, volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissimè etiam minima vitari, scilicet ut quàm* PURA EST PUPILLA OCULI, *tam pura esset Christiani hominis vita:* cui hoc proverbii loco esse voluit: d *Serva legem meam, ut pupillam oculi tui.* Accedit & minimum peccatum, tantum in se calorem continere, ut in annos complures, ardere faciat, quod veritus vir vitæ integerrimæ, in Sacerdotali dignitate constitutus, ubi S. Ludwinam convenit, fortè fortuna in cubili saccum granis sinapis oppletum conspexit, tum ad beatam decumbentem conversus, ingenuè fassus est, optare se tot annos in Purgatorio, quot illic grana sinapeos, numero innumerabili continebantur, ut vel sic expiatus in cælum evolaret. Imo vero eam vim peccatorum venialium esse, ut ubi in massam excreverint, æquare possint pœnam ignis, propter peccatum mortale perferendam, perinde uti pœna peccati venialis, in inferno æterna est, quæ ipsius S. Thomæ 1, 2. *q.* 87. *a.* 5. & in scholis Theologorum recepta doctrina est. An autem & quomodo æternum excitet incendium, postea discutiemus, ubi in minimo vim maximam ostendero.

Horrenda tonitrua, trisulca fulmina, levis ciebit exhalatio; totas urbes ac regiones terræ motu levis aër terræ viscera eluctans succutiet; gravissimas mari tempestates levis concitabit ventus. Quid febres, quid colicam, pleuritim, calculum, apoplexiam, nisi flatus, arenula, spiritus vitalis interceptus, res minima vel guttula creat? sic podagram appositè Franci *La goutte* nuncupant. Mortes ex pilo, ex acino, ex acu, ex spina compertæ sunt. Maxima à minimis vinci, Leo docet, qui vel Galli cantum timet, Elephantus murem horret, unde Amb. e *Non amplius miror Elephantum, quia procerus est, quàm murem qui terribilis Elephanto est: formidabilis Tauris, Elephantus, murem timet,*

a Epist. ad Eustoc. b Apud Theodoret. cap. 4. c Salvian. lib. 3. de Prov. d Prov. 7.

c Amb. l. 6. hexam c. 6.

quia

UVA. BHSC. BU 02224

quia mortem adfert ſcorpius præter tenuem aculeum, nil quidquam armorum circumfert, & levi morſu mortem inducit: ita auctore Plinio, *a* Crabronum ictus, non ſine febri ſunt, & tradunt nonnulli ter novenis hujus animalis punctis hominem interfici. Addit & Poëta:

b *Parva necat morſu ſpatioſum vipera Taurum,*
A cane non magno, ſæpè tenetur aper.

Torpedo ingentem Myoparonem in medio curſu ſuffiaminat; vis maxima ſit, quæ molarem in aëre ſiſtat, majori impetu animus in centrum, in Deum fertur, & minima noxa hic remoram injicit: Parva ſera, aut peſſulus totum oſtium occludit, & arcet à dilecto. S. Richardus in illud Cant. cap. 5. *Peſſulum oſtii mei aperui*, per peſſulum peccata venialia intelligit: *Negligentias*, inquit, *caverit, quæ offenſam ejus provocare potuerunt: in locutione ſcilicet inutili, vel cogitatione, in commodo corporali, vel libertate vaga quæ per peſſulum, id eſt, ſeram intelligi poſſunt: ſera enim cum parva ſit, & angusta, latitudinem tamen oſtii concludit.* Quod quo melius innoteſcat, in minimo veniali, quantum mali lateat videamus.

a Plin. l. 11. cap. 21. b Ovid. de remed. l. 2.

§. 1.

Minimum Veniale longè excedere omne malum pœnæ, & aliud quodvis malum.

HOc communis illa Theologorum maxima evincit. *Minimum malum culpæ, toto ordine ſuperare omne malum pœnæ.* Cum injuria porrò creſcat ex dignitate offenſi, & vilitate offendentis fit, ut minima injuria facta Deo, major ſit, quàm omnis, quantumvis magna, facta homini digniſſimo, Imperatori aut Pontifici, perſonas tantas una & parentes crudeliſſimè trucidando; quæ injuria reſpectu hominum, quibus infertur, longe inferior erit, quàm minimum veniale, reſpectu Dei. Probe id norat mellifluus Bernardus: c *Singuli illiciti motus animi mei, ſunt quædam in te Deus* CONVICIA, *ut puta iracundiæ motus in manſuetudinem tuam, invidiæ in charitatem, turpitudinis in caſtitatem, & innumera his ſimilia, quæ de cœnoſo lacu prurientis pectoris mei, etiam nunc inceſſanter ebulliunt, inundantes & impingentes in ſerenitatem præfulgentis vultus tui.* Ex quo conſequens eſt, ſi poteſtas optioque daretur, aut venialem noxam (verbum otioſum, mendaciumve officioſum) admittendi, quæ in Deum convitia ſunt, aut in æternum omnia inferorum ſupplicia perpetiendi, omnibuſque cæli deliciis carendi, ex rectæ rationis dictamine poſterius præeligendum eſſe; quod judicium maximè ſanum fuiſſe reperio in homine moribundo *P. Hieron. S. Iacobi*, Soc. noſtræ, qui ſub extremum habitum identidem exclamabat: d *Male adire infernum, quàm admittere culpam venialem.* Hic ſenſus & conſenſus eſt omnium, qui rectiſſimo judicio pollent, cælitum: qui de facto omni gloria, qua perfruuntur, ſe privari,

c Bernard. Ep. 42. ad Henric. Archiep. Senonenſem. d Nierenb. aſcet. p. 167.

ſum-

UVA. BHSC. BU 02224

ſummaque cum alacritate ad inferos ſe præcipitari patarentur, quàm vel minimum veniale in ſe admitterent ; & etiamnum quis neget , in minimo vim maximam malitiæ deliteſcere? a *An poſſimus* (ut cum Hieronymo loquar) *leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur ?* & prudenter ſubdit: *Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat quantitatem imperii , quàm imperantis cogitat dignitatem.* Unde veriſſime Cancellarius ille Pariſienſis Gerſon: b *Potius toleranda eſſet omnis mors pœnalis* (tormenta omnium Martyrum) *& annihilatio* (omnium non modò hominum , ſed & Angelorum) *quàm committenda eſſet, quantumlibet parva offenſa in Deum.* Libet in hanc rem adferre quæ divino Spiritu ab c EuſebioNierenbergio concepta , & digniſſima ut aureo Charactere (qualem olim calamus D.Hildeberti exaravit) conſcribantur. Ex hoc igitur uno , noxæ venialis malitiam plenius intelliges.

Grave malum, morbi mortalibus creant, at minimum veniale omne virus, omne malum cruciatuum, tantum excedit, quantum incorporeum corporeo (quæ duo nihil habent commune) præſtare ſcimus , & antecellere; etenim ſi morbi omnes, ab ullis umquam aut medicis cogniti, aut ægris tolerati in unum conflentur, nondum æquales erunt minimo peccato veniali. Quis unus par ſit calculi, dentium, iſchiadis, podagræ & cancri acerbiſſimis doloribus tolerandis? At quî exiſtimandum eſt intolerabilius malum, miſeriamque majorem, unicum ſolum eſſe peccatum; quod veniale appellamus : & ubi cura, ubi ſtudium ad hoc evitandum, ad hoc expurgandum , quod in tot morbis adhiberemus. Effectus ſi lubet conſideremus unius venialis, ut animæ morbus eſt, & hos infinitè periculoſiores , quàm ſunt difficillimi corporis morbi , comperiemus : nam peccatum veniale cancer eſt animæ , ſenſim ſine ſenſu virtutem depaſcens atque debilitans, uſque dum eandem perimat, faciendo ut in mortalem culpam prolabatur ; lepra eſt, animam defœdans, illamque ab oculo, & oſculo cæleſtis ſponſi avertens: de quo exſtat illud Auguſtini teſtimonium: Venialia , d *Noſtrum decus exterminant; & animam inquinant, eamque velut quibuſdam puſtulis , & quaſi horrenda ſcabie replentia deformem faciunt, ut eam ad complexus illius ſponſi cæleſtis , aut vix , aut cum grandi confuſione, venire permittant* ; paralyſis eſt , motum omnem pium ad virtutum opera impediens ; hydropiſis eſt , terrenarum rerum ſitim, ac deſideria accendens ; Cardialgia eſt , affectus turbans ; podagra eſt, quæ in via perfectionis progredi vetat ; Aſthma eſt , quod ad cælum adſpirare non ſinit; ſurditas eſt , divinas inſpirationes audire prohibens ; cæcitas eſt , quæ veritates æternas intueri non permittit. Phthiſis eſt, ac tabes, virtutem omnem enervans penituſque extinguens ; denique ſicut corporis morbus, mortis eſt prodromus, ita in ve-

a Hier. Epiſt. 14. ad Celant. b Gerſon de vita ſolit. lect. 1. c Niëremb. cit.

d Aug. de SS. ſerm. 41. & lib. 50. hom. 50. c. 3.

niali

UVA. BHSC. BU 02224

niali deterius nihil, diligentiusque cavendum, quàm quod animam ad mortem, hoc est, ad peccatum mortale, ut infra videbimus, præparet ac disponat. Nunc, amabo vos, quale spectrum, quàm miserabile spectaculum de se præbeat, quemcumque tot simul incommodis contigerit conflictari; Plus dico, quale monstrum sit, hominem videre cum capite asini, aspidis, bubonis, aut bufonis? execrabilius longè verbum læsivum charitatis, aut cogitatio otiosa. Quidquid uspiam fœdum, ac horrificum invenitur, unicæ venialis noxæ fœditatem nullo modo exæquat; si una gutta olei in regia purpura, ita eam dedecoret, ut eam deinceps induere detrectet: si unum corporis lineamentum distortum, hominem adeò deformem reddat, quis veniale non horreat, quod omnem fœditatem ac deformitatem in se contineat? Insignis sanè insania est, vestem ex animalium pellibus, vermiumve excrementis diligentius, quàm animam ad Dei imaginem conditam, à fœdissima macula asservare. Quid de regina sentiremus, quæ cyclade ex candido holoserico, auro ac gemmis distincta, in sordibus ac luto primùm voluntaretur, quàm ad sponsi conspectum, aut complexum accederet? Aliter sponsa Christi fœdatur minima noxa veniali. Si quis cæno ac stercore fœdaret pixidem, ubi servatur corpus Christi, an parvam irreverentiam putaremus? Eccur parvo ducimus, longè fœdiori spurcitia, urnam sancti Spiritus, animam inficere? nec enim ulla comparatio est cæni cum peccato, nec pixidis metallicæ cum anima immortali. Quid ad hæc ó Christiane? necdum ad fœditatem ejus perhorrescis? necdum malitiam ejus detestaris? necdum eligimus omne incommodum, omnem cruciatum subire, omnium rerum creatarum jacturam facere, quàm vel levissimum peccatum, quod tantam in se mali vim continet, in animum admittere? quo altius inhæreat, hoc supremum motivum sit: Si B. Virgini sub crucem dilectissimi Filii, sanguineas lachrymas, ut [a] S. Germanus loquitur, fundenti, daretur optio, num Christum omnibus opprobriis, & cruciatibus eripi, & regnantem videre in cælis vellet, simulque mille mundos, nullo damnato, salvari; aut in unicum veniale consentire, potius præoptasset denuò videre filium crucifigi (si citra culpam fieret) ac longè graviora pati; imò si liceret propria manu clavos transfigere, & Iesum suum dilectum præ filiis hominum, amantissima mater morte crudelissima trucidare, ut olim Abraham Isaacum suum, quàm minimam noxam admittere. Denique an non summo solatio fuisset Virgini, & Redemptori nostro, si quis ea charitate exarsisset, ut dum ad mortem pergeret, suis ipse humeris crucem Christi subiisset, se illi substituisset, ut in eadem pro Domino suo mortem obiret, & omnes cruciatus pateretur? hoc tamen indubitatum est, majus solatium tali filio, ac

[a] Revel. Brigittæ S. Germ, apud Malonium in Chr. stigm. c. 13.

UVA. BHSC. BU 02224

matri fore, ut vel minimum veniale evitares, quàm nobiliſſimos illos actus Charitatis exercere. Computa jam, an parum ſit, quod præponderat tanto obſequio, nobiliſſimis virtutum actibus, imo vel gratiæ & ſanctitati omnium hominum & angelorum. Hæc precor, memori tu mente repone. Sed erunt fortè, quos plus ingens malum pœnæ, quàm culpæ terreat.

§. II.

Noxa venialis, quæ minima putatur, quantam pœnarum vim inferat.

MIramur, & indignamur quandoque, homines in levia ſuorum delicta uſque adeò ſevere animadvertiſſe.

a Ionathas, quod parum mellis guſtando jejunium violaſſet, à parente capitis damnatus eſt. *Guſtans*, inquit, *guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce morior.*

Manlius Torquatus filium victorem, de hoſtibus triumphantem, ſecuri percuti juſſit, quod contra edictum ſuum pugnaſſet. *b* Galenus Roma redux, comitem itineris habuit Gortynenſem civem, cujus ſervus dum quid ſupellectilis ſecum aſportare caſu ſe oblitum diceret; ita Dominus excanduit, ut gladium una cum vagina arreptum, binis ictibus lethalibus, in caput ſervi impegerit; levem oblivionem tam gravi pœna compenſans.

a 1. Reg. 14. *b* Nieremb. de arte volunt. l. 3. c. 18.

c Calidè factum videri poſſet & illud VVenceſlai Regis, qui capum minus bene aſſum ſibi apponi non ferens, coccum capi inſtar veru affixum, ad ignem torreri juſſit. Otho Antonius Montis Ferrati Comes, atque Urbinatium princeps, puerum, quem in cubiculi miniſterium aſſumpſerat, reſinato linteo atque ſulphure perfuſo involutum vivum, in candelæ morem combuſſit, quod hora, quam ei præfixerat, ſe non excitaſſet. Fulg. l. 9. c. 2. Utque hoc à conglobatis confirmemus, Pollio, unum è famulis, ob calicem vitreum confractum, non vulgari morte, murænis objici juſſit devorandum, ut *d* Seneca refert; tanti neglectim hiſce Dominis ſervire fuit.

e Bajazethes Turcarum Imperator tria poma deperibat, quæ ut primitias exiguum arbuſculum manu ſua plantatum produxerat; unum à licentiori Ephebo decerptum tam graviter tulit, ut cum tres ad iſtam ſemitam deambulantes comperiſſet, & omnes à ſe factum pernegarent, omnes tres vivos ſecari ac ventres aperiri juſſit, quo de veritate conſtaret: & ni pomum in ſtomacho prioris repertum fuiſſet, pari pœna in cæteros ſævitum fuiſſet; non quod pomum ſanguine aut vita hominis conſtet, ſed affectus & voluntas Principis æſtimanda eſt, cui vile mancipium, ingluviem ſuam præferendo, non leviter deliquiſſe cenſendum eſt. Quod in

c Florimond. Remond. l. 4. orig. hær. c. 3. n. 3. *d* Sen. l. 3. de ira c. 40. *e* Pennequin. amour divin p. 3.

Deo

UVA. BHSC. BU 02224

Deo potiſſimum locum. Inter homines quidem hæc Manliana imperia, barbara, Turcica, Tyrannica cenſeri poſſent; ſed heu! mirari deſines, ubi longè atrociora ob bolum die jejunii, ob levem inobedientiam filii in parentes, ſubditi in ſuperiorem, ob parvam incuriam, oblivionem leviter culpabilem, ob affectum quemvis inordinatum, aliamve minimam venialem noxam, graviſſimos morbos, mortes, flammas illas piaculares, in annos plurimos à judice æquiſſimo juxta ac clementiſſimo ac benigniſſimo parente, in animas ſibi prædilectas, charitate fervidas, regni cohæredes, infligi comprobaro.

Graviſſimum hujus vitæ ſupplicium capitale cenſetur: hoc à mitiſſimo vindice Deo, non ſemel pro veniali culpa maximis Dei amicis, ac ſervis fideliſſimis inflictum fuiſſe legimus.

Nonne Moyſes & Aaron, ob levem inobedientiæ culpam, terra promiſſionis lacte & melle manante excluſi, ac morte puniti ſunt? idque ob culpam venialem, ut Baſil. Auguſt. Anaſtaſius, Nicenus, Abul. Bonfrerius & alii apud Tirinum teſtantur: Quod admirans Baſilius exclamat: *Cùm videro Moyſem illum Dei ſervum, illum, inquam, magnum, qui tali ac tanto à Deo dignatus eſt honore*, (qui tot mirabilium patrator, qui cum Deo loquebatur, ſicut amicus loqui ſolet ad amicum) *propter hoc ſolum, non intraturum in terram promiſſionis; cum videro ergo eum rogantem & non impetrantem, cum videro nullam propter tot rectè & præclare geſta veniam aſſecutum, ob illud breve verbum, revera video quidem Dei, ut dixit Apoſtolus, ſeveritatem*, &c.

a Ita & exigua in obediendo reluctantia, Prophetæ illius, qui miſſus ad Ieroboam, morte punita eſt; ubi occurrit caſus, quem homo ſocietatis incurrit. P. Chriſtophorus Ortizius vir Apoſtolicus, ſuperior Reſidentiæ deſignatus, dum non prompte obedit, fulmine ictus interiit: manifeſtavit tamen Dominus gloriam ſervi ſui multis prodigiis. Et quiſquam noſtrum levem inobedientiam parvi pendat, & adhuc poſthac oculatus eſſe volet, ne cæce obediat?

Nihil vulgarius quàm mendacium officioſum aut lucroſum nullum peccatum ducere, cùm Ananias & Saphira de repente mortui corruerint, ob mendacium veniale, ut Auguſt. Hieron. Damian. Dionyſ. Carth. Salmeron, ac plures alii aſſeverant.

In templis minimam evagationem oculo vel animo, ſacerdotes ad aram neglectim ſacra tractare, in minimis reponant, dum Oza arcam jam labantem non debita ſatis religione ſuſtentans, ſubita morte plexus eſt: uxor Loth, quod ſemel caput muliebri curioſitate aperto campo obverterit, inaudito illo ac tremendo ſupplicio, quod ad uſque noſtra ſæcula perſiſtit, punita dicitur; cùm & ille, & illa, veniali-ter dumtaxat deliquiſſe perhibeantur; quos duos *b* Chryſo-

a Nieremb. Aſcit. pag 199. *b* Chryſoſt. in Gal. c. 1. de levium peccat. peric.

UVA. BHSC. BU 02224

ſtomus inducit, ut levium peccatorum pericula confirmet.

Nec prætermittendus hic eſt, quem Dominus lib. Numerorum c. 15. lapidibus obrui juſſit, quod in ſabbatho ligna collegeret; de quo *a* Iſidor. Peluſiota: *Etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui juſſit, qui die ſabbathi ligna collegerat.* Quid modò in familiis familiarius, quàm feſtis ac Dominicis domum everſere, barbam tondere, ancillas, quibus per hebdomadam ne momentum otii indulgetur, tum veſtes reſarcire? Norint hi Franciſcam Romanam ob exiguum temporis inutiliter deperditum, ab Angelo validam alapam excepiſſe. Si modò puellis, quæ tot horas ad cryſtallum, tantum temporis vanis ſermonibus terunt, modò alapæ impingerentur, heu quot lividis ac rubicundis genis notarentur?

Quid quòd levem curioſitatem, aut vanitatem, aliquot millia morte luerunt? Teſtis eſt clades illa, à divina manu illata exercitui regio, dum intra paucas unius diei horas, ad ſeptuaginta millia virorum peſte extincta ſunt. Hæc dum auditis, quid fligitii Davidem admiſiſſe arbitramini? an in alteram Bethſabam oculos conjecit? an novum adulterium, alterum homicidium perpetravit? minimè gentium. David curioſitate ductus, exercitum luſtravit populum cenſuit, in quo plures venialiter ſolum peccaſſe tradunt: longior ſim, ſi diuturnos morbos, graviſſimos cruciatus enumerem, quos vel leviſſima de culpa incurrerunt. Noſtis ob parvam murmurationem, ſororem Moyſis lepra percuſſam: Lazarum mendicum, famelicum, inſtar Iobi, ulcere peſſimo ob leves defectus, adeò percuſſum, ut *b* Chryſoſtomus diſertè docet. Denique ſocius S. Vincentii Ferrerii, dum curioſitati Regis Arragoniæ obſequitur, admittendo illum ad videndum cubiculum Vincentii precantis, mira luce conſpicuum, ſeptem annos continua febri divexatus fuit.

Magis fortaſſe terreat nos Moyſes abbas, qui ob repreheſionem unius ſermonis, quem diſputans paulo durius protulit, quadam ſcilicet opinione præventus, diro confeſtim eſt traditus dæmoni. De altero ſanctiſſimo monacho refert *c* SeverusSulpitius, qui cùm energumenos infeſtis geniis liberaret, dum undique ad eum concurritur, aliquam gloriolæ vanitatem veritus, maluit ipſe corpus à dæmone poſſideri, quàm animam leviſſimo nævo inquinari. Nec mirum; cùm certum & exploratum ſit, longè præſtare ut omnes ex orco dæmones corpus inſideant, quàm vel minimo peccato animam occupetur. Et hæ omnes pœnæ longè infra culpam ſunt, cùm vel mille mortes potius ſubeundæ forent, quam vel leviſſimum veniale admittere: ut prima Veritas aliquando B. Henricum Suſonem edocuit, dicens: d *Crede mihi, ſi quis exploratum haberet, quanta luenda ſit pœna ob minimam, quæ invito*

a S. Iſidor. Peluſ. l. 1. epiſt. 181.

b Chryſoſt tom. 2. de Lazaro. c Caſian. Coll. 7. c. 27. Sulp. Dial. 1. c. 14.

d Nieremb. aſc. et p. 168. c. 23. de rupibus.

Deo

UVA. BHSC. BU 02224

Deo ſumitur, naturæ oblectationem, priuſquam venialem perpetraret culpam, potius quotidie ſibi caput amputari, ac novam inferri mortem ſineret. Quod nemini dubium eſſe poteſt. Nec hoc ſatis.

§. III.

Minimum veniale quàm horrende in purgatorio igne expietur.

IN altero orbe multò ſe Deus ſeveriorem exhibet, ne minimæ culpæ indulgendo, aut impunitam relinquendo, ut Bernardus ait, a *nullum bonum apud Deum eſſe irremuneratum, nec aliquod malum impunitum: & ſicut capillum de capite, ita nec momentum de tempore periturum.* Legis conſultorum dictum eſt: b *De modico non curat prætor.* At Deus prætor & præſes æquiſſimus, vel verbum otioſum, vel cogitationes ſingulas, omnes ictus oculorum expendet. Unde Auguſtinus: c *Iniquitas hominis parva magnaque ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo pœnitente, aut à Deo vindicante.* Sed heu! quam diſpari pœna, ubi minima pœna, ut docte Suares cum communi, excedit omnem hujus vitæ, *& gravior erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* An ergo minimum illud malum dicendum eſt, quod cruciatus adeò acerbos, ignem tam luculentum homini ſuccendit? num parvum quis duceret, ſi videret una hora teneram puellam in fornace ardenti vivam uſtulari, idque juſſu dilectiſſimi ſponſi? aut is Tyrannus ac rabidus audiret, aut culpa mirum in modum diſplicere crederetur. *d* Multorum animæ piacularibus flammis graviſſime torrebantur, quorum corpora apud nos divinis prodigiis clarebant. S. Severinus, quòd horarias preces ob negotiorum molem mane ſimul omnes perſolviſſet (attendant hæc clerici) ignis ardore intolerabili diffluebat.

Hugo de S. Victore, à morte ſacerdoti cuidam apparuit, &, quia dum viverem, inquit, accipere renui diſciplinam, vix ullus dæmouum in inferno remanſit, qui non mihi ictum validum impegerit, ad purgatorium tranſeunti. S. Vincentius teſtatur, fuiſſe quempiam ad purgatorium damnatum anno integro, ob unicam venialem noxam. Heroldus ex religioſiſſima S. Dominici familia de cœnobita memorat, eum ſuam in explendis pœnitentiis negligentiam, uſque ad diem Iudicii purgatorio adjudicatum fuiſſe; *e* alii ob leves jocos, ob delectationem in cantu, ob curioſum ſtudium, ob nimiam ſolicitudinem temporalium, ob evegationes mentis in oratione, ac cultu Divino graviſſimas purgatorii pœnas ſubiere. Hinc auctor aſceticus: Obſtupeſco, inquit, quoties mecum reputo quàm exigua mentis attentione plerique mortalium vacent orationi. Miſeri, cur ſe negligunt, cur non attendunt, non expendunt pœnas quibus ſimiles irreverentiæ in altero ſæculo expiantur? Sat omnibus terrori eſſe deberet

a Bern. decla. ſuper *Ecce nos.* b L. Scio ff. de in integ. reſt. c Auguſt. in Pſal. 50. d Damian. l. 2. epiſt. 15. e P. Barry in triduo Hagiophilæ. die 3. p. 222.

UVA. BHSC. BU 02224

quod B. Petrus Damiani de viro Religioso commemorat, eum ob neglectam ad *Gloria Patri* reverentiam, post mortem altissimæ columnæ è mari assurgenti colligatum, ibique diebus singulis centies, & totidem vicibus nocte quavis profundissime se inclinare coactum, donec supplesset, fecisseque satis omnibus reverentiis omissis, aut neglectim exhibitis. Quo in tormento tanto se horrore concuti solitum affirmabat, ut in maris profundum se præcipitem agi, nec gravius supplicium apud inferos reperiri crederet. Ceterum se hic hæsurum usque ad extremum judicii diem, nisi precibus aliorum liberetur. Interim exploduntur hic illi, qui in obligatione rerum minimarum, ad Regulas, ad consuetudines Ordinis spectantium, Religiosiores sunt; verum adhuc erit aliquando tempus, cum longe aliter sentiemus. Annos integro purgantes flammas sustinere debuit Monachus S. Rufi Valentiæ, eò quod (tametsi Monasterii œconomus magnis occupationibus distineretur) loco *Miserere*, quod ex usu Ordinis à mensa legi solebat, recitasset psalmum *Laudate*. Quæ dum animo volvo, aut Deus injustissimus & atrocissimus Tyrannus sit, aut culpa venialis terribile, ac teterrimum malum sit oportet. O Domine Iesu, amator hominum! ô benignissime redemptor! quid est qnod ita crudeliter cruciasquos amas? O clementissime Pater, quomodo potest dici levis culpa venialis, pro qua non decet ut compatiaris, sed ipse tam horrendum torqueas dilectissimos filios tuos, quos tantopere adamasti & tibi addictissimo amore adstrictos vides? O amantissime sponse, quid ita deseris dilectas sponsas, quæ carnem & mundum triumpharunt, & in his ipsis flammis, in amorem tuum exardescunt. *a Hinc unusquisque colligat quid illi passuri quos reprobat, si sic cruciat quos amat.* O si vel Ethnicus vel pessimus hæreticus qui piaculares hos ignes ridet, vel unam animam sic cruciari cerneret, & hanc filiam supremi judicis audiret, quàm immane illud malum diceret, ob quod in propria viscera parens tam horrendum fæviret? Severus idemque verus pater cælestis, hoc Catharinam virginem Senensem monitam voluit, *b omnes pœnas quas anima sustinet, vel sustinere potest in præsenti sæculo, nullo modo condignas esse ad culpam etiam minimam puniendam; quoniam offensa quæ mihi fit, qui sum bonum infinitum, procul dubio satisfactionem exigit infinitam*; adeò ut gravissimi Auctores verissime asseverent *c*: si omnium Angelorum, & beatissimæ Virginis, omniumque Sanctorum merita, atque omnis Martyrum sanguis simul colligatur, nullo modo sufficere ad minimam noxam venialem; g. v. unius verbi otiosi expurgandam, nisi accedat valor & pretium infinitum passionis, ac sanguinis Christi. Ubi ruminandum occurrit, si ad sanandam levem pustulam in manu vel fronte opus

a Greg. l. 3. mor. c. 4. b Dial. 3. c V. Lancic. opusc. spirit. l. 6. c. 21. p. 197.

esset

UVA. BHSC. BU 02224

esset unguento, unius regni pretio comparando; quis negaret grave malum esse, & omni possibili conatu vitandum? Quale ergo malum, quod Christi sanguinem, cujus vel gutta infiniti pretii est, tam pretiosum remedium exigit ad sui curationem? Profecto qui hæc scimus, & credimus, quid nos de gravitate rei sentiemus? Nonne idem nobis, qui B. Catharinæ Genuensi animus erit? quæ eò puritatis pertigerat, adeò vel leviſſimæ noxæ venialis fœditatem perspectam habebat, ut asserere non dubitaret, si mare universum, uti nunc undis, sic flammarum vorticibus æstuaret, lubens se in illud præcipitem daturam, ad declinandam aut expiandam, quam mortales tam parvi ducunt, venialis peccati labem. Nonne cum eadem, in has voces prorumpemus: *Amor mi, nullum posthac peccatum?* Hactenus summam mali vim, vel in uno veniali ostendimus; nunc quàm plura ejusmodi minuta simul vim habeant, & uti granum sinapis in arborem, ita & veniale in mortale (quod extremum malorum est) excrescere possit, videamus.

§. IV.

Probatur ex causis naturalibus plura venialia, etsi minima, ad mortale disponere.

TIberio Cæsari *a* in deliciis Draco erat, quem de more manu sua ipse enutriebat; hunc cum à formicis consumptum accepisset, ab oraculo monitus est, vim multitudinis caveret: nam *b*

Quæ non possunt singula, plura necant. *c* Idem Augustini pronuntiatum est de minutis peccatis: *Quotidiana sunt ista quæ dico; sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura; quia vero quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Hoc potissimum videre fuit in plagis Ægyptiorum, quos *locustarum, & muscarum occiderunt morsus.* *d*

e De Philistinis ajunt sacræ paginæ: *Ebullierunt villæ & agri, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate.* Sic Ælianus refert agrestes mures quosdam populos Italia expulisse, & ex Gyaro Cycladum insula, à muribus incolas fugatos.

Narrat ex Var. Plin. l. 8. c. 19. à cuniculis suffossum in Hispaniâ oppidum, à talpis in Thessalia, à ranis civitatem in Gallia; & à locustis in Africa.

Addit Zonaras ex Herodoto, Sennacherib coactum fuisse solvere obsidionem Pelusii, quod mures una nocte arcus, ceteraque Assyriorum arma corrosissent.

Stupendum magis quod Chrysostomus ait, *per culices, ac mures, integros barbarorum exercitus*, quin & à vespis, aut apibus, à tam exili milite, non portento divino, sed ut causa naturali fugatos. Ubi non prætereundum stratagema, quod narrat Boterus *f*. Dum jam Lusitani in Africam irruissent, & munitissimam urbem cinxissent, jamque expugnare decrevissent, incolæ co-

a Suet. in Tiber. c. 72.

b Ovid de remed. l. 2. *c* Au. de 10 chordis c. 11. *d* Sap. 16. *e* 1. Re. 5. *f*. l. 9. Polit. c. 20

UVA. BHSC. BU 02224

piam alvearium incenderunt, atque ita in hoſtes, qui ſub mænibus erant, dejecerunt: quibus apum turmis undique glomerantibus, ita divexati ſunt, ut tanquam amentes furere, fugere ac orbem deſerere coacti ſint. De ejuſmodi his minutis animalculis, verè cum Propheta queri poſſum: a *Circumdederunt me ſicut apes*. Et ſubtilis Doctor Aug. *b* naturam venialium in his perſpiciens, ſic ſuos affatur: *Attendite fratres mei: minuta ſunt, non ſunt magna, non eſt beſtia ſicut Leo, ut uno morſu guttur frangat, ſed beſtiæ plerumque minutæ multæ necant: ſi projicitur quis in locum pulicum plenum, numquid non moritur?* Antiochus, Herodes, Maximilianus, Hunnericus nonne vermibus ac pediculis conſumpti ſunt? ſinguli minutum morſum auferunt, & mortem inferunt. Plures leves plagæ tandem mortalem inducunt. S. Caſſianns Martyr puerorum, quos inſtituerat, ſtilis ad mortem compunctus eſt. *c* Iacobus de Vitriaco ſtatum Aſſaſinorum tractans, & ex eo Spondanus, tradit illos, ſelectos pueros locis ſecretis ac delitioſis enutriiſſe, & diverſis idiomatum generibus diligenter imbuiſſe, quos poſteà provectos in varias provincias cum cultellis mitterent, ad quoſcumque magnates occidendos (in inferioris enim conditionis homines machinari dedignabantur) tam Saracenos quàm Chriſtianos; tanto autem potentibus terrori extitiſſe, ut vel pretio ab eo ſe redimerent, vel caterva ſatellitum, cum mortis nihilominus ſuſpicione, munire ſe habuerint. Horum parvulorum ingens agmen contra magnares, ac in virtute præcellentes, Cacodæmon inſtituit, & ex membris noſtris volſellos ac cultellos, ad interiorem hominem conficiendum, ſuppeditat.

c Origenem audite: *Anima*, inquit, *quoties peccat, toties vulneratur. O ſi poſſemus per unumquodque peccatum videre, quomodo homo noſter interior aſſiduè vulneretur! vulneratur per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & per concupiſcentias malas. Quaſi omnia videre poſſemus, & vulneratæ animæ cicatrices, certum eſt quod uſque ad mortem reſiſteremus adverſum peccatum.* Sicut ergo multa minuta vulnera diſponunt ad mortem corporis, *ita multa peccata venialia diſpoſitivè cauſant mortale*; ut *d* Doctor Angelicus. e *Sagittæ parvulorum*, inquit David, *factæ ſunt plagæ eorum*, ut in Aſſaſinorum parvulis patuit, multitudine terrori erant, & magnatibus mortem intentabant.

Arena res parva eſt, ſed plures congeſtæ, in molem, in montem conſurgunt. *f* Ladiſlaus Hungariæ Rex, cùm Cracoviam Polonorum Regiam tertium jam menſem obſideret, magnaque egeſtas utrimque ingrueret, intempeſta nocte, Regis edicto, quiſque miles ocream galeamve, effoſa terra completam, ante urbis mænia conferre jubetur, ex quo cum ingens mons aſſurrexiſſet, curavit totum montem farina

a Pſalm. 17. *b* Li. de decem Chord. c. 11. *c* Spondan. an. 1231. pag. 143. ton. 1.

c Orig hom. 8. in Num. *d* D. Thom. 12. q. 8. ar. 4. ad 1. e Pſ. 63 *f* Bonfinius lib. 4. dec. 2.

adſper-

UVA. BHSC. BU 02224

adſpergi. Quem ut illuceſcente die, ante muros arcis, oppidani conſpiciunt; rati ſolidum cumulum frumenti, hoſtium cemmeatibus invidentes, ſe cum arce dedidere. Hoc ad rem noſtram facit, exiguum quid arenæ pluribus aggeſtæ in talem molem aſſurrexiſſe, quis credat? plures arenæ, effreni mari pro muro ſunt, & ingentem navem arena obruit. Idem de minutis noxis Auguſt. ſenſit, a *Minuta videntur, ſed multa ſunt: præcaviſti magna, jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris, projeciſti molem, vide ne arena obruaris.* Hæ diaboli technæ ſunt, quibus religioſos, ac integræ vitæ viros circumvenit, qui cùm ad graviora flagitia expalleſcant, per minuta ſenſim obruere tentat, & in infernum præcipitat. Sic Tereſa locum ſibi in inferno paratum conſpexit, ad qem deveniſſet, niſi à ſagaciori Confeſſario inſtituta, venialia declinare cœpiſſet. Regius vates minutas ſuas noxas capillis comparat. Pſalm. 39. *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei. Quis,* inquit Aug.b *numerat capillos capitis ſui? multo minus peccata quæ excedunt numerum capillorum: minuta videntur, ſed multa ſunt.* Et heu! quot illuc per minuta devoluti ſunt, & indies mortem animæ incurrunt? Multi crines quaſi in funem torti, Abſaloni laqueo fuere; Romanæ, & Carthaginienſes matronæ, quandoque cùm funes daficerent, capillos raſerunt, qui valuerunt ad machinas bellicas permovendas, & tenuiſſima licia in rudentes nauticos excreſcunt; ita timendum eſt, ne plura venialia tandem in mortale deſinant: in aggere dat rima ruinam. c *Quàm minutæ ſunt guttæ pluviæ, nonne flumina implent?* Quis dat mediocrem pluviam, quæ quadrantis horæ ſpatio per Belgium decidit, ſi collecta foret, implere poſſe alveum fluvii alicujus, qui latus ſit 100. pedes, profundus 30. longus verò 114 milliaria Belgica. Pluviam verò delapſam per Belgium horæ ſpatio, collectum excreſcere in fluvium ejuſdem latitudinis & profunditatis, ſed longum 456. milliaria Belgica, ut ex hoc facilè colliges: tectum quodvis ponatur declive, cujus baſis horizontis ſit quadratum 30 pedum, implere pluvia mediocri per canales derivata, unius quadrantis ſpatio, cubum unum pedalem, quod fieri quotidie nemo negabit, cùm imber mediocris decidit. Habet Belgium qua longiſſimum eſt, 88. leucas horæ itineris, quà mediam habet latitudinem 56. ergo Belgium complectitur 4928. id eſt, quater mille, nongentas, viginti octo leucas quadratas; ſed una leuca ſeu milliare horarium quadratum continet 15625000. id, centum quinquaginta ſex milliones, ducenta, quinquaginta millia pedum quadratorum: ergo quater mille, nongentæ viginti octo leucæ quadratæ, continebunt 77000000000. id eſt, ſeptingenta ſeptuaginta millia millionum pedum quadratorum. Cùm ergo nongenti pedes quadrati, qui continentur in baſi horizontali triginta pe-

a In Pſal. 39. b Aug. in Pſal. 39. c Aug. l. uno de cant. nov. c. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

dum in quadro, unius quadrantis ſpatio dent unum cubum pedalem aquæ, dabunt ſeptingenta, & ſeptuaginta millia millionum pedum quadratorum, quos Belgium complectitur, unius quadrantis ſpatio, ex mediocri pluvia, pedes aquæ cubitos 855555555. id eſt, octingentos quinquaginta quinque milliones, quingenta quinquaginta quinque millia, & quingentos quinquaginta quinque, quæ aqua collecta repleret alveum 114 milliarium Belg. ut ſupra dictum eſt. Iam

Flumina magna vides parvis de fontibus orta; a

immo de guttis collectis, ubi naves hauriantur.

Ex quibus omnibus, hæc cum Theologis deduco: Quoties objecta peccatorum venialium uniri poſſunt, & mortaliter unum efficere; poterit per plura venialia ad mortale perveniri. Ut Vaſquez, Bonacina, Sanchez, Suarez, apud Caſtropalao de peccatis tit. 2. d. 2. punct. 10. ſect. 1. & 2. qui ait exemplum clarum eſſe in ebrietate, quæ pluribus hauſtibus inducitur, & animam mergit; ſic comedentem ſæpiùs die jejunii, violare mortaliter præceptum, ubi ad notabilem quantitatem pervenerit: Si intemperanter comedat, & ultima comeſtione agnoſcat ſibi notabile damnum inferri, peccat mortaliter. 3. eodem feſto ſæpius parum laborando. 4. in officio divino partem in matutino, aliam in laudibus, alteram in parvis horis omittendo. Item in minutis furtis, tandem ad notabilem ſummam perveniendo; in quo rei cenſentur, qui in officinis utuntur ulna pollice breviori, menſura minori, pondere aut libra aliquot ſcrupis graviori: qui, ut paſſim fit, ſi intentionem habeant per partes, quantitatem notabilem accipiendi, per ſingulos actus, etiam minutiſſimos, peccant mortaliter, ut cum communi Doctorum Leſſius de jure cap. 12 dub. 7. Quod cavetur illo proverbio c. 10. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.* & Deut. 25 plura qui volet, Theologos conſulat. Uno poſito, manum de tabula tollo, quod merito omnibus iis terrorem incutiat, qui venialia nihil curant, ſed cum Deo agunt: quemadmodum filius, qui ſecum ſtatuit, non ita irritabo patentem commoveboque ut me propterea domo exturbet, aut teſtamento expungat; minores tamen offenſas, ut animo meo obſequar, non evitabo. Hi cùm ſic conſtituti ſunt, ut quodvis veniale paſſim admittant, nullum declinare ſtudeant, tremendam, ſed ſanam Theologorum doctrinam audiant, quam Sanchez in præcept. l. 1. c. 5. n. 4. docet, propoſitum committendi omnia venialia, etſi contemptus formalis abſit, eſſe peccatum mortale, juxta illud Aug. c *Minuta plura ſi negligamus, occidunt:* quia continet apertiſſimum peccandi mortaliter periculum: in quo omnes ii verſantur, qui nullum veniale minimo incommodo declinant, & quodvis data occaſione admittunt. Quod Dion. Carth. ex Auguſtini mente confirmat. c *Qui*, inquit, *ad vi-*

a Ovid. 1. de remed.

b Aug epiſt. 108. ad Seleuciam. c Dionyſ. Carth. de refor. clauſt. art. 6.

tandem

UVA. BHSC. BU 02224

tandum peccata venialia non exſtat ſollicitus, nequaquam diu eſſe ſine peccatis mortalibus poteſt. & ſubdit quod merito Religioſos viros ad accuratam legum obſervantiam compellat: quamvis multa contineantur in regulis, & ſtatutis Religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita ut ſtatim mortaliter peccent; ut eſt obſervatio ſilentii, non ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitates non evitare, inutiliter hinc inde decurrere, atque ſimilia: *verumtamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare nec emendare, non poteſt à mortali excuſari peccato, imo tota vita eorum eſt: quaſi quoddam peccare continuum.* Hæc Doctoris Carthuſiani ſevera, ſed & vera cenſura eſt, quæ dum dixi, omnia dixi.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XIII.

Redde illis mercedem. Matth. 10.



PRETIUM NON VILE LABORUM.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Minima opera juſtorum, quàm ampliſſima mercede Deus compenſet, vel inde colligas: minori laboris impendio cæleſte regnum (quod aptè margaritis confertur) acquiri, quàm urinatores in mari ſibi uniones comparent.

§. I. *Quæ hic pili ſunt, apud Deum permagno æſtimari.*

§. II. *Maximum parvæ operæ pretium, ex illo Iobi probatur*: Tu quidem greſſus meos dinumeraſti. *Iob.* 14.

§. III. *Quanti Deus ſilum, vel fuſum ducat.*

§. IV. Quod in præſenti momentaneum eſt, leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Cor.* 4.

§. V. *Qui oratione brevi, aut verſiculo levi, imo vel verbo, ingens Minerval retulerunt.*

§. VI. *Regnum cælorum hauſtu frigidæ venale eſt.* D. O.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Redde illis Mercedem. Matth. 10.

PLINIUS ubi gemmarum pretium appendit, hanc earum virtutem expendit: *Margaritis cæli societas major, quàm maris.* Quin & regnum cælorum margaritæ conferri compertum est; sed hoc complures quærunt, & queruntur, difficilius reperiri. [a] *Homo urinator*, inquit Chrysostomus, *nullam aliam ob caussam seipsum in profundum maris dimittit, quam propter margaritas.* Caput dimisisse, & vel unicum unionem reperisse, *pretium non vile laborum est.* Tam paruo ut stent margaritæ, minoris certè constat regnum cælorum, quod non oceano, sed hausti frigidæ, imo hilo ac pilo venale est.

[a] Cit. Lobbet. Dom. 3. Adv. q. 1. p. 94.

§. 1.

Quæ hic pili sunt, apud Deum permagno æstimari.

FRanciscus de Sales Episcopus Genevensis, ut alios mittam, in illa verba Sponsi, [b] *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum in uno crine colli tui*. oculum mentis intendens; miratur, ac rimatur, ut quid tam diffita, ac disparata aptentur, aut comparentur; ad usus quippe humanos, nullum, inquit, membrum oculo aptius à natura concessum est, nullum præstantius. Plinius oculum, corporis pretiosissimam partem pronuntiavit, qui adstellas firmamenti, quod à superficie terræ distat milliaria Belgica seu horaria 17360 86. id est, 17. milliones, triginta sexaginta millia, nongenta octoginta sex, momento si volet, evolet. Pythagoras lib. IL. oculos, *solis januas* appellavit. Inter Christianos Doctores Chrysostomus, oculum, membrum quoddam, ait, *speciosissimum.* Huic aureo stylo æquandus D. Chrysologus ser. 129. *Oculus est animæ fenestra, speculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.* Philo vero libro de mundi opificio: *Quod mens in animo est, id oculus in corpore*; nec ullam cuipiam rem oculo cariorem esse, indubitatum est.

Econtra quid crine vilius, qui horrorem homini ac stomachum movet? quid pilo abjectius? cum res pili, juxta ac nihili eodem recidant? utrumque tamen in rem nostram apposite Franciscus de Sales, magister asceticus exponit: In uno oculorum, & in uno crine se saucium clamat. [c] *ut ostenderet*, inquit, *non tantum sibi grata esse opera magna justorum, sed etiam minima, ac infima.* Inauditum forte illud, quam Neroni chara audiit Poppea matrona Romana, quæ non solum oculorum acie, ac formæ venustate, Imperatorem sauciavit; verum flavis suis crinibus animum Neronis, cætera ferocem, adeo in amorem sui pellexit, ut singulos pilos numerarit, cuique sin-

[b] Sales prax. spirit. part. 3. c. 35. Cant. 4.

[c] Guevarra horologium Principis in dedicat.

UVA. BHSC. BU 02224

gulare nomen indiderit, ac de singulis eorum, versum unum condiderit: insuper illi pectinem aureum donavit, si vel pilus capiti excideret, curabat auro inseri, & in templo, ad caput Iunonis reponi. Ad meliorem calculum capilli nostri revocantur: majori in pretio eos habet Imperator noster, apud quem *a vestri capilli capitis, omnes numerati sunt.* Quid capilli & capitis pili, nisi, ut ait Cyrillus, & Damascenus, minutissimas actiones, ac cogitationes justorum designant? quas Deus exacte observat, & præmiat. Crates quidem Laurentij, lapides Stephani, leones Ignatij, exquisita Martyrum tormenta, vigiliæ & chamauliæ anachoretarum commendantur; sed & exiguæ corporis afflictiones, odontalgia, aut digiti reduvia, leves injuriæ, quotidianæ molestiæ, apud cælestem sponsum in numero, ac pretio sunt. *b* Virgo illa Senensis, non minus Christum rapuit, dum coquinam exercuit, ollas exterfit, atque alia abjectissima operis domestici officia, quæ homines pili aut mancipii faciunt, exercuit, quam dum sublimi ecstasi in cælum rapta, intento contemplationis oculo defixa hæreret. Sic Pellegrinus noster advertit, ut Christus Pharisæi audaciam retunderet, eundem arguit, quod pedibus aquam non dederit neque terserit capillis, quod à Magdalena præstitum, extollit: ubi hoc dubij movet, cur aquæ solum, & capillorum fecerit mentionem Christus; non vero alabastrum unguenti pretiosi attulerit? *c* quia aqua & capillis, hoc est, rebus viliſſimis repræsentantur ea, quibus Dei gratiam possimus emereri; qui in pœnitente calidissimos oculorum fontes, pretiosum unguentum 300 denariorum deprædicat, is capillos non vili pendit, quibus pedes terfit. Et hoc tantillum obsequium præbuisse tanti est, ut Hieronymus Lanuza unum pilum Magdalenæ, quem asservat, præ omnibus regnis mundi se æstimare libere pronuntiet; nec eo loco aut pretio habet, quo apud Deum est: etenim ut cum Theologorum schola subtilis Vasquez 1. 2. q. 76. c. 4. nu. 18. definit: *In homine justo, omnia etiam minima opera esse meritoria vitæ æternæ.* Hinc nemini mirum videbitur, si crines stellis conferri; in stellas converti inaudierit; aut apud Veronensem Poëtam legerit, *d* comam Berenicis inter astra relatam in cælum laudibus extolli. Quo, & inter viros, alas barbæ suæ, quas Christi causa in sæculo sibi ipse præcidit Franciscus Godojus, referendas confidit. *e*

Nemo flocci pendet floccos crinium, quibus Esther *f* loca omnia, in quibus antea lætari consueverat, complevit, *quia capillus de capite vestro non peribit g.* ô Esther! sed verticem vestrum tot stellis gloriæ cingent, quot corde contrito, amore populi tui, crines capiti evulseris. Adeo apud Deum nihil pili est; minima maxima mercede compensat. Id suos docet, cælitus

a Mat. 10. b Sales cit.

c Pelleg. c. 5. in Matt. par. 12. d Catull. eleg. 67. e Vita P. Alvarez c. 20. v. 1. f Ester. 514. & Luc. 21.

edo-

UVA. BHSC. BU 02224

edoctus Franciſcus, minimum gratiæ, gloriæ, qui operi quantumvis exili reſpondet, pluris eſſe toto univerſo, etſi omnis terra in aurum, omnes lapides in gemmas, oceanus totus in balſamum converteretur. Cui aurea Angelici Doctoris congruit ſententia: *a Bonum gratiæ unius, eſt majus bono totius naturæ univerſi.* Quod vobis paucis comprobare aggredior.

a Thom. 1. 2, q. 113. art 9.

§. II.

Maximum parvæ operæ pretium ex illo Iobi probatur: *b* Tu quidem greſſus meos denumeraſti.

EGregium, imo regium eſt, non modo munificentia non vinci, ſed modicum quid opis, aut operæ ſibi, ſuiſque præſtitum large remunerari: hac munifica juxta ac mirifica indole Carolus V. cudi juſſit prægrandes nummos aureos, una quidem facie ſuam, ſuæque ſponſæ Iſabellæ effigiem exprimentes; altera autem cæſarea inſignia, pretio quadraginta millium ducatorum. Illud munus univerſum Cæſar Marchioni de Villareal benevolus obtulit, propterea quod Regis præfatam conjugem, honoris cauſſa, Hiſpalim uſque comitatus: ita numeratæ ſunt illi bis mille ingentes partes aureæ, quarum ſingulæ 20 ducatis æſtimatæ; atque adeo ad ſumma quadraginta millia ducatorum reportavit. *Pretium non vile laborum.* Tanti fuit vel tantillo labore, Regiam ſponſam, comitatu ſuo cohoneſtare.

Sed quantula eſt iſthæc Caroli munificentia, ſi cum divina numinis conferatur? Nam ut Leſſ. ait, *c abſolute dicendum eſt, in Deo proprie eſſe liberalitatem, & quidem maximam; cum propenſiſſimus ſit ad erogandum, & quidem copioſe & mere gratis,* infinito homines intervallo ſuperans. Non terræ reginam, ſed cæli Regem exiguo viarum tractu comitatus Rudolphus Habſpurgi comes, dum cæleſtis medicus, ad ægrum ferebatur mox efferendum, ſub nube latere ſolem non latebat Rudolphum: adoraturus ſolem orientem toti Auſtriadum genti deſcendit ex equo, & jam inde velut ex æquo certavit, hinc divina benignitas, hinc Auſtriaca pietas, & cæli ſecutus Dominum, aſſequitur terræ dominium. Quo levi religionis officio, ut recte Spondanus, non aliquot aureos Imperiales, ſed *totum Imperium ſibi, poſteriſque ad hunc uſque diem acquiſivit.* Hæc nemo quiſquam mirabitur, qui attendit, non modo itinera, ſed ſingulos itinerantis greſſus, à Deo ſupputari, teſtante Propheta: *d Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Veſtigium quoque inveſtigat, obſervat, & mercedi reſervat. Hoc cælitus edoctus decrepitus eremi incola, quo ſitim facilius levaret, ſedem migrare, & propter fontem cellam conſtruere cogitarat: dum ſe pone ſequentem, & paſſus omnes in digitos mittentem,

b Iob. c. 14.

c Leſſ. de iure l. 2. c. 47. dub. 8. *d* Job. 14.

adver-

UVA. BHSC. BU 02224

advertit, & cælo hunc missum audit, ut passus omnes & singulos ad calculum revocet, quo ampliſſima præmia pro singulis decernantur; adhæc, O mi Deus! exclamat Eremicola, quæ tua hæc bonitas, in me servulum viliſſimum? egone impatiens; ego deſes ille, tanto tibi vendam pretio veſtigia vel ſingula? ignoſce ô mi conditor, tuguriolum meum magis in poſterum à fonte diſtabit. Atque ut verbis manum adderet, dimidio inſuper milliari, à fonte remotum, denuo excitavit, ut ita plus paſſuum numeraret Angelus, plus præmiorum redderet Deus. *a* Indignabundus hic pius doctor exclamat: *Pro modica præbenda longa via curritur, pro cæleſti gloria vix pes à terra levatur.* Quiſquis es, ô homo, munificum beneficiorum largitorem, fidum amanuenſem habes, qui greſſus dinumerat, geſtus obſervat, cogitationes ſingulas, actiones minutiſſimas in numerato habet. Precaris? voces ſupputat; ſtipem erogas? teruncios ad rationem revocat; bolos quibus genium fraudas, congerit; legis, ſcribis? apices denotat, momenta vitæ, quæ Deo vivis, ponderat; quorſum hæc? niſi ut nihilum boni operis prætereat, cui non mercede *magna nimis reſpondeat.*

Etenim, ſicut Doctor Angelicus 2.2.q.117. art.6. ex mente Philoſophi, *Hominis liberalis eſt ſuperabundare in donatione*, quanto magis id erit Dei? quod ipſe D. Thomas comprobavit, dum ſummum operæ pretium, omnium bonorum auctorem, in mercedem reportavit.

Dederit Auguſtus Imperator, teſte Macrobio, ob pilam, ſuper captum omnium ſtrenue percuſſam, centum A. S. id eſt, bis mille quingentis ducatis percuſſorem mactarit. Ventiletur Henrici IV. haud forte inferior, in alterum benevolentia, quem dum Rex pila ludentem à valido ictu commendaſſet, altero, cui regia comitas perſpecta erat, reponente: *Si'il vous plait, ce coup ſera d'un Abbé*, hominem extemplo abbatem creavit. Stupet Ambroſius Regem Herodem, olim ob levem ſaltum petulantis puellæ, dimidium regni ſui obtuliſſe: *b Vide, quemadmodum ſæculares ipſi, de ſæcularibus ſuis judicent potestatibus, ut pro ſaltatione etiam regna donentur.* Tanti Herodes ſaltum, tanti Henricus Rex, & Auguſtus Imperator pilam; ſed pluris Deus vel pilum facit, ut audiſtis; & majori pretio opus momentaneum, ac levius jactu pilæ, qui in momento exerceri nequit, compenſat: nunc, ne contextum reſcindamus, aut longius recedamus, quanti filum faciat videamus.

b L.3. de virg.

§. III.

Quanti Deus filum, vel fusum ducat.

PRoverb. 31. quærit Salomon mulierem fortem, non Pentheſileam, aut aliam quampiam Amazonum, quæ *manum ſuam miſit ad fortia*; ſed & *cujus digiti apprehenderunt fuſum.* At quid fortitudini cum fuſo? quid capulo cum colo? quid telæ cum telis commune eſt

a Thomas a Kempis.

UVA. BHSC. BU 02224

eſt? tamen in his armis mulier fortis dignoſcenda eſt; quis inveniet? Inter fortiſſimos Chriſti Athletas palmam ac primipilum Stephanus reportavit. Eſt qui mulierem fortem adinvenit, quæ palmam haud diſparem meruit: fertur enim *a* Elizabetha Andreæ Hungari Regis filia, cum per ſummam injuriam regno ac ditione pulſa, lanam & linum operando, ſibi aliiſque pauperculis victum & amictum, ingenti animi fortitudine quæreret, vidiſſe cælos apertos, ac Ieſum ſtantem, inſuper & loquentem audivit: *Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum, & à te nullatenus ſeparabor.* Doctor melliſluus viraginem invenit, viris cataphractis, in lino ac lana multo fortiorem. Serm. 2. ſuper Miſſas. *Quam vere aliam requirebat mulierem Salomon, cum dicebat: Mulierem fortem quis invenit?* quam Virginem Mariam? Hæc, ut diſerte Suarez, aliique, non modo per ardentiſſimos charitatis actus, aliarumque heroicarum virtutum exercitium, ſed & filum ac fuſum ducendo, invictiſſimos Chriſti pugiles merito ſuperavit. O mulierem fortem! lubet cum Bernardo exclamare, *procul & de ultimis finibus pretium; hoc eſt*, inquit, *non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, ſed de cælo.* *b* Nullum enim in univerſo terrarum orbe pretium eſt, quod unicum leve filum, Virginis manu ductum, valeat compenſare: mitto apud mortales, hujus Virginis fuſum, tanto in pretio eſſe, ut Pulcheria Imperatrix *Virgini deductrici* inclytum templum à fundamentis eduxerit, in eoque fuſum Dei Parentis ſupplex repoſuerit; ut tradit *lib.* 15. *c.* 14, Nicephorus. Sic & in oppido Huenſi glomus fili, quem textrix Maria, inter alios ſanctarum manuum labores diduxerit; & alter apud Herbipolenſes in veneratione eſt; ſed apud Virginis filium, hæc longe majori in veneratione, & pretio ſunt. *c* Ruſtica ex vico Montagnano, filum tenuiſſimum, quod rudi pollice ſubtiliter duxerat, in glomum convolutum, Bertæ Henrici IV. Imperatoris conjugi in munus obtulit. Imperatrix in mercedem tantum terræ Ruſticæ elargita eſt, quantum filo protenſo metiri poſſet: atque ita paupercula, inopinato ex inopi opulentiſſima evaſit, ita ut ab ea patriciorum Patavinorum familia (qui de Montagno dicti ſunt) clariſſima, ex hoc fuſo profluxerit. Aliter Deus etiam in fuſum profuſus, ſi in ejus gratiam ducatur, ipſique dicetur. *d* Norat id probe Ioanna princeps Portugalliæ, cujus ut præclariſſimas virtutes prætéream, ubi formæ ac virginitatis florem, intra Religionis ſepta tuto collocaſſet; inter alia religioſæ demiſſionis obſequia, cilicia & flagella diræ ſeveritatis attexere, mira arte ſibi aliiſque elaborabat, ad eam normam, quam in ſe ſæpe ſæpius ferocius ſævire experta fuerat; quin & per intervalla ad colum ſedere, & filum ducere ſtudebat. Atque ut ſcires, cui penſum perſolve-

a V. Cornel. c. 31. prov. *b* Sandei artifex tit. textor.

c Bern. Scard. l. 3. hiſt. par. Beyerlinck theatrum tit. gratitudo, filum. *d* Vaſconcellus pag. 247.

rat

UVA. BHSC. BU 02224

ret,in eo corio,quo colus oblingatur, ſponſi ſui aureum monitum, cui aſſiduo intendebat,inſcribi fecit:*Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* At quo pretio hoc penſum digne compenſetur, diſces ex Hugone, *a* qui expendens illud, *Digiti eius apprehenderunt fuſum: hoc eſt*,inquit, *rectitudinem intentionis, per quam electi omnia opera, quaſi fila in orbem æternitatis retorquent.* orbem hunc inferiorem eſſe ducens,qui merito reſpondeat. Quid quod quandoque, ut oſtenderet Deus quantum menti ſibi nenti præmium in cælis maneat, grato prodigio in terris declaravit, dum *b* S. Libariæ Virginis colus ſubito frondere, ac florere, ſtamina flores amœniſſimos germinare cœperunt, teſtes florum, quos in cœlis immarceſſibiles ſibi merito compararet? Si tanti apud Deum eſt, fila ducere, non puellares ac muliebres manus, ſed & viriles lanam ac linum ducere non erubeſcent. Hanc artem D. Damianus non erubuit in purpura, qui opuſcul. 15.cap. 1. in illud Proverb.31. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* verbo & exemplo fratrem hortatur: *Quia videlicet huius vitæ idoneus executor, ſic ſe per maiora ex deſiderii fervore dilatat, vt etiam cauſas, quæ ſunt minimæ, non relinquat.* Accedit Cardinali fervens ſacri Antiſtitis Franciſci de Sales adhortatio: *c Applicato tu*, inquit, *manum ad fortia*; proximo pro neceſſitudine Chriſtiana etiam cum vitæ periculo ſuccurrendo, pro injuriis hoſtimenti loco, gratias hoſti referendo: frequenti Sacramentorum uſu animas è piacularibus flammis vindicando, &c. Tum ſubdit: *Sed & digiti etiam teneant fuſum.* leves corporis afflictiones,parvas ſui abnegationes, ac dimiſſiones, per diem ſæpius ſectando. Quod,ne fuſior ſim,eſt vitæ fila aurea ducere,tota æternitate,ut evincitur ex illo Pauli,immenſo gloriæ pondere compenſanda.

a Cornel. hic. *b* Roſwvey. 8. Oct. vita virg. *c* Cit. Sales.

§. IV.

Quod in præſenti momentaneum eſt, leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.

HOc diſerte more ſuo PP. Prædicatorum celeberrimus prædicator *a* Hieronymus Baptiſta Lanuza, Theologiæ Doctor eximus,& ſacris infulis merito inſignitus,pro concione univerſo Regno Hiſpaniæ propoſuit, eum eſſe valorem boni operis etiam minimi, ut totius univerſi, omniumque creaturarum, etiam producibilium, longo intervallo pretium excedat. Ad quod comprobandum inducit Doctorem Angelicum in illud Apoſtoli 2. Cor. 4. ſingulos apices expendentem: Non enim potuit Apoſtolus, quantum exiſtimo, inquit, elegantius explicare parvitatem operis & magnitudinem valoris. Poteſtne eſſe opus magis parvum, quam quod fuerit momentaneum, illudque leve, quod nec in ſe grave, nec niſi

a Lanuza tit.2.p.2.v.12.n.164.

per

UVA. BHSC. BU 02224

per momentum durat? poteſtne autem major eſſe valor, quam qui operatur in nobis quod eſt ſupra modum, id eſt, ut Divus Thomas exponit, *ſupra omnem menſuram*, aut ut Anſelmus, *a ſupra omnem comprehenſionem* humanæ mentis? Deinde quid majus eſſe poteſt, quam æternum gloriæ pondus, id eſt, immenſum & infinitum gloriæ pretium? Pondus, inquit D. Thomas, pro re pretioſa ponitur, *nam pretioſa ſolum ponderari conſueverunt*. Et id totum pro momentanea, ac levi tribulatione, quam tanti valoris eſſe concludit, ut ſi pro ea penderentur univerſa orbis regna, & quidquid in eis eſt gloriæ, honoris, ſplendoris, valoris, ac divitiarum, non ſufficienter valor iſtius operis perſolveretur; omnia enim creata, finita ſunt; illud autem, quod opus tale meretur, eſt ſupra modum, & æternum gloriæ pondus ac præmium. Ex quo, ut ille docet, recte ſequitur, Deum per ſuam infinitam potentiam, & infinitas divitias, ſolum poſſe hujuſmodi minimi boni operis valorem compenſare. Ecce vero quanti momenti, momentaneum tribulationis operetur. Audiendus in hac claſſe magiſter virtutum Ludovicus Bloſius, qui arbitratur eum, qui propter *Deum ſenſualitati, voluptatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac ſe mortificat, rem ipſi Deo magis gratam facere, quam ſi multos mortuos ad vitam revocaret.* b

Sed parum hoc, vel leviſſimæ ſenſualitati repreſſæ, poteſtatem ſanctis ad vivos revocandi gratiam patrandi miracula conferri, aliam mercedem adnectit: Duo una idem pratum aut viridarium ingrediuntur, hic florem carpit, alter amore Dei manum continet. *Hic* inquit Bloſius, *propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta eſt diſtantia cæli à terra.* Collaudata fuit abhinc paucis annis, ut ab oculato teſte accepi, Gubernatoris noſtri, a Caſtello Rodriguez, mirifica in ruſticum puerum indulgentia: Forte à Virgine Lakenſi reduci, innocuus opilio lacera lacernula, encarpium fragorum quæ ad prærupta viarum legerat, ingenuo candore obtulit; quo levi munuſculo tantam gratiam apud Gubernatorem inivit, ut à vertice talos ad imos puerum honeſte conveſtiri curarit. *d Nunc*, ut Auguſtinus ait, *videndum ac diſſerendum eſt quantum Deus donet*; ſi florem, ſi fragum, ſi pomum, ſi morſum vel minimum nobis ſubtractum illi conſecremus, veſtitu deaurato circumdata varietate, nos ſupremus rerum omnium gubernator ſuperinduet ex alto. Norat hoc celeberrimus Theologus Thomas Sanchez, e qui in libello rationum ſuarum ſpiritualium, hoc ſibi ſtatuit ac nobis: *Folium arboris in horto non contingam, non decutiam vel unum perſicum: filum unum abſque facultate aut tribuam, aut accipiam numquam.* Ejuſmodi levium mortificationum faſciculum Dilecto ſuo porrigebat Bernardus, qui idem ſtudium ſuis in-

a Anſel. in c. 4 2. ad Cor. b Vid. Nigro. de cura. minim. part. 6.

c Anno 1646. d Aug. l. 10. de civit. c. 2. e Nigron. de cura Min. part. 2 arg. 7

culca-

UVA. BHSC. BU 02224

culcabat,dicens:*a Diabolus porrigit pomum, & ſurripit paradiſum.* Et Chriſtus contra petit pomum, & porrigit paradiſum. *b* Carolus Rex Galliarum ſuper cœnam, fruſtum pomi in acie cultri, ori filij ſui natu maximi admovit, dicens: Hunc bolum fili, manu, parentis accipe. Quo officioſe renitente, & accipere recuſante, Carolus eundem bolum filio ſecundum genito porrexit, qui mali partem avide ſurripuit; & eccum hac levi de cauſſa, parens eum Regem Galliarum declaravit. Vltimo genitus hoc edoctus, non ſegnius, alteram partem pomi à parente oblatam accepit, quem Regem Lotharingiæ fecit. Hinc Francis pervulgata paræmia: *Sero os aperuiſti.* Deus porrigit pomum & fructus decuſſos ad pedes projicit, & recuſanti porrigit, avide inhianti eripit Paradiſum. Pretioſus fuerit bolus, quo hic fratri regnum præripuit. Sed aliud pretium manet, qui vel unum bolum Dei cauſſa ſibi præripiunt: hic os aperiendo, nos, quod facilius, clauſum tenendo, regnum lucramur æternum. Magnum eſt in minimis ſe vinciſſe. Innumera ſuadet curioſitas, quæ mortificatio vetat. Iubet curioſitas per feneſtras proſpicere non proſpice. Occurrit in colloquio quod oſtentationi faceret, & pompęſi id diceres: ne dic. Occaſio eſt alterum verbis feriendi: ne feri. Dictat cogitatio ut coquū adeas, & quid obſonij paret, interroges: ne roga. Adeſt hoſpes, tu vero quis ſit, unde veniat, quo eat, quid rerum hîc agat, ſcire cuperes: neſcire malis. Hortum ingrederis & invitat te floſculus ut ſe carpas: ne carpe. Tranſis arborem & generoſum pomum arridet, vultque gratias à te emi & guſtari: ne guſta. In menſa ferculum miris blanditiis ad eſum allicit: tu manum contine, aut obiter tactum dimitte. Mihi crede in his non adeo magnis ſemet viciſſe, eſt res maximas feciſſe, idque cum ingenti promerito, & merce magna nimis. Hæc ut reipſa ſectemur, documento eſt beatus Vincentius, qui ſic ait: *c Nota quod mos Deo gratus eſt, aliquid de potagio ſuo pauperi ſemper in ſcutella dimittere.* Et poſt pauca: *Si eſt tibi cibus inſipidus ex defectu ſalis, vel alia quacunque cauſa, noli apponere ſal, nec aliud condimentum: propter Chriſtum felle & aceto potatum, ſenſualitati reſiſte. Similiter quacunque ſalſamenta, quæ ad nihilum valent, niſi ad gulæ excitamentum, dimittere occulte potes: quandocunque aliquem bolum gratum tibi circa finem apponi contigerit, illum dimitte propter Deum.* Hoc qui fecerit, *obtineret meritum, quanta eſt diſtantia cæli à terra.* *d* Quin & impræſentiarum, ut idem Vincentius aſſeruit, *parabit illi in dulcedine Deus cibum conſolationis:* uti accidit, referente Palladio, dum Abbas Hellen mellis deſiderio captus, favos de rupe pendere conſpexiſſet, continuit ſe dicens: *Recede à me intemperans cupiditas.* Poſt inediam trium hebdomadarum incidens in *fructus dejectos*, ſeipſum vincens, non attigit; his partis victoriis excitatus à ſomno per

a Bern. de 1. gradu ſuperbiæ. *b* Ioan. Paulus in ſpudopedia. Beyerlinc. theatr. tit. præmium pag. 596.

c Tract. de vita ſpirit c. 8. *d* Hiſt. lau. lib. 55.

Ange-

UVA. BHSC. BU 02224

Angelum, reperit ſeſe prope fonte, quem tenerrimæ ac ſapidiſſimæ herbæ cingebant, unde potus paſtuſque affirmavit, *nihil umquam ſibi fuiſſe jucundius.* Adeo pro mellis aliquot guttis fontem lacte & melle manantem reperit, & victori Deus herbam porrexit. Alium ſi lubet, conſimilem florem è prato ſpirituali legamus; ubi diſcipulus magiſtrum grandævum noctu ad ſe pluribus exhortari ſolitum, ſomno preſſum, excitare detrectat, ſenex per ſomnium, regale ſolium conſpexit, ex cujus tholo ſeptem pretioſiſſimæ coronæ, quas dein intellexit ſeptem victoriis deſignatas, quas juvenis ea nocte reportarat, ſepties ſibi obtinendo, ne ſenem excitaret. Nonne ex his omnibus liquido ac manifeſte comprabatur illud Pauli; *Momentaneum ac leve tribulationis, ſupra modum*, &c.

Hinc quidam è priſcis aſcetis amice commonitus, ne ſe continenter affligeret, ſenſum animi ſui expoſuit: ſi ſancti in cælo dolore quopiam confici poſſent, ex eo fore, quod jacturam tanti præmij ac mercedis, quam levi opere conſequi poterant, neglexiſſent. Cui non abſimile quod refert Bloſius de Virgine Mechtilde: quæ identidem à Chriſto ſponſo, cui ſe totam dicarat, una cum cœtu cælitum ad ſe viſenti, audivit, Divos pie queri, ac ſancta æmulatione incendi, felices ac ter beatos mortales eſſe, qui hîc levi opere, brevis morbi, ac alia corporis afflictione, ad immenſum gloriæ pondus, ingentem cumulum addere poſſunt; ut ſi quis noſtrum id attente expenderet, quantum vel uno die meritorum cumulum acquirere poſſet, quam mox experrectus, geſtiret auroram illuxiſſe, qua numquam perituras divitias comparare poſſet? Talis exſtitit Thomas ille Sanchez, qui hæc ſibi præſcripſit: *a Vita mea quotidiana atque univerſa ſimilis eſſe debet negotiationi ſpirituali, nec non mercatori ad omne lucrum intento.* *b* Producit Leſſius in theatrum minimum, qui promiſerat ſe proximis ludis dicturum, quid quiſque vellet: cumque ad conditam diem ingens hominum copia confluxiſſet, omniumque mira eſſet exſpectatio, edixit; *Omnes vultis vili emere, & caro vendere.* *c* Hoc ut plures pervelint, perpaucis contingit, niſi merces in eas terras conferant, ubi ratitas pretium facit.

Quiſquilias quiſpiam, teſtea & vitrea crepundia, apud Indos auro ac gemmis non ſemel permutavit; ita minimæ afflictiones, ac moleſtiæ, punctura acus, evulſus pilus, gutta ſanguinis, imo vel ſudoris, apud cælicolas immenſo pretio ſunt. Ejuſmodi commercium primo Deus cum homine inivit, ut S. Leo teſtatur: *d Venit in hunc mundum dives & miſericors negotiator cæli & commutatione mirabili inivit commercium ſalutare, noſtra accipiens, ſua tribuens.* Hoc ſalutari commercio merces ſuas diſtraxit Seraphicus Franciſcus, quem cum aſperrima hyeme germanus frater offendiſſet, & hominem ſub Iove frigido, ſeminudum & frigore

a Barryſoli. pag. 475. *b* Leſſ. de ſum. bono l. 1. c. 2. *c* Vid. Aug. l. 13. de Trinit. cap. 3. & 4. *d* Se. d Paſſione.

prope

UVA. BHSC. BU 02224

prope enectum conſpicatus, deridiculo ab eo quæri juſſit, ſudoris guttam ſibi venderet. Franciſcus, qui pretium ejus probe norat, Dic, inquit, fratri, omnes ſudoris mei guttas liberaliori Domino, & quidem caro me vendidiſſe.

Nunc & parui ducas cum Borgia lapillos calceis, qui in altero orbe in adámantes permutandi ſunt, imponere, oculum cum eodem claudere, ne falconem prædæ inhiantem videas. *a* Nunc & rideas doctiſſimum ac integerrimum virum Thomam Sanchez altero ſemper pede ſuſpenſo accubuiſſe. *b* Micas quis abjiciat, quas in Sancti Ordinis manu Abbas in margaritas converſas vidit, cum iſtiuſmodi omnes magnus ille pater-familias extollat, dicens: *c* *Qui ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Et ut Auguſt. lib. 4. de doctrina Chriſti cap. 1^8. *In minimo fidelem eſſe maximum eſt.* Si quis hic plura deſideret, conſulat ſolitudinis Barry diſſertationem matutinam pag. 3,7. & Nigronum noſtrum de cura minimorum. *d* Hactenus illud Apoſtoli proſecuti ſumus, momentaneum ac leve tribulationis, & mortificationis, immenſum gloriæ pondus operari; ſed hoc momentaneum fortaſſe alicui diuturnum, ac illud leve, ſibi grave quiſquam ducet, ut ſimus *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes.* His adhuc meliori pretio, regnum cælorum venale propono.

a Alargambo in bibl. *b* Rodriq. de mortifica. tract. 1. l. 13. *c* Matth. 25. *d* 2. Cor. 4.

§. V.

Qui oratione brevi, aut verſiculo levi, imo vel verbo, ingens minerval retulerunt.

NEmo quiſquam inficiabitur auream fuiſſe Iſocratis orationem, pro qua viginti talentis, ſeu mille ducentis Philippeis, profuſa manu donatus eſt.

Domitianus Cæſar, conſueto teſte Suetonio, oratoti centum H. S. id eſt, duo millia quingentos Philippeos in minerval appendit: deſierit Midas inaurare, quæ hic dare. At ne noſtra tranſeamus, fuit non ita pridem Pariſiis aſſentator, qui (alludens ad inſignia, urbis Pariſienſis, quæ navim referunt, & ad Marchionem d'Ancre cum hanc brevem encomiaſticam ad Richelium habuiſſet

Navire ne crains pas: ton pilot
eſt un Dieu;
Iamais ton ancre fut en un ſi
Riche-lieu.

ducentos aureos retulit. Brevis ſermo, ſed pretioſus; & hæc in vanos & profanos oratores, in ſacros Deus immenſum profuſior. Curtium certe brevitate ſtyli ſuperarat, qui hanc ſuccinctam ad magiſtrum encomiaſticam habuit: *e* *Tu es filius Dei vivi.* Hujus levis operæ pretium quæris? eo evectus eſt dignitatis ac poteſtatis, ut in terris non haberet ſuperiorem. Paucis ille, è funeſtis roſtris latro perorat: *f* *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Dixit, & àpatibulo in ſolium effertur, regnum cujus non erit finis ad-

e Matth. 16. *f* Luc. 23.

eptus.

UVA. BHSC. BU 02224

eptus. Ecquis legatus magis Laconice dixit, quam cæleſtis ad cælorum Reginam? hanc tamen ſi quis oratiunculam vel ſemel, etiam vagus legat, *in pretium mundus non ſatis unus erit.* Velim alta mente repoſtum, quod in hanc rem adfert Paulus Barry. *a* Monialem fuiſſe ait, lethali morbo correptam, quæ per ſeptem ſupremos vitæ dies variis doloribus, convulſionibus, & anguſtiis adeo conflictata eſt, ut vel ſpectantibus commiſerationis lacrymas exciret; ubi è vivis exceſſit, præſentiam ſuam declaravit Superiori, & de ſalute ſua non modo certiorem fecit, ſed & edocuit, tantam Deum operibus juſtorum, etiam minutiſſimis mercedem conferre, ut ſi copia fieret ad vivos redeundi, id unicum in votis eſſet; atque hoc indubitatum habere, quod libens omnes dolores, ac corporis animique cruciatus, quos extremis vitæ diebus acerbiſſimos perpeſſa ſum, denuo ſubirem, hac ſolum ſpe, ut vel tantillum ex iis omnibus gratiæ ac gloriæ reciperem; quantum quis conſequitur vel unicam dumtaxat ſalutationem Angelicam, etiam cum mentis evagatione recitando. Quis nunc pretium, & præmium æſtimare valeat eorum, qui indies integram cæli Reginæ & animo attento corollam pertexunt? *b* In quo ſtudio Mariano idem auctor, hominem Societatis prorſus eximium ſe noviſſe commemorat, qui tribus ſupremis vitæ ſuæ annis cæcitate percuſſus, recitavit ſupra triginta duo millia roſariorum. ſolemne illi erat indies, trigeſies penſum illud Marianum perſolvere. Mortuus Avignione anno 1628. qualem vero hic theſaurum in alio orbe reperererit, ſcrutetur ille, qui tribus annis ad quindecies centena millia Salutationum Deiparæ recenſuerit.

c Mitto nunc Mæcenatis in Poëtas, & potiſſimum in Maronem liberalitatem, in quem ob paucos verſiculos ad ſex millia ſeſtertia effudit.

Fuit cum coram Livia librum ſuum ſextum recitaret, in quo, ubi ſub finẽ Marcellos induxit:

Aſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur: Et juniorem compellans:
Heu miſerande puer, ſiqua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Livia exanimis corruit; vixdum ſibi reddita, adnumeravit Virgilio ſingulos verſus, quos alienata non audierat, ut eoſdem repeteret, decies ſeſtertia: cumque verſus 21. ſupereſſent, retulit pro iis, quinque millia ducatorum. Nolim hic extollere Lyſandri Regis liberalitatem, qui Antiochi Poëtæ ſibi paucis verſibus gratulanti, galerum auro opplevit.

Beſſarion Cardinalis cum in Bacchanalibus à Ioanne Antonio Campano, (qui poſtea Aretinus Epiſcopus) ſub perſona larvati ephebi latinis verſibus ad lyram decantatis laudatus eſſet, lyriſtæ tot aureos, quot verſus donavit.

Prætereo Oppianum, qui cum

a Barr. Iannee Sancte part. 4. v. 41. die Nov. foſto omnium SS. *b* Ibid. Barry part. 4. l. 2. devot. 3. pag. 72.

c Pierre Meſſie part. 3. c 9.

M. An

UVA. BHSC. BU 02224

a M. Antonio Imperatori poëma de piſcibus dedicaſſet, in quemlibet verſum aureum accepit, unde carmina aurea dicta ſunt.

b Recentiora non attingo, Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum captivum, hoc unico verſu,

Gloria, laus, & honor, tibi ſit,
Rex Chriſte, redemptor.

libertate & vita donatum eſſe.

Scio plus pretij ac mercedis, complures vel uno verſiculo Regij vatis conſecutos, ipſum Cacodæmonem cælum emere potuiſſe hoc uno hemiſtichio: *Miſerere mei Deus.* Sed hæc omnia libens prætereo, & verbo abſolvo. Mirum in modum luſio in verbo quandoque placuit & nominis omen, fortunas ampliſſimas ſæpe donavit. Ita memini me audiſſe nomen generoſiſſimi illius ducis *Laberlot*, unum aliquem felici anagrammatiſmo ſic vertiſſe. *Laberlot* anagramma *Bellator.* atque hoc ſolo verbo reperto, decem aureos retuliſſe.

Sparſerat fama Mauritium ad Neoportum occubuiſſe; ubi Hagam comitis reverſus, fuit qui ſic illum compellavit: *Mauritius* Anag. *Mars vivit,* & confeſtim inventorem aureo torque ſibi devinxit. Hæc omnia ut maxima ſint munificentiæ teſtimonia, minuta videbuntur, ſi cum iis quæ dicturus ſum conferantur.

David ſummi Regis hoſtis capitaliſſimus, turpi adulterio ac infando homicidio ad æternos rogos damnandus, verbo unico delictorum veniam, nu-

a Volater l. 17. antroph, *b* Beyerlinc. theat. litt. P. pag. 96.

minis gratiam, opes vero hic ampliſſimas, inſuper & ipſum Regnum cælorum adeptus eſt. *En,* inquit, Amb. *c quantum tres ſyllabæ valeant Pec-ca-vi.* An aliquid levius reperiri poteſt, quo regnum cælorum comparetur? S. Gregorio ſupremam Deus contulit dignitatem, eundemque multis ſpiritualibus gratiis ob unicam eleëmoſynam locupletavit. *d* Ita Deus Telonarium, quod unicum panem, quamvis indignabundus & invitus, in pauperem proieciſſet, tanto favore dignatus eſt, tantamque gratiam ei impetivit, ut homo ſceleſtus cæleſtis evaſerit. Deprædicetur nunc Ludovici XI. liberalitas, qui ingentem rapam ſibi oblatam, ubi hominem laute curaſſet, mille florenis donatum dimiſit, aut ut tu noveris, quia Regi noſtro, teſte Eccleſiaſte, *e minimum pro magno placeat.*

c Amb. l. 2. de pœnit. *d* Nieremb. vita divi. C. XI. *e* Eccle c. 29.

§. VI.

Regnum cælorum hauſtu frigidæ venale eſt.

MAtth. 10. *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Expendunt Patres exiguitatem ac vilitatem rei, cui mercedem promittit. Chryſoſtomus, vel ut alij, auctor operis imperf. Hom. 26. in Matth. *Frigidam aquam dicit, ut ne calefaciendo, laborem impendat;* imo nec ſumptus. Hieron, *ne in calida, paupertatis, ex penuria lignorum* (aut lebetis) *occaſio quæreretur.* Qui frigidam dederit etiam

UVA. BHSC. BU 02224

iam uni ex minimis, & ex nomine discipuli, non perdet mercedem; sed qualem, quantam? totum Regnum cælorum in sacoma appenditur. Aug. hom. 13. *Regnum cælorum venale est, pretium eius calicem aquæ frigidæ esse voluit.* Nonne scitè, ut Festus ait, *aqua* dicitur *à qua* omne bonum profluit? Quis nunc miretur, si *a* Artaxerces Sinetam hominem agrestem pro fontana, cava manu oblata, mille daricis cum aurea phiala locupletarit?

b Exsuperat illud forte, quod refert Iosephus (quem Hieronymus Livium Græcum appellat) Cajum Imperatorem jussisse Agrippam purpuratum, palam comprehendi, & in vincula conjici: cumque æstus esset vehementior, & siti arderet incredibili, è carcere conspicatur quendam è Caii servis, nomine Thaumastum, qui fontanam Domino ferebat: hominem amice compellat, ut haustum frigidæ sibi porrigat. Quem ut alter præstitit, addidit, ubi fortuna se vinculis exemisset, se gratiam relaturum. Respondit eventus. Mortuo Caio hic è carcere in solium ascendit; atque ut comprobaret

c Quam bene apud memores, veteris stat gratia facti,

Thaumastum acciri jubet, & primatem regni sui constituit. Ita in supremo illo die, ubi Imp. noster federit in sede Majestatis suæ, in regnum, benedicti illi adscribentur, qui sitienti hic Imperatori nostro, in persona captivi & egeni, haustum frigidæ non denegarint. Minima ergo dare ne moremur, monet Chrysost. *d Deus non postulat à nobis quod pretiosum sit, aut sumptuosum, sed panem, sed tectum,* sed micam, sed haustum frigidæ: & hæc minima, mercede magna nimis compensat, pro haustu aquæ opulentissimum regnum rependit. Fidem vobis adstruam ex Nicephoro & Baronio: *e* Cum Leo nondum divino nutu, imperiali dignitate exornatus, privatus degeret, in hominem cœcum tota via errantem incidit; cujus vicem miseratus, se ducem cœco præbuit; jamque itinere aliquanto confecto, cœcus hic ardentissima siti plurimum conficiebatur: itaque apud Leonem valide institit, ab eoque crebrius contendit, vt vitæ laborem in umbra quapiam aliquantum solaretur, & sitim suam haustu frigidæ levare dignaretur. Ille igitur misericordia in pauperem motus, densam sylvam omnem perlustravit, & si quis aquæ humor ibi scateret, scrutatus est: dum tandem post longam defatigationem, in profundiori fossa turbidam aquam reperit, eaque hominis cœci sitim restinxit. Vultis hujus turbidæ aquæ, hujus, & miserrimi potus pretium agnoscere? imperio orbis maximo haustus ille veniit, & cœco lucem restituit. Exemplo enim vox cælitus audita est, quæ *de nomine Leonem compellavit, & imperialem dignitatem primo quoque tempore ei adventuram certo denuntiavit.* Mortuo igitur Marciano (inquit Nicephorus) communi Senatus calculo, Leo Tribunitius, Impera-

a Ælianus. *b* Ioseph. lib. 18. antiq. c. 8. Hier. epist. 22. *c* Virg. 4. Æneid.

d Chrysost. hom. 44. in Gen. *e* Niceph. l. 15. c. 5. Baron. an. Christi 458.

UVA. BHSC. BU 02224

tor Romanorum ſalutatus eſt, & à Patriarcha Anatolio, diademate coronatus. Veriſſime Chryſologus, profuſam Numinis munificentiam collaudans: Fragmento panis vendit regnum, hauſtu frigidæ vendit paradiſum, quis excuſare poterit non ementem? Regnum non terrenum, Palatium non manu factum, quemadmodum Leoni contulit, ſed regnum æternum adpromiſit.

Quin Deus ardet, & ſitit ſua munera profundere, plus erogare quam nos rogare ſatagit, ultro à Samaritana frigidam petit: *Mulier da mihi bibere.* Auguſtinus in Ioan. *Petit Chriſtus bibere, & promittit bibere; eget quaſi accepturus, & affluit tamquam ſatiaturus:* petit hauſtum frigidæ, ut det fontem aquæ vivæ ſalientem in vitam æternam. Pro calice aquæ frigidæ, torrente voluptatis potabit eos. Rebecca pretioſiſſima cimelia, ampliſſimas & opulentiſſimas nuptias vel ſolo hauſtu frigidæ adiit, Gen. 24. *Puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſervo tuo Iſaac, & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo.* At ſponſæ Chriſti æternas nuptias, regni hæreditatem Deus decernet, dum dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum;* ſitivi enim, & dediſtis mihi bibere. Pro calice aquæ frigidæ qui apud homines nihilo æſtimatur, in cælorum Regnum illos adſcribit, vt veriſſime cum Propheta concludere poſſim: [a] *Pro nihilo ſalvos facies illos.*

[a] Pſal. 55.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XIV.

Audientes verbum retinent. Luc. VIII.



MICATAVRIBVS.

3. *Georg.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Inauribus confertur verbum Dei, quod copia concionatorum vi- luit. Vbi agitur: Omne carum, aquod rarum. Unde, *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* 1. Reg. 3.

§. I. *In pretio verbum Dei habendum, non secus ac pretiosissima inauris.*

§. II. *Quemadmodum non margaritam, sed vitrum quadam pro inauribus gestant: ita & quidam potius fucum verborum, quam rei veritatem appendunt.*

§. III. *Vt gemmis & inauribus, ita & Verbo Dei raritas pretium facit.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Audientes verbum retinent. Luc. 8.

NOn deerit qui magni fecerit Cleopatræ Reginæ Ægypti magnificentiam: quæ Antonio in Ciliciam eunti, regium instruxit convivium; cujus aulicum omne instrumentum aureum erat, gemmis etiam confertum singulari opificio. Mitto parietes purpureis aureisque peripetasmatis inumbratos, suffitus ac pretiosos fumos, aliaque ornamenta. Duodecim ad hunc modum tricliniis constratis, excepit Romanum Principem cum suis. Ibi Antonio apparatus splendorem cum stupore mirante, renidens Cleopatra, omnia se illi dono dare respondit; adeoque in diem posterum cœnam ei conduxit. Ad quam dum postridie convenit, hactenus apparatus præ eo despicabilis videbatur; ac itidem peracto convivio, omnia illi condonavit: dum interim gloriatur hæc apud Antonium, mediocres illos sumptus fuisse, cogitare se aliquid splendidius, atque velle centies sestertium unum in ferculum expendere. Quod cum merito incredibile Antonio videretur, & fieri posse negaret, sponsione utrimque facta, experiri placuit. Venitur in convivium, quod Regina de industria quotidianum esse voluit, sine exquisitissimo apparatu. Hic mirari Antonius, illudere etiam deinde, atque victor præmium sponsionis exposculare: ad secundam illa mensam expectare jubet, quæ cum illata esset, & intenti omnium in Reginam essent oculi, illa vultu ad hilaritatem composito, Sola, inquit, Antoni, volo centies sestertium uno bolo cœnare. Duos maximos uniones, pretio inæstimabili ex auribus appensos gestabat, quos Plinius *maxime singulare & vere unicum naturæ opus* appellat: tum pateram cum generoso aceto poscit. Expectantibus omnibus quid factura esset, alterum ex auribus detractum unionem mersit, & liquefactum absorbuit, ac victrix in sponsione evasit: cum nihil toto orbe pretiosius inaure[illa reperiri potuisset, quæ centies sestertium, hoc est, teste Budæo, ducenta quinquaginta millia aureorum pendebat. *a* Ex quo, in rem nostram expendite, quanti pretii sit, fueritque apud varias gentes *inauris*, quæ *micat auribus*: sæpe integra patrimonia ac regna appenderit: *b Video uniones* inquit Seneca, *non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt, junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur; non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis perpendissent.* Et de vita beata quærit: *c Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit*, dum ut ait Satyricus,

a 3. Greg. *b* Seneca l. 7. de benef. c. 9. *c* Sen. de vita beata c. 17.

Auri-

UVA. BHSC. BU 02224

Auribus extentis grandes dimisit elenchos?

Scitè inauris pretium, ævi nostri ocellus, appendit:

Gemmat ab aure lapis: miror, nil mollius ima
Auricula, & forti vulnere saxa gerit.
Quin gerit & fundos: quid? prædia tota vel una
Aure gerit mulier; major Atlante vir est.

Sed ne poëtis nos plura affingamus, sanctorum Patrum de inauribus sensum requiramus. Stupet Hieronymus epistola ad Demetriadem, *a* non neminem *suspendere ex auribus patrimonia.* Demiratur ævi sui luxum Cyprianus, quod *de aurium cicatricibus, & cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, at quantitate.*

His accedit acris, de inaurium pretio, Tertulliani censura: *b Saltus & insulas tenera cervix fert; graciles aurium cutes kalendarium expendunt.* Videtis, ut opinor, quanto in pretio inaures fuerint, & quanti quisque vestrum eas æstimet: at longe præstantiores, multo pretiosiores, hodierna die auribus vestris appendam, quæ omne earum pretium longe exsuperent, digniſſimas, quas

------ *c referatis ad aures.*

Divina illa vere, & Phœbi tripode digna vox, qua olim Athenienses oraculum monuisse, narrat Atticæ facundiæ facile Princeps Dion Chrysostomus: *d* cum enim sedulo quærerent, qua ratione optimis legibus & institutis firmarent civitatem, fertur numen respondisse, beatam fore Rempublicam; si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est, appenderent; at illi puerorum auriculas pertundebant, auro & gemmis onerabant, hoc rati, inaures rerum omnium natura pretiosissimas esse: at toto cælo ab ore oraculi aberrarunt; inaures mysticas, salutaria monita, virtutum præcepta appendi volebat. Has certe divinum oraculum postulabat: has omnium vestrum auribus, non puerorum modo aut puellarum, sed & virorum inferendas esse sacræ literæ proclamant. Genes. 24. donati Eliezer Rebeccæ *inaures aureas, appendentes siclos duos.* Vbi August. *Inauribus aureis, significantur verba divina.* Et uberius serm. 75. de tempore: *Quomodo Rebecca non inaures habere potuit, nec annulos in manibus, nisi Isaac per servum suum transmitteret; ita Ecclesia nec verba divina in auribus, nec opera sancta habere potuisset in manibus, nisi hæc illi Christus per suam gratiam & per suos Apostolos* (divini verbi præcones) *contulisset.* Nec mysterio caret, inaures siclos duos appendisse: scio apud Græcos, puellas utraque aure inaures gestasse, pueros vero in dextera dumtaxat, ut S. Isidorus observat: *e Inaures ab auriumforaminibus nuncupatæ, quibus pretiosa genera lapidum dependuntur. Harum usus in Græciæ puellæ utraque aure, pueri autem dextera gerebant.* Sed apposite Hugo Carensis, qui hanc quæstionem movet: *Inauris aurea,* inquit, *est doctrina Catholica, quæ in aure percipitur. Sed cum uni-*

a Hieron. ad Demetr. *b* Tertull. de habitu muliebri. *c* Virg. Ecl. 3. *d* Dion. ad Alexand. Orat. 32.

e Lib. 19 cap. 31.

UVA. BHSC. BU 02224

ea sit doctrina Catholica, cur ei duas ostendit inaures? quia duobus, ut ait Hugo Cardinalis, *doctrina consistit, in eruditione fidei, & instructione morum. Vel in detractione mali, & in ædificatione boni.* Vel ut ait Rupertus, *quia in duobus præceptis lex pendet & Prophetæ.* Quæ duo per sacros Ecclesiastes vestris auribus apte inseruntur.

§. 1.

In pretio verbum Dei habendum, non secus ac pretiosissima inauris.

MErito nobis ruborem incutit primorum Christianorum fervor, & sitis audiendi verbum Dei, ut recte dici possit: *a Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* Patet ex illo Lucæ: *b Turbæ requirebant eum, detinebant eum, ne discederet ab eis.* Et iterum: *c Cum turbæ irruerent in Iesum, ut audirent verbum Domini.* Marcus vero: *d Convenit,* inquit, *iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.* & alias sæpe, relictis ædibus ac sedibus cum omni familia, illum etiam jejuni per triduum secuti sunt.

Observatione dignum est quod S. Paschasius monet in illa verba, *e Constituerunt ei triginta argenteos.* Quærit ut quid 30. quem in finem? & respondet animum Iudæ vendentis, & Iudæorum ementium Christum fuisse, ut quemque annum, quo vixerat, usque ad tres ultimos prædicationis, uno argenteo æstimarent: *Tot argenteis,* inquit, *emitur, quot annis peregrinatus est in hoc mundo f* Tres vero postremos prædicationis annos, nullo satis digno pretio, vel ipse Iudas & Iudæi valebant æstimare. Idem pretium ac valor fuit, per quemcumque Dei verbum populo exponeretur.

Actorum 17. ubi Paulus & Silas venissent Bœotiam, *nobiliores susceperunt verbum cum omni aviditate;* sic ut quemadmodum ad spectacula modo confertim populus confluit, sese premunt ut interesse possint, ita hi ut verbum Dei exciperent. Chrysostomo ad populum verba facturo, theatra & spectacula dimittebantur, secumque mutuo certabant, uter prior ad audiendum conveniisset: nunc vero ad spectacula, ad histrionem aliquem, deserta concione, concursatur. Leviter hic B. Nili flumina decurrere finamus, qui sermone de S. Ioanne sic ait: *In solitudine versabatur, & civitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant.* (nec de plebe, tantum) *qui sericis vestibus induebantur, ad zonæ pelliceæ spectaculum concurrebant: sub dio manere non recusabant, qui auratas domos incolebant; super arenam cubabant, qui in lectis, gemmis distinctis cubare consueverant.* Olim civitas effundebatur in desertum, ut Ioannem audiret: nunc vero concionatores in urbibus, in templis sunt clamantes velut in deserto, ab omnibus distituti, & ut plurimum semen, quod est verbum Dei, super lapides cadit. *g* Quod quam indignum, ex hoc prodigio collige, quod cum homines deessent, ipsa saxa Venerabilem Bedam quasi

a 1. Reg. 3. *b* Luc. 4. *c* Luc. 5. *d* Marc. 3. *e* Matth. 26.

f Ita Nyss. serm. Dom. 3. quadr. disc. 8. *g* Raderus in virid. de SS. Cæuis.

aurita

UVA. BHSC. BU 02224

aurita auſcultarunt: nam dum ſigno Crucis dictionem finiret, ſaxa reſponderunt: *Amen Venerabilis Presbyter.* unde poſthac ſemper Venerabilis audivit. *Vellem tamen ſcire* cum magno Auguſtino, *a qui hic ita verbum Dei contemnitis, ſi ab illa hora qua verbum Dei prædicari cœperit, ſemper pretioſiſſimas gemmas & inaures, vel annulos aureos erogare vellemus, utrum dare vel accipere vellent filiæ noſtræ? ſine ulla dubitatione. Nos vero quia ornamenta corporalia offerre nec poſſumus nec debemus, ideo non libenter audimur:* & ornamenta animi præ his jam longe viluerunt. Vbi nunc concurſus ille, quem quondam habuit Vincentius ex antiqua Ferreriorum familia, qui ad octoginta millia auditorum dixit, campo pro templo, clivo pro ſuggeſtu uſus? at modo conciones Vincentii vel Tullius ipſe ediſſerat, heu quotam auditorum partem coget? quis nunc ſub dio, ardente ſole, imo denſa in pluvia continenter ſacrum Oratorem audiat, ut Antonius de Padua à ſuis auditus eſt? Vbi nunc ea attentio & reverentia, qua olim Gregorius Nazianzenus per plures horas diſſeruit, ut nullum murmur, nulla tuſſis, nullus ſcreatus, ne muſſitare quiſquam, niſi forte erumpens quandoque gemitus audiretur, ut ipſe de ſe fatetur *Orat.* 12. *quæſt.* 2.

Iudicum 3. Aod, qui venerat ut occideret *b* Elgon Regem Moabitarum, dixit ad eum ſedentem in throno: *Verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno*, licet eſſet *craſſus nimis.* Quærit Abulenſis ad quid aſſurrexerit: Dicit: *In reverentiam Verbi, ut non audiret illud ſedendo.* Non minorem venerationem verbo Dei habuit Conſtantinus Imp. qui Euſebium Cæſarienſem concionantem ſtans audire volebat, dicens, *debere à ſtantibus verbum Dei audiri, ut animo altius inſideret.* Hoc ſi ſomnolenti Auditores modo ſpectarent, non tot nictarent & altum obdormiſcerent, aut quod longe deterius eſt, otioſis fabulis dicentem obtunderent. Hoc olim quæſtus Auguſt. *c Vbi Verbum Dei cœperit recitari, quaſi in lectulis ſuis ita jacere volunt; atque utinam vel jacerent tantummodo, & tacentes Verbum Dei ſitienti corde ſuſciperent, non etiam ſe ita otioſis fabulis occuparent, ut quod prædicatur nec ipſi audiant, nec alios audire permittant,* cum potius attenta mente, arrectiſque auribus adſtare & excipere oporteat; uti præclare exemplo ſuo nos edocuit Guilielmus Sirletus Cardinalis: qui vel levem animi evagationem graviſſime in ſe vindicavit. *d* Etenim cum forte concionatorem audienti, amiſſi argentei recordatio importuna recurreret animo, reſtitiſti tu quidem tunc, atque obluctatus es; verum cum templo egreſſus loculos recuperaſſes, indignans moleſtam eorum tibi cogitationem fuiſſe, illudque increpans, Vindicabo ego & magno meo bono: ſexaginta, quot erant, aureos ad ſancti Spiritus noſocomium detuliſti, atque ægrotis donaſti. Macte fama vir magne,

a Aug hom 26. ex 50. b Canone Apoſtolico de conſecratione diſt. 1. Euſeb. Cæſar l. 4. de vita Conſt.

c Auguſt. cit. d Rho exemplа virtutum de Religione l. 3. c. 12. p. 382.

UVA. BHSC. BU 02224

& Vaticana dignus purpura, qui argenti aurique virus, egregiam verteris in theriacam. Iam non modo aures, sed & animus alto somno oppressus occluditur; quamvis tot exemplis edocti simus, ne particula Verbi Dei in terram caderet, aut animo evaganti elaberetur. Quod quam sedulo spectandum sit, ex hoc luculento Augustini disces testimonio. a *Quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei, an corpus Christi? si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus Dei verbum, quam corpus Christi: & ideo quanta solicitudine observamus, quando nobis Christi corpus ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tanta solicitudine observemus, ne Verbum Domini, quod nobis erogatur, de corde nostro pereat.* Et merito ambæ aures tinniunt ad causam, quam subjungit: *Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi, in terram cadere negligentia sua permiserit.* b Laudat Paulus Thessalonicenses: *Cum*, inquit, *accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei.* c Incredibile quanta reverentia verba Principum, ac Magnatum, passim excipiantur, & quo in pretio habeantur; quid ni verbum Dei? Rex Tartarorum volebat verba sua de genu accipi à Duce Moscovitarum, quem ea conditione in fidem receperat, ut mandata Tartari, tantus Dux genu flexo audiret: quin & in Belgio reperti, qui non nisi de genu suos audire solebant. Vt hoc perperam; at hoc juxta prudentiam, ut verbis legati eadem fides, quæ verbis regis adhibeatur: ut Rex Hispaniarum aliquando coram, nunc per literas ad suos, ita Deus olim cum hominibus conversatus est: nunc per sacras literas, & legatos suos; ut apposite d Chrysost. Deus ab initio per seipsum hominibus loquebatur: *Sic enim ad Adam venit, sic Cain increpavit, sic cum Noe locutus est, sic apud Abram hospitatus est, & suam erga illos* (homines) *amicitiam innovare volens, quasi absentibus, litteras misit, conciliaturus sibi universam hominum naturam; & has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moyses* tanquam bajulus. Sed utinam eum honorem ac venerationem sacris literis habeamus, quam homines Regiis exhibere solent!

e Anno Domini 1596. ut referunt annales Societatis, Potentissimus ille Rex Chinensis literas destinavit ad Tayquosama Imperatorem Iaponiæ, qui 66. regnis prædominabatur. Hisce literis tantum honoris ac reverentiæ exhibitum, ut purpurea Regis sella inclusæ, à quatuor equis regio more deferrentur: stipabant has non secus, ac ipsum Regem, copiæ aulicorum ac primatum regni, ut nemo quisquam comitatum ac pompam hanc intuitus, dubitaret, quin Rex ipse deduceretur; nec minori plausu ac honoris exhibitione literæ exceptæ à Iaponensibus, quam si ipsum regem excepissent. Quid nos Christiani? cum

a Aug. l. 50. hom. 26. b 1. ad Thess. 2. c Pise tom. 1. p. 192.

d Chrys. h. 2. in Gen. e Pera. in Sexag.

UVA. BHSC. BU 02224

ut Auguſtin. ait: *a De illa civitate unde peregrinamur, literæ nobis venerunt, ipſæ ſunt Scripturæ quæ nos hortantur ut bene vivamus.* Has literas, quadriga illa ignea Ezechielis in has oras invexit. Has ſtiparunt tot purpurati Martyres, tot Confeſſores ac Virgines. Eccur non eo in pretio, quo regiæ habeantur? Greg. lib. 4. Epiſt. 84. *Quid eſt ſcriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?*

b Chryſoſtomus vero quam jure excandeſcat decernite: *Itane*, inquit, *ſi à Rege quiſpiam miſſus veniat, omnes attenditis; à Deo autem venit, atque ex ipſis cælis loquitur Propheta, & nemo eſt qui attendat. Aut non creditis quæ dicuntur hic, à Deo ſint? epiſtolæ illæ ſunt à Deo miſſæ.* Et qui hoc compertum haberet, Deum ſibi per ſacrum Eccleſiaſten loqui, non multum attenderet facundiam dicentis, aut ſi verbum hominis, Dei verbum, epiſtolam Omnipotentis ad ſe deſtinatam crederet, an non attentiſſime exciperet?

c B. Franciſca à Ieſu Diſcalceata, tanta voluptate conciones excipiebat, ut quomodocumque dicerent, ſuſpenſa penderet ab ore, & quo fructum uberiorem verba in animo rederent, ea lacrymarum imbre perpluebat. Mirantibus virginibus, quibus homines ineptos non ſemel audire graviſſimum erat, ſolerter reſpondit: Peregrini exuleſque, qui literas aut nuntios de patria, cognatis, atque amicis audiunt, parum admodum de eleganti eorum elocutione, aut litterarum ſtylo curant, dummodo gratiſſimam habeant narrationem; quid ni ergo quicumque peregrinamur à Domino, etiam minus diſerte de eo narrantes, libentiſſimis auribus ac animis hauriamus? Norat illa in divino præcone non advertendum quam concinne geſtiat, quod Mimorum eſt, quam diſerte dicat, quod Tullianum magis quam Chriſtianum eſt, ſed quam apte ipſam veritatem, ac quam ſolidam doctrinam proponat. *d* Ita Patrem Laynes virum tantum dixiſſe ferunt, nulla perſonæ ratione habita, ſe ex cujuſvis fraterculi concione ſemper doctiorem decedere.

d Nigron in Reg. 2.

§. II.

Quemadmodum non margaritum ſed vitrum, quædam pro inauribus geſtant; ita & quidam potius fucum verborum, quam rei veritatem appendunt.

NUnc *e* eo ſæcula delapſa, ut merito illud Hieronymi uſurpare poſſim: *Tanti vitrum, quanti margaritum.* Dum pluris phalerata verba, ac evanidam dictionem, quam ſolidam doctrinam ſectamur; & nil niſi quiſquilias ac nugas auribus inſeri adoptamus, quod quam ab intelligentibus viris alienum ſit, D. Proſper diſerte tradidit, dicens: *f Prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia: quando non res pro verbis, ſed*

a Aug in Pſ. 90. ſerm. 2. *b* Chryſ hom. 3. in c. 2. Theſſ. *c* Rho exempla pag. 383.

e Hieron Ep. ad Lætam, & ad Demetriad. *f* S. Proſper lib. 3. de vita contemp. cap. ult.

UVA. BHSC. BU 02224

pro rebus enumerandis verba sunt instituta; uti & jure meritissimo è prudentium albo expungeretur, qui frondes præ fructibus legeret. *a* Auree Chrysologus: *Verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit despicit amœna camporum.* Sed de hoc uberius præfatus sum.

Arguit & alios Augustinus, qui magis attendunt personam dicentis, quis, cujas, cujus conditionis, ac probitatis, quam doctrinam quam tradit. Certe ne vitam in flagitiis ac pravis dogmatis transactam, sed ipsum verbum Dei attenderent, sic suos hortatur: *b Ego quid sum*, inquit, *nisi cophinus seminatoris? ille in me ponere dignatus est, quæ vobis spargo: nolite attendere ad vilitatem cophini, sed ad claritatem seminis, & potestatem seminatoris.* Quis passim advertit, quis baiulus, an potator, an scortator? quin potius quid literis contineatur attendit? Panis quem corvus tulit Eliæ, & Antonio in deserto, non minus sapidus erat, quam ille quem Angelus Eliæ, aliisque exhibuit. Corvum me dicite, sed candidissimo verbo Dei vos pascentem. Corem me expertem secandi, asinum ac fungum concionatorem reputate; per asinam tamen Deum vaticinatum, è mandibula asini fontem, ex ore Leonis mortui favum mellis colligi posse indubitatum est. Quin & Petrus Damianus addit: *Virumque juxta proprietatem sapuit, unde sumptum fuerit, non magnopere discrevit.*

Vlmus infructifera sæpe portat vitim, ait Origenes, & fuit qui apto emblemate expressit concionatorem torpentem ac frigentem posse auditores incendere, dum speculo caustico hoc lemma subjecit:

Pariunt quoq; frigida flammas.

Similia possim obvia sunt, dum in familiis vestris, & in compitis, fontes ac limpidissimas aquas in antleis, per ora leonum ac serpentum scaturire cernitis. Quin & deformes artifices, venustas effigies effingunt, ut Apelles specie Therstites, speciosam Helenam; & scelerati ac heterodoxi sculptores, affabre crucifixum efformant. Ecquis minoris facit lumen funalis, quo vesperi domum deducitur, etsi ephebus illud portans, non videat quo vadat? imo in manibus cæci, non minus illuminat; hoc enim sensu Damianus ait: *c Vt ita loquar in manu cæci positum est lumen; non quod ille conspiceret, sed quod aliis ministraret.* Ex quibus omnibus recte quisque conficiet, nec dicentis facundiam, nec oratoris mores ac vitam, sed doctrinam spectandam esse, juxta illud: *d Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere.*

e Margareta conjux Ludovici XI transiens atrium quoddam, conspexit supra scamnum Alanum, virum perquam eruditum, ac oratorem disertum, altum dormientem: accessit Regina ac dormientem exosculata est. Cuidam id miranti ac dicenti, quid hominem tam deformem (ut erat) oscularetur? respondit: Non hominem,

a Chrys. serm. 18. *b* Aug. hom. 26. ex 50.

c Petr. Damian. opusc. 6. cap. 10. *d* Matth. 23. *e* Loys Garon. cent. 2, v. 27.

sed

UVA. BHSC. BU 02224

ſed os illud aureum exoſculor, è quo tot flumina ſalutaris doctrinæ, ac moralis prudentiæ profluxerunt. Multum hæc oratori ſuo tribuit; at longe plus Catharina Senenſis, divini verbi præconibus, dum eorum non ora, ſed veſtigia, citra ullam perſonæ obſervationem, exoſculari conſuerat, & dicentis verba non ſecus ac pretioſiſſimos uniones auribus & cordi inſerebat: *a Qui enim*, ut Auguſtinus loquitur, *verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradiſi tranſmiſſas, ſe ſuſcepiſſe non dubitet.*

a Aug. hom. 26. ex. 50. tom. 10.

§. III.

Vt gemmis, & inauribus, ita & verbo Dei, raritas pretium facit.

CAuſam noſtis cur verbum Dei tanta aviditate exceptum? cur tanta frequentia ad primos Oratores confluxerit? cur ſermo Domini tam pretioſus fuerit illis diebus? S. Iſidorum audite: *b Pretioſi lapides, ideo quod rari ſint: omne enim quod rarum eſt, magnum & pretioſum vocatur; ſicut & in Samuelis volumine legitur: Et ſermo Domini pretioſus erat in Iſrael, hoc eſt, rarus.* Ea propter antiqui monachi ad plura ſtadia, non ſine gravi moleſtia, Dominica die ad urbes confluebant, ſacram doctrinam audituri; quod Theodoretus, de Zenone ſene agens teſtatur, dicens: Cum autem tales virtutum poſſideret opes, tanquam qui in extrema eſſet inopia, ad Dei Eccleſiam die Dominico veniebat, ut cum populo divinos audiret ſermones. *c* Teſtes Catholici in Anglia, Dania: teſtes Neophyti in Iaponia, China, Peraquaria: ubi, quia operarii pauci, quia ſermo Domini rarus eſt, ſuper aurum & lapidem pretioſum carus eſt. Ad 6. 7. milliaria concurritur: nocturna quiete poſthabita, per tecta, per latibula convenitur, cum ſummo diſcrimine fortunarum, & quibuſdam locis, etiam vitæ. Vbi valet illud Gregorii de Neophytis Eccleſiæ, adeo pretioſum tum temporis fuiſſe verbum Dei, *d ut etiam pro prædicatione vita daretur.* Nunc vero, ô tempora! ô mores! ſermo Domini, ut ex ore dicentis tanquam fluvius aureus, aut argenteus profluat, præ copia velut lutum plateârum conculcatur: *Facit namque faſtidium copia*, inquit Livius, *& frigidius amamus ſemper ea, quibus ubi lubet, potiri fas eſt.* Veritatem ab hoſte fidei condiſcite: *e* Cum Saracenus quidã Florentiam veniſſet, ac ibidem loci, novitate ductus, ſacræ concioni interfuiſſet, in uberes lachrymas ſolutus eſt. Cauſam rogatus: Saracenorum, inquit, defleo calamitatem, & Chriſtianorum oſcitantiam ac ingratitudinem: etenim ſi hæc prædicatio facta fuiſſet Damaſci, ad cætum centum millium, auſim ſpondere ſupra octoginta ſex millia ab errore convertenda. Ita prima Veritas; Si hæc in Tyro & Sidone, ſi hæ conciones in Anglia, in Iaponia, qui omnes in ſupremo die ſocordiam ac ig-

b S. Iſid. lib. 16. orig. c. 6.

c Nigron. in Reg. 2. n. 4. d V. Nyſſ. ſerm. Dom. 3. Adv. diſc. 1. e Bernardini de Buſto par. 1. Roſar. ſerm. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

naviam noſtram arguent; ſed fit nunc, ut Hieronymus per modum parœmiæ obſervat, *a Pretioſum omne eſſe quod rarum eſt.* Quod exemplis Romanus Philoſophus confirmat: *b Ita compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant; contra minimarum quoque rerum, ſi inſolita prodierint, ſpectaculum dulce fiat: hic itaque cœtus aſtrorum, quibus immenſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non convocat; at cum aliquid ex more mutatum eſt, omnis vultus in cælo eſt. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet. Nemo obſervat lunam, niſi laborantem; hæc tamen non annotamus, quamdiu ordo ſervatur; ſi quid turbatum eſt, aut præter conſuetudinem, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus.* Vt Eccleſiæ Doctores, & ſacri Eccleſiaſtes, qui ad doctrinam erudiunt multos, à Daniele ſtellis firmamenti conferantur, ſi tamen ut pauci eorum fulgore multum capiantur, ac delectentur: ubi per 6. 7. annos in eodem loco dixit, ut Chryſoſtomus ſit, vileſcere incipit; at ſi nova ſtella, ſi aliunde Antuerpia, Bruxellis, ex Francia, ex Hiſpania advolarit, novitate ducti, quaſi ad novum aſtrum occurrunt. Iſta novitas Demoſthenem Græcorum Principem ſeduxit: *c* Hic dum ſe conferret ad ſcholam Platonis, conſpexit in foro Athenienſi, hominum turbam novum philoſophum Calliſtratem avide auſcultantem, ad quem populus, novitatis prurigine, confertim accurrerat. Accedit, auditque illum & Demoſthenes & garrulitate ejus captus, poſt hac Platonem faſtidiit, qui tamen ſcientia ac doctrinæ ſoliditate hunc longe præcellebat. Ita paſſim vulgus novitate ducitur, & ſeducitur, nec ſapiunt quid virtutẽ ſapiat.

Quid admirabilius in orbe, lucidiſſimo illo cæli oculo? de quo Sapiens Eccli. 43. *Vas admirabile, opus excelſi;* Nemo tamen dignatur caput attollere ut ſpectet, quia indies ſpectabilis. Si quoque luſtro, aut ſæculo ſe ſemel dumtaxat exhiberet, quem non excireret quo non excurrerent ut viderent. Chriſtus ille concionatorum Phœbus, ſapientia Patris, facundia verbi; quem ut ſemel iterumque adierant, exclamant: *d Non ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo;* at ubi frequentius ad eos dixit, Sol ille nil admirationis ultra habuit; imo fervore ſuo quoſdam ira accendit; aliis doctrinæ ſuæ radiis tenebras offudit; unde c. 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Nec hoc ſatis; *Tulerunt vero lapides ut jacerent in eum.*

Paulus vas admirabile, vas electum, quem primo ut Angelum cælo delapſum admirabantur, tot diris ac tormentis poſtea infectati ſunt. Ita ſoles tantum abeſt ut aſpiciant, ut oculis & orbe eliminatos velint. *e* Eclipſis, ignis fatuus, cometa aliquis, aut etiam vana exhalatio jam plures excitat, quam tot ſcintillantes ſtellæ. An non ignes fatuos eos Eccleſiaſtes dixeris, qui à veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur? Hi attentum habent auditorem, qui ad ſolidam do-

a Epiſt. 7. ad Demetr. *b* Seneca l. 7. nat. quæſt. l. c. 1. *c* Guev. in Heroic. principis.

d Ioan. 7. *e* Hier. Ep. ad Euſt. de Virg.

UVA. BHSC. BU 02224

ctrinam oſcitare, ac obdormiſcere conſuevit. Quid quod ipſa concio ſomnum conciliare perhibeatur? cuidam enim percunctanti ab ancilla an herus eſſet domi? reſpondit, ad concionem iviſſe, ut tentaret ſi aliquantum ſomni captare poſſet. Expertus id olim Demoſthenes, de umbra aſini ſermonem exorſus, omnibus ilico ſomnum diſcuſſit. An non fatuos ignes, eos oratores dixeris, qui ut Roſcii ac Comœdi è ſuggeſtu geſtiunt, & ſi cachinnos auditorio moverint, egregium ſe plauſum retuliſſe putant? cum, ipſo teſte Hieronymo, *Dicentis laus in fletu audientium*. Vir criticus & admodum literatus, non ita pridem judicium de tribus Concionatoribus rogatus: Iſte, inquit; totus aulicus eſt, alter Comœdus, at tertius, inquit, pro rei dignitate verbum Dei tractat. Denique an non ad Eclipſes & igneas exhalationes concurritur, dum ad eos qui defectus aliorum, cœtus ac collegia carpere, ſugillare ſolent, popularis turba accedit? Hoc acre dicendi genus, quia rarum eſt, multis orexim movet: qui talem conſuetudinem non habent, deſeruntur. Sed de his, erit alibi ſuus dicendi locus, nos filum proſequamur, nil niſi rarum in pretio eſſe. Martialis lib.4. Epig. 22. excuſans multitudinem Epigrammatum, ſic ait:

Rara juvant: primis ſic major gratia pomis,
Hibernæ pretium, ſic meruere roſæ.

Nam ut primi fructus rariores, ita & cariores.

a *Vt roſa delectat, metitur quæ pollice primo.*

Sæculo quinto poſt an. milleſimum, dum illud Eraſmi opprobrium in Religioſos jactaretur: *Monacho indoctior*; unum aliquem Latinum Oratorem audiri, oraculi inſtar habebatur. Hinc præcoci ingenio Franciſcus Strada, totam univerſitatem Lovanienſem excivit; nunc præ copia literæ obliteratæ videntur. Ita primus in omni arte ſummus fuit, quia novus & rarus. Ceteri artifices, etiam ſuperiores dein ſecuti viluerunt; hic b Auguſtini ſenſus eſt, qui ubi varia artis, naturæ, imo & divinæ virtutis ſupra naturam miracula enumeraſſet, ſubjungit: Hæc omnia *aſſiduitate viluerunt*. ſic quinque millia in deſerto refecta miramur, & quotannis unum granum proferre centuplum, & frumentum quod uni alendo ſufficeret, ſeminatum, mille ſuſtentare, non obſtupeſcimus: quia *aſſiduitas experiendi, paulatim ſubtrahit admirationis incitamentum.* c Quid utilius aqua? ſed quia commune elementum eſt, quid ea vilius? *Aquam ſane optimam* dicit Pindarus, *ſed nihil ea vilius propter copiam*. Quid in ſe habet pretii glacies, aqua concreta? hæc tamen in canicularibus, auro immergitur, & Regibus in deliciis eſt. Quis vulgarem florem regium munus duceret, niſi intempeſtivus ſit. Ex Ægypto roſæ hybernæ mitti Romam ſolebant, quæ tempore verno illic abundabant. unde Pœta:

a Lib. 20. Epig. 77. b V. Aug. l. 21 de civit. c. 4. & tract. 24. in Ioannem. c Aug. de civit. cit.

UVA. BHSC. BU 02224

a *Ut nova dona tibi Cæsar Nilotica tellus*
Miserat hibernas ambitiosa rosas.

b Quin teste Plinio, Romæ tandem artem assecuti eas ad hyemem in vigore servandi. Unde Domitiano, velut Deo adulatur, ad cujus nutum natura vertat vices:

d *Dat festinatas Cæsar tibi bruma coronas:*
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Si unica in orbe, in urbe rosa, quanti fiet? si nigra aut cerulea tulipa, quis ei condignum pretium ponat? Libros suos Martialis, quo summo in pretio sint, sic commendat, ut dum unum legunt, illum dumtaxat unicum exstare autument: c

Tu quoque de nostris releges quæcumque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris ero.

Ita pervelim, si quam concionem audis, illam haberi unicam, hunc Dei præconem dirigi arbitreris, atque adeò dicentium turba fastidio non erit. Scio receptum illud D. Hieronymi ad Evagrium: Omne quod rarum est, plus appetitur: d *Tutegium apud Indos pipere pretiosius est; diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit.* Concionatores turba mirum in modum contemptibiles facit. Ultro obtrunduntur conciones, videtur gratia fieri dicenti, si audiatur. Quid ni merces ultroneæ vilescant! hanc ob rem Paulus, ubi Antiochiam venit, sabbatho

a Mart. l. 6. Epig 56. b Plin. lib. 21. cap. 4. c Mart. l. 13. Epig. ult. d Hieron. Epist. 85.

consedit in synagoga cum suis, donec rogaretur ut diceret: e *Miserunt principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres; si quis est in vobis sermo ad plebem, dicite.* Lotrin. hic: *Nunc invitatur Paulus, non se ingerit; sic merces, ut dicitur, non ultroneas venditurus, utilius exponit.* Quid ergo agendum, studiose quærit Hieron. *Prædicatio si rara est, non sufficit; si assidua, vilescit,* Si concionator deseritur, templo quasi columbario exitur. Non ita pridem, dum in sacello, quod ut summum ducentos capiebat, quidam verba faceret, dixit se supra tria millia auditorum habuisse. Objicienti hæc hyperbolice affirmari; respondit tot adfuisse, sed per transennam: via enim illic ducebat ad locum suburbanum, quo turmatim properantes, ex curiositate sacrum Ecclesiastem paucis salutabant. In ejusmodi homines olim Concilium Carthaginiense IV. gravem censuram interminavit: *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Quot hac tempestate hanc excommunicationem incurrerent?

Unum tamen prudenter Nazian. sacros Oratores monitum cupit, uti nec ferculis stomachum, ita nec verbis animum opplendum esse. Quare alludens ad illud Pauli, f *Lac vobis potum dedi, non escam.* & ad Heb. 5. *Facti estis, quibus lacte opus est:* docet sermonem Domini, cibo perfimilem esse, qui modicus avide appetitur, sapit ac nutrit; immodicus obruit, ac nauseam parit. In quo om-

e Act. 3. f 1. Cor.

nibus

UVA. BHSC. BU 02224

nibus concionatoribus hocſummi Doctoris præſcribo documentum, ne in tanta Oratorum frequentia faſtidio ſint, brevitati ſtudeant; ipſum D. Thom. in illud Pauli, a *Perpaucis ſcripſi vobis*: audite; *Sermones*, inquit, *breves valde accepti ſunt*. Quod hoc arguto probat dilemmate; *Quia ſi ſunt boni, avidius audiuntur; ſi vero mali, parum gravant.* Audivi in Oratorem diſertum, ſed nimis copioſum ac prolixum jactari: ut hic homo aureum torrentem funderet, obrueret tamen ſua copia colligentem.

Tandem ut concludam, quod auditores ſpectat, unam horam per hebdomadam ſacræ concioni impendere, quis nimium duxerit? quis ideò verbum Dei contemptui habuerit, quod uno die pluribus in locis proponatur? an ideo minori in veneratione corpus Chriſti habendum eſt, quod pluribus in templis exponatur? Deipara etſi 30. annis, domi Chriſtum habuiſſet concionatorem, tamen foras exit, comitabatur illum in campos, in vicos. Nemo dicentem audiit: hæc ſibi ſæpius decantata, commodum domi, & in umbra exauditum, ſed ſemper illi pretioſus erat ſermo Domini, quæ ſervabat omnia verba domi foriſque audita in corde ſuo.

a Ad Hebr. 13.

EMBLE

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XV.

Veni columba mea in foraminibus petræ. Cant. 2.



DVLCES LATEBROSO IN PUNICE NIDI. 5. *Æneid.*

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Dum mundus bacchanalibus vacat, & cacodæmon accipitris instar circumvolitat; animam Christus invitat ad vulnera sua: *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Cant. 2.

§. I. *In foraminibus petræ, passerem ac columbam tutos ab accipitre.*

§. II. *In foraminibus petræ, columbam dulces nidos reperire: pasci ac omnibus deliciis affluere.*

§. III. *Nil Deo acceptius, quàm jugi meditatione mentem hic nidificare.*

§. IV. *Praxis quibus quis vulneribus Christi semper queat inhærere.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Illudetur & flagellabitur. Luc. 18.

CONCILIUM quondam a Chalcedonum celebratum, etiamnum celeberrimum, fuit, qui dum semel curiam in campo, sub tegmine fagi instituisset, fortè fortuna passerculus, tantum non infortunium incurrit. Insectabatur accipiter passerem, & ut judices observabant, jam jam unguibus ales misellum prensurus videbatur; cum derepente, quo se prædæ subduceret, in sinum Xenocratis delapsus, perfugium quæsivit; qui passerem texit, ac protexit.

a Apophthegmata Manutii l. 7. n. 135.

§. 1.

In foraminibus petræ passerem, ac columbam tutos ab accipitre.

MULTIS b *passeribus meliores estis vos.* Dum hisce lupercalium diebus, anima vestra sicut passer à stygio illo accipitre infestatur, quo confugiet, nisi in pectus, in sinum cordis, clementissimi IESU? qui, ut inquit Chrysologus, c ultro *dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit*, ut protegat ac defendat; d tuto *illic passeres nidificabunt.* In vasta illa eremi solitudine Hieronymus, *sicut passer solitarius in tecto*, e circumvolitantem se videns accipitrem, ilico ad hanc petram confugit: sic enim de se fatetur: f Cum molestis carnis tentationibus urgerer, nec usquam remedium invenirem, ad vulnera Christi confugi, & ecce, non præsentem modò medelam, sed Angelicam expertus sum puritatem. Vos vero in densissima luxuriantis mundi silva, unguibus ac rostro hærentes non formidatis? asylum non circumspicitis? heu quot innocui passeres, quot candidæ columbæ, quot castæ animæ, hoc triduo in prædam cedunt, misere dilaniantur! hinc suam tam sollicitè sponsus, nunc potissimum, quasi ad locum refugii invitat sponsam: g *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*; hîc à carnivoro vulture, ac rapaci accipitre unicam asylum, ac refugium invenies, hic secura & intrepida inhiantem ridebis accipitrem: h *In his enim latebris*, inquit Bernard. *se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem: in his passer invenit sibi domum, & turtur nidum*, ubi reponat pullos suos. Olim spe devorarat hic milvus sponsam Christi Catharinam, virginem illam Senensem, jamque, ut poëta canit,

i *Consequitur pennis sublimen in nube columbam,*
Comprensamque tenet.

Eò quippe jam devenerat, ut se

b Matth. 10. c Chrysol. serm. 108. d Ps. 103. e Ps. 101.
f Oros. in fest. S. Thomæ. g Cant. 2. h Bern. serm. 61. in Cant. i Virg. l. 9.

ungues

UVA. BHSC. BU 02224

ungues ejus effugere posse formidaret, dum hanc sibi vocem sponsi audire visa est: *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Eò toto animi nisu, ac mentis impetu se recepit, & infamis prædo in fugam actus est. Lubet hoc in gratiam Virginis Doctoris Angelici stabilire suffragio: a *In vulneribus*, inquit, *Christi, Ecclesia* (& omnis fidelis anima) *sedet & nidificat, cum in passione Domini spem salutis suæ ponit: & per hoc ab insidiis accipitris, id est diaboli, se tuendam confidit.*

Refert Eusebius Nierembergius in historia naturæ *b*, Psittacum hanc brevem litaniam edoctum, *Sancte Thoma ora pro nobis.* Hic correptus à milvo, ubi de se conclamatum vidit, pro opportunitate periculi, clamavit: *S. Thoma ora pro nobis.* Res mira, unguibus ales projecit prædam incolumem, & ipse raptor exanimis corruit; ita ubi anima Christum, ubi amorem suum crucifixum inclamarit, *diabolus malitia nocendi avidus, dum irruit ruit, dum capit capitur,* ut S. Leo attestatur. *c*

Solatium quandoque miseri, à concavis & exesis rupibus quæsierunt, apud eas questus suos ingeminando. Sic Ariadna Theseum suum quærens, vanè & insanè questa est, ut Peligenus vates canit: *d*

toto clamanti pectore Theseu,
Reddebant nomen, concava saxa, tuum.
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat:
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.

Ad sacram rupem clamanti, ex maceria sanctissimi corporis Christi, per quinque vulnera, pentaphona respondebit echo amanti:

O quanto melius, clamantî pectore IESU,
Hæc reddent IESUM, concava saxa tuum!

O amor! ô IESU! quoties *clamatur, amatur:*
Hic tua, morte sua, crimina *demit, emit.*
Quo fugiam? accipiter petit hinc, & *tangit, & angit.*
Non misereris amor? *non miser eris,* ait.
Ergone perfugium, rupes dabit *aspera, spera.*
An satis hic tutum, me fore *reris? eris.*
Eia columba, petram simul *introeamus: eamus.*
Ardet in hoc pernox mens *vigilare, lare.*
Perdius, & pernox, tecum volo *vivere verè?*
IESUS amor, nunquam *corde recedat, edat.*
Ad petram hanc, quoties milvum *timeatis, eatis.*
Omnibus hæc præbet, dulce *levamen, amen.*

Ubi enim, quærit Bernardus e, *tuta firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum.* Et quasi nostra orgia Bacchi describens, subdit: *Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram.* Quis est hic, qui hoc tempore tam lubrico asseveret, f *non cado,*

a S. Thom. opusc. 60. de human. Christi art. 39. b Nierenb. pag. 39. c S. Leo serm. 9. de passione. d Ovid. Epist. 10.

e Bern. serm. 61. in Cant. f Matth. 24.

nisi

UVA. BHSC. BU 02224

nisi ad petram confugerit? Sicut autem in diebus Noë, erant comedentes & bibentes; nubentes, & nuptui tradentes; ita hisce Bacchi diebus, in hoc vasto, non aquarum, sed vini & scelerum diluvio, paucæ animæ salvæ fiunt, quæ in arca conclusæ sunt: quam arcam [a] Guerricus Abbas apposite Corpus Christi, ejusque apertum latus, arcæ fenestram indicat, dicens: *Vulnus in latere Christi, quid est, nisi ostium in latere arcæ, salvandis à facie diluvii?* Ab hac arca longius avolarat Augustinus, seipsum voce sua, *cras, cras*, corvum confessus, volutabatur in carne, & sanguine. Ubi tandem, nisi ad arcam convolando, salvus factus est? Ipsum audite: [b] *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo: cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filii Dei extinguitur.* Et tandem concludit hoc epiphonemate: *In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco* (in hac arca) *intrepidus.* Et paulò pòst: *Nullum tam potens est, tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors Redemptoris mei.* Hic.

Quantum mutatus ab illo!

[c] *En corvo quoque rarior albo.*

Hugonis de S. Victore idem consilium est l. 3. de Anima c. 23. *Quoties*, inquit, *te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce suffixus pro te. Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cujusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente.* I nunc (ita enim te Deus è cruce alloquitur,) fruere tuis libidinibus, ego hic summis cruciatibus pro te conficiar: tu oculos obscœnis rebus pasces, ego in morte natantes oculos lachrymis obruam: tu aures cantilenis verbisque turpibus oblecta, ego interim blasphemias, injuriasque atroces libens audiam. tu te ciborum cupediis, caliceque meretrices Babylonicæ ingurgita, ego sitiam, ego felle & aceto potabor. Tu pedes, manus, corpus totum immerge in tuarum turpitudinum cœno: ego pedes manusque infami trunco suffigar, ego totum corpus diris plagis pungi, lacerari, proscindi, pro te interim sinam. Tu cinge caput rosis, unguentis diffluе; ego spinas capite geram, ego totus sanguine madebo: cor tibi cupidines tuæ vulnerent, mihi Iudæorum hastile latus aperiet, ut per patentem cordis fenestram videas, quàm ingratos homines amem: denique tu deliciis ac vitiis saturare, ego pro te exquisitissimis tormentis & opprobriis satiabor. Cujus tam saxeum pectus est, quod hæc Christi pendentis voces non commoveant? Quid dicis ad hæc, ô homo! an non illud Bernardi: [d] *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam da-*

[a] Guarric. Dom. Palm. & Aug tract. in Ioan. c. 120. [b] Aug. in manual. c. 21. & 22. [c] Iuvenal. Sat. 7.

[d] Bern in serm. honestæ vitæ.

UVA. BHSC. BU 02224

bo? Hac cogitatione, tam potenti, quisquis se armarit, hostem exarmarit, omnesque ejus insultus, etiam toto exercitu irruentis facile superarit. Quod si lubet, ex ipso Origene haurite & audite: a *Certum namque est, quia ubi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum, est enim tanta vis crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuo ad ejus præsentiam, totus ille, quem supra enumeravimus peccati & carnis fugatur exercitus.* Hactenus Origines, nec alia Princeps militiæ Christianæ, suis arma assignat: b *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ubi D. Thomas observat, Christum instar equitis cataphracti fuisse in cruce: *Nota* inquit, *quomodo 'Dominus armatus fuit in cruce: habuit enim in capite quasi galeam, non de auro vel argento, sed de spinis. Habuit loricam, non de ære vel ferre, sed carnem immaculatam, de Virgine sumptam. Habuit in manibus non lanceam, vel gladium, sed magnos clavos manibus affixos: in pedibus quasi calcaria clavos infixos; pro equo vero habuit ipsam crucem.* Hanc panopliam, & vos induite, his armis armamini, quia ut idem S. Thomas addit, *memoria Dominicæ Passionis, contra insultus & intentationes diaboli munit & roborat.* Thren. 3. *Dabo eis scutum cordis, laborem tuum*, mortem, & vulnera tua. His armis imbecillis femina *c* Brigitta munita, ita stygium hostem compescuit, ut se victum ac victum proclamarit. Hæc arma, hunc clypeum cuidam juveni licentiori deesse, diserte eadem virgo significavit, dicens: Fili adhuc tibi deficit clypeus, id est, consideratio armatæ passionis Domini, qui debet esse in sinistro brachio, juxta cor, ut quoties delectat animum voluptas carnis, toties considerentur livores Domini. His armis etiamnum imbellis juvenis Edmundum, tartareum milvum contrivit, à quo illud veritatis expressit. Nullis armis potentius, quam Passionis Domini se superari, Quis jam miretur, quod Bosius *d* narrat; olim columbas in cruce depingi solitas, (ut adhuc Romæ in Ecclesia S. Clementis videre est) *e* quod in cruce sponsa ac columba Christi, ab omni hoste secura sit. Unde Franciscus Sales: *f* In tentationibus ad crucem recurre, & coronam ejus spineam accipe, ut cor tuum muniat, & circumvallet, ne istæ vulpeculæ accedant. Unde & Ecclesia hic ab hoste protegenda exclamat:

Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari à te:
Ab hoste maligno defende me.

a Orig. l. 6. in c. 6. ad Rom. b 1. Petri. 4.

c L. 4. revel. c. 74. d In vita. e Bosius de cruce l. 6. c. 9. f Sales praxi Spirit. part. 3. c. 21.

In

§. II.

In foraminibus petræ, columbam dulces nidos reperire, pasci, ac omnibus deliciis affluere.

INter opulenta regum fastigia, citra fastidium, lustrari juvat, illustrem illam regis; *a* Chinensis regiam; in qua præter exquisita artis & magnificentiæ monumenta, conspiciuntur ad novem & septuaginta capacissima atria, quæque ut operis varietate speciosa, ita rerum antiquitate maximè pretiosa; præ ceteris tamen, quatuor longè augustiora videntur: quorum primum solido aurichalco, eleganti opere elaboratum; alterum puro argento constructum. Tertium puro auro inductum; quartum his omnibus præstantius, totum gemmis ac unionibus distinctum. Quibus si quintum Magni Cham, auro vermiculato convestitum, columnis aureis fultum, quodque thesauros ingentes recondit, addideris, orbis miracula mirari desines.

b Quinis his ut angustiora sint, augustiora certe conclavia (quorum teste Bernardo, *Clavis reserans*; *clavus penetrans*) divinus amor stupendo opere cælavit, quina nempe vulnera Redemptoris, quorum Primum Ioannes describit: c *Pedes ejus similes aurichalco.* Alterum argenteum, Eccli. 40. *Argentum constitutio pedum ejus.* Tertium conclave aureum, opere tornatili, Cant. 5. *Manus ejus tornatiles aureæ.* Et ne gemmeum desideretur, en *d plenæ hyacinthis.* Quintum vero longè opulentissimum *venter* (vertunt alii pectus aut latus) *distinctus sapphiris*, ubi asservatur thesaurus, ac margarita pretiosissima cordis Domini nostri IESU. Bernardum audite: e *Bonus thesaurus, bona margarita cor tuum bone* IESU, *quam fosso agro tui corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abjiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitationem in cor Domini mei* Iesu. In hoc cubile adeò pretiosè convestitum, nostis quando cælestis rex sponsam suam induxerit? Ambrosium interrogate serm. 2. in Psal. 118. *Quando autem introduxerit eam in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio, sanguinis effusio declarat.* *f* Ubi ut bene Salazar, per cubiculum, planè corpus Christi intelligit: subdit enim idem Amb. *Cubiculum Ecclesiæ*, (& castæ sponsæ) *corpus est Christi*, ubi sponsam omni suavitate, & dulcedine replet.

Perillustris familiæ adolescens, *g* Luthgardim virginem in sponsam ardebat, complures scintillas in illibatam mentem conjecerat, quibus intepescente spiritu, non parum illa se sensérat inflammari; adfuit extemplo alter sponsus, sed sanguinis, pectus suum, & in eo cor saucium ostendit, hæc paucis profatus: *Blanditias inepti amoris posthac vide ne requiras. Hic*

a Majol. canicul. l. 1. c. 23. mirabilium. b Bern. serm. 61. in Cant. c Apoc. c. 1.

d Can. 5. e Bern. serm. 2. de Pass. cap. 3. f Salazar. in Cant. c. 3. v. 4. g in vita 16. Julii.

jugi-

UVA. BHSC. BU 02224

jugiter contemplare quid diligas, & quam ob rem diligas: hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. Ad hæc

a *Illa velut crimen tædas exosa jugales.*

Deinceps extra has delicias nil sponsa Christi quæsivit, humana omnia usque adeo illa jam fastidire, ut præter crucifixi, nullos sciret amores; præsertim ubi ab ejusdem vulneris nectare ebria, eam suavitatem imbiberat, ut oris ejus saliva, omni saccharo dulciorem saporem retineret. Hæc qui legit, & intelligit, id est, ut S. Thomas ait, intus legit, omnem mundi dulcedinem facilè respuet: qui semel gustavit, quàm suavis sit Dominus, & mel de petra cum Bernardo delibavit, facile cisternas sæculi nauseabit. Ipsum melleum Doctorem audite: b *Ego fidenter quod ex me mihi deest, usurpo ex vulneribus Domini; quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ affluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusque lancea perforarunt, per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus.* Hæc Bernard. totus post-hæc mellifluus. Clamet nunc mundus:

c *Vina diem celebrent.*

d *Nunc est bibendum, nunc pede libero*
Pulsanda tellus.

Nunc pocula Libero libanda Deo, nunc cupitis amplexibus, nunc cupediis, tripudiis & deliciis diffluant mortales. Vobis hæc omnia puriori fonte depromam: Catharina illa Senensis, hisce Bacchanalium diebus, cum servi juxta ac domini ventri & abdomini serviunt, fortè se in penitius conclave Virgo abdiderat: & ecce speciosus præ filiis hominum, matre Virgine, & aliis cælitibus paranymphis stipatus, Psalte regio suavissimè admodulante, eam sibi in sponsam, annulo in digitum inferto, adoptavit; inde lateri labia admovens,

e *Purpureo bibit ore nectar.*

Quid alias Christi sponsas, Coletas, Ludwinas, Hedwiges, Mechtildes, Gertrudes, Elizabethas commemorem? quæ in hanc cellam vinariam inductæ, mustum generosissimum, vinum illud divinum antonomastice *lachrymam Christi* potarunt. Sic præclaram re ac nomine Claram, ut ait Surius, *lachryma Christi vehementer inebriebat.* Hoc musto ebrius, salivam nobis movet suavissimus Bernardus: f *In his* (cellis) *multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum. Ibo ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem Prophetæ, relinquam civitates & habitabo in petra; idcirco audio, Columba mea in foraminibus petræ, quod in Christi vulneribus totâ devotione vorsetur.* Omnis qui sitit, qui turbidas mundi venas sectatur, &, ut Poëta ait,

g *Qui bibit immundam, cum cane, pronus aquam.*

huc veniat: huc omnes accurrite, ex hac petra h *haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris.* Nec est qui aquas his Bacchi festis fastidiat. Nostis aquas cinnamomi, aquas cælestes, a-

a Ovid. 1. Metam. b Bern. serm. 61. in Cant. c Tertull. l. 2. d Horat. e Horat. 3. carmin. ode 8. f Bern. ser. 61. in Cant. g Mart. lib. 1. h Isa. 12.

qua

UVA. BHSC. BU 02224

qua vitæ, omni vino præstantiores, ex variis aromatibus & saccharo, frequenti decoctione eliquatas, in cellis pharmacopolæ asservari; ejusmodi, teste Bernardo, cælestis Sponsus propinat: a *Super omnia*, inquit, *te mihi amabilem reddit, ô bone Iesu! calix, quem bibisti*. Calix eheu! nimium amarus, myrrha & felle conditus; sed dulcem illum fecit, præstantissimum septimæ decoctionis, hoc est, infiniti amoris saccharum.

Et ne hisce nuptiis, nuptiarumDeus desit,Dius amor b *hîc hymenæus erit.* Quem ut prodeuntem videatis, juvat audire quo prodigio Sanctus Garsias Rex in in lucem prodiit;de quo ferunt Historici, c matre ejus gravida, Mauros armata manu urbem invasisse, atque una Reginam lancea perfodisse, prole intacta, quæ per hiantem plagam manum exerens, in lucem protracta est. Redemptor noster gravido parturiebat pectore cælestem cupidinem,dum ecce unus d *lancea latus ejus aperuit.* Quod subtiliter scrutatur Augustinus,dicens: e*Vigilanti verbo Euangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur*,quo amor in lucem prodiret; sed totus saucius, & cruentus, ut illum olim viderat,qui dicebat:f *Propterea vulneratum est cor Christi, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videremus.* Pervigil his amor in ostiis, prope ostiatim amores emendicat, & vel invitos amare cogit; hic novus hymenæus complures animos sauciavit, & igneo jaculo ad illibatas nuptias, mentes inflammavit. Fuit in regno Neapolitano puella nobilis, g

h *Iam matura viro, jam plenis nubilis annis:*
Multi illam magno è Latio, totaque petebant
Ausonia, petit ante alios pulcherrimus omnes
Egregia forma juvenis.

Iamque in unum amicis convocatis, ut nuptui traderetur, illa se paululum turbæ subduxit, & ante crucifixum prostrata, hæc secum attentius expendit: Tu amor mi, & redemptor animæ meæ: tu Iesu, ait, pro me tam dire cruciatus, ego voluptati operam dabo? tu vulneribus & spinis concisus, ego auro & gemmis gravis! nimis heu! dissimilis tui sum, amantissime Iesu. Nec diu cunctata prominentes cincinnos sibi præscindens,illis pedes Domini concinne illigavit. Sic progressa in medio amicorum cœtu, matrem alloquitur, non multis nec longe sponsum sibi quærendum, prope adesse, Christum ostentans, illi, inquit, meos amores, & virginitatem dicavi. Ad hæc omnibus attonitis, nequidquam monentibus ac minantibus amicis, candidissima columba accipitri erepta, in foramina petræ evolavit, & in arcano illo conclavi lateris Christi conqiuevit. Hoc si filiæ, si & filii hujus sæculi paucis secum mente volverent, derepente

a Bern. serm. 20. in Cant. b Virgil.4. Æneid. c Roderic.Toletan. lib.5. de rebus Hisp. d Ioan. 19. e Aug. tract. 120. in Ioan. c. 20. f Bern. serm. de Passione c.3.

g Pennequin amour divin. p. 2. c.6.
h Virg. 7. Æn.

UVA. BHSC. BU 02224

Pente omnes mundi delicias fastidirent. a Unus aliquis è primatibus regni P. Petrum Fabrum Madriti convenit, adeoque formulas quasdam precandi, & puncta piè ruminanda, sibi assignari deposcebat. Cui ille: Hæc recum quandoque perpende: *Christus in summa inopia, ego in opulentia: Christus in fame & siti, ego in exquisitis epulis: Christus nudus, & ego pretiose convestitus: Christus in doloribus, & ego in deliciis.* Hisce instructus abit, nec multo post, dum ad lautissimum convivium adhibitus, cupedias & luxum admiratus; unum è quatuor punctis animum subiit, quo ita compunctus fuit, ut in uberrimas lachrymas effusus, mensa assurgere, convivas deserere, ad solitudinem se recipere coactus sit, ubi privato dolori liberius fræna laxavit. Hujusmodi telo saucia Elizabetha Regis Hungariæ filia, ubi amorem suum nudum in cruce suffixum vidit: in mundo suo muliebri ingenue erubuit: Mihi inquit, caput gemmis, tibi sentibus riget: ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumspicis, & eheu! non invenis.

Scilicet ipsa geram, saturatas murice vestes,
Et meus hoc pendet sanguine pictus amor.

Purpura rectius me sanguis sponsi pinget. Ite gemmæ, nobiliores sub cruce, veros rubri maris uniones, legam, hoc cariores, quod divino rore concreti, Tollite pulvillos, crux Christi erit lectulus, & extemplo omnem pedibus mundum calcans, pedes mundo extulit; & intra cavernam vulnerum Christi conceslit, atque hoc

a *Dulces latebroso in punice nidos.*

reperit, ibique mundi curis soluta, requievit. Invitat & vos Seraphicus Bonaventura, qui nocturnis diurnisque concessationibus, ac tripudiis lassati estis, ut hic tandem conquiescere velitis. *O amantissima vulnera Domini nostri* IESU *Christi!* exclamat S. Doctor. *O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera, in Christum nescimus introire! supra suas vires laborant in vanum, & aperta sunt ostia ad quietem.* O filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? ut quid potando, jocando, saltando defatigamini? miseret certe vestri Redemptorem nostrum, qui vos invitat ad quietem; ubi choreas præterire nequeo, quibus hisce diebus cælestis sponsus se inseruit.

c Anna de S. Bartholomæo, quæ in bulla mundum lusit, ubi adolevit, florem ætatis Christo consecravit; hisce tamen antecineralibus feriis, non potuit quin matris imperio urgente, choreas frequentaret. Ubi dum à chorago primæ nobilitatis, in tripudium consalutata, oculos forte cum animo sustulit, & ecce, in ictu oculi, exhibuit se dilectus omnino cruentus, hoc unum pie questus; Pergeret se dare vanitati, dum ille in tormentis; importunam hanc musicam, suo luctui. Disparuit ille, & illa hoc telo saucia, ocyor Euro,

a Pennequin ibid.

b 5. Æneid, c Barry Annee Sainte part. 1, c. 7.

gene-

UVA. BHSC. BU 02224

generoſo ſaltu; mundo ac chorago ſpreto, ad Chriſtum ſponſum confugit. Diſce & tu, ait Scriptor *a* Aſceticus, habitare in „hoc vulnere lateris: ſi enim „amica, aut ſponſa eſt anima „tua, ubi ſuavior illi thalamus „dormiendi, quam in hoc vul„nere? ſi columba es, ubi lo„cus eſt tibi ad nidificandum „aptior? ſi paſſer eſſe decre„viſti, nuſquam tibi magis con„veniens erit locus, ubi abſtra„ctam ac ſolitariam vitam a„gas, quàm in corde Chriſti. „Si turtur es, & caſtis variiſ„que gemitibus ad Deum ſu„ſpiras, hic locus requietionis „erit. Hunc ſibi locum quietis, à turbis ſemotum Elzearius Comes delegerat, illic conjugi Delphinæ ſe habitare dictitabat, in hac caverna non ſemel auditus pios gemitus fundere; non ſemel, ut illud Maronis ad ſacra traducam,

b *Ingemuere cavæ, ſonitumque dedere cavernæ.*

Illic Seraphicus Franciſcus confixus degebat, quin & Xaverio in mediis Indiis

c *Requies ea certa laborum* fuit; oppido feſſus ad vulnera Servatoris, ad Chriſti dolores meditandos recurrebat; uti & Thaumathurgus ille Joſephus Anchieta, qui ita totus in crucifixum abierat, ut dormiens per inſomnia, inſtrumenta & paſſionis Dominicæ myſteria loqueretur. Norant hi quo è laboribus, laſſis perfugium, ac ſolatium reperiretur. Et enim ut rectè Bern. d *Ad hoc perforatum eſt latus tuum, ut no-*

a Lanſperg. hom. 54. de paſſ. b l. 2. Æneid. c Virg. 3. Æneid. d Bern. c. 3. de Paſſ.

bis pateſiat introitus: ad hoc vulneratum eſt cor tuum, ut in illo ab exterioribus perturbationibus abſoluti, habitare poſſimus. O quam bonum, & quam jucundum, habitare in corde hoc! Dicamus & nos: Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula; memoriæ unum, tam ingentis amoris monumenta recolendo; intellectui alterum, appretiando & expendendo; voluntati tertium, ferventiſſime tantum amorem diligendo. Ad hæc tabernacula figendum, varia nobis loca D. Bonav. aſſignat: e *Bonum eſt nos hic eſſe*, inquit, *faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere. Ibi volo quieſcere, & vigilare: ibi loquar ad cor ejus, hic erit requies mea in ſæculum ſæculi.* Iſthic loquar ad cor ejus, ad cor amoris fontem, ardoris fornacem, & dicam:

Cordis mei cor dilectum,
In te meum fer affectum:
Nullum modum das amori,
Mille mortes optas mori,
Flamma deſiderii.

Hoc quippe dilectiſſimi Jeſu, primo inſtanti conceptionis corculum, tanto dolore & angore oppletum fuit, quantum in horto pertulit, dum toto corpore ſanguineus ſudor erupit; niſi fortè in utero major extiterit, quod illic concluſus detineretur: cognitio enim in Chriſto, & apprehenſio omnium opprobriorum ac cruciatuum æque viva fuit in hoc corculo, adhuc intra viſcera Virginis concluſo, quam dum noctem illam decre-

e Bonav. in ſtim. part. 1. c. 1. f Nieremb. de Adorat. l. 2. c. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

toriam in domo Caiphæ transegit, aut in cruce pependit, qui deinde dolor continuus fuit per omnem vitam, ut maximum ac perpetuum miraculum fuerit, vita IESU. a *Vnde non dubitaverim affirmare*, ait Lessius, *hunc dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam Domino millies eripiendam*; quin & mille mortes, imo tot mortes quot mortales, obire ardentissimum illud cor, millies cælestem patrem efflagitarit. Ad cor illud, inflammato corde quantâ potest voce August. contendit: b *Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori voluisti pro me.* Imò verò ita amasti me, exclamat, Doctor Aquinas, & quemque hominum, c *quasi quilibet homo esset Dei Deus.* d *Intantum me diligis Deus meus*, ait Bonaventura, *ut te odisse videaris. Cum posset guttâ, redemit undâ*, inquit Bern. serm. 22. in Cant. Ammonem olim Ionadab ejus patruelis scisscitatus est: e *Quare sic attenuaris macie, fili Regis?* Cui ille paucis respondit: AMO. Quare ex dilecto tuo, fame, siti, æstu, frigore, labore, dolore, opprobriis, cruciatibus confecto; *quare sic attenuaris macie, fili Regis?* Respondebit ex ardentissimo corde: AMO. Hoc verbum secum attentius ruminans B. Laur. Iustinianus: f *Prorumpant*, inquit, *in medium probra, contumeliæ, blasphemiæ, illusiones, spuita, alapæ, flagella, corona spinea, sceptrum arundineum, purpurea vestis, effusio sanguinis, poculum fellis, apertio lateris, dolor matris, & cruciatus ignominiæ, & diræ mortis: omnia hæc habent voces suas* AMORIS. Hujus in suo pectore flammas expertus candidissimus Abbas, exclamat: g *O suavitatem! ô gratiam! ô vim amoris! Itane summus omnium, factus est imus omnium? quis hoc fecit? amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?* uti dum amor cor IESU occupavit, sauciavit, subjugavit, rectè usurpare possim, quod de Hercule Poëta cecinit:

Quem nullus potuit vincere, vicit amor.

Et post hæc omnia, unum illud queritur Hieronymus; *Solus homo non compatitur, pro quo Deus patitur.* Hoc Iacopo-nus non ferebat, qui lupercalibus diebus ante crucem prostratus, mortalium licentiam, ac infamem petulantiam animo volvens, in has voces erumpere non semel auditus est: *Amor non amatur, amor non amatur.* Theresa verò ad imaginem crucifixi: O amor, ô amor! non amplius peccatum, non amplius. Eodem spectat illud Guilielmi Parisiensis, viri doctrina & sanctitate conspicui, qui miratus mortales Deo, amore suo, spreto, vanitati se dare, tantamque bonitatem non amari, exclamat: h *Quis ad hoc Diabolicum terrifi-*

a Lessius de perf. l. 12. c. 17. p. 313.
b Aug. solil. c. 13. c S. Thom. opusc. de Sacram. d V. Binet. amour divin. c. 8.
e 2. Reg. 13. f Laur. Iustin. de conjub. verbi & animæ c. 5.
g Bern. serm. 64. in Cant. h Guil. Parisiensis de Rhetorica div. c. 5.

cum

UVA. BHSC. BU 02224

cum miraculum non obstupescat? quis non excandescat? quis non cum Iacopono totus colliquescat? a *Quis illud cor tam vulneratum non diligat? quis tam amantem non redamet?* quis in hoc corde requiescere, & jugi meditatione habitare non expetat? cum nihil Deo gratius, nihil ab homine præstantius præstari possit, quam assiduo volvere, quanta pro nobis pertulit Deus homo.

a Bern. de Pass. c. 3.

§. III.

Nil Deo acceptius, quàm jugi meditatione mentem hic nidificare.

Refert b Xenophon, Cyrum Regem Persarum, ex Tigrane rege Armeniæ, cum conjuge sua capto, aliquando quæsiisse, quid pro uxoris suæ redemptione in lytrum offerret? Cui confestim Tigranes: Integrum ait regnum, ô Rex! si haberem; quod cum fors abstulerit, libens sanguinem, & vitam dico. Hoc responso mirifice captus Cyrus, ambos libertati, & regiæ dignitati restituit. Iamque solo ac solio redditus Tigranes, perquàm familiariter uxorem scisscitatus est, ecquid de Cyri prudentia, deque regia ejus munificentia videretur? num omnem aulæ apparatum probè observasset? Cui illa: Ex quo tecum, inquit, in vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut numquam oculos, aut mentem in alium defixerim, quàm in eum, qui me, & sanguinis & vitæ impendio, redimere comparatus erat. Hinc toto ex te corde Tigranes,

c *Toto animo, tota pendebam perdita mente.*

Hæc si maritus tam fortiter fecisset, quàm dixit, an ejus umquam conjux oblivisci potuisset? & quî fieri potest, ut nos Redemptoris nostri, non assiduo recordemur? cum hoc sibi tanti amoris hostimentum dumtaxat requirat, ne unquam animo, beneficia ejus in nos collata, eradantur: ut si pati cum illo non possimus, saltem pia mentis meditatione compati velimus. Præclarum certe ethymon meditationibus excogitavit Augustinus, dum dixit: d *Meditatio nil est aliud, quàm mentis ditatio.* Quæ ditatio mentis potissimum fit per meditationem Passionis Domini, qua cælestis gratiæ, ac salutis æternæ bonis, animus locupletatur: nam, ut idem August. ait, e *nihil tam salutiferum nobis est, quàm cogitare quanta pro nobis pertulit Deus & homo.* Quod luculentis vobis testimoniis comprobabo. Dum S. Ioannes Euangelista summe arderet videre Deiparam, jam cælo gloriosam, illa se exhibuit, benè longum sermonem cum illo de cruciatibus Christi rexens, *f* quos ipsa in monte Calvariæ cordi impressisset, dixitque Ioanni, filium Iesum has tres prærogativas concessisse ei, qui jugiter passionem

b Xenophon. l. 3. de instit. Cyr.

c Catul. eleg. 67. d Aug. tom. 9. speculum peccatoris cap. 4.

e Aug. serm. 23. ad frat. in Erem.

f Lobberius Dom. 2. Quadr. quæst. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

Domini recoleret: 1. Ut antequam è vivis excederet, ferventissimæ contritionis actum peccatorum illi cælitus impetraret. 2. Deiparam ei in extremo agone, præsidio futurum. 3. Filium Matri transcripsisse omne jus, quidvis pro illo impetrandi. Qui hoc præsidio munitus, quid huic abesse, quid obesse posse arbitratis? Hujus tantæ prærogativæ causam assignat Bonaventura, quod meditatio Passionis Domini, ad omnem virtutem, & perfectionem deducat rectissime: a *Si vis*, inquit, *ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere: quotidie, quanta potes devotione, mediteris Dominicam Passionem: nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem, sicut meditatio Passionis Christi.* Suspiciunt sæculares, viros Religiosos, priscos illos anachoretas, ac difficos illos dunt se eò sanctitatis posse pertingere; quid si superiores citra omnes has austeritates evadere posse ostendero? Magistrum habetis Albertum Magnum, Magni illius Thomæ Aquinatis, eruditione, & virtute Magistrum maximum, cujus hæc sana, ac sancta doctrina est: b *Simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi, plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane & aqua, qualibet sexta feria: vel disciplinaret se qualibet hebdomada per annum, usque ad effusionem sanguinis: vel quotidie legerit psalterium.* Fatebor equidem acceptas Deo esse orationes, flagella, jejunia, peregrinationes, aliasque corporis afflictiones: sed nihil ita Christum rapit, ac attenta crucis suæ contemplatio. Hoc Francisco Assisiati, solicito, quid amori suo crucifixo gratissimum præstare posset, ostensum est; dum sacro codice tertium aperto, semper in passionem Domini incidit; quod & anachoretæ cuidam revelatum, Ludolphus testatur. Accedit quod quibusdam non sit ea corporis firmitas, ut Compostellam, aut in terram Sanctam, peregrinationem instituere queant. Iis commodiorem longe praxim suppeditat Augustinus: c *Magis meretur, vel unam solam lachrymam emittens, ob memoriam Passionis Christi, quam si usque ad terram promissionis peregrinaretur.* Unde quidam ad extrema deductus, ut vidit coram judice, scelera prævalere, exclamavit: Si non sufficiunt merita operum quæ feci, addantur devotiones, quas in contemplanda Christi Passione, ac vulnerum ejus, impendi. Ac sibi redditus, dixit: Iam bene; feliciterque extremum emisit spiritum.

Quid? quod vel sola recordatione passionis, homo renasci, & quasi fonte baptismatis, ab omni culpa, ac reatu expiari dicatur, ut D. Cyprianus loquitur: d *Vide*, inquit, *quomodo his qui Christi commemorant passionem, inter sacra officia, quasi per quosdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes. Anima hic se fletibus abluit, & lachrymis se baptizat.*

a V. Speransa de Passione pag. 296.
b Albert. M. tract. de Missa.
c V. Bernardi de Busto serm. 15. feria 6. Parasceves. d Cyprian. serm. de Cœna Dom.

Et

UVA. BHSC. BU 02224

Et ne de rei veritate addubites, en alterum, qui ejuſmodi piam commentationem, baptiſmo ſanguinis, hoc eſt, ipſi martyrio conferre non dubitavit. Hujus teſtimonii piiſſimus auctor Ludolphus à Saxonia, qui refert, divinitus cuipiam revelatum eſſe, a *Si quis dolores* (Chriſti) *revolvendo, lachrymas ex compaſſione effuderit, tanti ponderis ac momenti apud Deum fore, ac ſi Martyr inter ſupplicia eas profunderet*; adeò ut prædeſtinationis hæc teſſera ſit certiſſima, ſuffragante Leone Magno, Chriſti ſuffraganeo, dum dicit: b *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis.* Stimulo nobis ſit quod Gertrudem Chriſtus edocuit: c *Filius*, inquit, *qui cum devotione me crucifixum aſpicit in vita; ego illum benigno oculo aſpiciam in morte.* fructum tunc uberem Religioſus Ciſtericienſis legit, qui ſolitus orare per agoniam Chriſti, ut in hora mortis illi adeſſet, Chriſtus adfuit, & ſine purgatorio in cælum evocavit. Unde præclare ex Doctore gentium, concludit Gregorius: *Compatere ergo Salvatori noſtro* IESU, *memoriam paſſionis, & vulnerum ejus in corde tuo habendo; certiſſime confidens, quod ejus conſolationis, in futuro ſocius efficieris. Vnde Apoſtolus: Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quam ſpem certiſſimam *d* Anna à S. Bartholomæo, ſocia S. Thereſiæ conſecuta eſt, quæ à teneris addicta Chriſti doloribus, ad cujus imaginem tenerrime flebat, intellexit à Deo: Si quis quotidie vel ſemel de Chriſti paſſione, ejuſque in nos amore cogitarit vel parumper, idipſum ad ſalutem, imo ad multam miſericordiam impetrandam ſufficere. Hoc & tu fac, ut vivas in æternum.

a Ludolph. c. 59. de paſſione. b S. Leo ſerm. 9. de Quadr. c Greg. l. 6. mor. c. 6. *d* In vita.

§. IV.

Praxes, quibus quis vulneribus Chriſti ſemper queat inhærere.

HÆc ne exciderent, in faſciculum Bernardus inſtrumenta cruciatuum Chriſti colligarat, quem aſſiduo in pectore, in corde geſtabat. Serm. 43. in Cant. *Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur.* Æneas Silvius, poſtea Pius II. narrat, quod Pachorus juvenis, cuidam Lucretiæ miſerit faſciculum florum, cui ſchedam amatoriam inſeruerat? Huic quid aliud inſcriptum arbitramini, quam illud? *Cogita tu de me, & ego de te.* Alium faſciculum, ſed myrrhæ, cæleſtis ſponſus ſuis miſſitare conſuevit. f *Hunc & vos* (ô filiæ, quæ encarpium, aut faſciculum florum, ad ubera geſtare conſueviſtis) *tam dilectum faſciculum colligite vobis; hunc medullis inſerite cordis, ut vobis inter ubera commoretur.* Hac brevi ſcheda inſerta, Recogitate eum, qui talia ac tanta pro vobis paſſus eſt: Claram illam de Monte Falco imitantes, quæ ita hunc faſciculum cordi appreſſerat, ut omnia ſponſi patientis

e Pierre. Meſſie l. 1. c. 37, *f* Bern. ibid.

UVA. BHSC. BU 02224

insignia impresserit. Alium nunc morem habent modernæ filiæ, ut non modo in cubili, aliquot horas ad speculum se contemplentur, sed & specillum circumferant, ut ubi-ubi sunt, illud intueantur. Aliud profecto speculum proponit S. Drogo Hostiensis: a *Feciſti de corpore tuo* (bone IESU) *ſpeculum animæ meæ*, quod utinam puellæ circumferant, & se identidem in eo speculentur. *b* Venerandus Præsul Rodesindus Episcopus Conimbricensis, pro gentilitia tessera, gestabat Christum in crucem suffixum: ad cujus dexteram speculum, ad lævam circinus depictus erat: ut hoc dolores Christi meditari, in illo fœditatem suam, & quàm Redemptori suo dissimilis, contemplari posset; etenim, ut Laurentius Iustinianus ait, *c* Christus *nobis & meritum patientibus, & patiendi ſpeculum factus eſt.* Hoc speculum nunquam non an ante oculos habendum: d *Erit vita tua quaſi pendens ante te* Quod si sæpius contempleris, incredibile quam cultos mores, & amores, quam eleganter animum conformabis. Disce hoc ab Hippolyto Galatino Florentino: *e* Habebat is in vicinia, prostitutæ pudicitiæ feminam, quàm ingenioso commento aggressus est. Tabellam, in qua Christus Dominus spinis evinctus tempora, multoque fluens sanguine, eleganter erat depictus, speculi in morem adornarat, suspendirque ad fenestram, ut vanæ feminæ assolent. Tum se ad illud identidem, veluti ad speculum corporis contemplabatur, Id conspicata prostituta, mirari & viri vulgo sancti, & gravis, levitatem plusquam muliebrem irridere. Tum Hippolytus vultu ad dolorem pietatemque composito, novi generis speculo procacem in mulierem obverso, illius oculos everberavit, animumque improviso spectaculo attonitum ita perculit, ut mox impetrata Hippolyto imagine, sæculi transfuga in pudicitiæ castra se contulerit. Nulla unquam femina se felicius vidit in crystallo, quàm hæc, quæ sordes suas in Christo Deo fœdissime conspersо, contemplata est. Hoc speculum Tertullianus etiam viris consulendum proponit, dum sic quemque compellat: f *O vane! quid ſpeculum conſulis? mores tuos intuere, conſcientiam tuam inſpice, in Chriſtum crucifixum oculos conjice: hoc tibi ſpeculum, & opifex ſplendor ſit, in hoc non falſam levitatem, ſed cruenta tubera & alta vulnera conſidera,* ut tibi contingat, quod *g* S. Gertrudi à Deo revelatum est: quoties quis intimo devotionis affectu, Christi è cruce pendentis imaginem contemplatur, toties Christum amico intuitu, & ut Bernardus ait, *oculo amoroſo*, vicissim illum contueri, ac respicere. Ubi illud considerandum, quemadmodum inter amantes fieri consuevit, ut se intuentes, in mutuis oculis imagines efformentur, juxta illud Asterii Episcopi Amaseæ: h *Mutuo ſe aſpi-*

a Drog Hist. de pass. *b* Didæus Mart. in hist S. Iacobi l. 2. c. 130 c Laurent. Iustin in ligno vitæ c. 3. d Deut. 28. e P. Rho. exempla virtutum p. 330

f Tertull. de virg. g Blosius in monil. spir. c. 1. & 2. h Mires in Cant. in p. 118.

UVA. BHSC. BU 02224

cientes, mutua sibi sunt specula. Ita qui Christum gestat in oculis, eundem assiduo Christus in oculis, in corde gestat, ut pupillam oculi diligat, fatendum est. Ad quod conferret ejusmodi tabulam in cubili, in oratorio, sibi speculi in morem ante oculos ponere, ut sit, a *vita tua quasi pendens ante te*. Hæc præ ceteris in deliciis, in oculis sit, uti fuisse credo civi illi Monacensi. Introduxit hic in ædes suas amicorum optimum, eique diversa pictorum artificia monstrans: *b* En ajebat, hoc Lucæ Leydensis penicillum, hoc Alberti Dureti artificium est: hoc à manu Pauli Veronesi venit; en etiam colores Michaëlis Angeli artificis præstantissimi: non infimus horum, si non etiam Antesignanus Christophorus Schwarts, hanc ille tabulam pinxit. Hos verò lusus coloribus expressit Raphael Urbinas, nescio an non pictorum summus. Ista è recentioribus princeps tabula Rubeni est. Hæc omnia mihi contra aurum chara. *c* Sed scire forsitan velis, quæ harum picturarum omnium mihi maxime sit amori? quod olim astu exploravit Phryne, noti nominis mulier: cum enim nosse percuperet, quod inter Phidiæ opera pulcherrimum esset, subornavit servum; qui subito advolans nuntiaret Phidiæ, officinam ab igni correptam, & bonam operum partem jam periisse. Exanimatus Phidias, foras exilivit, &, Actum est, inquit, de meis laboribus si Satyro & Cupidini flammæ non repercerint. Tum Phryne illum optime sperare jussit, nil triste accidisse: liquere jam ipsius artificis confessione, quod pulcherrimum operum suorum judicaret. Tu forsitán amicorum amantissime, idem quæsieris de his pictorum artificiis, quo ego minime omnium velim carere, & oculis auferri. Candidissime fatebor quod sentio: hæc quidem omnia venusta, exquisitæ artis, & magni, non nego, pretii, nec cum gemmis mihi permutanda: tu vero post visa hæc omnia, hunc Christi spinis coronati vultum considera. Hæc una imago præ ceteris omnibus meum sibi amorem vendicat, nullo mihi pretio venalis est. Auream Cæsarum fortunam præ hac Domini Iesu effigie minus æstimem. Hoc civis Monacensis civi suo candide fassus, artificium sibi multo charissimum proposuit spectandum, in quo indies plura & plura artis divinæ lineamenta occurrebant miranda, cujus unius tabulæ visu, oculus ejus satiari nequibat. Demum ut concludam, moris est horologia auro, & argento inserta circumferre, eaque prope in horas solicite contemplari. Iis longè præstantius, sanguinolentis exaratum notis, Bernardus Horologium ob oculos ponit, dum sic quemque adhortatur: d *Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria reti-*

a Deut. 28 b Drexelius Gazophylacium l. 1. c. 1, sect. 1, c Pausanias in Atticis.

d Bern. serm. 43. in Cant.

UVA. BHSC. BU 02224

nens, & assidua meditatione revolvens; quo possis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. suosque vel exemplo suo invitat, dicens: *Ego fratres ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, aua mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligari, & inter ubera mea collocare curavi.* Hæc & tu, ô anima mea, revolvè; ut cantes cum Propheta: [a]*Tota die meditatio mea est.* Quare quoties horæ signum insonuerit, dicamus cum Ignatio martyre: *Hæc hora amor meus crucifixus est*, mortuus est. hoc lemmate subjecto:

---b *Non flendo ducimus horas.*

Idque exemplo redemptoris nostri; quem quis ambigat quin horologium hoc horis singulis attentius inspexerit, & expenderit: hac hora à Iuda fraudulenter traducendus sum, illa à Petro turpiter negandus: ista tam dire flagellandus, atque ita per omnes horas speculando, cruciabatur Filius Dei Iesus, juxta vaticinium Zachariæ cap. 14. *& erit dies una quæ nota est Domino.*

a Psal. 118.

b 6. Æneid.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XVI.

Tibi dabo. Matth. 4.



IMITANTVR HAMOS DONA.

Mart. l. 4. Epig. 56.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

De corruptelæ munerum, quibus virga juſtitiæ inſtar arundinis piſcatoriæ, à rectitudine ad prædam ſe inclinat.

§. I. *Auri vi, arces & urbes, quantumvis munitas, everti.*

§. II. *Arcem pudicitiæ auro expugnari.*

§. III. *Virgam juſtitiæ, auri pondere, à rectitudine deflectere.*

§. IV. Dona excœcant oculos judicum. *Eccl.* 10.

§. V. *Munerum corruptela, graviter punita.*

§. VI. *Quinam judices incorrupti, ſervique fideles Deo, ac Regi exſtiterint.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Tibi dabo. Matth. 4.

CORAM Dario olim ea quæstio ventilata fuit, quid in orbe esset fortissimum? hic vinum, quod à vi dictum, robustissimos Duces solo allidit; alter Regem cuncta supercilio moventem; tertius mulierem, quæ Holofernem, & Sampsonem stravit, fortissimam deprædicabat; sed super omnia vicit Veritas, & a *fortior præ omnibus* habita est, ut Esdras testatur. Quod expendens ille Gregorius à Patria Nazianzenus, ab eruditione Theologus, aliud adinvenit, quod & ipsam Veritatem victricem vincit, dum his omnibus fortius aurum, longè quid potentius, potentum munera asseverat:

Vinum asserebat quispiam, omnia vincere;
At feminam alter tertius palmam dabat
Vero: dedissem ast robur ego quam maximum
Auro, arbitratu cuncta quod vertit suo.

Hoc probe norat improbus veterator ille, qui inter tres arietes, unum fortissimum aureo vellere admovit, dicens: HÆC OMNIA TIBI DABO. Illud diabolicum *tibi dabo*, omnia sacra & humana violavit.

Quid urbes & arces expugnavit? *tibi dabo.*
Quid carceres, & postes ferreos perfregit? *tibi dabo.*
Quid sceleratos homicidas, & perditos duellistas absolvit? *tibi dabo.*
Quid judicia pervertit? *tibi dabo.*
Quid tribunalia evrtit? *tibi dabo.*
Quid perjuria conflavit? *tibi dabo.*
Quid pudicitiæ vim intulit? *tibi dabo.*
Quid justitiam? quid animam? quid ipsum justitiæ auctorem Christum vendidit? *tibi dabo.*

adeo ut verissimum sit illud Tullii, c *Nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit*; patetque vero illud verius Poëtæ,

--- d *Nihil esse potentius auro.*

c In Verrem. d Ov. d lib 3. Eleg. 7.

§. 1.

Auri vi, arces & urbes quantumvis munitas expugnari.

PHilippus Macedo oraculum Apollinis consuluit, quo marte vel arte universam Græciam sibi subderet, arces expugnaret, fortissimas gentes subjugaret? atque hoc paucis responsi tulit;

Αργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα νικήσεις.

id est: *Hastis pugna argentatis, atque omnia vinces.*

Nec fefellit eventus; nam, ut Plutarchus ait, totam Græciam auro sibi Philippus vectigalem fecit, constatque inter omnes, illum plures urbes auro, quam ferro expugnasse. Hinc à Iuvenale dicitur

---*Callidus emptor Olynthi.*

Olynthum enim Lasthenes au-

a Lib. 3. c. 3. b Greg. Nazianzen. in carm. de vita sua.

UVA. BHSC. BU 02224

ro corruptus, illi tradit. Fortè accidit in ardua expeditione, milites regi retuliſſe arcem expugnatu impoſſibilem eſſe, rupem arduam & inacceſſam: quæſivit ab eis Philippus, num eæ anguſtiæ, ut ne aſinus auro onuſtus ſeſe penetrare poſſet? Quibus annuentibus, ſubjecit, nullam arcem inexpugnabilem eſſe, in quam ille aſcendere poſſet, & ut via non eſſet, certe vi faceret: nam ut Poëta canit,

a *Aurum per medios ire ſatellites,*
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo. ---

Comperi inter emblemata Viſcheri, acinacem ex nummis aureis, à capulo in acumen deſinentibus, cum hac Epig.

Potentius ictu fulmineo.

Nihil enim auro impervium, omnia rumpit, omnia ſternit, omnia ſubruit: atque utinam experientia non comprobaſſet, aurifodinas, minas auri, plures urbes turritas, & arces munitas ſubruiſſe, quam fodinæ ſeu cuniculi pulveris nitrati:

Toeder mijnen ſiet-men ſpringen,
Goude mijnen konnen dwingen;
Ick wat't poeder niet en kan,
Doet het gout aen menigh man.

----- *diffidit urbium*
Portas vir Macedo, & ſubruit aemulos
Reges muneribus. -----

Perſarum Reges non alio ariete, quàm aureo vellere fulgido, Græcos Aſia expulerunt, corruptis eorum Ducibus Lyſandro & Ageſilao. Notum illud Iugurthæ apud Salluſtium: *Venalem urbem, ſi emptorem invenirat*. Cujuſmodi emptorem non unum in Hiſpania, Germania, Gallia, Anglia ſubſcribente Scribanio, repereris; itaque illud modo Regum ſtudium eſt, hoc mercatu ſibi regiones integras adjicere. Laudat ab eo Comminæus Regem ſuum *b* Ludovicum XI. qui ut Eduardi Regis Angliæ familiares, auro ſibi obſtrictos haberet, quotannis in illos facile ad ſexdecim millia coronatorum profundebat: inſuper dabat intimis conſiliariis luculentiſſima dona: unus Havartus intra biennium præter penſionem conſuetam, accepit ad viginti quatuor millia coronatorum; addit vero unum Haſtingium ægrè adduci potuiſſe; quem tandem majori vi auri, adeò ſibi devinxit, ut dum ingentem ſummam aureorum, qui cataphractis equitibus ſignantur, (vulgò *Ridders*) exclamarit: *Captivum me tenes: quis enim valet tot armatis reſiſtere?* Ludovicum hunc Regem Galliarum, æmulatus eſt Matthæus Magnus Vice comes, de quo hæc Iovius in ejus vita: Plura ſe tectis conſiliis, & occulta largitione, quam vi & cruenta manu confeciſſe; plura denique auro quàm ferro feliciter ſe expugnaſſe dicebat. Eodem bellandi genere uſus eſt *c* Coſmus Medices Florentinus, cujus occultæ largitionis ſumptus, aliquot myriadum ſummam exceſſiſſe, ſcribit idem Paulus Iovius. Sed parum hoc, argenteis haſtis cominus decertari: quin & eminus, & in diſtans, ſclopis aureis longe diſſita, ſcrutinia mille ſeris occluſa, exploſioni patent. Narrat *d* Scribanius non

a Horat. l. 3. Ode 16.

b Comminæus lib. 8. *c* Lib. 3. Elog. in ejus vita. *d* Scriban. in Polit. lib. 1. c. 126.

UVA. BHSC. BU 02224

defuisse in Regibus unum, qui supra quadraginta millia aureorum per legatum, uni ex scriptoribus Regis obtulerit, quo consilium Domini aperiret. Et ne longius abeam, quis non existimet hac bellorum tempestate plures Duces belli, aureis sclopis (vulgo *Pistolen*) quam ferreis cecidisse? Facit hic, quod in conflictu Floriacensi accidisse ferunt: *a* ubi dum plumbeæ glandes, & ferreæ pilæ deficerent, machinam bellicam paraconibus onustam fuisse, qui potentius aureo imbre, vim viris, clade non vulgari intulerunt. Et ne longius abeam, an. 1583. *b* Francis urbem Antverpianam invadentibus, tanta alacritate cives restitere, ut non defuerint qui, plumbeis pilis deficientibus, nummos è crumena promptos, dentibusque utcumque mansos, atque in tubos raptim injectos explo-serint, hostemque auro inhiantem, auro confecerint. Ita sub Gustavo Rege Sweciæ, machina bellica auro & argento onusta reperta est. Ecquis huic tam potenti tormento resistat? plures jam aureis illis sclopis cadunt, quàm ferreis: ut rectè quidam vernacule:

Wanneer 't Pistol vvort afgebrant,
Helpt met gevvelt den man van kant;
Maer 't gout Pistol doet meer gevvelt,
Als dit vvort op de borst gestelt.

Aliam pugnandi eminus rationem *c* Macrobius adinvenit, dum crumenam *fundam* vocitare non dubitavit. Bursam quoque pro *funda* sumi, testatur Bonaventura in vita sancti Francisci cap. 7. *Invenit* inquit, *in via bursam, quam usitato vocabulo, fundam appellavit.* In promptu causa est, quod non unus Goliath hac funda cadat, atque ita opes dilapidare, jam artis & industriæ est tantæ, ut etiam longe dissitos primates, intimos regni dynastas, de fide, de integritate, de justitia deturbet. In quo genere uti nihil luculentius, ita nec luctuosius, quàm quod Strada anno 1566. enarrat, Margaretam Belgii gubernatricem gravissime questam, ea quæ ad Regem arcanè ipsa scripserat, in epistola Egmontii diserte omnia reperisse; propterea cum Rege expostulat, quod ab ejus aula hæc in Belgium secreta perferrentur: *Sibi constare multa literarum exemplaria, aliqua etiam autographa, quæ ad Regem miserat, in manus Belgarum procerum devenisse. Quanta cum pernicie negotiorum, quanta cum jactura regiæ dignitatis! orare proinde Regem, ut videat imposterum, quæ scribantur ad se literæ, aut igne corrumpantur, aut per exploratæ fidei administros, clam ceteris asserventur.* Et tamen compertum habeo, inquit Strada, post hæc gloriatum esse Orangium, apud Christophorum Assonvillium, nullum prodire è Regis ore verbum, seu private, seu publice, quin ad ejus aures in Belgium fideliter afferatur; hanc porro intimam scientiam magna quidem sibi pecuniæ summa comparari, sed nusquam æra fructuosius dilapidari. Ac tandem hoc Epiphonema subjungit; *Ecquid usquam inacces-*

a Mats Germano-Suecicus *b* Strada de bello Belg. Dec. 2. l. 5. *c* Macrob. lib. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

aceeſſum pecuniæ imperviumque fuerit, quando prudentis adeo, circumſpectique Regis aula, à privatis hominibus emi potuit? Qui Regi à cubiculis, aliique intimi primates, clave aurea donantur, qua in Regis conclave, ſe penetrare dum lubet, licet: aurum non modo atria Regum, ſed & arcana omnia ſcrutinia ſcrutatur. Iam vetus eſt malum, arcem Capitolinam non armis ferreis, ſed armillis aureis, à puella Gallis proditam; ſed hoc dolendum, quod docendum eſt:

§. II.

Arcem pudicitiæ auro expugnari.

AVdiſtis nil adeo munitum, quod munera non perrumpant; nil adeo ferreum, nec obarmarum, quo aurum non penetret; ita nullam pudicitiæ arcem eſſe, vel cœlo eductam, vel Oceano natitantem comperietis, in quam, ſi modo munera immitti poſſint, arcana vi æneam turrim diſrumpere, concluſæ cor rumpere & corrumpere valebunt:

a Omnia vincit amor, ſed amorem munera vincunt.

Nimium quam hæc

------b *vera eſt fabula vatum:*
Incluſam Danaen turris ahenea,
Robuſtaque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ, munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris;

eum Iupiter per impluvium, *converſo in pretium Deo*, in aureum imbrem mutatus, puellam violavit. Ita & modo mos eſt, ut ait S. Petrus Damianus, *c habens pugillum aureum, frangit murum ferreum.* Frivolum mihi quidem viſum eſt, ſed documento eſſe poterit, quod quidam pro concione, nomen illud *Cupido* ſic dici, quaſi quod *Cupis do*, hoc eſſe fortiſſimum telum amantium; ſi puella oculos in annulum proci conjecerit, ille ilico, Si *Cupis do*. Si in nundinis ſe tales inaures vidiſſe memoret, ille vero, Si *Cupis do*; ſi quidquid illa cupit det, jam fortiſſimo cupidinis telo, illam ſauciavit. Nam

d Quod facit auratum eſt, & cuſpide fulget acuta.

Non una jam Danaë, non una Eriphyle reperitur, cujus monile, ſatis nos monet muneribus pudicitiam, & ut Eccleſiaſtes, animam venalem eſſe:

Accipiens dona, femina nulla bona.

e Dum juvenis aliquis David, *rufus, & pulcher adſpectu, deco-raque facie* fundam ſuam rotare, & in ſinum virginis aliquot gemmas, lapillos pretioſos dilapidare incipit, ſi gigantem ſtravit, quomodo puella non corruet? nimis hoc receptum eſt:

f Muneribus quivis mercatur amicam.

Pythagoras dicebat aurum igne, viros feminis, feminas auro probari. Suis coloribus rem depingit g Iuſtinianus in Tobiam, ſicut ſuem inſerto naribus circulo, trahere facile eſt, ita mulierem pulchram, ſed fatuam oblato monili aureo. Quo ſpectat illud, quod referunt, tria D.D.D. homini exitio eſſe: Dæmonem, Dominam, Denarium. Ac primum uti ultimo, ad obtinendum medium,

a Ovid. b Horat. l. 3, Ode 16. L. 1. ep. 21.
d Ovid 1. Metamorphoſis. e 1. Reg. 16.
f Propert l. 2. Eleg. 16. g C. 6, verſ. 13.

UVA. BHSC. BU 02224

Dæmonem adhibere denarium, ad inducendam Dominam. Nam

------a auro conciliatur amor, Aurum lex ſequitur: mox ſine lege, pudor.

b Hic etiam *imitantur hamos dona*, & dum mulier eſcam amat, adhamat. Vnam in exemplum ceterarum adduxiſſe ſufficiat, quo pateat, neque cælitus honeſta munera defore; ſi hæc turpiter recipere detrectarit.

c Mercator quidam naufragium paſſus, cum omnibus hauſtis, ſalvus Aſcalonem appuliſſet, à creditoribus in carcerem conjectus, & bonis omnibus ita exutus fuit, ut ne uxoris veſtibus parceretur; at mulier viro victum precario quærebat: cui cum ægre panem ſuppeditare poſſet, ſedebat in carcere gemens cum viro ſuo: contigit autem hominem prædivitem ad captivos viſere. Qui viſa mulieris pauperculæ perquam liberali facie, eam ad flagitium invitat, ſpondens ſe omnia mariti debita, ſi annuerit, diſſoluturum; illa autem norat, quam

d Turpiter ingenium munera corpus emunt.

Negat itaque ex Apoſtolo ſe corporis ſui habere poteſtatem, ſed virum, qui cum pudorem uxoris ſuæ, divitiis, ac libertati antetuliſſet, retulit illa facinus viro non placere. Quæ cum latro, qui eodem carcere detinebatur, audiſſet, conjugis continentiam admiratus, cum propediem ad ſupplicium raptandus eſſet, ſe continere non potuit, quin locum indicaret, ubi ingentem pecuniæ vim obrutam reperiant. Mulier noctu locum adit, loculos abſtulit, quibus omne æs alienum mariti expunxit, & utrique hilariter vixerunt de reliquo. Hactenus auri vires in ſubruendis urbibus, in pudicitiæ arce expugnanda ſpectavimus: tandem ipſam veritatem, quæ omnia vincit, vincere poſſe oſtendamus.

§. III.

Virgam juſtitiæ, auri pondere à rectitudine deflectere.

IN omni paſſim curia, rectam virgam cernere eſt juſtitiæ, cujus vigorem ſupremus judex in ſummo rigore ſitum eſſe, aperte innuit, dicens: *e Reges eos in virga ferrea.* Id eſt, ut Auguſtinus exponit, *in inflexibili juſtitia.* Virgæ ferreæ is rigor eſt, ut ſi appenderis crumenam pecuniæ, ſi lancem argenteam, ſi pateram auream, non declinet à recto, ſed inflexibilis perſiſtat. *Hæc virga directionis* viri juſti mentem regit, & manum dirigit, cujus animus ſemper rectus & erectus, non ad dona depreſſus: nullis ille movetur muneribus, *f*

------Carum ne reſpicit aurum.

Sed quis eſt hic, & laudabimus eum, *qui poſt aurum non abiit?* Quis eſt hic, qu illud Iobi mordicus tenuit? *g Nec multitudo donorum inclinet te,* Iſaia teſtante ac deteſtante, h *omnes diligunt munera.* Iudices, legiſperiti, linguam auro venalem

a Ovid. lib. 2. de arte. *b* Martial. l. 4. epiſt. 56. *c* Salianus de amore Dei l. 6. c. 18. *d* Ovid. Oenone.

e Pſalm. 2. *f* Virg. Ceiris. *g* Iob. 36. *h* Iſ. cap. 1.

habent,

UVA. BHSC. BU 02224

habent, advolant Medici quam feduli, quoties, quantocyus, ubi lautum jathron perfolvitur, ut quidam non inficete:

Ordonner medicos, ægros or donner oportet.

Quin & facri judices fortaffis reperiantur, qui illud Chriſti: *Quidquid ſolveritis*, in ſuum lucrum vertant, & quæ olim de filiis Samuelis querela, *Declinaverunt poſt avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium.* ea nunc vim habent, dum prope omnes *declinaverunt* à rectitudine juſtitiæ, fidelitatis, veritatis.

a Auro pulſa fides, auro venalia jura.

Iura vernacule dicuntur *rechten*, id eſt, *recta*; ſed heu jura modo, quam curva! quod verſu ænigmatico quidam clare expreſſit;

Mutnegra cum murva, faciunt rectiſſima curva.

Quod ſi retrograde mutnegra & murva legeris, aurum & argentum collegeris, quæ reddunt rectiſſima curva, juxta vulgare:

Het gelt dat ſtom is, maeckt recht dat krom is.

Appoſito emblemate id oculis mentis ſubjicere placuit, quo regula juris, piſcatoris virgæ confertur; cui ſi parva præda, aut exiguus piſciculus adhæſerit, parum aut nihil de rectitudine deflectit; at ſi ingens mullus, aut aſellus, *b ſe pondere prodit*, flexibilem & curvam. A rectitudine juſtitiæ quis quandoque non declinat, ſi munus exiguum appendatur, ſi par perdicum, ſi gallus gallinaceus; at ſi ovis, ſi crumena bene farta, ſi præpinguis bos, hic judex velut procumbit humi bos, *virga directionis* quantæ ſit inflectionis ac declinationis, ſe *pondere prodit.*

Olim recepta Parœmia: *Bovem in lingua, in faucibus habet*, in eos qui linguam venalem habebant, à nummis qui effigie bovis ſignari conſuerant. Sunt qui ovem in lingua habent, lancem in gutture, ſunt & qui torque aurea linguam reſtrictam habent, ſunt qui guttur auro oppletum habent, ut Demoſthenes, qui non angina, ſed argentangina laborabat. Quid mirum ſi muti ut boves, ut piſces, ſi elingues? lingua hamo aureo perforata eſt:

c Imitantur hamos dona. ----

Et alibi idem Poëta:

d Munera magna quidem miſit, ſed miſit in hamo:
Et piſcatorem piſcis amore poteſt?

Hoc Sapiens deplorat: *e Dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus in ore, avertit correptiones eorum.* Refert Dionyſius cujuſdam judicis iniquum dicterium: Cum quidam pridie cauſæ dicundæ judici bovem miſiſſet, adverſarius eo cognito conjugi pinguem vaccam miſit: conjux itaque maritum in ſuas partes traxit. Ventum ad judicium, cum judex inciperet loqui ad favorem ejus, qui vaccam miſerat, alter admirans clamavit: *Bos loquere.* Reſpondit judex: Bos loqui non poteſt, quia vacca non ſinit. Vacca illum bove magis mutum reddiderat. Ab hac corruptela puras manus ſervabat æquiſſimus judex Samuel, qui ſic ad univerſum Iſraël, integritatem ſuam

a Tibull. l. 3. el. 12. *b* Virgil. 2. Georg.

c Marr. l. 4. Epig. 56. *d* Lib. 6. Epig 44. *e* Eccli. 20.

libere

UVA. BHSC. BU 02224

libere confessus est: *a Loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujusquam tulerim; si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Clarissimi, consultissimi, amplissimi Domini, quam paucorum hæ voces sunt? Quam pauci integerrimum illud factum Pecchii Cancellarii Brabantiæ æmulantur, ad quem dum laniones Mechlinienses, quorum lis jam dirimenda erat, præpinguem bovem misissent; ut eum ad postes domus suæ alligatum conspexit, famulos nequidquam percunctatur: dum tandem ex uxore intelligit, Mechlinia huc actum, ac dono donatum, è vestigio ille funem incidere, bovem abigi, ac amoliri jubet, cumque nullus dominus reperiretur, bos per diem palabundus, tandem à Cerdone privato mactatus, & servatus est. Hic Pecchius rexit in *virga ferrea*, in *inflexibili justitia*, quam nec bos à recto declinare potuit.

b Audet tamen Salazar in Proverbia asserere, eam vim adhiberi posse, ut virgam justitiæ etiam ferream inclinet, ac animum ferreum ab æquo & recto deflectat, dum munera magneti conferre non dubitavit, quæ non minus judicum animos, quantumvis rigidos ac ferreos, quam magnes ferrum in quam collibitum partem trahunt. Adducit eo prodigii instar, Augustino visum fuisse, dum quis subter mensam magnetem manu teneret, arcana vi ferrum veloci cursu desuper ferri cœpisse, scilicet

Cuncta trahunt ad se magnetes aurea: sicut
Ad se magnetes ferrea cuncta trahunt.

Sane, inquit, cum videris judicis arbitrium in hanc & illam partem flecti, & secundum omnes alicujus caulæ motus, & discrimina, uni sententiæ etiam injustæ adhærere, nec ullis rationibus ab ea divelli posse; tunc equidem suspicari licet, mamum aliquam latere, quæ munere oblato, tamquam magnete, clanculum impellat, & in quamcumque vult sententiam flectat.

c Ita & Scribanius in politicis: Munus quandoque latenter in manu conjugis, aut filiæ immissum, vi magnetica in virum vires exerit. *Etenim*, inquit, *si uxoris nocturnæ preces auro gravidæ, magis etiam si aurum fallacibus totum lachrymis, quæ vel solæ*, FERREA *virorum pectora mollire consueverunt: quid non auxiliaribus his copiis poterunt?* manifesto patebit

------ *Nihil esse potentius auro.*

Quid quod dona, eo mortalia pectora cogunt, ut declinent à fidelitate, Deo, Reipublicæ, ac Regi debita, qui ideo justa stipendia persolvit, ut sacramento facto nullum munus, nec per se, nec per suos acceptent. Vnde Augustinus, *d Quicumque stipendia sibi publice decreta consequitur, si amplius quærit, tamquam calumniator, & concussor, Ioannis sententia condemnatur.* Et Lucæ 3. *Estote contenti stipendiis vestris, neminem concutiatis: Iustum stipendium enim* à lege statutum (ut Rebellus de obliga-

a 1. Reg. 12. b Salazar in c. 17. Prov. v. 8.

c Scribanius pol. Christ. l. 1. c. 9. d Serm. 19. de verb. Dom.

tionibus

UVA. BHSC. BU 02224

tionibus Iustitiæ docet) *a habet se sicut pretium frumenti, lege taxatum, quam transgredi injustum est, & ad restitutionem tenetur,* uti de re aliena. Talem olim censuram in Iudæos Isaias tulit: *b Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

Edmundus Episcopus Cantuariensis hoc identidem in vita jactare auditus est: *Prendere & pendere, non nisi una inter se litera diserepant.* c significare volens, ut Novarinus ait, admodum propinquum esse suspendio, qui præter fas munera accipit Diogenes ille Cynicus sarcasmo taxavit, dicens, Magnos fures, parvum deducere ad patibulum. Accedit quosdam ad perjuria, & falsa testimonia, ad adulterinas syngraphas, muneribus corruptos, declinare: Matth. 28. *Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum.* Ad copiosam pecuniam acquirendam, Ferdinandus dicere solitus, d *duo parum, & duo multum requiri, multum cupiditatis & multum industriæ: parum verecundiæ & parum conscientiæ.*

e Nierembergii sacra stromata in hoc genere, *habent memorabile quod sit.* Civis quidam Parisiensis, dum Præposito cuidam vineam suam vendere nollet, quod bona essent hæreditaria; contigit paulo post, mortuo cive, Præpositum hoc astu usum fuisse: duos scabinos pecunia corruptos, noctu secum ducit ad sepulchrum, terra egesta, summam pecuniæ, cadaveri in manus dedit, quam pro vinea olim obtulerat; ac tum ad scabinos conversus; Vos, inquit, Domini scabini testes estis, quod ille talem summam pro vinea à me acceperit, quam ille manu tenet, nec contradicit dicentibus illis, testes sumus: pecuniam recepit, ac mane iis testibus adhibitis, vineam sibi vendicavit, Sed Deus, qui olim per Moysen edixit: *f Maledictus qui accipit munera,* non sivit impune; quare uxor defuncti, asseverans nil simile subesse, pecuniam nec se, nec maritum umquam vidisse, recurrit ad Philippum regem Gallarum: ille negotium committit quibusdam, qui auditis testibus, Præposito vineam adjudicarunt; hic illa desperabunda ad regem convolat, de injuria expostulat. Rex ut prudentia valebat, testes citari jussit, ac quemque seorsum examinat: primum interrogat, num calleat orationem Dominicam? quam ipsum recitare jubet. Hoc in vicinum cubiculum dimisso, alterum serio aggreditur, dicens socium ita veritatem confessum esse, quantæ sunt veritatis verba sacræ Scripturæ, quod si ab eo dissentiat, actum esse. Hic in genua provolutus, totam rem exposuit; rex vineam viduæ restituit, & Præpositum vivum sepeliri jussit, ut qui mortuum effoderat, vivus defoderetur. Si hodierna die sic in perjuros, muneribus corruptos adverteretur, quot vivos tumulari contingeret? quot judices oculos imposterum servarent, qui nunc aureo sty-

a Port. 2. l. 18 quæst. 20. b Is. c. 1. c Navarini adagia n. 992. d Gasp. Ens Epid. lib. 3. pag. 525. e Catull. eleg. 63. Nierem. Strom. 5. cap. 24. f Deut. 27.

lo ex-

UVA. BHSC. BU 02224

lo expunguntur, juxta illud Sapientis:

§. IV.

Dona excæcant oculos judicum. Eccli. 20.

BErnardus Pipini frater, *a* Caroli M. Nepos, conjurationis reus, impetravit ne sibi, quemadmodum ceteris, oculi stylo ferreo eruerentur; sed aurea pelvi, solis radiis oppositа, in eamque continenter fixam oculorum aciem intendens, ad fulgorem auri omnino excæcatus est. Quot hodierna die cæcos videre est, quibus auri fulgor, pelvis aut patera aurea, torques aurea, massa aurea, justitiæ soli oppositа, ita oculos mentis expunxit; ut nec quid justum sit videant, nec quid rectum percipiant, nec quid æquum decernant! quam miseram orbitatem, ut Deus orbe pelleret, plus vice simplici ingeminat: *b Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Deuter. 16. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Libet hîc ob oculos ponere tria genera cæcorum; 1. Sunt qui scipione aut baculo gressus dirigunt. 2. Sunt quos puer aut nepotulus manu ducit. 3. Sunt qui canem ducem sequuntur. Primi sunt, qui ut dignitatis pedum gestent, rationis limites perfringunt, vel qui Atlante, seu Christophoro fulti, ad dignitates emergunt. 2. Sunt præsules & magnates, qui affectu cæco natorum, aut nepotum ducuntur. 3. Sunt Causidici qui in curia latrant, & vili lucello excæcati, ducuntur à cane, id est, pecunia, quæ vulgo *den hondt* vocitatur: credo quod aurea offa sibi objecta, fiant atque canes muti, non valentes latrare. Quis nunc justitiam non perversa ratione cæcam dixerit? & hi cæci lites decernunt, hi cæci sententiam ferunt, cæci Remp. regunt, cæci exercitus ducunt.

Quot cæca judicia, quot cæci ictus, & confictus? dum judices, duces, auro excæcati. Quî fit impune grassari crimina? non est qui plectat, non est qui animadvertat, non est qui cernat. *c* Narrat Scribanius in politico, paucis annis in uno regno septies mille cædes duello factas, nec enormitatem oculos judicum incurrisse, quos munera excæcarant: subdit enim tres auri milliones in judices profusos, ad impetrandas duellorum condonationes. Vnde ille nobilis, in civem tenuem, litem tam iniquam vicit? Iudex auro excæcatus, æquum & iniquum sit non spectat, non videt; nesciunt avari judices, quod quantum auri in crumenam, tantum sceleris in animum admittant. Nam, ut Cassiodorus, *d cum vendunt aliena crimina, sua faciunt esse peccata.* Quî fit causam prælati tam cito expeditam? *e pretio tollitur ipsa mora.* Non spectatur jus eorum, quorum lites ad decennium suppressæ, *f qui caret argento, frustra utitur argumento.* Festivum est quod mulier practicavit, ad litem accelerandam: in-

a Pontani Bellaria part. 2. c. 27. mira.
b Exod. 23.

c In polit. lib. 2. c. 41. *d* Cass. lib. 6. epist. 21. *e* Propert. lib. 3. eleg. 13. *f* Epidorp. Eus lib. 2.

telle-

UVA. BHSC. BU 02224

tellexerat ungendas esse judici manus, lecythum itaque oleo plenum adducens, hominem convenit, & cœpit ungere manus ejus. Mysterium assecutus judex, cæci more unctionem permisit, sed tandem ulnas aliquot panni monet ut adferat, ad manus detergendas. quod cum feciſſet, & causſam obtinuiſſet, *unctionis nullam, ſed terſionis magnam vim esſe prædicavit.* Quî fit illum acceſſum ad Principem, judiciis autem habere? fit ut ait Raynaudus.

a Audito nummo, quaſi viſo
principe ſummo,
Diſſiliunt valvæ, nihil auditur
niſi ſalve.

Curia pauperibus clauſa. Proverb. 18. *Donum homini dilatat viam ejus, & ante principes ſpatium ejus facit.* Quî fit hunc asinum coronatum in subsellia erepsisse? in pulvinis sedere? causſam noſtis?

b In pretio pretium nunc eſt, dat
cenſus honores?

Invehitur Beatus Petrus *c* Damianus in Episcopum Parmensem, non vi, sed pecunia negotiantem Romæ, ubi tum omnia venalia, ut ait Satyricus: *d Omnia Romæ cum pretio.* Nunc ubique gentium, per munera munia dantur, & ut recentior Poëta,

Divitias & opes hon *lingua Hebræa vocavit:*
Gallica gens aurum or, *indeque*
venit honor.

Aptus & ineptus, probus & improbus, se & suos perdat, non spectatur à cæcis; sed in hos vere ac severe animadvertit judex oculatus Alexander Severus.

a. Oculus myst. p. 34. *b* Ovid. Fast. lib. 1. *c* Damian. l. 1. epist 21 *d* Iuven. sat. 3.

§. V.

Munerum corruptela graviter punita.

IMperator *e* hic præcipuum odium in judices iniquos ac sordidos exercuit, ut si quem istiusmodi judicem nactus esset, oculum erueret. Turinum asseclam suum, qui favorem principis vendiderat, fumo, quem ex stipulis ligniſque humidis fieri jusſerat, necavit, clamante præcone: *Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Et jure longe meritissimo ejusmodi judices hujus lucis usura, per cæcitatem oculorum privantur, qui lucem rationis auro erui permiserunt. Sed nihil hoc in genere illustrius, quam quod Nauclerus de S. Annone Archiepiscopo Colonienſi narrat. An. 1255. contigit judices alti Concilii Colonienſis in pauperculam, iniquam ferre sententiam: Mulier Sigembergam venit apud Archiepiscopum, questa de injuria à senatoribus illata: Præsul illos cum judiciariis libellis ad se venire jubet, rogat cur injuste judicassent? causſa cognita, mandat omnibus oculos erui, uni vero, cujus filium Præsul è fonte susceperat, tantum unum erui permittit, qui alios sex reduceret domum, quoque ejus rei memoria ad posteros veniret, juſſit super ædes horum judicum, ingens caput lapideum sine oculis collocari. Quorum capitum, inquit auctor, dum hæc scribo, adhuc Coloniæ superſunt reliquiæ. Si omnibus oculi corporis eruerentur, qui ocu-

e Epitome Turselini a. 224.

los

UVA. BHSC. BU 02224

los mentis sibi effodi auro passi sunt, quam ingens turba cæcorum, oculos nostros incurreret.

Cambyses Rex Persarum, aliud tormenti genus præsidi Silamni intulit, qui pecunia corruptus injustam sententiam tulerat: cutem ei detrahi, ac sellam judicis ea convestiri jussit, filioque in locum patris trucidati suffecto, dixit: Vide, ut patris exemplo edoctus, recte sentias. Quod ne excideret, fatali isti tribunali hos duos versus subscribi curavit:

Sit tibi lucerna pellis, sedesque paterna,
A manibus reseces munus, ab aure preces.

Plura qui volet, Mendosam adeat in lib. Reg. tom. 2. pag. 560. hoc notasse sufficiat, non modo apud homines, sed & apud Deum, *a maledictus qui accipit munera.* Omnesque illi corrupti judices, apud supremum illum judicem, æternæ cæcitati reservantur: illic cujusque corrupti

b Iudicis, æterna damnantur lumina nocte.

Illic non in ære, sed in cute; non in uno oculo, sed in toto corpore, & animo pœnas pendent. Nec quisquam pœna mirabitur gravitatem, qui culpæ rimabitur enormitatem. Ipsum Doctorem Angelicum audiamus: *c Multi hodie scelus Iudæ, velut immane ac nefarium exhorrent, nec tamen cavent; nam pro muneribus, charitatis, & veritatis jura spernunt: Deum, qui est charitas & veritas, spernunt.*

Angelico consentit Doctor *d* Bernard. in Can. V. Speransa de Passione punct. 1. & L. 12. Mor.

a Deut. 27. vers. 25. b Ovid 3. Metamor.
c D. Thom. hic in Caten.

melleus: *d Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitione turpis quæstus; hoc tantum differenter à Iuda: ille horum emolumentum denariorum numero compensavit: illi feraciori inglavie lucrorum, pecunias exigunt infinitas.*

Quæ cum ita sint, libet exclamare cum M. Gregorio: *e Quis non erubescat dicere, Quid mihi dabis ut tibi justitiam faciam? nonne simile est, ac si dicatur, Quid vultis mihi dare, ut abnegem? officium perdam, ut Deum vendam?* Quo quid efficacius dici possit, non reperio: etenim, ut vetus Origenes, *omnes qui pro temporalibus rebus justitiam deserunt, Deum, qui est justitia, vendunt.* O Iudas! ô proditores! famam, vitam, cælum, Deum, omnia vendunt: iis vero qui nullis muneribus, vel auri pondere à rectitudine justitiæ deflectunt, vitam æternam Deus adpromisit. Proverb. 15. *Qui odit munera, vivet:* & apud Deum & homines in honore erit, ut Isaias testatur c. 33. *Qui excutit manus ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Iste servus fidelis super pauca, supra multa in regno cælorum constituetur.

§. VI.

Quinam judices incorrupti, servique fideles Deo, ac Regi exstiterint.

DIvus Cyrillus, *f* ubi moralem Apologo de Simia, muneribus libertatem vendi ostendisset: utpote quam veste

e Cyrilli apologi mor. l. 3. apol. 12.

& favo

& favo mellis donatam, hiſtrio adeo devinxerat, ut eam catena adſtrictam ſibi manciparit; „ tandem ſubdit: Magnis laudi- „ bus celebrati ſunt, qui mag- „ norum maxima, maximæ li- „ bertatis amore, munera con- „ tempſerunt. Quantis enim „ gloriæ titulis effertur illeDio- „ genes, quod calcatis regiis „ opibus, per medias Alexan- „ dri Macedonis gazas, corpo- „ ris cultu pauper, ſed virtute „ opulentus inceſſit? Quantis „ laudationibus, morum cultor „ Socrates attolitur, cum Ar- „ chelai Regis, ſatis magnis pe- „ tebatur honorandus muneri- „ bus? & reſpondit nolle ſe ad „ eum venire, à quo acciperet „ beneficia, cum reddere illi „ paria non poſſet. Quantis ſi- „ militer præconiis exornatur „ Fabricius, virtute ditiſſimus, „ dum munus ſibi viro paupe- „ ri, à Pyrrho oblatum remiſit; „ magis eligens honeſtate civis „ liberi, quam muneribus emp- „ ti Regis gloriatione potiri. „ Qua profecto in re multo „ magis emicuit, dum Rex ad- „ miratus ſpectabilem virum, „ ſuper Solem erexit, dicens: „ *Ille eſt Fabricius, qui difficilius* „ *ab honeſtate, quam Sol à rectitu-* „ *dine curſus ſui, averti poteſt.*

His potiori jure accenſendi, qui difficilius à juſtitia, quam Sol à rectitudine curſus ſui deflexerunt. In quo plane excelſus, imo eminentiſſimus fuit, Martinus Cardinalis, *a* D. Bernardo familiaris, cujus hoc de ipſo exſtat Elogium; Is, inquit, Cardinalis presbyter functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit, ut pene expenſis, & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam; ibi Epiſcopus donavit ei equum, quo Piſas uſque, ubi eramus tunc, provectus eſt: poſtridie credo, ſecutus Epiſcopus (erat enim ei cauſſa cum adverſario, & agendi erat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum, cumque per ſingulos ſolicitaretur, ventum eſt ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non poſſet immemor eſſe recentis beneficii. Tum Martinus, Decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium; tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt. & eadem hora reſignavit illi. Quid dicis mi Eugeni? quærit Bernardus, nonne alterius ſæculi res eſt, rediiſſe legatum de terra auri, ſine auro? tranſiſſe per terram argenti, & argentum neſciſſe? donum inſuper quod poterat eſſe ſuſpectum, ilico rejeciſſe? nonne hic vere *in excelſis habitabit?* Monitionem excepit Eugenius: cui dum quiſpiam, priuſquam cauſſam ſuam exponeret, marcam auri conſtanter offerret, *Nondum*, ait, *ingreſſus es domum, & jam corrumpere vis dominum?* Ita Gaufredum Epiſcopum Carnotenſem, idem Bernardus deprædicat: quod cum legatione fungeretur, ita manus ab omni munere excuſſerit, ut ne piſcem oblatum, ne ſcutellas ligneas iis adhæreſcere permiſerit? *quomodo argenteas recepiſſet*, inquit Bernardus, qui ligneas refutavit?

b Excelluit hac laude quoque S. Elzearius Comes, qui cum gratia apud Robertum Regem Galliæ, & Carolum ejus fi-

a Bern. l. 4. de conſid.

b Surius in vita.

lium

UVA. BHSC. BU 02224

lium valeret, quo eam captarent, plurima ad eum munera deferebantur, quæ omnia ille constanter repudiavit. Accidit quandoque vim auri, nec exiguam purpurei panni copiam oblatam, dum rejeciſſet, ita ad Deum in oratione precari auditus est: *Domine tu debes mihi centum auri uncias, & duos pannos purpureos.* Et quis ambigat, Scriptura testante, servum hunc fidelem longe ampliſſimam mercedem, & cælorum regnum accepiſſe? *a* Inter Philosophos sapientiſſimus Seneca, exponit præclarum illud responſum, Cæsari datum à Demetrio. Amplum miserat donarium Imperator Demetrio, quod ubi primum is inspexit, despexit magnanimo contemptu, *Si tentare*, inquiens, *me Cæsar constituerat, toto illi sui experiendus imperio.*

Ita Christianus judex sentiat, cui ut servo fideli, totum regnum cælorum servatum est; quidquid illi defertur, in promtu sit: Toto ac tanto fides mea expugnanda est imperio. *b* Et hæc fidelitas *Mori* fuit, cujus memoria nulla temporis longinquitate mori poterit: huic dum duæ lagenæ argenteæ missæ essent, utrasque generoso vino oppletas remisit, dicique jussit, si vinum saperet, quamdiu in cavea esset, ad votum ejus fluere. Poterat hic servus fidelis cum Elzeario Deum precari, hæc dona argentea apud te depositа, inter plurima alia donaria asservari; quæ quoties quam constanter Cancellarius, & caput Regni Angliæ, (ut illum Carolus V. merito compellabat) rejecerit, ex eo colligе, quod à puero in curia versatus, ad annos 50 annuum censum vix ad septuaginta aureos auxerit. Vnus è multis servus fidelis, qui audire mereatur: *c Supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

a Lib. 7. de benef. c. 11.

b Stapleton. in vita. *c* Matth 2.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XVII.

Nemini dixeritis. Matth. 17.



PANDIT SECRETA LOQVENDO.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

De secreto servando: ne arcana alto pectore premenda, lingua seræ instar rotatilis, ullo unquam verbo divulget.

§. I. *Sub quo peccato lex naturæ, & jura obligent servari secretum.*
§. II. *Qui taciturnitate celebres, & tenaces secretorum exstiterint.*
§. III. *An secretum naturæ, cum vitæ dispendio, celandum sit.*
§. IV. *Quam viro indignum, secretum mulieri pandere, vel etiam amico.*
§. V. *Quod incommodum privatis familiis, etiam Religiosis, ex secreti revelatione accidat.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

Neminì dixeritis. Matth. 17.

HEPHESTION, *a* quo Alexander ut altero se, necessario utebatur, forte fortuna aderat, dum literæ, quæ occultas simultates, & calumnias in Antipatrum continebant, ad Alexandrum ab Olympiade matre submissæ sunt: quas Hephestioni pro veteri necessitudine, non potuit non communicare; sed hac cautela: Annulum digiro detractum Hephestionis ori, quasi sigillum impressum, admovit, dicens: *Hæc sile, nemini dixeris.* Haud aliter Servator noster hodierna die, dum tribus suis prædilectis discipulis, cortina remota, arcana quæ non licet homini loqui, revelasset, quasi ora sigillans subjecit: *Nemini dixeritis.* *b* Henricus Cardinalis, idemque Rex Lusitaniæ, tres illos Christo à secretis in Thaboræam rupem eductos, contemplatus, eorumque taciturnitatem admirarus, exclamat: *Magna ac laudabilis Apostolorum taciturnitas, quod hæc tam magnifica, quæ in vulgus sparsa, & Redemptori, & ipsis magnum nomen existimationemque conciliassent, secreta servare maluerint; unde apparet*; inquit, *quam recte tres hi assumpti fuerint,* qui commissa sibi secreta constanter servarunt, arcano clausa sigillo. Tum subdit: *Debent & principes ejusmodi sibi eligere, qui his Apostolis assimilentur: cum quibus quantumvis magni momenti negotia, & secreta communicare audeant, & de agendis tuto consuliare.*

§. 1.

Sub quo peccato lex naturæ, & jura obligent secretum servari.

LEx naturæ, *c* ut præclare Doctor Angelicus, sigillum ori admovit, quo arcana in pectoris arca, quasi in firmissima arce servari, ac consignari præcepit. Lex humana eandem stabilivit, *L. unica c. de famos. Libell. & cap. si quis q.* 1. Lex divina ne arcana patefieri queant, omni clave subducta, insolubilem feram ori affixit, ut late probat Sotus memb. 1. q. 2. *d* V. Sanchez consilia. Quare faceret illud gentilis Philosophi: *e Nulla lex jubet, amicorum secreta non eloqui.*

Leges humanæ & divinæ sigillant ora eorum qui à consiliis, à conclavibus, à clavibus, à cubiculis, à calamis, ab auribus, à secretis omnibus sunt; aliosque omnes adstringunt, quos auxilii aut consilii causa consulimus: quin & privatum quemlibet, qui vel secretum ab amico excepit, vel propria scientia acquisivit. Citra grande periculum, eorum neminem secretum resignare posse, apud Theologos in confesso est.

a Plutarch. in vita Alexand. *b* Nieremb. Theopolit. part. 2. l. 2. c. 8.

c S. Thom. 2. q. 70. a. 1. ad 2. *d* Sanchez part. 2. pag. 237. *e* Senec l. 5. de bene f. c. 21.

a Tho-

UVA. BHSC. BU 02224

a ThomæSanchez, Antonini, Soti, Sylvestri, Navarri, Cajet. & Lugo, aliorumque hæc recepta est: *Secretum alienum temere, & sine causa detegere, est peccatum mortale ex genere suo*, nisi parvitas materiæ excusét. *b* Et dilucide Amicus noster; Quodcum-
„que secretum sive nostræ fidei
„commissū, sive propria scien-
„tia comparatum, de malo gra-
„vi, sine causa revelare, semper
„est mortale: & ad restitutio-
„nem damni inde secuti (sive in
„fama, sive in fortunis) obli-
„gans, idque ob injuriam gra-
„vem, quæ proximo infertur.
Vnde illud cantatur:

Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contra, gravis est culpa, tacenda loqui.

c Quam culpam, & injuriam, ut naturæ ac Reipublicæ repugnantem, etiam Ethnici gravissime ulti sunt. Persæ, qui silentium ut numen observabant, capitali pœna secretum evulgare interminabantur. Hoc à natura edocti sumus, arbores, quarum radices nudæ sunt, cito arescere ac perire: is quoque nescit vivere, qui nescit tegere.

d Ægyptii linguam radicitus ei evellebant, qui arcana evulgando, eam protendisset. Apud Romanos, ejusmodi vivi exurebantur.

e In Westphalia etiamnum consuetudo est, si adjuratus revelat secretum, suspendio fauces præfocari. *f* Aliud excogitavit Imp. Octavianus, qui Thrallum quemdam, eapropter ad crurifragium damnavit. Mitto alios, qui non injuria usque eo severe in consimiles animadverterunt, quod probe nossent, hoc acrius plectendos, qui concredita sibi evulgarant, quo majora damna ex eorum manifestatione timebantur: g *Et ego sane*, inquit Scribanius, *veterum Persarum more, silentium in iis, qui à consiliis principum sunt, vitæ periculo sanciendum putarem: nec ullum probrum, lingua gravius in illis plectendum*. Prudentis viri, censura gravis; at gravissima de causa. Quot Reipub. seditiones, civium cædes, privatarum ædium tumultus, Religiosarum familiarum scandala, ab hac una scaturiginè, velut ab Ætna aliquo, aut Vesuvio, arcana sinu eructante, concitata sunt? quot regna perdidit, quot regiones prodidit, quantos exercitus in ultimum discrimen protervæ linguæ crimen adduxit? ut merito dici possit, subscribente Scribanio, *proditorem secretorum, regnorum proditorem esse*. Et quanta regna & exercitus stetissent, si lingua stetisset! credidit militiæ dux, amico rem tacendam; credidit alteri duci, & hostibus ludibrio jacuit, & spe ampla sua excidit, fortunis, honoribus! quanta sæculo nostro non reparanda damna, quæ ante scirent hostes, quam primi exercitus ductores! vix cogitata produntur, sane necdum decreta: incocta, cruda, & in primam deliberationem quandoque vocata, denuntiantur hosti: vix cœpta, vix concepta. Et quisquam mirabitur stratagemata, technas militares, expeditiones in Bredam, Slusam, Vlissingam, aliaque munitiora loca felici e-

a Sanch. cit. *b* Amicus de jure disp. 37. sect. 8. n. 105. *c* Amm. l. 1[illegible]. *d* Diod. Sicul. l. 2. c. 2. *e* Paulus l. si quis ff. de pœnis. *f* Gaufredus l. 6. de regim. princ.

g In polit. Christ. part. 2. c. 16.

UVA. BHSC. BU 02224

ventu caruisse:imo in proprium caput cusa fuisse? Quantumvis peritus in ludo chartarum, si colluſor vel obiter obliquo oculo chartas ejus luſtrarit, ludibrio erit. *a* Deterior ſane Regum principumque ac curiæ conditio eſt, quibus nihil arcanum hoſti eſt, quorum inimicis omnes ſcrinii chartæ parent. Vt ſupra dictum eſt.

a V. Dom. 1. Quad. qui auro corrupti ſecreta vulgarunt.

§. II.

Qui taciturnitate celebres, & tenaces ſecretorum exſtiterint.

ARcani tenacitatem, ut Imperatori maxime neceſſariam, & ſumme commendatam, merito extollit in Alexandro Severo Lampridius: *b Sub hoc*, inquit, *tacebantur ſecreta bellorum.* Illud Romanorum columen Metellus ſenex, militiæ peritiſſimus, tanti æſtimavit ſecreta poſſe contegere, ut interrogatus quid in ſequentem diem juberet? dixerit: *Si tunica conſiliorum meorum eſſet conſcia, detractam, in ignem mitteram.* *c* Secutus eſt Petrus Rex Aragoniæ, qui dum Siciliam potenti claſſe occupare cogitaſſet, à Martino IV. Pontifice rogatus, quo omnis ille bellicus apparatus ſpectaret? reſpondit: *Comburam intimam tunicam, ſi conſiliorum meorum gnaram eſſe ſciam.* Vox principe digna, qui norat anguſti pectoris eſſe, ſuſcepta conſilia tegere non poſſe, & d *res magnas ſuſtineri ab eo non poſſe, cui tacere grave eſt.*

Vidimus tamen & corruptiſſimis moribus noſtris, qui certare cum Metello, cum Tarquinio Romanis, veteribuſque Perſis poſſet, Ambroſium Spinolam Marchionem, regiorum exercituum ſupremum ductorem, tam tenacem ſibi commiſſorum conſiliorum fuiſſe, ut ante animam, quam concredita aut concepta excuteres. *e* Nemo audivit ab hoc ſilenda, nemo ſperavit. Nimirum creverat ſub Magno Alberto principe: in quo cum omnia maxima, tum conſiliorum ac peragendarum rerum ſilentium tam altum, ut ante fundum maris, quam hujus mentis arcana erueres. Semel illi aliquid credidiſſe, æternum erat. Tam fida vigilantique cuſtodia, ut nec orbis univerſi arma, nec regnorum, qua orbis pater, ſolertia, elicere concredita poſſet, aut cogitata eruere: ante facta videbas, quam cogitata crederes. Ita imperare linguæ potuit, ut nullum ei unquam verbum exciderit, quod veniam mereretur. O vere virum perfectum, qui non peccavit in lingua!

Præclarum hoc magnorum virorum ſilentium; ſed hoc rarum non modo privatum unum aliquem principem, aut belli ducem; at univerſum ſenatum, omne conſilium (quod Feſtus à *Con*, id eſt, ſimul, & *Sileo* dictum vult) apud majores noſtros inviolabili fide, arcana celaſſe: à quo celebrantur Romana incunabula, ut teſtis Maximus Valerius: *f Arcana conſilia PP. Conſcriptorum multis ſaculis nemo ſenator evulgavit.* Digniſſimi omnes qui imperarent, Addit idem auctor: *Cum non unum, ſed nemi-*

b Plut in Apoph. *c* Mariana de Rege l. 2. c. 11. *d* Q. Curt. l. 4.

e Scrib. cit. *f* Val. Max. L. 2 c 2.

nem

UVA. BHSC. BU 02224

nem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. O viros! ô alta pectora! quibus merito concedat & conticescat Christianus. Equo Troiano hunc senatum consimilem dixero, in quo tot viris conscriis & conclusis, nemo in castris suorum, nemo hostium scire, nisi urbe capta potuit. Illustratur illud ab eodem: *Cum Asiæ Rex Eumenes, urbis nostræ amantissimus, bellum à Perse adversus populum Romanum comparari, senatui nuntiasset, non ante sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent, quam captum Persen cognitum est:* nunquam enim taciturnitatem optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant. Quis jam ritum Romanorum barbarum duxerit, quo Consus consiliorum Deus, apud eos sub terra in circo colebatur: ut quoniam suo numine regere consilia credebatur, ex loci conditione intelligeretur, occulta ea esse, pectore clausa debere, quæ in consiliis agebantur: silentium servare docti, supra omnes Pythagoricos & Harpocraticos. *a* A Romanis senatus Venetus hanc virtutem mutuatus est: cum enim Carmagnolus militiæ dux, pecunia corruptus, exercitum hosti prodidisset: senatus ubi aliquid suboluit, & Patrum nonnulli hominem statim evocandum, & puniendum putarent; pluribus rem in tempus opportunius differendum placuit, quod viderent, illum facile posse effugere. Octo menses transacti, cum Carmagnolus omnia tuta ac tecta rati-

a Petrus Bembus in hist. Venetas l. 4.

tus, Venetias venit; comprehenditur, convictus, supplicio afficitur. Stupendum in tanto Senatorum numero, quorum aliqui Carmagnolum affinitate contingebant, neminem verbum fecisse. Fidum & altum erat Reip. Venetæ pectus, silentiique sera munitum. *b* Quod Alphonsus ille magnus spectavit, dum ad fores Curiæ, aram Iovi Positorio exstrui decrevit: ad quam Senatores sub ingressum privatos affectus ponerent; sub egressum vero privatos sermones in concilio habitos, reconderent, quos ita mordicus celabant, ut vis nulla eruere valeret. Vbi indagandum occurrit,

b Nierenb. Theopolit. part. 2. l. 2. c. 8.

§. III.

An secretum naturæ cum vitæ dispendio celandum sit?

AFfirmative, vel sanguine suo subscribit Romanus Philosophus: *c Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur pramio. Vre,* inquit, *cede, occide, non prodam; sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam.* Fortiter dictum; sed & à multis fortiter factum: à Pompeio imprimis, *d* qui dum legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cum senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, quo Regi spem omnem, tormentis quidquam ex se cognoscendi, excussit. Fortiter etiam Zeno Philosophus, qui cum ad ape-

c Seneca ep. 88 *d* Val. Max. l. 3 c. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

rienda consilia torqueretur, Nearcho tyranno quasi secreto indicanda haberet, aurem morsu corripuit, nec ante dimisit quam & ipse vita & ille corporis parte privaretur: adeo tenax arcanorum fuit, quæ secum abstulit. Fortius etiam Ananarchus, qui ne proderet tacenda, dentibus præcisam linguam in Nicocreontem Cypriorum tyrannum exspuit. Par illi Theodorus. quem nulla verbera, fidiculæ, laminæ ad prodenda commissa adducere potuerunt. Hi omnes fortiter mori, quam muliebriter commissa sibi arcana prodere, maluerunt: *a* quod non modo Romanum, sed & Christianum esse, doctorum evincit auctoritas: si placet, paucis Theologorum placita super hac re audiamus. Apud quos quidem indubitatum est, quemvis privatum ad evitandum grave incommodum aut detrimentum, posse sibi commissum secretum particularis personæ manifestare: quia nullus censetur cum tanto suo aut suorum onere, talia secreta sibi concredita acceptare (nisi pacto aut fide obstricta teneatur) etenim ut nec depositа pecuniarum, cum tanto suo incommodo quis servare tenetur, ita nec depositа verborum.

Hoc tamen 2. in aperto est, quemvis cum viræ suæ dispendio teneri, servare secretum, ex cujus manifestatione grave regi, Reipub. exercitui, aut communitati incommodum sequeretur; quia bonum publicum prævalet privato, & membrum pro corpore exponendum est. Ex quo infert Navarrus militem bello captum à Mauris, quibusvis tormentis crucietur, non posse sui exercitus secreta pandere, si ad ejus incolumitatē necessaria essent.

b Infert 2. Amicus de jure & justitia, non posse Religiosum secretum revelare, quod in gravem religionis suæ infamiam redundaret, ob quæcumque tormenta aut mortem vitandam. Ex quo sexcenta alia confectaria Theologo facile colligere est.

Sed qui hujus quæstionis præcipuus scopus est: norint personæ publicæ, sine ullo explicito promisso, sola officii sui ratione, se ita arcte ad secretum teneri, ut non modo illud revelando peccent lethaliter, verum adeo tenaciter servandum esse, ut nec tormentis aut ipsius mortis interminatione, arcanum sibi gravis momenti commissum, manifestare queant, cujusmodi esse perhibentur Consiliarii militiæ & fori, Magistratus, judices, advocati, medici publici, Notarii, scribæ, obstetrices, Theologi, aliique cui consilii aut subsidii causa conveniuntur. Ita Cardinalis Lugo de jure & justitia, Sanchez, & alii, qui omnes tradunt, potius spiritum iis, quam arcanum exprimendum esse. Quod illustris Philosophi concludo exemplo. *c* Quidam Secundus nomine, Atheniensis, cum in domo matris habitaret ignotus, & ab illa ad incestum urgeretur; ille matrem caste complexus, filium se esse aperuit; quo inopinato adeo consternata fuit, ut dere-

a Sanchez consilia part. 1. l. 6. c. 6. dub. 8. &c.

b Disp. 37. sect. 8. n. 104. *c* Epidorp. Ens l. 10 c. 10. beyerlinck tit. filius.

pente

UVA. BHSC. BU 02224

pente mortua conciderit. Hujus tam funesti obitus, Secundus, ut pœnas sumeret, perpetuum sibi silentium indixit. Quod dum pertinaciter servaret, accidit Adrianum Imp. Athenas divertere, qui Philosophum intuitus, comiter eum salutavit; at ille obmutuit. Tum Adrianus: Loquere Philosophe, & aliquid edisseras. Cum totus obmutesceret, indignabundus Imperator, è vestigio eum per carnificem duci imperat, hoc clam carnifici insusurrans: Si hunc in via ad loquendum induxeris, velim eum capite minuas; at si elinguis permanserit, illum mihi incolumem reduces. Hic carnifex studio rem aggreditur, ut loquelam extorqueat, Vt quid tacens, inquit, moreris, vitam verbo cum emere possis? Sed ille vitam contemnens, tacitus collum securi præbuit. Pertinax ejus silentium miratus carnifex, hominem Adriano stitit, dicens; Secundum tacuisse usque ad mortem. Hunc Secundum ad mortem arcana tegentem omnes Christiani, imprimis qui publico aures præbent, æmulari debent; nulli quantumvis amico, nedum uxori, aut ulli feminæ, arcana committendo.

§. IV.

Quam viro indignum, mulieri secretum pandere, vel etiam amico.

AVdistis personas publicas, nullis pœnis, ne mortis metu; privatum vero quemlibet, citra peccatum mortale, secreta prodere non posse: & incidere potest, hominem reperiri, qui ita aliquem amicum habeat, ut arcana fidat? fateor juxta vulgarem, amicorum omnia communia esse, sed iis seclusis, quæ lex naturæ vulgari vetat. Quod probe norat Philippides Regi Lysimacho perquam familiaris, ad quem dum libere Lysimachus: *a Quid tibi vis impertiam rerum mearum? Quodcumque voles*, inquit, *modone arcani quidquam.* Idipsum spectarunt duo sanctissimi fratres inter se conjunctissimi, quibus omnia, præter ea quæ secreta esse debebant, communia erant: sic enim D. Ambrosius in obitu Satyri germani sui: *Cum omnia nobis nostra essent communia, individuus spiritus, individuus affectus: solum tamen commune non erat secretum amicorum, ut fidem servaremus.* Vnde gravissime fallitur, qui intimam amicitiam stare non posse, nisi alter alteri intima arcana prodat, & tertio fidem frangat, arbitratur; hic doctorem maximum, Augustinum audiat, qui leges amicitiæ omnes complexus, sic statuit: *b Secretorum revelatione inter amicos, nihil turpius*: quam enim hic de te fidelitatis opinionem habiturus est, qui gravissimum secretum sibi à te prodi audierit? qui tibi ille sua fidat quem videat aliena amici celare non posse? advertet facile verissimum illud Sapientis: c *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Quare illud monitum Hieronymi sectemur: *Si quis voluerit tuis misceri amicitiis, & hunc videris prioris amici panden-*

a Bryson. lib. 6. b Aug lib. de amiciti c. 3. c Prov. 12.

UVA. BHSC. BU 02224

tem secreta; hunc veluti perfidum cave. Quod & Venusinus Vates monet:

---- a *Commissa tacere*
Qui nequit, hic niger est, hunc tu
Romane caveto.

Prudenter non fidat sua, amici secreta prodenti; prodet & tua. Etenim *b qui denudat arcani amici, fidem perdidit*, ut ait Ecclesiast. nec sat est, si ab eo, cui commissum prodis, juramento fidem extorqueas: nam ut recte Seneca, *c habet unusquisque aliquem, cui tantum credit quantum ipsi creditum est*, & hic rursus jurato rem pandet, fitque hunc prope in morem: Servus vestem ab hero sibi donatam, ilico alteri amico donavit: ab hero ea propter graviter correptus, Quid, ait, me vestem servare vis, cum nec tu illam servare potueris? haud aliter:

d *Alium silere quod voles, prius*
sile.

Qui arcæ clavem habet, omnia arcana pandit. Quis credat & feras esse, quarum clavis verbum est, hoc qui tenet, ut Emblema indicat, arcæ omnia arcana pandit. Quare non amicissimo sibi, non matri, non parenti, non superiori hanc clavem credat: in nullius denique etiam maximi viri sinum, fidemque deponat: e *est enim quædam dulcedo sermonis quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quam ebrietas aut amor, secreta producit: nemo quod audierit, tacebit.* Hinc acrosanctum cuique esse debet, quidquid silendum, prementumque officii ratio, & fides postulat.

Sed quis hoc ferat mulieri virile pectus totum recludi? quis non graviter in omnem prudentiam eum peccare dixerit, qui tacenda illi sexui commisit? cujus prærogativa est, numquam, nusquam silere: vulgari amat, & ut videri, sic audiri, quod voluptatis suæ, adeoque & libertatis magnam partem putet, si quid concreditum sibi ingentia quadam libertate in amicæ profundat sinum. Mulieres porro secreti legibus non teneri videntur, atque adeo ut lege, sic lingua solutæ censeri debent. Vulgari rem vis? mulieri committe. *f* Quo sanctius, eo citatius profunder, cum nubium more, rarissimæ sint, quæ pluviam suam teneant; ut non aberraverit qui femineum os, & pectus, cribro assimilaverit, aut exterebratæ navi, ac dolio. Sibi quippe ipsæ persuadent: elegantiæ genus quoddam esse, plurimum effundere, minimum continere, ut in camelo gibbum, in Alpinis strumam, in Elephanto promuscidem, in Æthiope prominentia labra:

In Meroë natis, majorem infante
mamillam;

ita in muliere majorem corpore linguam, merito efferri existimant. Hinc nulla certior evulgandi ratio, quam vel unius mulieris fidei, rem committere: maxime si secretum pactus fueris; quo enim sanctius spoponderit, hoc avidius vulgare properabit, imo provolabit. Si quid ad canis vel felis caudam alligetur, quanta inquietudine currunt, saliunt, furunt, nec ullo loco consistunt, dum excusserint; item mulier, servitutis quoddam genus esse

a Horat l. 1 Sat 4. b Ecli. 27. c Sen. ep. 105. d Senec. Hyp. e Sen. ep. 105. f Scrib. polit l. 1. c. 4.

putat,

UVA. BHSC. BU 02224

putat, non posse proloqui: nec quiescit, donec excusserit. Cui & illud Socratis accommodari potest: Facilius ignitum carbonem ore retineri, quam secretum pectori concludi. *a* Quemadmodum ingenioso astu, Pontifex Ioannes XXII. edocuit, dum Abbatissam quandam sibi molestiorem, ut confessiones suarum excipere posset, sic compescuit:

Rem in diem sequentem decidendam distulit, interim pixidem illi in manus dedit, quam clausam asservari sanctissime præcepit: at illa, ut muliebre genus sagax est, non quiescebat, nisi pixidem lustrasset, quam dum sola aperit, avicula, vel ut alii, musca concluſa, avolat. Postliminio ut ad suam Sanctitatem visit, de pixide rogata, curiositatem confessa, hoc dilemmate convicta est: quæ ne pixidem ad diem clausam asservare, quomodo arcana confessionis, per omnem vitam servare posset. Opportune quatuor adferuntur quæ abscondi nequeunt: Palma in clivo, stramen in calceo, fusus in sacco, & arcanum in muliere; de qua Seneca ait: *Femina id solum tacere potest, quod nescit*. Quæ cum ita sint, quis jure accuset hic mulierem: si silere ipse non potuit, cur secretum à muliere speret? Id fuit, quod è tribus Cato ille Censorius olim questus est, qui, ut Plutarchus refert, Primum plorabat, quod iter fecisset mari, cum terra potuisset. 2. quod diem non condito testamento transegisset. 3. quod secretum feminæ commisisset, à qua secreti nil sperandum est. Ad institutum nostrum salubriter monet Prophe-ta: *b Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui*. Nescio enim quomodo his moribus, aut nocturnæ uxorum blanditiæ, aut preces, etiam lachrymæ, à viris occulta extorquent, & illos ludibrio faciunt: ut Dalila, super mensam Sampsonem, dum occultum ænigma multis precibus ac lachrymis à marito extortum, suis revelavit.

c Multos cæcus amor, cogit secreta fateri.

Nec una, nec levis, per unam feminæ linguam, excitata est tragœdia.

d Commiserat Cæsar secretum Fulvio; quod cùm ille uxori communicasset, illa alteri, ac tandem ad Augustam, inde ad Augustum deveniisset? Fulvius horum insciius, mane Augustum de more salutaturus accedit, dicens: Ave Cæsar. at Augustus, elato supercilio, *Vale Fulvi, vale*. Quo dicto agnovit actum esse de vita, de fama sua, quam lingua unica, & ipsi, & uxori eripuit. *e* Major certe, & omni posterorum memoria celebranda, in puero Papyrio prudentia. Mos senatoribus Romæ fuit, inquit Gellius, in curiam prætextatis filiis (qui nimirum excesserant XXII. ætatis annum, ut notat Polybius) introire. Contigit autem super negotio non levis momenti, deliberationem sæpius institui ac protendi. Mater Papyrii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, sedulo percunctata est filium,

a Iacq. Olivier licentier. malice des femmes p. 86.

b Mich. 2. *c* Virg. epig. de Venere & Baccho. *d* Plut. de garrul. *e* Gellius lib. 1 noct. Att. c. 23.

UVA. BHSC. BU 02224

lium, quidnam in senatu Patres egissent? Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior: secretum rei, & silentium pueri, animum ejus ad inquirendum everberat. Quærit igitur compressius, violentiusque. Tum puer, matre urgente, lepidi atque festivi commenti consilium capit: actum in senatu dixit: *Num videtur utilius, exque re Reipub. esse: unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset.* Hoc illa ut audivit, animus compavet, domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas sensim pervenit. Ad Senatum postridie matrum-familias catervæ lachrymantes atque obsecrantes, ne quid simile in deliberationem veniret, orant. Senatores accessuri curiam quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio illa vellet, mirabantur. Puer Papyrius in medium curiæ progressus, quid mater audire instituisset, quid ipse matri imposuisset, denarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exoscultatur: consultum facit, uti posthac pueri cum parentibus in curiam ne introeant, nisi ille unus Papyrius. Atque puero postea cognomentum honoris gratiâ decreto inditum, *Prætextatus*, ob tacendi, loquendique in ætate prætextata prudentiam. In quo prudens illud consilium Plutarchi comprobatum videas: qui fidem feminæ, non secus ac vas aut poculum quodpiam explorari jubet, in quod, priusquam vinum, aut alium pretiosum liquorem infuderis, num vas sincerum sit, aqua explorare assoles; ita, inquit, quædam figmenta aut commenta feminæ committi possunt, quæ si non servent, rimarum plenæ liquido comprobantur. Hac arte & astu, exemplo Papyrii, virum senatorium usum fuisse & uxori imposuisse comperio: dum à sacerdotibus ait ad curiam relatum, alaudam visam esse volantem cum galea aurea, & hasta: de eo ostento una cum auguribus deliberamus, bonine, an mali aliquid portendat: tu vero tace. Hæc locutus in forum processit. At mulier ancillam arripiens, cum gemitu rem omnem exponere. Illa herili famulo. Inde in viciniam, urbem omnem pervadere. Vt apud Plutarchū fusius legere est.

§. V.

Quod in commodum privatis familiis, etiam Religiosis, ex secreti revelatione accidat.

PRoverb. 25. *Secretum extraneo ne reveles.* Quo ancillæ, ac famuli, filii, ac domestici omnes monentur, ne, quæ intra privatos parietes fiunt, evulgent. Incommodum hinc gravissimum oriri natum, tangit Tullius: a *Ad forensem famam* (bonam vel malam,) *fere sermonem omnem à domesticis auctoribus manare.* ut ex historia, quæ testis temporum, & lux veritatis esse perhibetur, plenius innotescet. *b* Principi olim Hispano erat filius adultus, linguæ maledicæ ac perversæ, qua multorum odia in se concitarat. Eam ob rem tandem patēr filio perpetuum silentium indixit. Paruit ille; ac aliquando accidit, ut dum Regio in convivio

a Cic. Epist. de petit. consul. *b* Georgius Viviennus de officio patris fam. *l.* 3. c. 21.

parenti

UVA. BHSC. BU 02224

parenti filius miniſtraret in ſilentio, à convivis pro elingui haberetur. Quod ubi regina, mulier falax inaudiit, eum ſibi à parente ephebum depoposcit, Qui cum ei à cubiculis & arcanis eſſet, omnis impudicitiæ teſtis exſtitit. Iam biennium apud reginam egerat, dum ad menſam parente adhibito, rogatur de filio, caſune an natura filius mutus evaſiſſet? Neutrum ille reſpondit in cauſa eſſe; ſed juſſu ſuo, ob maledicentiam ſiluiſſe. Voluit Rex ut parens loquendi facultatem faceret. Cui hic repugnare, innuens quid ſcandali ab ore contumaci proferendum eſſe; tandem Regis juſſu, filio loquendi facultatem præbet. Filius ut primum fari licuit, edixit Regi: Vxorem habes, qua nunquam aliqua proſtituta meretrix impudentior aut ſalacior exſtitit. Confuſus Rex, prohibuit plura proloqui; ſed jam paucis, ſatis arcanorum evulgarat. Quæ ac quanta domeſtica flagitia, zelotypiæ, diſſidia, jurgia in vulgus emanarent, etiam de iis qui moderatiſſimi habentur, niſi illud facrum ſilentium pediſſequarum ac famulorum ora conſtringeret, quibus laxatis, quam ingens famæ ac pacis domeſticæ exitium eſt. Quare & hoc ſalutare Patribus fa. documentum eſt, nil dicant, nil agant, domeſticis famulis, aut etiam liberis præſentibus, quod occultum & ſecretum eſſe oportet. Per puerum non ſemel parens in diſcrimen vocatus eſt: ut ſingularis tragœdia convincit, quam Herodianus enarrat: Dum Commodus Imp. præcipuam ſuam pellicem Marciam, atque una Lætum & Electum, ſuis cupiditatibus obniti animadverteret, in pugillaribus horum trium nomina conſcripſit: eorum bona in milites ac gladiatores, ut eos ſibi devinciret, diſtribuenda, ac luce poſtera capite plectendos manu ſua conſignarat. Pugillares hos dum in balneis ageret, in cubili ſuper lectum relictos, infans quicum ludere ac dormire conſueverat, forte infortunio reperit, eiſque arreptis ludibundus foras proceſſit. Marcia puerum conſpicata & complexa, libellum manu aufert, verita ne quid rerum graviorum, puer inſcius dependeret. Agnita dein Commodi manu, & legendi cupidine adlecta, mortis ſententiam in ſe ac duos alios intelligit, quibus illa ilico rem omnem manifeſtat, perimerent Commodum, an perirent; qui abſque mora eum veneno tollendum ſtatuunt, quod ei Marcia miſcuit, ſolita ei poculum porrigere. Atque ita per puerum arcana prodentem, Imperator interiit. Alius error in privatis familiis nec levis eſt: domeſticos quandoque prurigine quadam duci auſcultandi ea, quæ arcano committi ſciunt, in quo non ſemel graviſſime peccatum, & ut paucis abſolvam, quam gravi pœna in eos animadvertendum ſit, ex Rege Toletano documentum accipite. In hujus aulam, cum [a] Alphonſus Caſtellæ Rex clanculum ſe ſe inſinuaſſet, ac fraudulenter in ſenatum poſt periſtromata ſeſe occultaſſet, ubi Regi Toletano innotuit, Alphonſo iſtic ut

[a] Carinei l. 2. c. 12. comp. hiſt. Aphoriſmi polit Chokier. pag. 184.

UVA. BHSC. BU 02224

dormienti reperto, liquatum plumbum in manus infundi juſſit, ut ſomnum ſimulantem excitaret. Alius fertur famulum ad fores atrii deprehenſum, quid herus intus cum Domina ageret, auſcultantem, terebrata aure ad oſtii poſtes clavo adacto affixiſſe. Nunc vero ut concludam Religioſos arctiſſime teneri ſecreta Ordinis ſarta ac tecta conſervare, natura, ratio, leges, ac cenſuræ graviſſimæ commonſtrant. Vt enim externorum primæ objectioni occurramus, multa non ſunt, quæ intra religioſa clauſtra contingunt, arcano tamen ſancto egent: v. g. referat quis matri filium ſe flagellis in cænaculo verberaſſe, ad victoriam contra Turcas: mater non ædificabitur, ſed valetudini filii timens, ſuperiores ut ſeveriores arguet.

Qui concionatorem publice reprehenſum externis diceret, imminuet ejus famam, & ſiniſtram opinionem eis indet. Etiam indifferentia ſi evulgentur, ſiniſtre accipiuntur. Si relaxationem animi, aut liberaliorem menſam inaudierint, ut helluones contemnent. Hinc inter ſuos recte cavit Bonav. *Secreta Ordinis quantumcunque religioſo vel familiari non revelabit.* Nam & religioſus religioſo vel ſcandalum, vel ut plurimum murmurationem concitabit. *a* Ea propter Petrus Damianus ſermone de vitio linguæ, monachos commonet, ut ſicut cellæ clavem ſecum deferunt, ſic & linguæ clavem portent, & peſſulum obdant: *Portate*, inquit, *fratres clavem cellulæ: portate & clavem linguæ. Opponitis peſſulum oſtio, adhibete retinacula ſalubriter ori veſtro,* potiſſimum contra multum perſcrutantes, ac omnia callide indagantes, ut recte monet Satyricus:

b *Percunctatorem fugito nam garrulus idem eſt:*
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.

Quare, inquit, *prudens ſub clave ſilentii celat arcanum*, illudque arctiſſime quod ex culpa admiſſa, famam fratris aut totius Ordinis læderet, quod caput revelationis graviſſimum eſt, ſive peccata in genere, ſive in ſpecie, ſive nominatis, ſive tacitis iis, qui peccarunt referantur. Sive dicantur puniti peccantes, ſive emendati vita ſanctiore: quia quocumque modo hæc efferantur ad extraneos, in Ordinis totius dedecus & infamiam talis manifeſtatio redundat. *c* Lætor, inquit Nigronius, vehementer, in præſentia minus hoc monitum eſſe neceſſarium noſtris; quando gravia hæc antevertuntur per dimiſſionem ab Ordine; quia tamen, ut ſapienter Bonaventura docuit, *d* non ea laudibilis eſt Religio, in qua nullus peccans reperiatur, quia nulla hujuſmodi eſſe poteſt: ſed in qua nullus impune peccare ſinatur, & peccandi aditus ſtudioſe præcludatur, ideo hæc cautela merito adhibenda eſt. Etenim ab inductione probat D. Auguſtinus nullam in hoc mundo exſtare poſſe congregationem mortalium, quæ plane ſit immunis à culpa. Vnde ſic ſuos ſolatur: e *Quantumlibet vigilet diſciplina domus*

a Damian. l. 6. Ep. 27.

b Horat. l. 1. Ep. 2. Loll e Nigron in reg. 38. comm. n. 4. d Bonav. l. de ſex aliis c. 3. e Aug. Ep. 137. ad cler. & pop. Hipp.

UVA. BHSC. BU 02224

meæ, homo sum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est. aut melior sit, quam domus Abrahæ, ubi dictum est; Ejice ancillam & filium ejus. aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui aut melior sit quam domus ipsius Iacob, ubi lectum patris filius incestavit. aut melior sit quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit. aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tametsi inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superius commemoravi: Foris pugnæ, intus timores; nec diceret cum de sanctitate & fide Timothei loqueretur: neminem habeo, qui germane de vobis solicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi in qua undecim boni, perfidum & furem Iudam toleraverunt. Aut melior sit postremo quam cælum, unde Angeli ceciderunt. Quare cum quid humanitus accidere videmus, nobis propius incumbit veste Religiosa defectus Religiosorum tegere, quam Theodosio purpura sua vitia sacerdotum occultare. Plura qui volet luculentum hac de re tractatum inveniet, Patris Nigronii in Reg. 38. communium. Hoc unum Sapientis mihi dixisse sufficiat: a *Qui custodit os suum, custodit animam suum,* custodit famam suam, ac suorum.

a Prov. 13.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XVIII.

Et illud erat mutum. Luc. 11.



ORA REPRESSIT.

Ovid. 6. Metam.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

De dæmone muto, qui in confessione facit homines obmütescere, dum pudore *obstructum est os*, Psal. 61. haud secus quam machina bellica clavo obturata.

§. I. *Dæmon reddit verecundiam pœnitenti, quam abstulit delinquenti.*
§. II. *Quemadmodum vitia corporis, ita & animæ manifestanda sunt.*
§. III. *Exempla eorum, qui peccati virus occultantes, male perierunt.*
§. IV. *In foro externo crimen fateri fatale est; in hoc saluti & honori.*
§. V. *Ad pudorem superandum, sigillum confessionis arctissimum comprobatur.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Et illud erat mutum. Luc. 11.

FERTUR unus aliquis Energumenus horrendum divexatus fuisse à tribus infestis spiritibus qui multis adacti, aliquando nomen suum confessi sunt; ac primus quidem vocabatur *claudens cor*: ne verbum Dei, quod quandoque per aures illabitur, altius in cor descendat; alter *claudens bursam*: ne quid in pauperes erogetur; tertius horum nequissimus, *claudens os*. Quidquid enim avaritia, quidquid neglectu, vel etiam *a* contemptu Dei, aliove scelere admittitur, aperto ore in exomologesi expurgatur; *at ubi obstructum est os*, nequit homo se exonerare; quemadmodum in machina bellica accidere videmus, quæ ut solida ac syncera appareat, si conclavata, *obstructum est os*, per quod succendi consuevit, nec glandem emittere, nec hostem arcere, nec suos defendere; denique ad nihilum valet ultra, nisi ut in fornacem ignis redigatur, & confundatur. Si obstructum est os peccatoris, numquam glandem vindictæ expellere animus, numquam sulphureum pulverem intimis visceribus abditum, in auras explodere; nec hostem arcere, nec se defendere valebit; si quid ponderis animum gravat, vel in juventute admissum, vel in matrimonio contractum, vel in sacris perpetratum,

---b *Manet alta mente repostum.* Nulla vi excuti, aut exonerari potest.

Ejusmodi machinæ matronam Francicam, Principem Feminam consimilem dixero; nomini parcitur, ne cuipiam ejus familiæ, etiamnum superstitit, nota inuratur: *c* hæc ubi complures annos, non tam malitia, quam ignorantia utcumque crassa, in tenebris hæreseos cæcutiisset, Deo sic disponente, hanc aptissimam opportunitatem nacta est, ut in consuetudinem viri perquam eruditi de Societate nostra inciderit; qui (ut loquela hominem manifestum facit) facilè cognovit illam in rebus fidei caligare, & longè ab orthodoxa aberrare: quare omnem industriam advocat, quo eam in viam reducat, tum aberrore revocet; quod tam felicibus auspiciis institutum, ut illam in omnibus docibilem ac ductilem habuerit, seque non secus quam si Angelum cælo delapsum oracula fundentem, audiret. Opiniones ergo suas execrari, rationes Patris, ut primæ veritatis, avide complecti: nihil adeò queri, quam tantum temporis diligendo vanitatem, & quærendo mendacium in spissis ignorantiæ tenebris versatam fuisse. quid multis? comparata est publicum sacramen-

§ Psalm. 62.

b (Virg. lib. 11. Æneid. c P. Perduccius acheminent de l'ame pag. 363.

UVA. BHSC. BU 02224

tum dicere, & in album Ecclesiæ conscribi. Hactenus ex animi sententia; at ubi proxime disponenda ad Sacramentum pœnitentiæ propediem suscipiendum, & arcanum illud mysterium auricularis confessionis illius auribus insonaret, quidquid umquam sceleris vel solo cogitatu per omnem retro vitam admissum, uni alicui manifestandum esse; ad hæc quasi fulmine icta, vox faucibus hæret, *obstructum est os*: impallescere, frontem rugare, tremere, totis ossibus commoveri, hoc tandem profata: Si æternos cruciatus alia ratione, quam omnes actiones, ac intimos animi sensus, mihi ac soli Deo perspectos, homini aperiendo, effugere non detur, tacens illuc descendam. & hoc dicto, Euro ocyus se è conspectu Patris proripuit, nec ultra comparuit. Si ulla, hæc certe à dæmonio muto conclavata, pudore ac verecundia *obstructum est os*. Hoc clavo dæmon utitur ad obstruenda ora multorum. Habet hoc pudor, ut viros etiam infantes reddat; quot eloquentes oratores, pudor extemplo elingues fecit? sic coram Philippo Demosthenes, coram Antonio Herodes Atticus; coram Severo Heraclitus Lycius, & ne nostra negligamus, Bruxellis orator ad Carolum V. dicturus, ad Imperatoriam purpuram ita erubuit, ut tribus verbis exorsus: a *Alexander ille Magnus: vox faucibus hæserit*. Ad quem Carolus ut comis erat. Video, Alexandro me conferre volebas. Quin & hoc ævo non nemo coram præsule, vel principe, coram purpurato patre vel pontifice, aliove honesto consessu, ingenuo pudore ita suffusus fuit, ut pisce magis mutus, ac infans è suggestu descenderit. Ita jure merito quempiam suppuderet, si ut primis Ecclesiæ temporibus in publico confessu, primis ac imis præsentibus, quasi ex rostris sua scelera proclamare cogeretur; at nunc in angulo Ecclesiæ, aut si lubet in intimo domus tuæ recessu, aut in locis, in lucis luce omni carentibus, uni homini, ignoto, nec viso, nec amplius visendo, aut videndo, voce submissa, vel etiam nuda charta loquente, exponere non audere; hunc enimvero à dæmonio muto potenter possessum esse, nemo quisquam sanæ mentis inficiabitur.

a Bosquier. to. 1. pag. 18.

§. 1.

Dæmon reddit verecundiam pœnitenti, quam abstulit delinquenti.

AUreè more ac ore suo Chrysostomus: b *Sciens Satanas quod peccatum habet confusionem, pœnitentia vero fiduciam: ordinem commutavit, & pœnitentiæ confusionem adjecit, fiduciam autem peccato.* Quod ipsum ut in ceteris mendax, tamen in hoc uno verax, & agnovit & clare cacodæmon confessus est: dum unus aliquis de SS. Patribus, c cui mentis oculus aliis perspicacior, dæmonem vidit obambulantem sedulo Confessariorum sedilia. cumque ex eo quæsisset, quid

b Chrys. hom. 80. ad pop. c Cassian. Coll. 2. c. 11.

rerum

rerum ageret, quid moliretur importuna huc illuc curſitatione? reſpondit: Ego pœnitentibus reddo, quod eripui. Rogatus ecquid hoc eſſet? *peccantibus pudorem abſtuli, hunc pœnitentibus reſtituo.* Quod æqua lance dum expendit Chryſoſtomus, exclamat: *O te miſerum! cum effectus es peccator: non erubeſcebas; quando juſtus efficeris, primum pudet.* Pigeat pudeatque illius diei, quo peccavit Adam, ſeque ipſe erubeſcens in ſilvas, in latebras, in ſilentio ſeſe abdidit. Gen. 3. *Timui eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. O te miſerum! cum effectus es peccator non erubeſcebas,* non Deum, ſed ſerpentem fugere, manum ſubducere: tunc te abſcondere debueras, non ubi ad confeſſionem ultra quæſitus. Expendit hoc B. Thomas à Villa-nova. a *Miſer qui proſtratus in terram confiteri debuerat peccatum ſuum, & dicere; Domine miſerere mei. ſe potius cum muliere excuſavit: unde propter impœnitentiam, cum poſteritate damnatur.* Et concludit. *Ecce quantum obfuit mundo, nolle confiteri peccatum.* Malum decerpere, ad mali colorem erubeſcere, decerptum fateri debuerat, erubeſcere fraterno ſanguine Cain; benigno judici ſanguinolentas manus protendere, erubeſcere non debuerat.

Erubeſcere certe debuerat homo plebeius, vili lacerna indutus, inter honeſtos convivas conſidere; at impudentiam ſuam confiteri, erubeſcere non debuerat; at *ille obmutuit, Tunc ait rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus, &c. Tunc* ait B. Gualfridus, b *non ubi ille, ſine nuptiali veſte introivit, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus noluit confiteri*; erubeſcere debueras ô homo, ſine veſte nuptiali, ad ſacram menſam accedere: ſed non obmuteſcere, & erubeſcere illud confiteri. Valet hic apophthegma Philoſophi, ad perditum adoleſcentem. Offenderat Socrates *c* adoleſcentem in veſtibulo proſtibuli egredientem, qui eo conſpecto, poſt oſtium ſe abdidit, ac per rimam exploravit dum Socrates tranſiſſet: qui ubi ganionem ſe ſubſequentem vidit, manu comprehenſum, hoc paucis in aurem inſuſurravit: *Amice mi, hunc locum intrare, erubeſcere debueras, non exire.* Frontem contrahere debueras ô filia ad primos laſcivos ſermones, colorem ducere ad petulantem juvenis manum; reſpicere ô marite, dum limen nocturnum tranſgrederis, & tu vir Dei, nomen ac veſtem tuam erubeſcere debueras. Domum contagioſam intrare, non exire; ad hoſtem transfugere, non verò ad Dominum, ad regem benigne invitantem redire, erubeſcere debes.

d Vincentius Samoſitus Palatinus ab Uladiſlao rege Poloniæ, præfectura ſua privatus, adeò hoc dedecore exacerbatus eſt, ut ad hoſtes defecerit, multaſque clades Vladiſlao intulerit; quo factum, ut rex Vincentium ad reditum ſolicitarit. Hic ſuam perfidiam, fidem regis tentaturus, omnibus inſciis ſolum regem con-

a Dom. 3. quadr.

b Gualfrid. in alleg. Tilman in c. 22. Matt. c Plut. d Ioan Hubert. in hiſt. Polonic. an. 1331.

venit

UVA. BHSC. BU 02224

venit, & pronus anteactæ vitæ perfidiam ingenue confessus, spondet se cum lecta militum manu, tantam stragem hosti illaturum, ut injuriam Regi, ac Regno partam, abunde compensaturus sit. Uladislaus Palatinum supplicem comiter excepit, & pristino honori restituit. Quoties nos à rege, à Deo nostro defecimus, & ad castra dæmonis confugimus? Deus urget ad reditum, clam conscientia reclamante, & palam per nuntios verbi Dei, a *Redi, redi, prævaricator ad cor.* Si quis clanculum Deum in persona confessarii convenerit, illi soli crimen expossuerit, in gratiam redit, & pristinæ dignitati restituitur; & redire erubescimus.

Deplorat hos Augustinus: b *Sunt multi quos peccare non pudet, pœnitentiam agere pudet:* vulnera animæ non formidamus, & sanari erubescimus. Unde exclamat: *O incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescit, de ligatura vulneris erubescit*; cùm tamen ut Eccl. 6. Sapiens docet, *vincula ejus, alligatura salutis.* c *Quo*, inquit Palacius, *fit allusio ad nexum; quo Chirurgus membrum saucium obligat.* Fertur Trajanus Imp. post Decebalum Dacorum regem prælio victum, cùm vulneribus ligamina deessent, suam purpuram in tenues lacinias concisam, vulneribus militum obligandis adhibuisse: Alexander proprio diademate Lysimachi saucii vulnus obligasse. Quis ad ejusmodi alligaturam, quæ non modò saluti, sed & honori est, erubescat? at longè pretiosius redemptor vulnera nostra obligavit, dum anima quantumvis saucia, à confessario vitta coccinea, pretioso sanguinis ostro tincta devincitur, diademate meritorum Christi redimitur, ut necessario anima post lapsum pœnitens pulchrior, sanctior, ac Deo gratior sit, quam fuerit justa antequam peccaret: præterquam enim, ut cum D. Thoma communiter Theologi, quod per confessionem reviviscant omnia merita vitæ præteritæ, insuper accedit gratia, per Sacramentum pœnitentiæ collata, ut rectè docet Cardin. de Lugo *de pœnitentia disp.* 12. *sect.* 1. & 2. Et quis adhuc de simili ligatura erubescat? *O incredibilis insania!* interire ægrum malle, quàm vulnus, aut ulcus Christo medico obligandum præbere.

a Ierem. 3. b August. in psalm. 50. c Baron. anno 103.

§. 11.

Quemadmodum vita corporis, ita & animæ manifestanda sunt.

CArolus Valesius *d*, regis Philippi primogenitus, deperibat Clementiam filiam Caroli II. Siciliæ regis; sed quia Carolus claudicabat, timuit princeps ne forte in prolem claudicatio derivata esset, & ementito gressu, Clementia vitium simularet; quare ubi de nuptiis conventum fuit, ea clausula apposita est ut virgo Coxendicis commissuram pateretur inspici: nefas enim fore, reginam Franciæ claudica-

d Cæsar. Nostrodam in hist. provinciæ anno 1285. Piece tom. 1. pag. 226.

re;

UVA. BHSC. BU 02224

re; & voluit, ut Martialis ait,

a *Simpliciter pateat vitium: fortasse pusillum*
Quod tegitur, majus creditur esse malum.

Erubuit virgo ad hunc nuntium; sed ubi rescivit hac nuditate aperta regnum Galliarum parari, exclamat, Parata sum examen subire, dummodo regno potiar: accepitque regem in sponsum, cujus diademate texit pudorem. Et nos pro regno cælorum, vitium animæ detegere erubescemns? Non sic longè omnium celeberrimus confessor Augustinus in Psa. 31. de se ipso fatetur: *Non operui, sed aperui ut operires; non celavi ut tegeres: nam quando homo detegit, Deus tegit; cum homo celat, Deus nudat; cum homo agnoscit, Deus ignoscit.*

b Immanes ac feroces beluæ medicum quærunt, uti Leo ille apud Plinium, qui pedi spinam intriverat, & alter apud Senecam; homo hoc non facit? Fecit compunctus David Psalm. 31. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Quod autem medico vulnus ostenderit, ex hoc patet: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Ejusmodi qui vulnera aut morbum manifestat, curationem facilem esse ostendit Cyprianus: c *Facilis cura est, ubi plaga perspicua est, & cito ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus, quod videtur.* & S. Nilus: *Levatur anima ægritudine, cum narratione eorum quæ molesta sunt, velut eximatur animi ægritudo, non secus ac nubes aliqua, à qua distillant guttæ pluviæ.* d Carolus Rex Navarræ ut Carolum V. Galliarum Regem è medio tolleret, cibos ejus veneno misceri fecit; quo ilico correptus decumbere cœpit. Re delata ad Carolum IV. Imperatorem, Regis avunculum, Medicum suum peritissimum adnepotem suum curriculo destinavit, si forte mederi posset; qui perspecta veneni natura, novacula crudum vulnus brachio inflixit, sensu vivacissimo: ut dum eò dolor spiritus animales advocat, una etiam virus attraheret: & ne plaga umquam coalesceret, glande imposita cavebat; factumque ut omnis noxius humor, hac via patura sese exoneraret, quo beneficio salutem ac sanitatem acquisivit. Dum genio indulges, & libidini vacas, dæmon virus propinat, quod longè lateque serpens, pervadit animam. Occurrit Ecclesia, os aperiens, ut virus omne effundas. Ita nonnullus pleuritide, aut alio morbo laborantibus, ubi Medico malum perspectum, vena aperitur, morbus curatur. Qui concretum vindictæ sanguinem visceribus fovet, qui noxiis animæ humoribus laborat, ei phlebotomia necessaria est. Nosti qua malum profluere debeat? e *Os justi, vena vitæ:* hac aperta liberatur æger de *sanguinibus:* uti enim in quibusdam morbis apertio venæ

a Mart. lib. 3. epig 42. *b* Plin. lib. 8. cap. 18. c Cypr. lib. de zelo & livore.

d Pise tom. 2. pag. 2. hist. Gallica in Carolo. e Prov. 10.

uni-

UVA. BHSC. BU 02224

unicum remedium eſt, ita & in hac vena vitæ, omnis ſpes ſalutis eſt. S. Iſidorus lib. 1. cap. 12. *Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, Confeſſio peccatis veniam donat; omnis ſpes in confeſſione conſiſtit.*

Similiter ſi ulcus, ſi apoſthema Medico exhibeas, aperto omne pus ac virus profluet. At contra ſi morbus & ulcus tegitur,

--- a *alitur vitium, vivitque tegendo.*

Hoc expertus fero, ſed ſerio deplorat David, poſtquam ad novem menſes, graviſſimum illud vulnus homicidii, & ulcus adulterii animo foviſſet: b *Quoniam tacui, intervertaverunt oſſa mea.* Figuram Innocentius ſumptam docet ex plaga, quæ medico celata, non curatur, ſed incrudeſcit, intumeſcit, pus generat, & oſſa arrodit ac labefacit. Iſid. lib. 2. cap. 24. *Quid tacuiſſe ſe pœnitet, niſi confeſſionem peccatorum?* Hinc putredo in oſſibus, quia, ut rectè D. Hieronymus: c *quod ignorat medicina, non ſanat.*

Filia honeſta cancrum in pectore, aut alium morbum occultum habet, erubeſcit medico aperire, manibus Chirurgi committere: palleſcit, tabeſcit, ſerpit malum, & ut Lucretius ait,

d *Vlcus enim viveſcit, & inveteraſcit alendo.*

Hinc tormenta, hinc tormina, hinc dolores parturientis, ut eos deſcribit Oſeas 13. *Abſconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.*

Puella quæ ſua culpa corruptelam paſſa eſt, ubi dies noxve partus advenit, quibus conficitur cruciatibus, quos patitur æſtus cogitationum, quibus dolorum ſpinis, ac morſibus laceratur? jam dedecus familiæ, jam nota inuſta proprio nomini, jam matris lamenta, jam patris iræ minæque, jam fratrum propinquorumque convicia, jam denique cum omni ſuo comitatu, pudor & ignominia ante oculos verſatur, & ipſo partu durius angit; qui puellæ illi pudor dolorque, is etiam eſt peccatori; quid enim aliud peccatum, quam fœtus ex flagitio ſuſceptus, & in animæ formatus utero? Qui ubi in auras emitti, & in aures confeſſarii deponi debet, ita peccatoris animum ſtimulat, ut dolores parturientis experiatur. Hoſce etiam viri, quis credat? experti ſunt. Annis abhinc non multis, vir locuples ac potens, facinus quoddam admiſerat, quod confeſſarii auribus committere, morte ac damnatione pejus ducebat; agitabat tamen mens hominem, & conſcientia ad virus evomendum exſtimulabat: inaudierat forte è ſuggeſtu Antverpiæ, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoria exciderant; hinc nihil non molitus, ut fœtum illum conceptum, expelleret memoria. Ivit per varia voluptatum genera, ſcelera ſceleribus cumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novo ſcelera concepto, quaſi clavum clavo pelleret. Sed fruſtra omnia; abit in exteras regiones, quaſi ſeipſum, & onus ſuum eſſet relicturus in Belgio, ſed

e *Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.*

a 3. Georg. b Pſal. 32. c Hieronym. in Pſ 37. d Lucret. l. 4. e Horat. l. 1. Epiſt. 11.

Igitur

UVA. BHSC. BU 02224

Igitur animum fluctuantem ad ſtudia appellit, quæ totum hominem petunt: ut ſunt Mathematicæ, Aſtrologicæ, & his affines diſciplinæ; ſed & fruſtra. Audit tandem peccata contritione deleri, & ad bona opera tamquam ad ſacram anchoram, pro felici portu confugit: dormit in cinere & cilicio, multa in pauperes erogat; ſed animus vel ſic magis indies aggravatur. Quid agat? jam dolores ac ſtimulos ferre non ſuſtinens, non alio quam fœdæ mortis interitu, vitam finire decernit. Itaque rhedam conſcendit, domum, quam funeſtæ tragœdiæ locum deſignarat, repetit. Occurrit de via è noſtris Patribus unus aliquis, quem ex rheda conſpicatus, rogat ut currum conſcenderet, vincitque recuſantem importunitate: Pater de Deo diviniſque rebus ſermonem injecit, & ut forte tempeſtas erat, de conſcientiæ ſecuritate, de bono confeſſionis inter cetera, verba fecit. Tetigit hominis ulcus, qui ſtomachabundus, quid ais? inquit, unde me noſti? cui pater, numquam, inquit, te vidi, ſed nos de more, ejuſmodi ſermones miſcere ſolemus; at ſi qua in re ope mea eges, præſtó ſum. Iuveris, inquit ille, ſed quid ſi confiteri renuam; ratus pater cedendum tempori, pio dolo hominem capit, ſpondetque ſe miſſa confeſſione remedium allaturum; arripit ille conditionem: ad acerba quæque ſe objicit. Pater cum domum appuliſſet, jubet epulum inſtrui, & ſe hilaritati daret, qua maximè egebat nocte illa decretoria; poſtridie quædam puncta meditationis dedit, ad excitandam in Deum fiduciam: tum examen conſcientiæ, non ut confiteatur, ſed ut in memoriam reducat, & de ſingulis doleat. Tum denique in vicinam ſylvam educit, rogatque num bene conſcientiam diſcuſſerit; & ne quid forte præteriiſſet, quærit ex illo quædam, per atrocia quæque delabitur, tandem illud ipſum quod angebat, attingit; ubi perturbatur miſer, & illud, illud, inquit, eſt triſte infandum monſtrum quod eloqui non audeo; tum pater, jam, inquit, confeſſus es, neque pluribus opus, niſi ut cætera prodas, fecit & onere illo levatus animus conquievit. Quot hodierna die ita gravidos ac gravatos reperire eſt, de quibus Prophera[a]: *Tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis.* Offert ſe obſtetricem benigna Mater Eccleſia, ut in angulo templi onus deponas; quod ſi renuas, *parturientis ſuperveniens tibi*, ut clamare compulſus, furibundo patri in lanienam cedas; quemadmodum non ita pridem opulentæ filiæ accidit, quam mater pallidam, deficientem, debilem conſpicata, ſolam convenit, ex ea conquirit, num quid lateat? videre ſe ſigna quædam: in ſinum matris confidenter deponeret, honori ejus, patre inſcio, ſe conſulturam. Negare & pernegare: interim hora partus advenit, & inexperta dolores, vociferari, accurrere famuli; parens ſtricto enſe matrem cum prole transfigere. Quanto fatius & tutius rem omnem matri aperuiſſet, ita peccator

[a] Pſal 46.

con-

UVA. BHSC. BU 02224

confiteri detractans, Deum vindicem, ad ultionem provocat. Ambros. in illud Psalm. 31. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea dum clamarem tota die: Clamare & tacere*, inquit, *inter se repugnant; quomodo ergo poterit fieri ut aliquis clamet, & taceat?* Quia dum tacet peccatum commissum, hoc gravior, inquit Ambrosius, impœnitentia, quæ inter peccata in cælum clamantia, tacendo clamor Sodomorum lacessit: nam ut rectè Bernardus, a *pejus est confiteri nolle, quàm legem contemnere; pejus est Dei offensam non satisfactione placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere.* His certus est interitus; quia clausit *super eos puteus os suum.*

a Bern. serm. de confess.

§. III.

Exempla eorum, qui peccati virus occultantes, male perierunt.

PIus juxta ac eruditus auctor *b* Ludovicus de Ponte Confessarios instruens, inter motiva ad dæmonium mutum expellendum, varia exempla ad horrorem inducit. Inter cetera, matronam quandam fuisse commemorat, in pauperes omnino profusam, cui nec maritus concedebat, sed & ipse pater pauperum passim audiebat; at ille, instigante dæmone, cum famulo consueverat, & prolem enixa interfecit, idque iterato; hoc tamen liberalius sua in pauperes erogabat, quasi vero hic locum haberet illud Danielis, c *Peccata tua Eleemosynis redime.* Et sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum. Quod Hæretici perperam admittunt, ut eventus edocuit: ubi enim crimen suum ad tumulum, & ad inferiores deduxisset, filius ejus religiosus ferventes preces, ac pœnitentias Deo offerens, matrem conspexit inter duos tartareos dracones, qui horrende pectus, totumque corpus dilaniabant, dixitque filio, se æternis pœnis mancipatam, quod reticuisset in confessione adulteria, quæ commisisset; nec quidquam eleëmosynas profeciisse, quia, inquit, *nullum bonum proficit, ubi virtus confessionis deficit.* Dæmon hic, ut quotidiana experientia docet custodem carceris imitatur: parum ille curat, si captivus ludat, bibat, cantet, modo ostium probe obseratum sit ne evadat: ita & custos stygis; ac miseræ animæ, illam & templa frequentare, orare, & conciones audire, & eleëmosynas dare, imo & epulari è mensa Domini, modo ostium oris clausum maneat, nec scelus foras prodeat.

Aliud refertur de quadam moniali, quæ quod reticuisset peccatum carnale, sola cogitatione admissum, in æternum damnata fuit. *c* Fuit quæ se exhibuit filiæ, in specie porci, se damnatam dictitans, ob peccatum in confessione suppressum. Recentius hoc, quod refert Lobbetius ex hi-

b Tom. 4. de Christiana perfect. tract. 5. cap. 7.

c Cap. 4. *d* Lobet. Dom. 3. quad. quæst. 2.

storia

UVA. BHSC. BU 02224

ſtoria Indica, anno Chriſti 1590. in urbe Itala, ſita in India Orientali, puella fuit Chriſtianis ſacris imbuta, cui nomen Catharina: hæc victa carnis illecebris, in ſecretiore conclavi, remotis arbitris, non alio teſte quam conſcientia, fœdæ libidini ſeſe dedebat. Ne porro magis dederet, eam tetigit vindex Dei manus, & lethalem morbum immiſit, futurum opportunum, ſi modò voluiſſet, monitorem. Ægrotanti adfuit Sacerdos è Societate IESU, eamque officii ſui admonuit, ut confeſſione ſacra, maculas animæ elueret. Paruit illa, & novies eſt confeſſa; at leviora tantum peccata; ſemper enim pudore velut os obſtructum habens noxam illam propudioſam alto ſilentio preſſit: ubi è cubiculo Pater abſceſſit, ancillis inter colloquia ac familiares jocos enarrat, refertque objectam ſibi, dum confiteretur hinc ſtygii Æthiopis monentis ac minantis, ne ſcelus quoddam in lucem ederet; inde Divæ Magdalenæ ſpeciem, hortantis ad integram confeſſionem. Quæ dum audiunt ancillæ, patrem ilico revocant, audita exponunt. Hic ſedulo ægram rogat, obteſtatur per quidquid ſacrum eſt, ut libere explicet, quidquid animam gravare poſſet, eandem paucas poſt horas è cubiculo in domum æternitatis, è lecto ad ſolium judicis evocandam; ni pareat, jactam eſſe ſalutis aleam. Mirum dictu, ſed verum tamen, ſurdæ canit, & operam perdit; adeò miſellam animulam occupaverat mutus dæmon. Morbo igitur mortique cedit, & ſuam illam noxam, & infandum ſcelus ad ſtygem defert, æternamque noctem. Verùm Dei erga ſuperſtites miſeratio, voluit Catharinam rurſus in auras, lucemque invitam venire, ſeſeque uni ex ancillis ſiſtere; ſed horribili ſpecie, inter circumſtantes flammas, ac voraces rogos, qui illi erant quaſi pro cyclade; in qua dum gemit, hæc ad exemplum cautelamque multorum addidit; æternis illis ignibus addictam ſe, quod leviores in confeſſione edixiſſet, celaſſet autem culpas graviores: invitam quidem ac reluctantem illud effari, cogi tamen à Deo, ut ſuo unius malo ſapiant multi. Videtis parum eſſe leviores noxas in ſacra exomologeſi exponere, imo & graviores, ſi vel unica léthalis noxa reticeatur, nullum peccatum remittitur; ſed inſuper graviſſimum ſacrilegium inducitur. quod ad oculum conſpexit ille, qui è feminæ confitentis ore, ad ſingula ſcelera tetrum bufonem exire vidit, ac ſub finem omnes agmine facto redire, in os intrare, & ingentem ceteris grandiorem ſubſequi, ut apud eundem P. Ponte videre eſt. Et quoniam impoſſibile eſt deteſtari unum peccatum, verbi gratia homicidium, & dolere ut eſt offenſa Dei, jus ejus violat, amicitiam tollit; & non deteſtari ac dolere de altero, verbi gratia, adulterio, quod eidem objecto formali ſubeſt, uti nec uni articulo fidei credere & diſcredere alteri, qui ſubſtat eidem

UVA. BHSC. BU 02224

dem revelationi & iisdem notis credibilitatis: ita nec unum sine altero remittitur, ut S. Thomas: a *Nullum peccatum remittitur, nisi quis justificetur:* nemo enim simul justus & peccator est. Hinc Christus quando ex obsessis dæmones ejecit, semper omnes simul expulit. Quare & confessio Iudæ sacriiega, nulla fuit, quia non integra: dum dixit; *Peccavi tradens sanguinem justum.* Quia ut advertit Ambrosius, *non omnia confessus est*; tacuit corpus Christi à se sacrilege sumptum, tacuit furta & fraudes suas. Facit hic quod in vita S. Sebastiani legimus de Chromatio urbis præfecto, *b* qui podagræ doloribus vexatus audiit à Sebastiano, si idola sua omnia confringeret, sanitatem recuperaturum. Obtulit ergo 200. idola Sebastiano confringenda, nec tamen convaluit. Collegit Sebastianus adhuc idolum aliquod ab eo reconditum esse, addens, nisi & illud proderet, non restituendum sanitati. Digito itaque intento ostendit cubiculum, vitreo opere effabre factum, in quo stellarum erat disciplina, ipsique præ cereris chara, ex qua divinabat de futuris, pretio 200. auripondo sibi comparata, qua confracta, de repente convaluit. Patri modo ni tu omnia idola scelerum tuorum, quæ in conclavi cordis geris, confringenda tradas Confessario, non percipies sanitatem. Sed hic dæmonis astus est, ut quemadmodum rei, in tortura facilè minora furta produnt, modo capitale facinus Iudicem celare queant; ita accidit ut ubi templum peccator ingreditur, quasi sacro horrore perculsus, confessionalia ut divinæ justitiæ tribunalia intuens, apud se tacitus sentiat, *Terribilis est locus ille*; fitque dum sese conscientia stimulante in sedem confessionis, quasi in equuleum conjicit, ubi deinde fœdum illud monstrum exponi debet; tum vero lingua titubat, vox hæret, nutant oculi, rubescunt genæ, colliduntur genua, totisque artubus sudor anxiæ mentis indicium liquitur, *tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis*: quos acutissimos esse, nec medicorum quisquam, imò nec mortalium ullus inficiabitur; adeo ut nisi, quæ Sola remedio esse solet, ipsius fœtus effusione subleventur, parturientem atrociissime cruciari, & excarnificari necesse sit.

b Portenti loco est, quod vir perquàm eruditus, oculatus testis, in annales suos retulit: mulierem Senonensem (cui Columbæ nomen erat) per dies complures nullo naturæ nisu, aut obstetricum adminiculo, fœtum in lucem edere valuisse. Tenuit parturientem dolor annos omnino tres lecto affixam. Exinde confirmata nonnihil valetudine assurgere, ac per annos quinque & viginti uterum gestans in publicum prodire visa est. Tandem post longa vitæ tædia, ubi è vivis excessit, utero refecto infans in lapidem obdurnisse compertus est: quem saxeum puerum se Parisiis vidisse anno 1609. Au-

a S. Thomas in suppl. q. 2. art. 3. *b* Surius 20. Ian.

b Mire Chron. ad an. 1531.

bertus

UVA. BHSC. BU 02224

bertus Miræus conteſtatur. Documento nobis ſaluberrimo relicto, longè acerbius animam ſcelus parturientem afflictari: atque hoc moleſtius fœtum propudioſi flagitii conceptum expelli, quo diutiùs ſuaſu diabolico intra cordis abdita compreſſus fuerit. Cui malo ut occurratur, remedio ſit.

§. IV.

In foro externo crimen fateri fatale eſt, in hoc ſaluti & honori.

AUguſt. in Pſal. 66. *Confiteantur tibi populi omnes, lætentur & exultent gentes*; ſic ait: *Ille qui plagis in tormentis, ſi victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem ſuam: nuſquam ergo lætus, nuſquam exultans: Antequam confiteatur, exarat ungula, cum confeſſus fuerit, damnat carnifex*. At judex cæleſtis *ad hoc exigit confeſſionem, ut liberet humilem.*

Subſcribit Caſſiodorus in Pſalm. 74. *confitebimur tibi Deus, confitebimur. Mortem*, inquit, *plerumque generat, vel ſemel terreno judici crimina confiteri; Deo autem frequentanta confeſſio, non parturit periculum, ſed ſalutem.* In foro externo, ut canit Poëta,

Non eſt confeſſi cauſſa tuenda rei.

In foro Eccleſiæ

Non eſt confeſſo culpa luenda reo.

Illic crimen fateri, diſcrimen ſummum eſt; Hic crimen fateri, delére eſt: nec modo ſaluti, ſed & honori eſt. Addit Chryſoſtomus: a *In mundanis & forenſibus judiciis poſt accuſationem, & criminum confeſſionem, reſtat mors: apud divinum autem tribunal, poſt accuſationem & confeſſionem criminum, datur corona.*

Per confeſſionem non modò quantumvis ſceleratus abſolvitur, ſed à morte ad vitam, à Patibulo ad ſolium, à laqueo ad coronam, hæres regni cæleſtis adoptatur & latronem in exemplum adducens, b *Ecce*, ait, *quantum præſtitit confeſſio, ut ſine dilatione introduci latro mereretur in paradiſum.* Ita Deus nos latrones, adulteros, homicidas, deicidas, unica confeſſione, non modo culpa abſolvit, ſed in filios, ac hæredes regni ſui tranſcribit: ſi cui reo apud terrenum judicem ſua crimina confitenti, abſque ullo alio diſpendio, venia ac libertas concederetur, quis non fateri mallet, quàm ea per tormenta extorqueri, & tandem ad mortem damnari? & quis non damnatorum, ſi modò igneo ſuo carcere exire poſſet, non toti mundo ſcelera ſua evulgari vellet; fertur Dux d'oſſouna Vice-rex Neapolitanus, amœno vir ingenio, quadam die conſcendiſſe Triremes, ac fæcem hominum contemplatus, quemque percunctatus, quid deliquiſſent quod ad Triremes damnati eſſent? ſinguli ſe operoſe excuſare, innocentiam ſuam multis perjuriis conteſtari: cùm in unum aliquem tandem incidit, qui ingenuè confeſſus eſt, à prima juventute ſe hominem nullius frugis fuiſſe, à paren-

a Chryſoſt. hom. 3. in c. 74 Iſa.

b Chryſoſt. ſerm. de latrone.

tibus

UVA. BHSC. BU 02224

tibus profugum, vitam furtis ac rapina sustentasse. Quod ut Dux audiit, è vestigio, de Triremi eum exscendere jussit: tu unus nequam in hoc tam honesto proborum virorum consortio, facile alios corrumpere; atque hoc lepido dicto, hominem confitentem, libertate donavit: non secus stygius ille pyrata omnes illos in Triremi sua, stygem trajecturos detinet, præter eos, qui scelera sua Duci ac Regi nostro confitentur: qui non modò in libertatem filiorum Dei, sed ampliſſimis insuper gratiæ donis ac muneribus, & regno, ut dictum est, donantur. Quod solide confirmat Cassiodorus: a *Mira compensatio, stupenda vicissitudo! Domino suo proprio maledicere, & ab eodem præmia salutis accipere! quis non incitaretur ei ad præmium confiteri, cui non possis negare quod feceris?* ad præmium confessus est prudenter impudens latro insignis Crocotta, de quo hæc apud *b* Ribadineiram, in Principe Christiano me legisse memini: Octavius Imperator publica præconis voce, decies millia sestertium promisit se ei daturum, qui sibi Crocottam latrociniis insignem, & latronum ducem adduxisset: hoc ubi resciit Crocotta, Imperatorem adiit, se Crocottam esse dicens, inque ejus potestatem se tradens; petiit sibi pretium dari, quod tradenti Crocottam promisisset. Fecit Imperator, aurum dedit, & in suam fidem conciliatum admisit. Idem habes de Themistocle, qui se Xerxi sistens, ducenta talenta retulit. Peccatori Deus gravissime minatur, pretium ingens addicit, si sistendo se reum confiteatur. Tandem si nec pretio immenso sibi proposito, pudorem superare, nec ora reserare queat, ratio evincat, & arctissimum sigillum, quo sacerdotis os signatur, quasi statuæ elingui confiteri suadeat.

a Cassiod. in Psal. 118. *b* Ribadineira de Principe lib. 2. c. 15.

§. V.

Sigillum Confessionis arctissimum.

SEcretum naturale cum gravi meo incommodo servare non teneor, cùm non censeor ad hoc me obligasse; literas resignare ob bonum publicum, quandoque ob privatum, licitum est. At sigillum confessionis tam arctum, tam firmum est, ut ob nullum unquam privatum vel publicum incommodum, ullo umquam casu liceat revelare. *c* Gregorius Papa *C. Sacerdos & C. utriusque sexus. Nec verbo, nec signo, nec alio modo.* Quid si confessarius à zelotypo rogetur, an ab uxore tale flagitium, & ut vicarius Christi clam non audierit? citra mendacium & perjurium respondendum, *non*; quia respondet ut homo. Imò Bonaventura & alensis, aiunt illum mentiri, si diceret se scire, & habere scientiam vulgandam, quæ soli Deo reservata est. Unde nec forum externum scientia ex confessione hausta, ullo modo uti potest, ut præclare

c V. Coninck hic dub. 2. num. 29. Lugo disp. 23. n. 104.

docet

UVA. BHSC. BU 02224

docet historia, quam refert D. Petrus de S. Romualdo a *chronologici & historici ad annum.* 1559.

Certus quidam Confessarius in Ecclesia Tolosana morte turpissima damnatus est, in hunc modum. Civitatis illius civis emerat à quodam caupone 5. aut 6. vini dolia; paulo post ad eundem visit, ut curet ea in ædes suas devehi, antea tamen prælibat, censetque non esse idem vinum, quod prius selegerat. Unde cauponi succenset, qui civi cum crudius responderet, à verbis deventum est ad verbera; hunc qui forte ad manum erat, caupo malleum ferreum adeò valide in civis caput impegit, ut mortuus ilico conciderit: Atque eo in ipsa cavea sepulto, ad domesticos suos, vultu plane sereno revertitur. Complures obierant menses, dum, instans solemnitas Paschalis hominem commonet, ut animum confessione expiet, & manus à sanguine innoxias reddat: præcepto obtemperat, seque apud sacerdotem de homicidio, adjectis omnibus circumstantiis plane ac plene accusat. Pœnitentiam acceptat, & rite absolutus, sibi ac Deo restituitur. Dum ecce sacerdos hic, exiguo temporis intervallo, unum aliquem ex civis demortui filiis conspicit, cui per transennam subindicat, animæ parentis memor esset, illum jam pridem vivis ereptum. Avida hæc aure & animo bibit filius, atque una jure jurando sacerdotem obtestatur, exponat quis parentem sustulerit. Quod detrectat, arcano se confessionis sigillo teneri affirmans. Interim non acquiescit filius, sed die proximo insequenti rursus Confessarium convenit, eique crumenam nummis fartam obtulit, quibus animum illius expugnavit, omnemque, prout peracta est, tragœdiam enarrantem audivit. Hic ilico rem ad Iudicem deferre, condictis testibus, cauponis ædes ac caveam interiorem lustrari postulat, cadaver deprehenditur, caupo tenetur, parlamento sistitur, homicidium à se perpetratum ultro fatetur, seque ipse reum mortis condemnat; sic tamen ut palam omnibus libere contestetur, neminem nisi solum Deum & Confessarium, sceleris sua conscium esse. Hac protestatione facta, consilium urget, ut filius edicat, qua via in cognitionem homicidæ devenerit; qui dum tergiversatur, in carcerem conjicitur, ubi Confessarium tandem incusat. Comprehenditur & hic, negatque à se crimen manifestatum: graviora veritus, fingit nudo gladio filium sibi jugulum petiisse, ut parricidam exponeret, adeoque metu qui cadit in virum constantem, adactum fuisse. Quæ circumstantia negotium nonnihil suspendit, donec tandem res tota innotuit, atque hæc justissima in eum Iudicum sententia decreta est, confessarius hic laqueo præfocatus exureretur; caupo vero quasi omnis flagitii, de quo via ordinaria nil constabat, immunis, domum suam liber dimissus est. Iustum certe &

a Part. 3. Thesauri.

UVA. BHSC. BU 02224

dignum hoc parlamento judicium. *a* Accedit non ejuſmodi dumtaxat peccatum mortale, ſed vel leviſſimum veniale, ſine graviſſima culpa & pœna manifeſtare non licere. Contra ac hæreticorum miniſtellusquidam, de quo Sandæus: Cùm orationem funebrem in exequiis viri honorati haberet, fuiſſe quidem virum bonum dixit, cujus juſta perſolvebantur: ſe tamen tantum in confeſſionibus audiviſſe, ut non ſemel ſuſpendium meruerit. Plura in eandem materiam abſurda *b* Gretſerus, Scererus, aliique in hac palæſtra exercitatiſſimi congerunt, unum aut alterum delibaſſe ſufficiat. Non multum effluxit temporis, quod capitaneus adjudicare debuerit ſuſpendio militem ob furta, aut vim, quam exercuerat in ruſticos & colonos, quæ cum miles pernegaret, nec jure cum ipſo procedi poſſet; acceſſit quidam Prædicans, miſerique hujus confeſſionem excepit: qui re probe intellecta, extemplo ad capitaneum concurrit, dicens: Domine, hunc militem tuto & ſecure potes ſuſpendio adjudicare, non enim hoc dumtaxat facinus, ſed & aliud longe enormius, eum reum facit. Quam hiſtoriam, inquit *c* Pater Scererus, ex ore capitanei excepi. Quis tali ſigillo non reformidet arcana committere? ibidem & aliud in re ſimili commemorat: non longe Vienna, vidua quædam Prædicanti in confeſſione aperuit, quod poſt obitum mariti à liberorum pædagogo domeſtico imprægnata fuiſſet, quem tamen jam in maritum duxiſſet: Prædicans hæc intelligens, rem totam illico Dominis fundi expoſuit, qui quam primum miſeram è domo, & fundo exigunt, & extrudunt: nec id ſatis Prædicanti, ſed ipſam confeſſionem mulieris coram frequenti concione deblaterat. Quid mirum ſi confeſſionem auricularem illic oderint, ubi Prædicantes arcana prædicant, & quidvis effutiunt, ut lagunculæ plenæ muſto, quæ ſpiraculo carent? Aliter in Eccleſia, ubi hoc ſigillum irrefragabile, ac inviolabile ne pro totius regni jactura frangendum eſt, nec ob ullum incommodum, etiam ſpirituale, quantumvis magnum. Quod ſi ſponſus confiteatur paſtori cognatam ſuam eſſe, quam ducere ſtatuit, tenetur eos paſtor conjungere, etſi matrimonium nullum ſit. Quid ſi ſacerdotio initiandus ſe feminam vel ipſi Epiſcopo confiteatur; tenetur fœminam conſecrare, aut ſi ad aliam dignitatem promovendus, non poteſt ex hac ſcientia ei ſuum ſuffragium denegare. Ita communiter Doctores. Addit *d* Lugo, etſi ex confeſſione ſuum confeſſarium non eſſe ſacerdotem, teneri illum frequentare. Omnes tamen fornicationes in ejuſmodi matrimonio, omnes ſacrilegæ conſecrationes, omnes abſolutiones in ejuſmodi ſacerdote, minus malum cen-

a Sand. medicus Euang. l. 2. comm. 14.
b Gretſerus in Panegyrico Miſenico cap. 14. Scererus con. cap. 1. Dom. 1. poſt Paſcha. *c* V. P. Scererum Dom. 3. Quadr. c. 3.
d Lugo diſp. 23. n. 105.

ſenda

UVA. BHSC. BU 02224

ſenda ſunt, quam ſigilli, vel in minimo reſignatio, & ut recte *a* Bonacina cum Suare, Reginaldo &c. ſi in nullo caſu, certe & in altero aliquo facile par neceſſitas reperiretur. Hic multo minus ob bonum temporale infringere liceret: confitetur, verbi gratia, famulus hero canonico, ſe 4. libras ex arca furatum. Nequit ob hæc famulum dimittere; hæc enim ex confeſſione gravis reprehenſio eſt. Quid ſi urbem prodendam? nec hoc invito confitente, ad totius urbis incolumitatem prætori aut gubernatori indicare licet. Quid ſi nocte inſequenti ſacerdoti mortem intentatam, aut jam celebraturo, vino præſentiſſimum venenum admixtum in confeſſione revelet? non poſſet aut ædes deſerere, aut ſacrum omittere, cum ſuſpicione revelandæ confeſſionis. Sed tenetur vinum illud ſumere, ad ædes ſe transferre, etiam in ſtatu peccati mortalis, ubi etiam confiteri non poſſet, excitata contritione & Deo ſe commendando. Ita docet Scotus, Diana, & alii. Super hac re exagitavit Henricus IV. Galliarum Rex patrem Coton, qui ei à confeſſionibus erat, & quo utebatur plurimum; hunc comiter, ſed perplexe ſatis percunctatus eſt, quid acturus eſſet, ſi quis ei confiteretur ſe Regem occidere, cum ſuis decreviſſe? ad quæ Cotonus: pro viribus diſſuadere, ac impedire ſatagerem: quid ſi, inquit Rex, monenti & ſuadenti non obtemperaret? tum, inquit, ſaltem præſto & præſens eſſe vellem flagitio. (Quid ſubſumpſit Rex) mihi inter ſicas exiſtenti inde præſidii eſſet? me, ait Cotonus, medium objicerem, & per pectus hoc meum, ſica prius tranſiret. Hæc amabilis evaſio, Regem in complexum Cotonis compulit hoc brevi elogio adjecto: *bien trouvé*. Prudenter dictum, & fortiter ab omnibus confeſſariis probandum. Sed hæ rationes humanæ, quæ ſi non moveant, divinæ & veritatis æternæ vim inferant, aliquando adfore diem, quo omnia nuda & aperta, quæ hic æterno ſilentio involvenda, confiteri erubeſcimus. Teſtem invoco non Africani modò, ſed & totius orbis lumen Auguſtinum, qui ſic ſecum ratiocinabatur: b *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ.* Hanc rationem primo, ex quatuor iis quæ confeſſionem retardant, opponit Damianus: „ *c* Quantum colligere poſſum, in-„ quit, quatuor præcipue oc-„ currunt, quæ impediant con-„ feſſionem: pudor, timor, „ ſpes & deſperatio. nihil for-„ tius ad expugnandam gra-„ tiam Dei, quàm pudor hu-„ manus, quia dum erubeſci-„ mus confiteri, quæ commi-„ ſimus, Deum minus, quam „ homines reveremur; hæc eſt „ confuſio, adducens pecca-„ tum. Opponamus ergo ei „ conſiderationem rationis, re-„ verentiam intuentis Dei com-„ parationem majoris confu-„ ſionis: ut enim confiteamur „

a Bonacina tom. 1. pag. 254.

b Aug. medit. cap. 4. *c* Damian. ſerm. 58. in feſto S. Andreæ ſerm. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

„ratio movet ; Deus cogit, „qui videt; & ſi confundimur „hic dicere, quid erit in illa „magna confuſione, ubi omnia „patebunt? Cum eò veneris in-„felix homuncio, quo te flectes? quas latebras quæres? quibus os tuum, os impudens, frontem effrontem tenebris vallabis? nonne tunc incipies dicere montibus, a *Cadite ſuper nos, & collibus, operite nos?* Hoc onus ſi velis nunc excutere, vales. Ape-„ri os tuum, & attrahes ſpiri-„tum vitæ æternæ. Hæc via „communis ad Deum, fons tam „juſtis, quàm peccatoribus pa-„tens, qui criminum abundan-„tiam, abundantiori liquore „detergit. *b* Primæ reddit in-„nocentiæ ſtolam, & fugiti-„vum filium in paternos redu-„xit amplexus. Ex hoc fonte „felices Apoſtoli lachrymæ „profluxerunt; in hoc pecca-„tricis feminæ dæmonia ſunt „ſubmerſa; per hunc ad ulter „& homicida David ſpiritu „principali legitur confirma-„tus; in hoc felix ille voluta-„tus eſt latro, qui brevi ponte „crucis de patibulo ad regnum „de ſupplicio in paradiſum „tranſlatus eſt; conſummatus „in brevi, explevit tempora „multa. Denique ut cum eo-„dem eminentiſſimo Cardinale „concludam, confeſſionis bo-„num quantum vel quale ſit, „non eſt noſtræ tenuitatis lau-„dibus efferendum, cum præ-„clara Patrum ingenia, multis „eam inſignierint documen-„tis. „

a Luc. 33. B. P. Damian. ſerm. 69. in dedic. Eccleſ. ſer. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XIX.

Cum sublevasset ergo oculos. Ioan. 6.



IACTV QVALIS IACTVRA VEL VNO.

DOMINICA QUARTA QVADRAGESIMÆ.

De custodia oculorum, quorum vel unico jactu, sæpe fit jactura animæ. Confertur cum jactu aleæ, quo non pauci bonorum, ac vitæ jacturam fecere.

§. I. *Iactus aleæ & oculorum confertur.*

§. II. *Iactus hujus jactura exponitur illo Ieremiæ:* Oculus meus deprædatus est animam meam. *Thren.* 3.

§. III. *Oculorum jactus templis pernicioſissimus.*

§. IV. *De jactu oculorum, in obscænas tabulas.*

§. V. *Exempla eorum, qui à jactu oculorum sibi temperarunt.*

§. VI. *Felicissimus jactus, quo oculi objiciuntur.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QUARTA QVADRAGESIMÆ.

Cùm sublevasset ergo oculos. Ioan. 6.

SI magno teste Gregorio, *Omnis Christi actio, nostra est instructio*, nemo quisquam jure demirabitur, adeò solerter ab Euangelistis observatum, quoties & quando, & non nisi gravi de causa Christus oculos instulerit, Luc. 6. Sublimem illam ac subtilem Theoriam discipulis suis in monte traditurus: *Elevatis oculis in discipulos, docebat illos*, Marci 7. ut surdum & mutum sanaret. *Suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi Ephpheta, id est, adaperire.* Sustulit quoque oculos in Zachæum, de quo Luc. 20. *Suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad illum: Zachæe festinans descende.* Quin Ioannes, qui Christum non modò in pectore, sed & in oculis gerebat, benignum ejus obtutum tertio observavit. Primò quidem, a *cum sublevasset ergo oculos Iesus*, & turbam illam quinque millium virorum intuitus, quos quinque panibus satura-vit. Alterum prodigium in mortuo patraturus, venit ad monumentum, tulerunt lapidem, *Iesus autem elevatis in cælum oculis*, ad patrem suum; tandem clamavit: b *Lazare veni foras.* Ac postremo suis valedicturus in ultima cœna: c *Sublevatis oculos in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Nostis ut quid hæc æternæ veritatis nuntii, ac præcones, tam diserte expressérunt, tam signanter annotarunt, quoties oculos Christus sustulerit? ut discamus, inquit Ven. Beda, d *Quod non solitus sit, huc illuc vagari oculis*, cui perspectum erat plures oculis, quam pedibus cadere, fortissimos, sapientissimos; hic corruisse urbes, imo orbem universum, jactu oculorum, jacturam fecisse.

a Ioan. 6. b Ioan. 11. c Ioan. 17.

d Beda hic.

§. I.

Iactus aleæ & oculorum confertur.

CLemens Alexand. jactum oculorum non insciter confert jactui tesseræ, seu alearum, dum ait: *Tesseram virtutis ferunt oculi*. Vulgò enim tam de his, quàm de illis jactatur *oogben vvorpen*; e & jactus veneris in aleis, & oculis notissimus est, nec levior in jactu oculorum, quam alearum jactura est. f Nero in singulos jactus aleæ 400. H S. id est, decem millia Philippeorum dilapidabat; fuit qui horæ spatio, jactu aleæ sexdecim aureorum millia deperderet: facilis jactura, sed non levis momenti. In hunc ludum Eva cum serpente descendit: g *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*. Atque uno jactu oculorum, perdidit paradisum; omnium virtutum gra-

e Pontan. Bellar. parr. 1. mirab. c. 70. f Paschasius lib. 1. de alea. g Gen. 3.

tiæ

UVA. BHSC. BU 02224

tiæ, vitæ, orbis universi jacturam fecit; unde sic eam interpellat Bernardus: a *Quid tuam mortem tam intente intueris? quid illo tam crebro vagantia lumina jacis?* Non semel in castris transfugæ sub patibulo, alea sortem jecere, sed eheu! duo oculi, jactus fatalis, quo bonorum omnium, ac vitæ, non pauci jacturam fecere. Sub mali ligno parentes nostri sortem jecerunt, & mortem subieruut. Ab hoc nos ludo deterrere conatur Gregor. dicens. b *Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita visum restinguere, nos qui mortaliter vivimus: si & mater viventium, per oculos mortem venit.* Dum nihilo minus quàm jacturam vitæ, etiam æternæ in hoc jactu formidamus, ludimus, & parenti nostro colludimus, ut Religiosus juxta ac ingeniosus Poëta Hermannus Hugo cecinit:

c *Cum vitæ & mortis non felix*
alea jacta est,
Collusor proavi dilapidantis
eram.

d Rex Artaxerxes olim lusit cum nobili fœmina Persali, in caput & vitam Mesabatis Eunuchi; & uno aleæ jactu hominem excarnificandum tradidit. Lusit David cum Bethsabea, & uno oculorum jactu caput Uriæ, & vitam animæ suæ perdidit. Libet hic cum B. Valerio Episcopo hom. 16. exclamare: *O veloces jactus oculorum!* Vis scire quàm veloces? Augustinum adi, & audi: e *David ille sanctissimus, in mille passibus, mulierem nudatam vidit, & statim homicidium fecit, & adulterium.* Quid agis invictissime, sanctissime Propheta? f *Periculosæ plenum opus aleæ tractas*; non quando ursum & leonem dilacerasti: *Periculosæ plenum opus aleæ tractas*, non quando cum gigante decertasti; sed *periculosæ plenum opus aleæ tractasti*, ubi oculos in fœminam convertisti. Sic illum oculis in Bethsabeam ludentem, non pecunias, non regnum, sed vitam animæ tam levi jactu dilapidantem, perstringit Ambrosius: g *Fit ludus de periculo, & de ludo periculum. Vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim, quam pecuniæ: sub momento fertur, quod valeat in æternum.*

Potentissimus militiæ Dux Holofernes, cum muliere Assyria lusit, & uno jactu oculorum, urbem, quam in manu habebat, & libertatem, & vitam amisit. h *Captus est*, ut ferunt Sacræ Paginæ, *in suis oculis Holofernes. Vitæ igitur hanc aleam* rectius dixerim cum Ambrosio, *quàm pecuniæ.*

Sunt qui aleæ lusu libertatem exponunt, sed plures qui jactu oculorum. *i* Barcinone ex publico proposita pecunia, ea lege, ut aleatorum qui vinceret, eam tolleret, & qui amitteret, libertate perdita ad triremes damnaretur. Repente numerus mancipiorum ingens repertus est.

Sampson ille Nazaræus divino prodigio in lucem editus, qui lusit cum leonibus tan-

a Bern. de gradib. his mil. b Gregor. lib. 21. Moral. cap. 2. c Pia desid. lib. 3. emb. 38. d Plut. in Artax. e Aug. serm. 250. de tempore.

f Horat. l. 2. carm. Ode 1. g Ambros. lib. de Tobia c. 11. h Judith. c. 10. i Paschasius lib. 1. de alea.

UVA. BHSC. BU 02224

quam cum agnis, tandem cum fœmina lusit, & infelici jactu, oculos in eam conjecit: a *Vidi*, inquit, *mulierem in Thamnatha & placuit oculis meis. Dixitque ad illum Dalila: Ecce illusisti mihi.* sed & ipse hoc ludo illusus, & captus est, & oculis ac libertate amissa, ut vilissimum mancipium, *duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere, molere fecerunt.* Notum est illud Plinii lib. 1. cap. 16. sub Claudio Imperatore pastorem Getulum, leonem superasse sago oculis objecto, & sub Alexandro in leonem Lysimachum prævaluisse. Idem de Sampsone sanctus Ambrosius confirmat: b *Sampson validus & fortis leonem suffocavit; sed amorem suum suffocare non potuit: vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum.* Celebris divini verbi prædicator docet, *ludum aleæ esse velut rete, quo capiantur animæ.* Quid mirum homines oculis capi, qui in se retia tegunt, & uno jactu quandoque plures capiunt? c *Ipsi nobis oculi retia sunt*, inquit Ambrosius, *& ideo scriptum est, Ne capiaris oculis tuis.* Et infra: *Multa retia tenduntur à diabolo, multa retia sunt; oculus meretricis laqueus amatoris est.* Enimvero si organum oculi rectè expenderis, à forma retis, tunicam retiformem invenies. Sic se captum, & irretitum canit infamis ille:

d *Cynthia prima suis miserum me cepit, ocellis,*
Contactum nullis ante cupidinibus.

At parum hoc, eum qui se ultro in laqueos inferit, irretiri: sed robustissimos, integerrimos, vel uno jactu oculis capi ac tantam jacturam facere, hoc enimvero periculosæ plenum opus aleæ esse manifesto convincit. Nec est quod juvenes & cælibes dumtaxat, verum & conjugati sibi temperent, à Sampsone & Davide edocti.

Fateor equidem accidere posse, ejusmodi nihil quemquam ab humana puellæ forma, humani quandoque pati; at si sæpius ac liberius in eam oculum conjecerit, jam mœchatus est eam in corde suo. e Fuit qui lusu. aleæ secundo fœliciter suspendium evasit: at tertius jactus fatalis fuit. Idem in jactu oculorum confirmat Chrysostomus hom. 17. in illud Matthæi, *Qui viderit mulierem*, &c. *Semel quidem*, inquit, *& secundo, & tertio sic videns, possis fortasse animum continere; si vero frequenter id feceris, fornacemque istam horrendam sponte succendas, profecto capieris: neque enim extra naturam, aleamque humanam consistis.* Paulatim scintilla illabitur, & in incendium erumpit. Hi

---- *ludi quoque semina præbent*
Nequitiæ, dicit Ovidius, & scintillas suppeditant.

Quis neget periculosæ plenum opus aleæ, tractare eum, qui inter cuniculos subterraneos, pulvere nitrico instructos versatur? Salvianus lib. 3. de providentia, oculos appellat, *naturales quosdam animi cuniculos*: nam ut ignis, cuni-

a Iudicum cap. 14 cap. 16. b Amb. apol. 2. David. cap. 3. c Amb. lib. de pœnit. cap. 14. d Propert. l. 1. Eleg 1.

e 1. C. Schat der ghesontheydt. cap. 9.

culo

UVA. BHSC. BU 02224

culo ſubterraneo applicitus, non ſtatim excitat incendium, ſed ſerpit exiguo pabulo nutritus, donec in amplam materiam dilapſus, arces inſublime ejaculatur; ita hic per oculos, cogitationes aliæ ex aliis, donec in cor, in fornacem concupiſcentiæ illapſæ, arcem pudicitiæ evertant; quemadmodum ſcite de Alipio Auguſtinus: a *Spectavit, clamavit, exarſit: Eenen dronck, eenen lonck, een vonck, de mijne ſpronck.* Non leve quippe in hoc ludo, oculorum periculum eſt, ſi libere ac temere jactentur. Aquei ſunt & ignem concipiunt, juxta illud: ἐρᾶν ab ὁρᾶν, inferuntque amoris faces, cordis incendium; quas ut reſtingueret, providit optima rerum parens natura, ardentibus remedium lachrymas. Unde Hieronymus in c. 1. ad Titum ſollicite admonet etiam viros religioſos, ut *abſtineant à jactu oculi.*

a Aug. lib. 6. conf. cap. 8.

§. II.

Iactus hujus jactura exponitur illo Ieremiæ: Oculus meus deprædatus eſt animam meam. *Threnum. c. 3.*

EST qui cenſeat, ſatius eſſe in prædones, quàm in luſores incidere; nec injuria, cum jactus aleæ non ſecus ac oculorum, hominem nudet; ut Poëta canit:

b *Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat.*

b Horat. lib. 1. epiſt. 18.

Hactenus audiſtis qui uno jactu, multorum millium jacturam fecerunt; majorem certe, qui omnium virtutum, gratiæ, & ſalutis æternæ. de quo Gregorius lib. 21. moral. c. 2. *Oculus*, ait, *meus deprædatus eſt animam meam: concupiſcendo viſibilia, inviſibilia, virtutes amiſit.* Sunt qui 30. 40. aut 50. totos annos in omni auſteritate vixerunt, in omni ſanctitate, virtutum ac meritorum cumulum congregarunt; quæ omnia, uno jactu oculorum miſere perdiderunt. de quorum caſu, ait Auguſtinus, non magis ſuſpicabar, quàm Hieronymi vel Ambroſii: ut merito quis dixerit, tribus potiſſimum virum probum probari, *poculis, loculis,* & *oculis.* quod accurate obſervat Celada noſter in Iudith: b *Oculorum*, inquit, *nictatio, teſſeræ ludus eſt: quo virtutis opes, & cœli gazas; veloci oculorum jactu amittit incautus adſpectus.* Præclare Bernardus, virtutum theſauro ſpoliari timens, ad conſpectum fœminæ exclamat: *Latrones, latrones.* Quod quo manifeſtius fiat, aleam ac teſſeram reſumo, & à Bernardo Bernardinum adlego: c Didici, inquit ille, à fide digno relatore, quemdam, dum cetera amiſiſſet in ludo, luſiſſe & perdidiſſe dentes, atque ſibi extrahi cum patientia ſuſtinuiſſe; alium quoque bis in ludo luſiſſe, & perdidiſſe uxorem. At vero quis ignorat oculos diriſſime hominem prædari, per quos non modo dentes, ſed & non ſemel uxorem amiſerunt? Bernardus in illud

b Pag. 322. c Bernardin. ſerm. 42.

UVA. BHSC. BU 02224

Gen. 34. *Vt videret mulieres regionis illius.* sic ait: *O Dina! quid necesse est ut videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua utilitate? an sola curiositate?* & paulo post: *Quis crederet tunc illam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem, fore post sic non otiosam; sed tibi, tuis, hostibusque, tam periculosam?* Sed hæc jactura gravissima, quam nemo prædonum intulit: a *Oculus meus depræda tus est animam meam.* Quod exponens Antonius Paduanus: *Latrunculi sunt*, inquit, *oculi qui furantur animam.* fieri enim assolet, ubi fures ac latrones in castrum aut amplas ædes se penetrare nequeunt, parvum latrunculum per crates, & cancellos immittant, qui postibus amotis, ostio aperto illos admittat. Quo spectat illa versio Hieronymi ex Hebræo: *Latrunculus latrocinabitur*, Rem aptè expressit qui cecinit:

b *Het oogh, alleen het oogh kan ganschen den mensch ontlusten:*
Het is een open-deur, een in-gang van de lusten.
Die sonder goedt beleyt, die venster open doet,
Krijght lichter als hy meynt, een dief in zijn gemoet.

Porro qui flagitium ipsis inferis horribilius ducebant, per oculum lapsi sunt; quos infernalis latro, nec superbia, nec gula, nec ira, nec libido ulla spoliare poterat, per hanc rimam exiguum latrunculum immisit, qui fores aperiat, & totam animæ domum spoliandam tradat. Eapropter omni pretiosa virtutum suppellectile spoliari timens opulentissimus Job, prudenter cavit, ne hac latrones irreperent: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis*, quasi pacto inito, ne umquam hosti pateant. Etenim si vir (Iob) veluti insidianti morti fenestras corporis claudit, jure nos monendo Gregorius subdit, c *Comprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam*; qui innocentissimos agnos fascinant & velut scrupo in flumen conjecto, labyrinthum tentationum inducunt; illudque Maronis de his dici potest,

d *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.*

Exemplum in ingens est, illud juvenis Anachoretæ, qui cum Abbate suo urbem adiens, ubi mulieres vidit, cujusmodi eæ res essent, sollicite ab Abbate quæsivit. e Cui Abbas anseres esse respondit. Reversus puer in claustrum incessanter flere cœpit. Ad quem Abbas: Quid vis fili mi? At ille: Volo anserem pater mi, quam in civitate vidi. Qua petitione Abbas consternatus, ad suos hæc paucis habuit, oculos diligenter claderent, cum etiam innocens, qui virtutem ignis ignorat, per oculos inardescat. Nunc ad alteram oculorum jacturam veniamus.

a Thren. 3 Dom. 2. Quadrag. b I.C. Schat der gesontheyt, pag 190.

c Greg. lib. 21. mor. c. 2. d Virg. Eclog 3. e Raynaudi oculus myst. p. 118.

§. III.

Oculorum jactus in Templis perniciosissimus.

INter jactus talorum, pessimus ac perniciosissimus est canis, ut ille queritur:

f *Semper damnosi subsiluere canes.*

f Propert. l. 4.

At

UVA. BHSC. BU 02224

At inter omnes jactus oculorum, is nequissimus est, qui canes refert, merito è templis & locis sacris eliminandus, juxta illud: *Foris canes, venefici, impudici*; foris salaces juvenes, qui, ut ait Ambrosius *l.* 3. *de virg.* docti sunt in templo *ludere oculis, rotare cervicem*, etiam inter sacra mysteria. quod sane deplorat Bernardus, a *Plus tribuunt oculo, quam oraculo,* dum jactum oculorum, Dei comminantis oraculo anteponunt.

Hoc malum suo quoque tempore invaluisse luget Orator Aureus: b *Multi*, inquit, *ad formas mulierum adspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam, in ecclesiam veniunt.* Tum assurgit: *Non mirarис quomodo undique fulmina non deferuntur? quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehenna supplicio dignissima sunt.* Pergit porro, & percunctatur: *Quid facis homo? mulieris speciem curiosius in ecclesia perscutaris, nec horrescis tanta Dei templum afficiens contumelia! prostibulum tibi videtur ecclesia, & foro ignobilior. Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in ecclesia vero Dei, cum ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maxime, fornicatione & adulterio uteris, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horrescis, nec stupes.* Hactenus Chrysostomus, quem utinam audirent impudorati nostri adolescentes, qui per *veloces jactus oculorum*, quos in Sabiniano reprehendebat c Hieronymus, in ipso Dei sacrario deprædantur animas, & concepto in mente adulterio, incestu, sacrilegio, crudelissime trucidant, Domum orationis convertentes in speluncam latronum. Nec miraris qui cœlum silet, qui fulmina continet? etenim si olim vendentes & ementes, & mensas nummulariorum everterit, quid hæc lentus spectet scelera? non flagello armatus omnes ad inferos deturbet? Hoc in Gemitu Columbæ piè queritur Purpuratus Pater: d *Quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacra æde, dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis ac corde mœchantur.*

Compello vos, qui ad templi limina, vel post columnas, ingredientes observatis, *quid statis adspicientes*, non in cælum, sed in cænum, dorso ad altare, vultu ac animo in mulierem meretricem conversо? *O abominationem horrendam!* ait Chrysostomus in *Templo oculos non servare, ad mulierem convertere.* In promptu forte hoc responsi illis esset, quod memini quendam dedisse apud Baldesanum *l.* 3. *de stimulis virtutum.* e Cum nuper, inquit, viro illustri in Templo adstaret alter, non inferioris dignitatis, ingressa est puella genere & forma nobilis: oculos hic (ut plerumque jam faciunt) illico in eam defixit; quod cum alteri displicuisse adverteret, hoc

a Bern. serm. 28. in Cant. b Chrysost. 24. in Matthæum.

c Hieronym. ep. 48. d Bellar. l. 2. c. 12. e Feyerlinck apoph. sacra tit. Oculus.

UVA. BHSC. BU 02224

Davidis versiculo se purgavit: a *Delectasti me Domine in factura tua.* Ad quem alter: Perge porro, & apud eundem invenies: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Attonitus ille inopinato ac dextero responso, obmutuit. Oculis virgines pupillas inhabitare natura voluit, potissimum in templis, ubi Virginis matris, aliarumque castæ imagines, similitudinem sui in oculis, ac animo amant, juxta illud Isidori Pelusiotæ l. 5. Ep. 46. *Non corpus modo intactum purumque, sed & oculorum jactus* (*unde & κόρας*, id est, *puellas appellamus pupillas*) *virgines seu castas decet esse*; sed vitio mortalium fit, ut meretrices inhabitent. Quod quàm indignum sit, ex Ambrosio discite: b *Turpes lenonum meretricumque personæ, à conspectu vel Iudicis, vel Imperatoris arcebantur, ne turpissimorum visus offenderet vultus Regii claritatem.* Quanto magis impudici illi adolescentes, formæ lenones, ac animæ latrones ab aris, à Christi Judicis ac Imperatoris conspectu arcendi, hoc vel maxime quod, ut Cyprianus fatetur, c *esse se non putant oculis parricidas.* Requirendus hic magni illius Præsulis zelus, qui clericum suum illico ab altari amovit, quod animadvertisset eum in sanctuario petulanter oculos in fœminam conjecisse. *d* Si multi modo forent Chrysostomi, quàm plurimi de clero, Deique forte ac hæreditate, vel amandarentur ad sæculi sortes, vel vigili starent oculorum custodia, & illud *ludere oculis*, ut Ambrosius ait, templis exularet.

Germanicus Drusi frater, ex Agrippina varios liberos susceperat; sed prædilectum filium suum acerbo telo inopina mors confixit; hoc tamen solatii fuit Liviæ: Puer morte sublatus, habitu Cupidinis, in æde Veneris Capitolinæ dicatus fuit, quam quoties Augustus adiret, toties oculis & basio libabat. Utinam hoc tempore non essent ejusmodi, qui non Iesum ac Mariam, sed Cupidinem ac Venerem assiduo in oculis ac animo haberent; non tot in obscœnas tabulas oculis vagantes, animæ naufragium incurrerent.

§. IV.

De jactu oculorum in obscœnas tabulas.

EX Ordine Seraphico, divini verbi præco disertissimus e Thomas Illyricus, octo omnino horas in chartas pictas, in aleas, in tabulas lusorias, pro concione invectus est, ut auctoritate publica ij ludi prohibiti, officinæ, ubi ejusmodi instrumenta proponi solita, clausæ, communi ære opifices sustentari fuerint. Altiori voce intonandum in pictorias, quam lusorias tabulas; major hic jactura oculorum, quam illic nummorum. Eo vocis sono dicendum aut stylo scribendum, ut ejusmodi tabu-

a Psal 91. b Ambr. in ps. 118. c Cypria. l. 2. Epist. 2. d Metaph. in vita Chrys.

e Sapiens fruct. l. 4. in fine. v. Annales Min.

læ-

UVA. BHSC. BU 02224

læ, è Magnatum ædibus, privatis officinis, publicis civitatibus edicantur & proscribantur. Quanta enim vel in nuda hac ostentatione vis insit ad nequitiam, affatim docet vel unus nebulo apud Terentium: de quo Augustinus; a *Flagitiosus adolescens spectabat fabulam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Iovem quo pacto Danaem misisse ajunt in gremium quondam aureum imbrem, atque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se jactat, imitari Deum.* Valet hic quoque vatis impuri testimonium:

b *Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,*
Et posuit casta, Turpia visa, domo
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes:

Nam qui innocui, qui rudes, qui non norunt litteraturam, conspecta tabula, compendio scelus discunt, c *Quod enim legentibus scriptura*, inquit Gregorius, *hoc idiotis præstat pictura cernentibus, & adulterium discitur, dum videtur.*

Hinc prudenter Aristoteles l. 7. Polit. cap. ult. Magistratum instituens, jubet, prohibeant ut ne imagines statuæve ejusmodi uspiam locentur, neve cui aliquando civium fas sit, eas intueri; cum hoc sit, teste Gregorio illo Nysseno, d *fornicari oculis* in picturis; quæ vel mutæ vel mortuæ, mores & amores vivos referunt, atque ab ipso ectypo, non raro ducunt ad prototypon. De quo exstat non inficeta historia. e Nobilis quidam ad speciosæ mulieris ædes miserat pictorem, ut formam ejus delinearet; importune supervenit maritus, qui ira succensus, pictorem è vestigio domo exturbat, dicens nimis pronum esse, ut post copiam seu ectypon, ipsius etiam originalis, & prototypi cupiditas nobilem incenderet, atque uxor sui quoque copiam faceret, addens, sua etiam tela telam habere, quæ Cupidinis tela in corda jaciant. Apposite Chrysologus: f *Formant adulteria in simulachris, fornicationes imaginibus mandant, titulant incesta picturis; in tapetibus Cupidines, quæ tela vibrent.* Imo Narcissi in aquis inardescunt, & accendunt; hoc efficacius quo elegantius expressi. g Est in familia principe, Romæ conclave, in quo à Michaele Angelo diabolice 12. Iovis adulteria ad vivum depicta. eadem videre est prope Lovanium in domo suburbana. Qui hoc in excusationem adducunt, sibi ea servire, conjugatos nihil pictis aut fictis commoveri; quasi vero nemo quisquam ex Ephebis, è pedissequis, è liberis, è posteris in hæc umquam oculos conjecturus esset. credite, vel jactus unus *suscinat agnos.*

h Refert Iosephus, rerum Iudaicarum scriptor illustris, Pilatum olim nocte intempesta opertas Cæsaris imagi-

a Aug. l. 2 de civ. c. 7. b Propert l. 2. Eleg 6 c Geor. l 9 ep 9. ad Sirenum episc. Cyprian. l. 1. ep. 2. d Greg Nyss. hom. 3. in Eccl.

e Epidorp. Gasp. Ens l. 2. pag. 307. f Chrysolog. ser. 155 g Boteri pol. li. 1. c. 6. h Iosephus l. 2. de bel. c. 8.

UVA. BHSC. BU 02224

nes Hierosolymam intulisse, imò & in Templum, & in sacra adyta, sacras aras extulisse credit Divus Hieronymus. Vbi toto triduo jactari cœpit ea fama & increbrescere, illatas à Pilato Cæsaris imagines; primum alto stupore mœroreque defixit, tum deinde in querelas, in lamenta excivit; tum denique ad tumultum & apertam seditionem vertit: undique enim accurrere, affluere, advolare Iudæi; Pilati ædes cingere, & omnia clamoribus, querelisque complere. Ad extremum una voce, uno sensu rogare, obtestari, ut eæ imagines illo ilico tollerentur; cumque id renuisset Pilatus, votorum suorum tenaces Iudæi, velut evicti fractique immenso doloris pondere, omnes proni in terram corruere, eodemque vestigio totis quinque diebus, & noctibus hæsere. Displicuere Pilato tenaces animi, & in suscepto proposito nimium, ut videbatur, obfirmati. A quo ut revocaret, ad verba, minas & ferrum addidit. Itaque statuta die concionem evocat, quasi ad eam verba habiturus; sed tacente Iudice, sonant arma, & horrendum intonant: dato quippe signo, expediti milites evolant in confertum populum, ensem nudant, totique in vulnera ac cædes imminere videntur; quibus oculis, qua fronte, quo animo Iudæos credis & ferrum cervicibus incumbens, & mortem obviam excepisse? oculis certe irretortis, fronte exporrecta, animo interrito: vix enim armorum fulgor oculos percusserat, cum omnes vitæ, sanguinisque prodigi, in ferrum accidere, in genua prolabi, cervicem ultro nudare, aptare in vulnus, & ferrum, mortemque votis omnibus haurire. Terruit ea res perculitque inimici Iudicis animum, & magno religionis sensu commovit; cui ut pareret, imagines omnes Cæsaris, procul jussit amoveri.

Hæc dum audis, dum legis Christiane, quæ te Iudæorum invadit opinio? quæ existimatio pietatis? aliquid fortasse detractum primæ libertati, aliquid legi ac religioni fuisset, si imago una aut altera Cæsaris, Hierosolymis exponeretur. Et tu non Cæsaris, sed Iovis adulteria, Veneris, Biblidis, Pasiphaes, aliorumque scortorum (sic enim omnes istas prostitutas in Tabulis appello) non modo non ædibus, ac urbibus ablegatis, sed in abacis ac archivis, quasi in aris spectandas, & adorandas deas exaltaris. Optime hoc cavit inter suos Carolus Borromæus, dum in synodo quadam hæc laudabiliter statuit: *Amoveri curabit paterfamilias quæcumque domi suæ sunt, Christianæ familiæ instituto indigna, quæque Dei oculos offendunt; imagines obscœnas & turpes incendat.* Quam pauci patres-familias hæc in se, quæ lex æterna in omnes sanxit, musæa, conclavia, atria lustrent, quid lustrandum, quid flammis purgandum, oculis occurrat. [a] Disputabatur Compluti à Doctoribus, de impudicarum tabularum corruptela; quibus elegantiæ atque artis obtentu depravari mores, ingentesque animis clades inferri, non sine

[a] P. Rho exempla p. 755.

haben-

UVA. BHSC. BU 02224

habentium flagitio, satis constare videbatur. Male plerisque dissimulatum periculum. Vbi de eo constitit, domi diutius habere noluit matrona quædam, pudicitiæ quam opum ditior. Vidua hæc erat, habebatque relictas sibi à viro tabulas, artis elegantia commendatissimas, & pretii ingentis: sed ista his nihil impedita, ne aut pretio distractæ, aut amicis dono datæ, alienis domibus ignem inferrent, flammis abolevit. Arsere eo incendio aliquot nummorum millia, sed quovis pretio bene constat pudicitia. Alterum eodem stylo & auctore subnecto: Cænabat cum Proceribus Matthias Hovius Episcopus Mechlinienfis, apud unum illorum qui cænationem multa pretiosa veste tabulisque elegantissimæ artis adornarat: reliquas inter, unam laudabant convivæ, cui plurimum quidem ab arte laudis, sed tantum ab argumento, ipsaque artificis impudentia, ineffet obscœnitatis, ut Hovius sine multo gemitu eam & conspici & laudari ferre non posset; ergo ad ædium dominam conversus, quanta potuit contentione egit, ut fœdam illam tabulam flammis aboleret: se pretium quantumvis magnum, de suo repræsentaturum. Paruit monenti Episcopo hospes, laudabilior nisi pretium accepisset: quasi vero non ipsa sibi pretium virtus. Sint Aristidis, sint Pausaniæ, aut etiam Nicophanis infames labores; quo magis insignes, hoc magis in ignes præcipitandi sunt. Fecit hoc singulari posteris relicto exemplo vir nobilis, urbis Gandensis tum Proprætor, D. Ægidius Vander Meere: qui ubi in nundinis annuis officinam satis copiose instructam ejusmodi fœdis tabulis conspexit, pretium licitatus, omnes ad ædes suas deferri curavit, omnesque Vulcano consecravit; hanc gratiam faciens quod in pretium Dominum non appenderit. O ignem luculentum! & factum ex igne clarissimum! hanc laudem qui æmulatur, factum imitetur, ut à flamma famam mutuetur. Hoc vel privatus potest, nec usquam majori emolumento pecunias expenderint Mariani, in quos id potissimum incumbit. *a* Stimulo esse poterit unus ex sodalibus parthenicis Ingolstadii, cujus in hoc malo abolendo virtus fuit singularis: compererat hic clam per urbem venire, à nescio quo propola, obscœnas imagines, quæ oculos honestos, seque ipsæ erubescerent. Constituit eas adolescens tollere: abiit, coëmptasque ad unam omnes, ne quos aspectu urerent, flammis combussit, testatus se nihil neque lucro majori emisse, neque dispendio minori perdidisse.

Alteram si lubet praxim, vel ipsi Ecclesiastici ac Religiosi à Bellarmino Cardinale hauriant. *b* Principem virum adiens, nudas in aula imagines cum offendisset, monendum sibi duxit, ut famæ suæ, ac periculo invisentium consuleret: itaque inter prima salutationis officia, habere se dixit pauperes aliquot nudos, quos ejus vellet commendatos esse liberalitati; eoque omnia prolixe pollicenti,

a Ann. 1614. *b* P. Rho exempla p. 157.

leviter

UVA. BHSC. BU 02224

leviter arridens Robertus, Iube igitur nudas illas imagines vestiri, quæ mihi jam vicina ab hyeme algere, ac tremere videntur. Valuit monentis lenitas, & hos nudos vestiendo, opus certe maximæ misericordiæ effecit. Item & vos, ubi nudam tabulam adspexeritis, vestes pro frigore emendicate, ex auræ tempestate opportunitatem captate, ne æternis flammis dominum, & infamis artis spectatores involvant. Tales etenim picturæ, crede mihi, pejores sunt colloquiis lascivis, spectaculisque obscœnis. Dictio dicta perit, avolant leviſſime visa, turpitudo picta manet, & non semel spectaculo est; ut damnum vix quispiam satis æstimet, quod ab impuris hisce simulachris infertur, tam illorum auctori, quam spectatori. Talis irrefragabilis *a* S. Prosper; puellam in balneis, dum forte Veneris tabulam attentius contemplatur, à dæmone correptam, adeo misere divexatam, ut ad 60. dies nihil refectionis admittere valeret.

Horrendum magis quod refert Serrarius in Tobiam c. 6. de milite, qui in taberna picturam fœdam conspicatus, eam emit à caupone; quam dum tollere vellet, diabolus eum ad terram allisit, atque ita corpore ac animo miserandum interiit; heu quot apud Inferos illud ingeminant: *Vt vidi, ut perii*, qui oculis ludere consueverant. Tandem experti,

Si tibi culpa jocus, sit tibi pœna focus.

Et ne hic vindicem Dei manum lentam arbitreris, plura congero: Vir Religiosæ sanctitatis in perilluſtris Domini porticum, turbam cacodæmonum confertim intrantem conspexit, ac ibidem loci, nudæ cuidam tabulæ illi cappensæ, incensum offerre. *b* A quibus insuper extorsit, plures libidinis flammis ab hac una tabula incendi, quam illi omnibus suis infestationibus, aut phantasmatis inflammare possent. Quo vir Religiosus conterritus, domino rei visæ seriem exponit, ac graviter commonet, picturam hanc flammis aboleret. Quam visionem cum ille lusioni aut somnio adscriberet, postridie ab his inferorum geniis horrendum in modum discerptus ante imaginem, idolum suum, repertus est. Plura nec minus enormia idem auctor commemorat. Adeo nemo impune vel aspicit, vel conficit hæc libidinis irritamenta; ut de pictoribus ipsis refert *c* Drexelius, narrasse sibi nuper celeberrimum chalcographum, & pæne catalogum texuisse eorum tantum pictorum, atque sculptorum, qui artificiose quidem; sed inverecunde pinxerant, aut sculpserant: qui omnes ad incitas redacti, aut præmatura morte sublati, perierunt, & cum tabulis suis misere naufragium incurrerunt. Nostis ad quas syrtes, & scopulos? audi religiosum vatem:

d *O oculi, scopuli potius, syrtesque vocandi,*
Heu! quibus allisæ tot periere rates.

a S. Prosp. l. 1. dimidium temp. c. 6.

b Hortigas flamma æterna p. 205. *c* Drexel. Nicetas l. 1. c 6. sect. 2. *d* Her. Hugo in piis desid. l. 2. Emb. 20.

Quare

UVA. BHSC. BU 02224

Quare ut tibi consulas, & ne uno jactu in consimilem tabulam, animæ jacturam facias, si tollere non possis, ubi ea loca transis, atria ingrederis, ubi illæ fœditates exhibentur, averte oculos, cito transvola, memor illius versiculi ad Veneris simulachrum:

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Spectacula, ne longior sim, hic non specto. Qui volet hæc, videat Tertullianum, Marianam, Chresolium, aliosque integros de hac fœditate tractatus.

§. V.

Exempla eorum, qui à jactu oculorum sibi temperarunt.

IActatur illud Ducis Gandiæ Francisci Borgiæ pronuntiatum: jactu aleæ quatuor res deperdi: *Tempus, pecuniam, virtutem, & animam.* Eadem vel levi jactu oculorum. Quare ut nonnulli ab omni jactu talorum, ita & alii studiosius, ab omni jactu oculorum sibi temperarunt. In quo ludo declinando, quis credat, etiam gentiles Christianos vincere potuisse? Alexander Magnus, dum Darium vicit, major dum se, ubi Darii uxorem, filias, sorores, forma omnes præcellentes & captivas in conspectum venire vetuit, ne qui viros vicerat, à fœminis vinceretur.

a Magno Alexandro non minor Scipio, qui expugnata Carthagine, virginis forma eximia florem, Floro teste, ne oculis delibavit. Sic nec Cyrus Pantheam, nec Augustus Cleopatram, in conspectum admisit. Sophoclem impensius prætereuntis pueri formam commendantem, Pericles coarguit, dicens, Prætoris non solum manus à lucro, sed & oculos à lascivo jactu continentes esse debere. Norant hi nihil adeo, ac pupillam oculi, servandum, quæ facillime læditur, ac vitiatur. Drogo Hostiensis in uno jactu aleæ, sexdecim vitia enumerat. Antoninus tot esse credit, quot puncta. *b* Chavassius de vera prudentia, tot putat committi peccata, quot sunt elementa grammatices. Vt A. Avaritia. B. Blasphemia. C. Contumelia. D. Desperatio. E. Execratio. F. Fraus. G. Garrulitas. H. Homicidium. I. Ira. L. Livor. M. Mendacium. N. Nugacitas, O. Odium. P. Perjurium. Q. Querimonia. R. Rancor. S. Simulatio. T. Turpiloquium. V. Vsura. At in uno jactu oculorum, non pauciora reperire est; ex hoc enim Adulterium, Basia, seu Bestialitas. Curiositas, Delectatio morosa, Evagatio mentis, Fornicatio, Garrulitas, Homicidium, Incestus, Luxuria seu Lascivia, Mollities, Nugacitas, Oscula, Pollutio, Querimonia, Stuprum, Veneficium, Zelotypia. Vt veriſſime Sapiens: c *Nequius oculo quid creatũ est?* Ecce crimine in uno tot mala reperiuntur. *d* Dixerit Galenus, Medicorum Princeps, in uno oculo centum & duodecim morbos observari. Plura vitiorum quam

a Gell. l. 6. c. 8. Val. Max. l. 4. c. 3.

b Chavass. l. 4. c. 8. *c* Eccli. 31. *d* Galen. in introd.

morbo-

UVA. BHSC. BU 02224

morborum genera ſpirituales Medici obſervarunt. Chryſoſt. Ser. 139. Dei eſt quod oculus in orbem ſit apertus, *arctatur anguſtisſimus in pupillam, membrorum dux ſit, non introitus vitiorum.* Sed quid vitia & morbos enumerare juvat? *Aſcendit mors per feneſtras*; imo plures morbos animæ, quam Galenus morbos corporis, comperio; ut non injuria, tam ſtudioſe multi oculos aſſervarint. Iob: a *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Quæ accurate expendens Chryſoſtomus: b *Quis non miretur*, inquit, *magnum virum* (Iob) *qui diabolum ſuperavit, & omnia ſtratagemata ſubvertit; mulieris vultum non audere intueri? ut noverimus, quam neceſſaria nobis in illis rebus ſit circumſpectio, quantumlibet pii & religioſi ſumus.* c Quin religioſos imprimis clauſos oculos decere, præclare verbis & exemplo docuit Petrus de Alcantara, qui ignorabat ex qua materia, calce, aut lapide ſtaret cella, quam aſſiduo incolebat; quæ forma ſacelli, in quo ſæpius ad orationem conveniebat. Arborem prægrandem in medio impluvio non vidit per annos quatuor. Hanc exercitationem adeo homine religioſo dignam cenſebat, ut Tironibus aſſiduo occineret, oculos dejicerent; & ſi quem minus cæcum videret, illi ſuis ipſe digitis oculos, ut defunctis moris eſt, claudere conſuerat. recte; nam ſi mortuos profitemur, quodnam monſtrum eſt, oculis late patentibus vivere? Sic & magnus Patriarcha noſter Ignatius, ſuos in regulis modeſtiæ inſtituit. Quas quam religioſiſſime quidam ſervarint, hic dicendi locus eſt.

d Miraculo potius quam virtuti ſimile eſt, Xaverium barbaras inter gentes, numquam ſine arbitris fæminam allocutum, nullam umquam intuitum. Quid mirum ſi mulieri confitenti, quod virum licentius aſpexiſſet, terribilis intonaret, meritam eſſe ob eam rem, ne à Deo umquam reſpiceretur. *e* Non minus forte mirandum, magis certe imitandum illud Balthaſaris Alvarez: Intererat hic publico judicio, in quo à ſacris Quæſitoribus hæretici pronuntiantur, & puniuntur; illum ſortitus erat in ſubſelliis locum, ut nec judices, nec reos interfuſa fœminarum multitudine, illis inviſis minime poſſet intueri. Ergo oculos avertit, prolataque Deiparæ imagine, in eamque ad ſeptem integras horas, quibus Iudicium tenuit, oculos conſtanter defixit; perfectiſſimo continentiæ uſus exemplari, Virgine, quæ nec in Angelum oculos conjecit: quem cum audiſſet, f *Turbata eſt in ſermone ejus.* Quærit Theophylactus, cur non dicitur: *Cum vidiſſet, turbata eſt in viſione ejus?* niſi quod oculos etiam à cæleſti genio continuerit. *g* Virginem hanc fœminam ſemel conſpexit Alphonſus Roderiguez, omnem humanam ita deſpexit, ut per 40. annos Majoricani collegii Ianitorem agens, fœminam aſpexerit numquam. Hos quis neget non hominum, ſed in terris degere more angelorum, qui apud *h* Iſaiam oculos velare perhibentur?

a Iob. c. 21. b Chryſoſt. ſer. de contin. Ioſephi. c P. Rho exempla pag. 765.

d P. Rho pag 759. e Rho p. 760. f Luc. 1. g Rho ibid. h Iſa. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

tur? Vnum hic ex istis spectandum propono Aloysium, aulæ Ephebum: Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, numquam adspexit. Quid dico Augustam? ne matris vultum umquam intueri sustinuit. Vnde Angeli nomen meruit: ut terra cælum dici potuisset, si plures Aloysios habuisset. Sed ne nostra tantum delibemus, jam & exteros videamus, qui clausis oculis in hac virtutis arena, mentis Andabatæ oculatissimi spectari meruerint. Quos inter meritissimo primus censendus est, Purpuratus senator Carolus Borromæus, qui Mediolani habitavit ad forum, Curiositatis promontorium amplissimum; ea tamen oculorum continentia, ut in illud ne oculum conjecerit. Philippo Nerio nobilissima genere ac forma matrona, triginta totos annos in peccatorum arcana expiatione usa, sæpius etiam ad colloquium admissa, sancte testata est, numquam se à Philippo visam esse animadvertisse. Quid mirum si in eo oculorum lux fuerit supra naturam adeo admirabilis, ut eam imitari periculo ars nulla posset? Extat & laudatissimum ejusdem dictum: *Cùm palpebras nondum clauserit mors, posse illam adhuc intrare.*

Nec minus hæc virtus in fœmina spectabilis enituit. Maria Escobar triginta per annos Ludovicum Pontanum habuit à secreta confessione, rerum suarum arbitrum: nec umquam viri os, quod veluti divinum oraculum venerabatur, intuita est; documento fœminis, imo & confessariis perneccessario: ubi enim quasi cum homine agunt, quid mirum si aliquid patiantur humani? Quod confirmat Cornelius in illud Proverbiorum, a *Ne capiaris nutibus illius.* Audivi, inquit, in Belgio matronam sapientem, & sanctam, monentem confessarios etiam religiosos & sanctos, ut caverent sibi ab aspectu & colloquiis fœminarum pœnitentium; quia, inquiebat, adeo illices sunt oculi earum, ut si in virum quempiam illos defigant, illum plane irretiant. Addebat: Certa sum non esse virum adeo gravem & constantem, cui, si fixe eum reciproce per quadrantem intuita fuero, non persuaserim quidquid voluero. Hoc audiens non vides, Isidoro teste, *oculum* recte ab *occulo* dictum esse? quod *oculi* maxime *occuli* debeant, ne per fenestras has mors ingrediatur. Nec est quod conjugati hic minus sibi timeant; & monachorum ac contemplantium id esse, prope clausis oculis vivere. Propheta Iob ad omnes clamat: b *Qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Quare ne salutem in discrimen vocaret, oculos inclinavit. c Hujus monitu aspectum fœminæ, sancto fœdere • declinavit Ferdinandus II. Imper. qui si matronæ in secretiori conclavi audiendæ essent, Augustam adesse jubebat; interim oculorum ita potens, ut alicujus formam aliquando contemplatum negent. d Declinavit & Carolus V. qui quamdiu Augusta vixit, tanta egit pudicitia, ut facili oculorum jactu, fœminas forma præcellentes posset intueri, obvias fenestras sibi duceret esse clau-

a Prov 6. b Iob. 2. 2. c P. Rho exempl. virt. pag. 748. d p. 753.

dendas,

UVA. BHSC. BU 02224

dendas, juxta illud Ambrosii: a *Claude hanc fenestram, cum videris alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors possit intrare.* Fenestras ut quisque claudat, in promptu habet palpebras: has januas clausisse, oculos & mentem servasse est. *b* Concludo, si Ludovici incorruptum oculum, mentis oculis subjecero. Occurrerat forte Ludovico Regina, salacior fœmina, quam dum commode declinare nequiret, pro clypeo clausum oculum objecit. Magnum integritatis indicium: post 40^. enim annos à morte, oculus vividus, ac instar adamantis lucidus repertus est, semper in oculis habendus. Sed de his hactenus qui oculos servarunt. Quid si illos præcelluisse dixerim, qui abjecerint? juxta consilium Magistri nostri; c *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

a Amb. in ps. 118. Octon 5. *b* Cantiprat. l. 2. Apum c. 30. & 33. *c* Matth. 5.

§. VI.

Felicissimus jactus, qui oculi abjiciuntur.

REfert *d* Franciscus Sales D. Ludovicum Galliæ Regem, ægrum consurrexisse è strato, & fritillos ac talos fratris sui Comitis, per fenestram in mare præcipitasse. Complures alii reperti sunt, qui aleas exosi, eas à se & ædibus ejecerunt. Qui jactus, ut quidam ait, felicissimus est, quamvis & ille laudabilior, quo quidam, ut pudicitiam servarent, oculos abs se abjecerunt. Mitto hic Homerum, & duos Platonis discipulos, Appulejum & Hermeten, qui ne à virtutis studio avocarentur, oculos sibi eruerunt. Prætereo Democritum, qui, teste Tertulliano, seipsum excæcavit, e *quod mulieres, sine concupiscentia, aspicere non posset.* Vnum hic, alterumve Christianæ fortitudinis testimonium adduxisse sufficiat. *f* Elucet hic D. Dominici alumna Lucia, quæ facinus supra sexus conditionem forte, ausa est: sollicitata frequenter à viro nobili ad mutuos amores; tandem, Quid est, inquit, quod in me tantopere ames? Lumina, inquit tua, *g oculique tui, quibus ignea cedunt sidera.* Irata sibi ipsi intacta Virgo, Itane? ego meis oculis lædo mortalium animos, & perdo? sequor consilium magistri mei, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Expunxit ergo utrumque, & oculos emissitios transmisit amasio: qui quatuor oculis, à Lucia tantum lucis accepit, ut oculos suos vanitati clauserit, panderit veritati, & mundo spreto, sua ac se in familiam S. Dominici asservanda tradiderit. Idem factitatum lego à nobilissima filia Scotiæ, Triduana nomine, quæ h *sideribus similes oculos,* cum litteris insano proco destinavit.

His annumeranda S. Brigitta, quæ oculos Procerum ut virgo effugeret, id lachrymis à Deo impetravit, ut oculi fœdum effluerent. Sed hic Christi oculis virgo placuit, & cor vulneravit, à quo illud consecuta, ut quibus ipsa carebat, lumina aliis restitueret. Norant hi mundo oculos, & vanitati

d Sales Praxi Spirit. part. 3. c. 32.

e Tertull. l. Apoc. cont. gentes. *f* Rad. de SS. Cæc. c. 3. sect. 8. g Ov. e. 19. h Ov. 5. Met.

clau-

UVA. BHSC. BU 02224

claudere, ut cælo ac æternitati aperirent. Etenim non pauci, si oculis caruissent, æternam lucem conspexissent, qui oculati ad æternas tenebras amandati. Decentius hi cæci fuissent, ut de quapiam Martialis:

a *Esset cæca decentior Phileris.*

Petrus Abbas Clarevallensis cum morbo alterum oculum perdidisset, jocando solebat dicere; unum se de suis hostibus evasisse, sed se plus à residuo, quam à perdito formidare, Quod forte S. Audomarum impulit, cum amissos senio oculos ad D. Vedasti tumulum recepisset, ut facti pœnitens, cum non videret an ex re animi esset videre, precatus est Deum iterum eriperet, si noceret lumen; eripuit, & in cælum abituro duces Angelos misit, ubi ille cæcus nunc videt Deum.

a Mart. l. 16.

Væ igitur hic nimium oculatis, qui uno jactu lucem æternam, visionem illam beatificam, in qua omne bonum, amittunt! b *Væ cæcis oculis* (mentis) exclamat Augustinus, *qui te non vident, soli illuminans cælum & terram! væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt* (nocte æterna damnati!) *Væ avertentibus oculos, ut non videant veritatem! væ non avertentibus oculos, ut videant vanitatem!* Si Theologi tradant oculos beatorum in cælis nobilissima objecta habituros; si omne pulchrum, oculis beatorum etiam corporeis exhibendum sit, quid huic spectaculo tam divino, terræ cloacas anteponimus? Dicamus cum Bernardo: c *Vtinam nihil umquam vidisset oculus meus, si illa* (*quod avertat Deus*) *frustrandus est visione.*

b Aug. solil. c. 4. c Serm. 2. de verb. Isa.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XX.

Si dixero, quia non ſcio, ero ſimilis vobis mendax. Ioan. 8.



SONO DISCORDIA SIGNAT.

2. *Æneid.*

DOMINICA PASSIONIS.

De Mendacio. Quam pauci veritatem, quam multi ſectentur mendacium, horologio perverſo conſimiles, quod aliter ſonat quam ſignat.

§. I. *Omne mendacium peccatum, nec ullo caſu licitum eſſe.*

§. II. *Qui mori maluerint, quam mentiri.*

§. III. Mendacium ſine honore. *Eccleſiaſt.* 20. *& vitium maxime infame, potiſſimum in viro principe.*

§. IV. *Mendacium quam graviter punitum, quia odibile Deo & hominibus.*

§. V. *Qui omni vita numquam mentitus ſit, quis eſt hic & laudabimus eum.*

DO-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PASSIONIS.

Si dixero, quia non scio, ero similis vobis mendax. Ioan. 8.

VERITATIS Assertores, *mentiri* dictum volunt, quasi *contra mentem ire*. [a] S. Thomas mendacium idem esse asserit, quod *contra mentem dicere*. S. Augustinus mendaces coarguit dicens: [b] *Non aliud pectus tegat, aliud lingua proferat*. Cui consonat illud Chrysostomi: [c] *Ne alia quidem dicamus, alia sentiamus: hoc enim est mendacium*. Quod quo manifestius fiat (ut unus aliquis verissime dixerit, *mendacium facilius fingi, quam pingi posse*) Joculis tamen vestris, quoquo modo, in rudi schemate conspiciendum proponam. Vidistis quandoque horologium quodpiam perturbatum, aliud signare, aliud sonare: sonat quintam, dum signat primam, *non sonat ut signat*. Homines horologiis similes esse, Seneca dictitavit, quorum quota pars aliud mente, aliud ore designat? aliud lingua sonat, aliud ratio signat: [d] *Signatum est super nos, lumen vultus tui Domine*; id est, ut recte Bellarminus, ex Augustino, aliisque, indidit Deus homini lumen rationis, quod signat, & dictat, quid agendum, quid dicendum; sed sæpe sæpius, *non sonat ut signat*. Mens signat tantam summam deberi; sed quia chirographum amissum, lingua negat. Mens dictat puerum seductum à socio in popinam; veritus verbera, lingua negat. Ratio dictat merces tanto coëmptas, ut lucrum faciat, lingua amplificat:

-----Ora sono, discordia signant.

Non est concordia cordis, & oris; cum tamen, teste [e] Plinio, ita à natura comparatum sit, ut lingua nervum alterum cum cerebro alterum cum corde connexum habeat, quo ab intellectu, qui in capite residet, ita dirigatur, ut cum corde concordet. Quam concordiam cordis, & oris, veteres per pomum Persicum adumbrarunt, de quo Poëta:

Per folium linguæ, fert poma simillima cordi.

Sed hunc veritatis fructum, quam pauci legant, ex illo vaticinio facile colliges: [f] *Ego dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax*. Solus Christus verax est, quem dum Pilatus interrogat: *Quid est veritas?* etiam Veritate tacente, ad illa verba, *Quid est veritas?* aptum anagramma respondet: *Est vir qui adest*. Cæteri omnes mendaces, ut ad sensum Prophetæ apte Lycosthenes: *Sicut non est piscis sine spinis, sic nec homo sine mendacio*. Optimus ille, qui minimis urgetur. Quare ut huic communi malo occurramus, quam illud detestandum, ac fugiendum sit, paucis exponamus.

[a] D. Thomas 2.2.q. 110. [b] August. de verb. Domini serm. 29. [c] Chrys. hom. 19. in epist. ad Hebr. [d] Psal. 4.

[e] Plin. lib. 11. cap. 37. [f] Psal. 30.

Omne

UVA. BHSC. BU 02224

§. I.

Omne mendacium, peccatum: nec ullo casu licitum, comprobatur.

MEndacium omne à Scholasticis rectè dividitur in in jocosum, officiosum, & pernicioſum; nullum tamen adeo leve, quod peccatum non sit. Auguſt. in Pſ. 5. priora duo attingens, ait: a *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed non sunt tamen omnino sine culpa, cum aut jocamur, aut ut proximo prosimus mentimur.* Et alibi: *Omne mendacium peccatum est.* Bernardus: b *Nullum justum mendacium, omne mendacium in omnibus peccatum est.* Quod vel inter Ethnicos Aristoteles, ut rationi repugnans damnavit, dicens, c *Omne mendacium per se pravum & fugiendum esse.*

Ac primum quidem, quod leviſſimum videtur, jocoſum eſt: quod animi cauſa, & animo oblectandi, profertur. In quo quotuſquiſque ſe peccare exiſtimet, aut hoc ſibi ſcrupulo, aut religioni ducat? cum nihil frequentius, quam temporis fallendi cauſa, alia ex aliis contexere, cujuſmodi hic pauca induco: d Cum duo faceti homines grandia loqui vellent, dixit unus ſe in quadam regione vidiſſe braſſicam, quæ 1500. equites tegeret. Tum alter: Et ego vidi ahenum, in quo fabricando 100. fabri laborabant, nec pulſus unius mallei, ab altero ob diſtantiam percipi poterat. Rogatus quid cum tam vaſto lebete facere vellet? reſpondit, Braſſicam veſtram coquere.

Pariſiis tres ambiebant officium carniſicis, conferendum illi qui ex tribus morti deſtinatis, dexterrime caput demeteret. Primus duo fila, collo rei obligata diſſecat. Alter ſuum ſtantem ita percutit, ut caput reciſum in collo hæſerit. Tertius ſuaſit ſuo ut ſeſe proriperet: dum in turbam populi ſe ingerit, ſecurim in cervicem ejus eminus collimat, & caput amputat.

Sic fuiſſe aſſeverant, qui leporem currentem tonderet; alterum qui currenti equo ſoleam affigeret. Tertium, qui ita dextere in denſa pluvia digladiabatur, ut ne ſtilla in caput decideret. Quid plura? Scribendi finis non ſit, recens Poëta canit:

Numquid in octavo, mendacia plurima vulgus
Edat an in quarto, quæris an in folio?
In decimo ſexto mentitos plurima ſeclo,
Suſpicor hiſtoricos quælibet in folio.

Minus interim attenti, quod feſtivum mendacium, ſit verum peccatum. Et tamen quid magis obvium? ridendo, jocando hyemali veſpere, fallendo tempori, ſexcenta nectunt ejuſmodi; in quo ſeipſos fallunt ac turpiter decipiunt, ut veriſſime Auguſtinus lib. de mendacio: e *Quiſquis eſſe aliquod genus mendacii, quod non ſit peccatum putaverit, decipiet ſeipſum turpiter.* Iocoſum certe illud

a Auguſt. in Pſ. 139. b Bern. l. de grat. & lib. arbitrio. c Ariſtoteles lib. 4. Ethic. d Iac. Pontani, Bellaria. part. 1. pag. 473.

e Cap. ult.

cenſeri

UVA. BHSC. BU 02224

eenſeri poſſet, quod Religioſus quidam cum D. Thoma iter faciens, joco protulit: cum enim dixiſſet. En boves volantes. jamque Thomas ſuſpexiſſet, riſit frater Doctoris ſimplicem credulitatem. At Thomas ſevero ſupercilio fratrem coarguit, dicens: *Facilius, O frater, credendum boves volare, quam religioſum mentiri.*

Ita dictum joco, ſanctus Doctor ſerio excepit; utpote ſibi religioni ducens, religioſum joco peccare. Imo uſque adeo hoc indignum ducebat, ut 22. quæſt. 110. art. 4. ad 5. docere non dubitarit, quoſdam dicere, *quod perfectis viris omne mendacium eſt peccatum mortale.* [a] Quam Doctor Aquinas de Religioſis, hanc optimam de omnibus Chriſtianis Divus Anſelmus opinionem imbiberat; ut firmiter crederet, quidquid illi diceretur. Cumque viri illius candori quidam fucum facerent, & manifeſto imponerent, monitus ut eorum dictis fidem non haberet, quæſivit: *Numquid non Chriſtiani ſunt? quomodo ergo mentiri poſſunt?* Quomodo Chriſtiani mentiri poſſint, mercatores, propolas, cauponas interroga, qui ni mentiantur, nil lucri facient, nullas merces diſtrahent, fame illis pereundem erit. Quin receptum illud apud Iuriſtas: *Petitur injuſtum, ut accipiatur juſtum.* Sed hoc ipſum ô viri! frigidiſſimum mendacium eſt, merces vix ullas extrudi poſſe, niſi mendacio veſtitas.

[b] Vetus ac fide dignus Scriptor commemorat, duos cives Colonienſes ob mendacium ac perjurium, à ſuo Curione acrius reprehenſos; horum alter: Domine, inquit, mercaturam facturus, & mentiri ſciat, neceſſe eſt, & jurare. hæc noſtra eſt Rhetorica. At, inquit Curio, id lege divina prohibitum eſt. Et obſecro te, conſilium ſequere: aliquanto tempore ſine mendaciis, pretium mercibus ſtatuito, & lucrum ex voto reſpondebit. Promittunt, & annum integrum experiuntur. Sed res retro prolapſa auferri, emptores diffluere, lucrum ceſſare, ingens damnum emergere cœpit. Anno exacto ſortem ſuam apud Curionem querunrur, qui eos ad conſtantiam in alterum annum animat, fore ut diteſcerent. Rurſus addicunt, promiſſis ſteterunt, quod ubi in vulgus increbuit, mire ab omnibus frequentari cœperunt, ac brevi ingentes divitias ſibi comparaverunt, atque illa merces fuit non velle mendaciis diteſcere. Quia multo faciliores eſſent emptores, ſi candide pretium indicari ſcirent, & hos quiſque libens frequentaret, quos ſinceros ſciret, ac probaret; adeo non utile eſt mendacium, nec quovis emolumento, etiam totius univerſi propoſito, proferendum. Hoc irrefragabile magni Auguſtini teſtimonium eſt: *Non licet mentiri pro ullius boni cauſa, nec pro ullius ſalute æterna, nec pro toto mundo.* Quid ſi mendacio litem lucrari poſſim decem millium aureorum, quæ mihi jure debentur, num mentiri non liceat? non. Narrat Xiphilinus Liviam, Augu-

[a] Surius in vita 2. April. [b] S. Cæſarius l. 3. mirac. cap. 37.

UVA. BHSC. BU 02224

Auguſti imperatoris conjugem, Numerio Attico viginti quinque millia coronatorum promiſiſſe, modo diceret vitam à ſe Auguſtum Cæſarem à morte in cælum conſcendere. Num illi mentiri non liceat? non. Quo tempore Leo Papa Florentiam petiit, cum propius ab urbe jam abeſſet, quidam civium ejus loci, cui ea prærogativa acciderat, ut Pontifici proximus adequitaret, miſceretque cum eo ſermonem: interrogatus de obviis arcibus & palatiis, quæ plurima ex itinere occurrebant, ad quos ſpectarent, & an lauta præberent vectigalia: tametſi quorum eſſent, & quantum penderent ignoraret, ſecuriſſime tamen de ſingulis percunctanti reſpondit, nomina Domino ex tempore confingens, affirmabat ex hujus prædii cenſu annuo dena millia, ex illius quina, terna ex alterius corrogari; atque hiſce ſimilibuſque commentis, aures Pontificis opplebat. Aderat Florentinus alius, qui obſtupeſcens tam liberam mentiendi procaciam, continere ſe non potuit, quin tandem hominem rogaret, qua fronte auſus fuiſſet Eccleſiæ capiti tam falſa imponere? Cui ille prompte reſpondit: Quid dixiſſet ſua Sanctitas, ſi mihi verba defeciſſent? deſeruiſſet ipſe me, aliumque ad colloquium invitaſſet, & ego eo honore excidiſſem; tam non deſipiebam, ut locum illum alteri concederem, fama mihi vel mille mendaciis ſarcienda & reſarcienda eſt: nam

Omnia perdideris, famam ſervare memento.

O quot Florentinos & Florentinas hic orbis habet, qui pariter atque ille, alicujus verecundiæ & confuſionis metu, dena mendacia ſeriatim eructabunt? dicent vidiſſe ſe, audiviſſe, legiſſe, quæ nec viderint, nec audierint, nec legerint. De illorum ſcilicet fama & exiſtimatione agitur, quam ne amittant, parvi ducant totius Cretæ mendacia convehere; cum fama numquam minus quam infami mendacio ſervanda ſit. Quid ſi mendacio urbem obſeſſam Gubernator liberare queat, ſi confingat poſt triduum ſuppetias adfore? Quid ſi mendacio innocentem morti eripere queam, num mentiri non liceat? non. Etenim quod intrinſece malum eſt, nullo caſu licitum eſſe, Doctoris gentium axioma evincit: *Non ſunt facienda mala, ut veniant bona:* ut ſi ullo pretio, aut caſu, mendacium licitum foret, omnem convictum humanum tolleret, ac rempub. funditus everteret; cum hoc unum ſemper dubitari poſſet, an mentiri licitum ſit. Et hanc rationem Doctores allegant, non tantum mali ex innocentis morte, reipſa accidere poſſe, quantum inferretur, ſi ullo caſu mentiri licitum eſſet. Quodque intrinſece malum eſt, nullo fine honeſtari poteſt. Virginitatis dos, ut maximi facienda, numquam tamen mendacio ſervanda eſt. Submiſſio ſeu humilitas, virtutum mater, & tamen ne minimo mendacio cuſtodienda eſt. *Si humilitatis cauſa mentiris*, inquit Auguſtinus *mentiendo efficeris, quod evitaras.* & hoc non extripo-

de;

UVA. BHSC. BU 02224

de; sed è cathedra Petri protulit oraculum Innocentius Pontifex, a *non mentiendum pro alterius vita servanda, multo minus pro triobolari negotio*, ut jam passim fit: & error communis est mendacium officiosum, ad turbas domesticas avertendum, ad grave incommodum amoliendum, mendacium, ut ajunt, ad majus bonum, licitum & minime peccaminosum docere. *b* Sic Stratocles mentiri sibi fas esse ducebat, ut suos oblectaret: superatis quippe pugna navali Athenienſibus summa celeritate Lauro redimitus Athenas, quasi triumphabundus, ingreditur: & faustum victoriæ nuntium ipse evulgavit: undique publicos plausus, ac signa lætitiæ, ob stragem hosti illatam decernit. Dum biduo post, omnem triumphum in luctum, verus nuntius cladis vertit. Quo populus graviſſime concitatus, in Stratoclem mendacem exarsit. Ad quos ille: Quid, inquit, viri Athenienſes vobis mali attuli? ut duos dies saltem gauderetis, eo mendacio effeci. Plures indies hunc imitati, ut malos rumores leniant, bonos falso affingunt, & ut Pauli Æmilii obsonator, ex uno apro sexcenta diversa fercula paraſſe dicitur, ita hi subinde unicum dictum, sexcentis mendaciis farcire ac condire dicuntur.

Plato in hoc certe non divinus, quod mendacio non secus ac helleboro in gravibus malis uti licere asserebat: ac medicis quandoque id concedendum, ne ægrum prorsus dejiciant. Sed doctorem Christianum audite, in hac palæstra exercitatiſſimum: c *Si quis*, inquit Augustinus, *ad te confugiat qui mendacio tuo possit morte liberari, non es mentiturus? Si aliquis ægrotus interroget, quod ei scire non expedit, qui etiam possit, te non respondente, gravius affligi: audebisne aut verum dicere in perniciem hominis, aut silere potius, quam honesto & misericordi mendacio valetudini ejus opitulari?* verbi gratia, gravi morbo periclitatur ægrotus, qui certo extinguetur, si ei unicus filius mortuus nuntietur: is quærit à te an vivat? quidquid aliud dixeris præter unum è tribus; aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit quam mortuum; ex illis autem duo falsa sunt, vivit, & nescio. Quid hic agat chara uxor? chariſſimi conjugis mortem acceleret? vivum in veritate interimat? nonne hic saltem locus erit officioso mendacio? Audistis proponentem, nunc severe pro veritate pronuntiantem attendite: d *Quomodo non pernicioſiſſime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori?* Infallibile primæ Veritatis pronunciatum est: e *Os quod mentitur, occidit animam.* Hinc tot millia Martyrum mori maluerunt, quam vita corporis servata, animam mendacio perimere, qui probe norant, quia f *incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum quam Helena Græcorum: pro illa enim fortius Martyres nostri, contra hanc Sodomam, quam pro ista*

a Innoc. 3 Epist. decret. tit. de usuris.
b Fulgosus l. 4. c. 18.
c Aug. l. de mend. c 6. d Aug. epist. 9.
e Sap. 1. f Aug. cit.

UVA. BHSC. BU 02224

mille heroes adversus Troiam dimicarunt.

§. 11.

Qui mori maluerint, quam mentiri.

GEneroſum pugilem, ac veteranum militem inducit Ambroſius Iſaiam, de quo ſic ait: a *Fertur ei in carcere poſito, Diabolum dixiſſe: Dic quia non à Domino locutus es, quæ dixiſti, & omnium in te mentes affectuſque mutabo, ut qui indignantur injuriam, abſolutionem conferant. Sed ille gratius judicavit, pro veritate ſupplicium.* Quin & una omnium Martyrum vox fuit, quæ Luciani, *Mentiri non eſt meum.* b Refert Metaphraſt. apud Surium de Anthimo Nicomedienſi Epiſcopo, qui ſæviente Maximiano à 20 ſatellitibus ad necem quæſitus, ipſos ſatellites hoſpitio excepit, ac liberaliter habuit, dixitque ſe brevi Anthimum in eorum conſpectum producturum. Dum tandem in medio convivii apparatu exurgens, ſeipſum manifeſtavit, ſe eſſe quem quærerent. Hic illi attoniti, & benevolentia tam] munifici hoſpitis delibuti, una ſpoponderunt paratos ſe imperatori imponere, Anthimum diu quæſitum, nuſquam repertum eſſe; at ille graviſſime hoc cavit, aſſerens fas non eſſe Chriſtiano, pro vita cujuſquam mentiri; itaque ultro ſe captivum illis adjunxit, & mori maluit, quam mendacio vitam ſervare.

c Alterum hujus rei præclarum exſtat teſtimonium apud D. Hieronymum: Vercellæ in Lombardia, vir zelotypus accuſavit uxorem de adulterio, juvenem compegit in antrum aliquod horribile, & ſimul uxorem alio curat detineri, donec ante judicem adducti, juvenis torturæ impatiens, confeſſus eſt ſe feciſſe quod non fecerat, & illam innocentem accuſat. At illa poſt omnes cruciatus conſtans, ſuſpiciens in cœlum exclamat: *Tu teſtis es Domine Ieſu, cui occultum nihil eſt, non ideo me negare velle ne peream, ſed ideo mentiri nolle ne peccem; at tu miſer homo* (ad adoleſcentem converſa) *ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipſa cupio mori, ſed non quaſi adultera; innocentiam meam mecum feram.* Duplicantur tormenta, & judex carnifici minatur extrema, ni ab imbelli ſcelus exprimat. Crines ligantur ad ſtipitem, & eculeo impoſita, ignis pedibus ſupponitur, latera ferro ſcinduntur, ſolvuntur membrorum compages, una vox eſt: *Cede, ure, lacera, non feci, veniet dies quæ hoc crimen diligenter diſcutiat.* Iam tortor ſuſpirabat, nec erat vulneri locus; corpus quod laniaret carnifex, ipſe horrebat, ſolum animum judicis explere nequibat, qui in has voces erupit; Quid miramini ſi torqueri malit, quam mori? adulterium certe ab uno committi non poteſt: & eſſe credibilius reor noxiam negare, quam innocentem confiteri; itaque utrumque damnat, uterque ducitur: *miſerrimi juvenis caput uno ictu amputatum eſt.* Vt ad fœminam pervenit, illa ut altera Suſanna, flectit genua,

a Amb. in P. 118. b Sur. 27. Apr. c Hiero. ep. 49. de muliere ſepties icta.

UVA. BHSC. BU 02224

genua, & nolens oculos obvelari, cœlum teſtem innocentiæ invocat; itaque valido ictu percuſſa, paucas guttas ſanguinis, per lactea colla diffudit. Repetit ictum carnifex, ſed velut rupem feriret, enſis reſilit. Ergo exurgit in iras; & thoracem exutus quo expeditius ſæviret, tertium eam ferit, & aurum, quod forte carnifici excidit, potius quam ferrum illa timens, ſecura carnifici dedit, dicens: En tibi ex humero aurum ruit: illa rubet, ille pallet, cum tertio fruſtra feriiſſet, jam tentabat ferrum jugulo immergere, dum ecce ad capulum gladius reflectitur. Novus igitur enſis, novus tortor adhibetur enſis, novus tortor adhibetur. Tertio rurſus percuſſa, iterumque tandem ſemi-animis proſternitur ſine ulla læſione. Ad tumultum tamen ſedandum, corpori terra ingeritur: convolvitur in veſtes, ut mortua ſepelitur. Accidit autem eadem nocte, alteram fœminam ſepeliri, projicitur hæc avibus ferisque voranda. *a* Dum illico ad ſe redit, & apertis oculis blande ſubridens: O bone Jeſu! ſpes cordis mei, tibi vivo, & poſthac vivam. Quo ſpectaculo adſtantes attoniti, veritique ne rurſus in manus tyranni incideret, inciſis capillis, habitu virili, cœnobiticam vitam quiete ac ſancte ducere permiſerunt. Mori ſcivit hæc virago, mentiri neſciit. Ex quo concludo cū Hipponenſi Præſule: b *Si nec ipſa vita proponenda eſt veritati; quid objici poteſt propter quod mentiendum eſſe contendant, qui aliquando putant oportere mentiri?*

a V. Binet conſolat. ægrorum c. 10. max. 2. b Auguſt. in Pſ. 139.

Sed miſſis etiam motivis divinis, vt politiæ, ac honori cujuſque conſulamus; certe, nulla major nota, ex vulgi opinione, inuri poſſe videtur, quam ut quis mendax audiat; nam ut Eccleſiaſticus ait:

§. III.

c Mendacium ſine honore, *& vitium maxime infame: potiſſimum in viro principe.*

CVjus verba, *b* divinis eo ſimiliora eſſe debent, quo propius ad Deum, Principes dignitate & imperio accedunt. Scribanius in politico ſuo Chriſtiano, acuto ut par eſt, ſtylo, hoc vitium inſectatur; & viro principe ut maxime indignum conteſtatur. Ac primum, ſic Plinium inducit loquentem: *Cum mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator ignorat, qui mentitur.* De omni ſuperiore hæc dicta arbitrare. Et plane ignavæ mentis eſt mentiri. Vt non aberraverit, qui dixerit, vilis & muliebris pectoris eſſe mentiri. Scio, inquit, familiare Principum aulis mendacium eſſe: divites in illis reſponſiones, & verba prope ſingula, tanquam utero gravida mentiuntur partum, ne fide. Vento, non prole diſtenduntur. Extollunt verbis, factis præcipites agunt: ore locupletes, reliqua inopes; ut jam fortiter venuſteque mentiri, aula dignum cenſeatur; & niſi ſine rubore mentiri ſcias, parum civilis habearis: jamq; ille comiſſi-

c Eccli. c. 20. d Scrib. Polit. l. 1. cap. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

mus cenſeatur, qui pluribus bene conſutis mendaciis, dictionem veſtit; ille ruſticus, qui nullo exornare verba mendacio didicit. Quo rapimur? quaſi nobilis non ſit, qui mentiri neſciat. An hi etiam ſpiritum veritatis mendacem volunt, dum per Sapientem edixit: a *Non decet Principem labium mentiens.* Prov. 27. Quare Alphonſus Rex Aragoniæ dicebat ſimplex verbum Principum tantum valere ad fidem debere, quantum privatorum hominum juramentum. *b* Idem Baſilius Imperator ſpectavit, optime his filium imbuens: Maximi pendito, fili, veracem te eſſe in ſermone debere, & veraces in conſuetudinem admittere: ita enim firmus & conſtans, in omnibus dictis, factiſque æſtimaberis. O viri nobiles! ô aulici! quibus honor & nominis fama curæ ac cordi eſt, fidem ſervare: verbis res reſpondeat, neminem mendacio circumvenite. *c* Laudem hanc Plinius Trajano tribuit, ut quæ vellet, velle; quæ nollet, nolle, ſcirent omnes. Iuramento ad fidem non eget, qui numquam mendax repertus eſt. Hanc famam ſibi Carolus V. comparavit, ut dum quid affirmare vellet, fide viri nobilis aſtrueret, atque hanc aſſertionem omni ſacramento firmiorem eſſe habendam. Veriſſime quidem Eccleſiaſticus: d *Opprobrium nequam in homine mendacium*; at longe nequiſſimum, in Primate, quod Ptolomæum Regem Ægypti, unus aliquis è 70. Interpretibus præclare docuit: rogatus enim, qua ratione Rex optime veritatem in omnibus ſectari poſſet? hoc reſponſi tulit: e *Si primum ſtatueris magnum dedecus eſſe hominibus mentiri; multo vero magis Regibus: qui cum habeant poteſtatem agendi quæ velint, cur mentiantur non habent.* Quis non ſummum dedecus exiſtimarit, hominem inter homines omnem fidem amiſiſſe? omnia verba pro mendaciis exſibilari? Quis avide doctrinam magiſtri mendacis excipiat? quo fructu præco verbi Dei, ſuggeſtum conſcendet, ſi mendax habeatur? quis fidem miniſtro prædicanti habeat, cujus vel nomen *miniſter* apto anagrammate *mentiris* ſonat? qua auctoritate præſul, vel princeps aget inter ſuos, qui mentiri conſuevit? Ariſtoteles rogatus, quid lucri faceret mendax? hoc unum reſpondit, f *Vt cum vera dixerit, nemo credat:* quia ſemper falſitatis ſuſpectus. *Cretenſes ſemper mendaces*, quia ſemel iſto nomine laborarunt. Et *à mendace quid verum dicetur?* juret, perjuret, nemo fidem adhibet, fitque ut olim Carbone pollicente quidpiam, etiam juramento addito, g Publius Romanus viciſſim juravit, ſe illi non crediturum. Quod idem confirmat D. Hieronymus, ad Iulianum diaconum ſcribens: h *Antiquus ſermo eſt, Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur: hoc lucrum mendaces conſequuntur, ut nec cum vera dixerint, fidem in-*

a Panormit. l. 1. dict. & fact. Alphonſ. num. 58 *b* Picarti decad. 18. cap. 7. *c* Scrib. cit. *d* Eccli. c. 20.

e Ariſtæus de 70 Interp. *f* Ad Timoth. c. 1. Eccli. 34. g Pont. Attica bell. part. 2. h Sal. c. 57. Hieron. ep. 34.

veniant;

UVA. BHSC. BU 02224

veniant; quantumvis mille juramentis sanciant. Hoc suo malo quondam didicit quidam *Planus* nomine, è doiis & mendaciis plane confutus: hic sæpius in publico, quasi fracto crure corruens, transeuntium opem implorabat: quibus deinde, ut deceptis, illudebat. Tandem qui hactenus joco, casu crus sibi serio fregit; tum ille auxiliares manus implorare, & per omnes Deos opem postulare: at obvii respondere; *Tollat te, qui te non novit.* Hoc lucratus fuerat, ut per mille Deos obtestanti, fides non haberetur. Quæ quam gravis nota, homini potissimum ingenuo sit, paucis Chrysostomus docet: a *Mala est macula in homine mendacium*, quam ne inureret gloriæ suæ Salomon, hæc ad Dominum: b *Duo rogavi te, ne deneges, antequam moriar: Vanitatem, & verba mendacii longe fac à me.* Hoc scilicet timebat, ne evanesceret in cogitationibus suis, & ne mendax à suis haberetur. Vbi hoc maxime mirandum & observandum occurrit, cum mendaciis plena sint omnia, audire nolumus quod facimus; de quo Hieronymus Ruffinum commonuit: c *Obsecro te, ut qui mendacii alterum criminaris, desinas ipse mentiri.* Erubescimus, cum simus, mendaces dici; & nomen ut summum probrum ferro vindicamus. Facere non pudet, dici pudet. Et cum gloriemur, si alicujus candori & simplicitati mendaciis illusimus, ad vindictam decurrimus, si quis, quo gloriamur, *mentiri nos* dicat. Laus nimirum à mendacio, vindicta à verbo est. Hoc unum *mentiris*, quot dissidia, quot alapas, quot vulnera, quot duella, quot cædes concitavit? Audiat quis aleator, potator, scortator, omnia facile concoquat; at verbum hoc *mentiris*, si nobilis sit, necesse est ferro vindicet; & cum audire nolint mendaces, lingua eos manifestos facit. d Anno 1609. in Anglia ludebat filius Baronis Warthonis, cum Ioanne Stuarto, Angliæ Regis cognato: cui cum forte per ludum, illud leve verbum *mentiris*, ab altero objectum esset; è vestigio Wartheno colaphum impegit: quo velut duelli signo dato, prope Londinum concurrunt, & ambo mutuis vulneribus confecti, eodem tumulo, jussu Regis conditi sunt. Hunc exitum florentissimorum juvenum, hoc unum *mentiris*, dedit. Ita verbum ferro vindicamus, quorum rebus gloriamur: bis stolidi, factis, & vindicta.

a Chrysost. in Psal. 14. b Proverb. 30. c Hieron. 23. Apolog.

d Hist. Eman. de Metere lib. 29. hist. Belg. Fabri auct. in Sexag. them. 5.

§. IV.

Mendacium quam graviter punitum, quia reddit odibiles Deo, & hominibus.

PErsis e & Indis magni criminis instar est *mentiri*: horum enim lege cavetur, qui clientem circumvenit, jamque tertium abusus mendacio fuisset, illi omni vita silentium indiceretur, omnique magistratu aut honore indignus censere-

e De Leon. in Eccles. c. 4. n. 114.

UVA. BHSC. BU 02224

tur. Artaxerxes vero adeo mendacem oderat, ut linguam ejus triplici clavo transfigi juberet. Quas pœnas etiam scelere impares judicabit, qui Demosthenem audierit: *Hic non minori supplicio dignum censebat verba pervertentem, quam nummos adulterantem.* Ab hoc Philosopho stetit Claudius Imperator, qui, si Spartiano credimus, ut intellexit quendam Pamphilum obiisse, de quo constabat quod in vita numquam verum dixisset; jussit cadaver ejus inhumatum, bestiis vorandum objici; uxorem & liberos urbe exulare, bona omnia fisco adjici, domum funditus everti; ut homo mendax totus interiret.

Quid quod multi regno exciderint, quod alii mendacio occupare studuerunt? Trajanus Imperator filio Regis Thraciæ, reddere decreverat regnum, ob perduellionem patri ereptum; at cum semel adolescens diceret se è schola reversum, quem in horto fructus carpentem viderat, indignatus Imperator; mendacem, ut imperio indignum, rejecit, dicens: *Non decet Romanæ, veritatis matrem, filium habere mendacem.* atque ita ad alios jus regni translatum est. Sed hæc ne forte barbara reputemus, ex aula sancta Raderus noster, historiam inserit: ex quo discces, quam ægre S. Imperator in conjuge sua mendacium tulerit, quam severe vindicarit. Theodosio Iuniori, in trium Regum festivitate, ad ædem sacram procedenti, tenuioris fortunæ homo, pomum inusitatæ magnitudinis dono dedit. Pro quo, cum Imperator 150. aureos rustico profudisset, pomum Eudoxiæ dedit: illa Paulino, viro ob eruditionem, & virtutem, sibi perquam charo. Paulinus, vero ut Imperatoris gratiam captaret, hoc pomum in affectus sui tesseram, ei offerri curat. Quod ubi Theodosius conspexit, primum mirari, tum indignari, ac pessime de fide conjugis suspicari: tum propere uxorem accersens, pomum quod ei tradiderat, repetit. Eudoxia rei omnis ignara, juveniliter, & ut putabat officiose mentitur, se illud jam comedisse: verebatur scilicet, ne si Paulinum nominasset, Imperator sinistra suspicaretur. Secundum rogata, constanter affirmat se comedisse, nec perjurium subterfugit. Tum illi succensseri, ut par erat, Theodosius: & conjugem mendacii convincens, pomum proferri jubet, Nec satis, de amore occulto, & improbo suspicatus, Paulinum occidi imperat; Eudoxiam abdicat & relegat: nam suspicionem antea conceptam valde mendacium auxerat. En florentissimi conjugii immane dissidium, en innocentissimi viri lamentabile homicidium, en levis mendacii grave supplicium. Quis credat, patrem mendacii omne malum, per mendacium in orbem primo induxisse? Hæc versipellis serpentis prima ars fuit quam in mundi exordio statim exercitavit, nostri generis auctores alloquens: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii.* Vitia quidem omnia homines edocuit,

UVA. BHSC. BU 02224

docuit, sed initium fecit à mendacio, quod orbi evertendo judicavit opportunissimum, & ut D. Leo loquitur, *totam vim suam in mendacio collocavit*. Simulque ac aliquem prostravit, tum demum illi continuum mentiendi usum, velut victo legem imponit. Quod nemo mirabitur, qui adverterit, quam graviter Deus in mendaces animadvertat. Quod vel ex eo patet: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psalm. 5. Sunt qui primos parentes ut & prolem Cainam, mendacium perdidisse asseverent. Hoc in comperto est, Ananiam & Saphiram rogatos, num tanti agrum vendidissent? cum falsum allegassent, ilico mortuos corruisse. Causam tam repentinæ mortis requiris? Augustinum audi: a *Nonnullis videtur nimis severa fuisse ista correctio, ut propter pecuniam de re sua subtractam moreretur. Non hoc Apostolus propter avaritiam fecit, sed mendacium punivit*: perdit omnes qui loquuntur mendacium.

Mendiculi duo, quod Nicephorus commemorat, tam à centonibus, quam centenis mendaciis confuti, Epiphanium Antistitem in via observant, & ut stipem extorquerent largiorem, illorum alter officiose se mortuum simulavit; cumque Epiphanius illac transiret, alter non sine fictis lachrymis, querebatur nil sepeliendo socio suppetere. Epiphanius vultu severo, Deus, inquit, sit illi propitius, atque una pecuniam ploranti elargitus, Tu, inquit, funus hoc cura, hic socius tuus non resurget. Alter ubi Præsul abierat, socium monere, trudere, trahere, vociferari, sed surdo canere, & mortuo. Actutum hic Epiphanium consequi, serio lamentari, mendacium fateri. At Epiphanius, hæc paucis reponere: Deus non irridetur, tu mortuum sepeli, & justa persolve: quia perdit Deus omnes qui loquuntur mendacium.

Fornerus in illa verba, *Ecce enim veritatem dilexisti.* curiose observat, Christum Redemptorem ex omni genere peccatorum, quosdam selegisse, & ad meliorem frugem reduxisse; nullum tamen mendacem ad veritatem conversum: ex superbis & persecutoribus Ecclesiæ, elegit Paulum; ex avaris & usurariis Matthæum; ex fornicantibus Magdalenam; ex adulteris Chananæam, ex latronibus Dismam; ex idololatris Centurionem; sed mendacem nullum elegit: quia Christo repugnat, *qui est via, veritas, & vita*: & hic vere est, de quo Prophera: *Ecce enim veritatem dilexisti.*

a Lanuza homil. 19. sect. 26.

§. V.

Qui omni vita numquam mentitus sit. Quis est hic, & laudabimus eum.

APud veteres, veritas tanto in honore fuit, ut Suetonio teste, Augustus de victo Antonio & Cleopatra, ex Ægypto secum in triumphum duxerit sacerdotem 60. annorum, de quo illi constabat quod nunquam in vita sua mentitus

UVA. BHSC. BU 02224

titus fuiſſet. Hunc cum in triumphum quaſi Deum pro rariſſimo ſpectaculo circumduxiſſet, per Senatus conſultum edici juſſit, ut hic ex ſervo liber redderetur, & crearetur ſummus Pontifex: utque ei in Capitolio inter Heroas, ſtatua erigeretur. Quin & inter ethnicos annumerandus Epaminondas; qui ne joco quidem unquam mentiri auditus eſt.

Ruffinus Aquileienſis commemorat, ſanctiſſimum anachoretam Arnulphum, hanc vitæ clauſulam appoſuiſſe. Morituro aderant, Syrus, Iſaias, Paulus, qui dum rogarent ſui memoriam ſalutari documento relinqueret, dixit: Nihil magnum me feciſſe memini; in eo tamen ſolicitus laboravi, *ne ullum proferrem mendacium.* *a* O virum vere magnum! Hanc etiam laudem aſſecutus eſt Abbas Benus, de quo illud breve exſtat elogium: *Numquam iratus, numquam mentitus.* Hac laude excelluit Ferdinandus princeps Luſitaniæ, de quo Spondanus habet, quod *numquam mentitus ſit.* Alexander de Oliva jurabat ſe ab eo die, quo puer admodum, Auguſtini habitum induerat, numquam contra veritatem locutum; inſuper duo ſibi hominum genera odio eſſe, qui rempublicam, ac prudentiam proderent: mendaces, ac ſecretorum prodigos; quorum primi ſuam, ſecundi fidem prodant alienam. Paſchalis Babylonius, é paſtorum ma-

palibus in D. Franciſci familiam adlectus, ita primam innocentiam indemnem ſervavit, ut ne leviſſimum mendacium umquam ori exciderit. *b* Complures alios ex hac claſſe adducit inſignis pietate & eruditione vir Nicolaus Lancicius in opuſculis ſpiritualibus & vere divinis.

c At ne domeſtica deeſſe videantur: P. Vincentius Regius, & Gaſper Sanchius Sacræ Scripturæ commentatores, numquam in vita mentiti ſunt; adeo non mirum in adyta veræ ſapientiæ ſe penetraſſe. *d* Dum Cardinali Bellarmino narraretur, non conſtare Berckmannum umquam in vita mentitum, innocenter ſubjecit: *e* Nec ego ullius per omnem vitam mendacii mihi conſcius ſum. Idem de viro candidiſſimæ vitæ, *f* Ægidio de Coninck teſtari poſſum, ingenue eum faſſum eſſe, nullius umquam à ſe prolati mendacii meminiſſe. Sed hoc illuſtre & veritatis teſtimonium hactenus inauditum. Ludovicus Medina è prima Abulenſium nobilitate, Italia, Hiſpaniaque omni luſtrata, ac novo in orbe magnis rebus geſtis, annum agens ſupra quadrageſimum, locum quieti Societatem delegit, in qua ſe tyronem geſſit, quandoque ſine tunica propalam prodeundo, in foro raphanos vendendo, jumenta in mercatum agendo. Quæ omnia in eo viro ut ſumma fuerint, hoc tamen Deus

a Spondan. tom. 2. pag. 358. anno Chriſt. 1537. P. Rho exempla virt. pag. 81.

b V. opuſc. 3. num. 33. pag. 190. *c* P. Rho cit. *d* Lancicius de profect. virt. c. 1. num. 45. *e* In vita l. 6. c. 1. *f* Coninck de Trinitate & Incarn. in præfat. Hiſt. Societ. tom. 2. l. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

præcellere voluit veritatis indicio, quod demortui linguam post 12. annos, omni corpore corrupto, rubicundam, ac vegetam servarit, de quo constabat numquam tota vita prudenter ac scienter mendacium protulisse: non magis mirum, hominis mortui incorruptam vigere linguam, quam viri numquam tam longa ætate, tamque diuturna militia, fuisse mendacio temeratam. *a* His omnibus potiore jure quam olim Berosо apud Athenienses statua erigenda, cui aurea lingua inserta; *b* aut certe ne ab horologio abeamus, iis omnibus ut Anastasius Leoni IV. campanam cum malleo aureo dedicemus.

a Plin. lib. 7. cap. 36. *b* Novarin. Sciagraphiasm. lib. 1. n. 133.



UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA. XXI.

Extrema Gaudii Luctus occupat. Prov. 14.



HVC REFER EXITVM.

Horat. l. 3. Ode 4.

DOMINICA PALMARVM.

Gaudia mundi plus fellis quam mellis habere, ac tandem in luctum recidere. Vivum hujus symbolum habes in bove coronato, qui ad victimam ducitur. Vbi duo illa Salomonis Proverbia exponuntur.

§. I. *Risus dolore miscebitur.* Proverb. 14.
§. II. *Extrema gaudii luctus occupat.* Ibid.

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PALMARUM.

Benedictus qui venit. Matth. XXI.

DIVUS *a* Bernardus in concione, quam habuit die Palmarum, hanc injicit quæstionem: Cur Salvator optimus *processionem habere voluerit, qui mox futuram noverat passionem?* Huic interrogationi ut faciat satis, varias affert rationes: quas inter hæc prima: *ut amarior esset passio, quam processio præcessisset: ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est.* Hæc ubi pro stylo notavit S. Doctor, tunc altiore cothurno insurgens, exclamat: *O quam dissimile est, Tolle, tolle, crucifige eum, &, Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis! Quam dissimile, Rex Israel, &, Non habemus Regem nisi Cæsarem! Quam dissimiles rami virentes, & crux? flores & spinæ!* Unde hæc tam luctuosa rerum facies? tam repentina catastrophe? Hujus tam tragicæ viciſſitudinis causam, in rem nostram, idem Bernardus paucis complexus est: *Ut videat,* inquit, *sæcularis anima, videat & intelligat, quoniam* EXTREMA GAUDII LUCTUS OCCUPAT; *hic nimirum est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.* ecquis enim non videat, utinam & intelligat, omnem mundi dulcedinem, & liquidissimum mel, tandem in amaritudinem, & merissimum fel converti? luxum in luctum, plausum in planctum, ac denique triumphum omnem, in feralem pompam, funestamque tragœdiam recidere? Hujus rei typum Paulus Æmilius in triumphum induxit, dum teste Plutarcho, viginti supra centum præpingues ac bene saginatos boves, auratis cornibus, & mitris & coronis redimitos, concrepantibus tubis ac tympanis in pompam, sed funebrem; in lætitiam alienam, sed in propriam lanienam produxit. Ita mundi voluptas suos ostentat, spectandos circumfert, & ut sacro in Proverbio est, adolescens voluptuosus *b statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* Eheu victimam sempiternam, nil miserantis orci! *c Ut ergo discceremus in nulla lætitia hujus* (tam infidelis) *sæculi habere fiduciam*, primo omnes mundi delicias, plus fellis quam melliis tegere; tum etiam ut omnia ad votum fluant, in fine fæcem acerbam, & extrema gaudii in luctum desinere, ostendemus.

a Serm. 1. Domin. Palm.

b Proverb. 7. c Bern. cit.

§. I.

Risus dolore miscebitur. Prov. 14.

ILlud Sapientis divinus *d* Plato apologo expressit: Voluptas, inquit, & dolor, apud Iovem se convitiis acriter lacessebant; quos cum Iupiter inter se conciliare nequidquam nite-

d Plato in Phœdro.

UVA. BHSC. BU 02224

retur, utroſque tandem catena adamantina adeo colligavit, ut quantumvis odiis diſſiderent, alter ab altera diſcedere nequiret. Quo factum, ut qui unam in ædes induxerit, alterum hoſpitem habeat neceſſe ſit; ut venuſte Venuſinus Vates cecinit:

--- dolor & voluptas.
Invicem cedunt. Brevior voluptas.

Expertus id olim Salomon, inter Reges potentiſſimus, inter mortales feliciſſimus, divitiis, carnis lenociniis, omnique voluptatum genere diffluens, non ita hæc in aulam & animum induxit, ut dolorem, tædium, afflictionem ſecluſerit, ſed ut ipſe fatetur: a *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritus.*

Conſimiles, ævo proximè elapſo, voces fuere Caroli fortunatiſſimi Imperatoris, & orbis domitoris. Hic cùm Bruxellis regiones omnes, ac regnum univerſum in Philippum filium transferret, coram toto Senatu non ſine lachrymis teſtatus eſt, ſe toto vitæ decurſu, quantumvis proſpero, ne ad unum quidem horæ quadrantem, puram meramque habuiſſe lætitiam; ſed ſemper curis, angoribus & doloribus, velut voluptatum ac victoriarum umbris, anxium ac divexatum fuiſſe. I nunc, & beatos hic in terris reputa, qui hic in honore, & veneratione ſunt, qui hic pretioſe induuntur & epulantur quotidie ſplendide, veri Damocles. Qualem ſe dictabat etiam Theodoſius, qui cùm ad monachum diverſiſſet, frugali menſa ejus mirifice delectatus, in has voces eripuit: Vos fælices! in veritate dico, in aula natus & educatus ſum, ſed numquam ſine ſolicitudine cibum capio.

b *Uſque adeo, nulla eſt ſincera voluptas:*
Solicitumque aliquid, lætis intervenit.

In ejuſmodi hominibus, ut alio ſenſu notat Bernardus, videmus *unctiones*, ſed non *punctiones*. Videmus extus venuſtatem pomi, ſed intus vermem rodentem non videmus. Frangimus hic dentes noſtros, ut dulcem nucleum eſſe valeamus, & nil niſi ſordes ac putridum vermem reportamus. Sub vernantibus pampinis, acutas Mænadum haſtas latere non agnoſcimus. Sub voluptate corporis, animi aculeos; ſub divitiis & fortunis veras ſpinas & ſentes perſentiſci non credimus. c Edocuit hoc ſerio, hiſtrio quidam Ratiſponæ, dum illic Matthias Imperator cum conjuge ac tota aula degeret; quos hoc ludicro ſpectaculo placuit oblectare. In atrio aulæ Cæſareæ hic Morio theatrum erexit, in perticis veſtes varias, pannoſque ſuſpendit, in abacis vaſa aurea, argentea, torques, gemmas, & quidquid apud Palatinos in pretio eſt, longa ſerie collocavit; dixiſſes eum mundo mundum oſtentare voluiſſe. His ita comparatis, omnis ordinis ac dignitatis homines, & ut fit, ubi magna corpora, illic & umbræ; inſuper & plebs omnis, ciſtris ac fiſtulis convocatur: cùm longe plures cupiditas evocaſſet. Omnia tecta obſidebantur,

a Eccleſ. 1.

b Ovid. Metam. lib. 7. c Strengelius Zehetner vermis conſcientiæ pag. 276.

ſumma

UVA. BHSC. BU 02224

ſumma expectatio: prodit tandem Morio, ut Rex tragicus, urnam fortunæ manu quatiens, levique pretio, ad ingentia lucra ſpectatores animat. Hic ergo quiſque primus in theatrum conſcendere, & manum urnæ inſerere: qua ilico reducta, omnes cum rubore, & compuncti decedebant; errorem enim vero quiſque ſuum tegebat, ne inſuper ludibrio eſſet. Poſuerat hic Sycophanta in urna vivum echinum, qui acriter ſuos vultures pungebat: quis enim curas, ſolicitudines, anxietates calamo aut lingua exprimat, quibus miſeri mortales lucro inhiantes, die noctuque excruciantur? Nec leviores voluptatis aculei ſunt; primum quidem blanda titillatione ſenſum proritat, ac deinde relinquitur aculeus, qui mentem pungat & lancinet: ut enim non minus docte, quam pie Romanus Conſul, Philoſophus, & Martyr, Severinus Boëtius:

a *Habet omnis hoc voluptas,*
Stimulos agit furentes;
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit; & nimis tenaci
Figit icta corda morſu.

Fuit qui hoc ipſum ſcito emblemate expreſſit: puellum unum aliquem ponit, manum alveari inſerentem, ut mella delibet: quem interim apum examina mille aculeis miſere configunt, hoc brevi lemmate ſubjecto:

--- b *Nocet empta dolere voluptas.*

Extrema quidem labra mundus mille oblinit, ſed intus mille ſentibus configit, & amaritudine viſcera complet, quia, ut Juvenalis.

-- c *plus aloes, quam mellis habet.*

Succurrit hic illud Euſebii Emiſſeni: *Mel eſt quod aſcendit in labia, fel eſt quod deſcendit in viſcera.* Ita matres os poculi oblinere, aut abſynthium ſaccharo inſpergere, & amariores potiones pueris propinare ſolent, ut diſerte Lucretius:

d *Ac veluti pueris, abſynthia tetram edentes,*
Cum dare conantur, prius oras
pocula circum
Contingunt, mellis dulci flavoque liquore;
Vt puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſynthii laticem.

Hoc mundi ac voluptatis artificium eſſe, Purpuratus Vates Cardinalis Barberinus, dein Urbanus PP. VIII. cecinit, ode ad Ioannem Strozzam:

d *In rebus humanis, vel ipſa*
Miſcet amaritiem voluptas.

Unde ſapientes dixere, Deum duplex habere dolium, unum mellis, & alterum fellis; atque hæc ita permiſcere, ut ex utroque cuique ſuum craterem propinet. Appello Prophetæ regii fidem & vaticinium: e *Calix in manu Domini, vini meri plenus miſto, & inclinavit ex hoc in hoc.* Ut ſicut in muſica ſoni graves acutis temperantur, ſic Deus proſpera adverſis, lætā triſtibus aſſiduo permiſcet. Quod & experientia comprobatum eſt:

Vbi uber, ibi tuber:
Vbi mel, ibi fel.

a Lib. 3. Metro 7. b Horat. Ep. 1.

c Iuven. Sat. 6. d Homil. 3. Epiph. e Cornel. in c. 14. Prov. Riſus dolore miſcebitur. f pſalm. 74.

Et

UVA. BHSC. BU 02224

Et ut poëta canit,

--- a *medio de fonte leporum,*
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Imo ipsa dulcedo in amaritudinem vertitur, attestante Galeno Medicorum principe: b *Dulcia,* inquit, *se in bilem vertunt*; occulto quidem naturæ genio, sed documento aperto, omnem quæ à voluptate petitur dulcedinem, cito deficere in amaritudinem. Et tamen homines sicut pisces marini, salsis delectatur aquis. Hujus maris non inexpertem Doctorem magnum Augustinum audite: c *O infelicitas generis humani! amarus est mundus, & diligitur; putas si dulcis esset quomodo amaretur? turbatur & tamen amatur: quid si tranquillus esset? flores mundi quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?* Quis iste mentium humanarum furor? tantus quippe in iis quæ fucata alliciunt dulcedine, amaror est, ut eo vel primis, quod ajunt, labris degustato, fugere & aversari oporteret. d Insaniam hominum in bruto animanti palpandam dedit Princeps Imperii: hic ut ursо, quem habebat, ludum faceret, apposuit illi patinam melle, sed præcalido ac ferventi plenam. Itaque fera, ut avidissime in hunc cibum fertur, lingendo sæpe, sæpius linguam, & fauces adussit, neque tamen sibi temperare aut valuit, aut voluit; sed inter continua murmura & ejulatus, ingluvie stimulante, ursus furore iraque plenus, mel omne absumpsit. Quoties voluptatis, divitiarum, honorum sectatores, digitos & ora adusserunt? per quot dolores, terrores, pericula emunt brevem voluptatem? quoties in aulis Principum illusi, scommatis impetiti, invidorum cavillis lacessiti? e *Facies combusta eorum* præ pudore. tamen urso brutaliores non desistunt, sed ut observat Seneca: f *Mala sua, quod malorum est ultimum, amant.* Ex his unus aliquis sub ingressum in aulam, rogatus cur canis, ut solebat, non amplius herum intus comitaretur, sed ad fores palatii remaneret, Domino respondente, quod semel ingressus penitius, flagris pessime exceptus fuisset, assumpsit alter: Næ tu cane tuo stolidior videre, qui toties in aula male exceptus, necdum eam deseris!

Quod si hujus tam amabilis insaniæ ratio quæratur, ea in comperto est, & quidem è sacris litteris: g *Species decepit te,* bracteatus fulgor oculos fascinavit. Non se continet hic Hipponensis Præsul, quin exclamet: h *O munde immunde, teneris vis periens! quid faceres si permaneres? quem non deciperes dulcis, si amarus* ALIMENTA MENTIRIS? Catapotia seu pillulas inauratas suis porrigit, quæ pretiosa alimenta mentiuntur, & absorpta faciunt amaricare ventrem. Vanus auri fulgor & falsa species, verum dolorem & amaritiem viscеribus ingerit, ut alibi luculentius testatur, dicens: i *Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam*

a Lucret. l. 4. b Galen. lib. de Euchymia & Cacochimia. c Aug. serm. 3. de temp. d Zechetner vermis conscientiæ pag. 134, e Isai. c. 13. f Seneca Ep. 39. g Daniel. 12. h Augustinus de symb. ad Cat. lib. 3. i Augustinus Epist 36.

quietem,

UVA. BHSC. BU 02224

quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis INANEM. Inanes sunt omnes pixides mundi, etsi aureis titulis inscriptæ. Indies videre est apud dulciarios, uni pixidi inscribi tragemata, alteri electuaria, tertiæ bellaria: ubi aperueris, magnum inane reperitur.

Iupiter quo mortales sibi arctius obstringeret, in terras miserat venustam forma dominam, pretiose convestitam, innumeris gratiis præditam, quam homines *Voluptam* indigitarunt, & ut Poëta eam depingit:

a *Forma placet, niveusque color, flavique capilli.*

Quo factum, ut omnes ejus gratiam prensare, in partes suas trahere, ac sibi devincire prece ac pretio satagerent:

b *Multorumque fuit spes invidiosa procorum.*

Iamque Iove neglecto,

---- c *adytis arisque relictis,*

hanc unam thure ac victimis, ut deam venerabantur. Quod ubi Iupiter advertit, ira succensus, consilium iniit, quo mortalium proterviam justa animadversione contereret: Vulcanus fulmina cudere, Neptunus omnem Oceanum in terras effundere, Pluto abyssos laxare parabat; dum mitius ac melius supplicium Mercurius suggessit: astu quopiam nudam è medio hominum Voluptam surripiendam, subterque ejus exuviis, & fucata specie Angeronam inserendam. Hac cura Mercurio demandata, in terras ille delabitur, mediamque inter tripudiantium choros *Voluptam* sustollere nititur, quam aliis atque aliis hinc illinc arripientibus, & pro virili obnitentibus, Voluptam omni choragio exuit, atque omni mundo muliebri *Angerona* supposita, cum Voluptа avolavit. Interea cæci ac stolidi mortales, specie exteriore decepti, unam Voluptam sectari, hanc se solidam ac veram jam prensare rati, heu! nihil præter fictam larvam, & verum luctum in ædes, in animum se induxisse sero deprehendunt. Voluptas apparet,

d *Blanda quidem vultu, sed quæ non tetrior ulla*
Interius, fucata genas & amica dolosis
Illecebris ----

e Nemo novit nisi expertus, sub holoserico matronarum syrmate, sub Damascena cyclade, quantum angustiarum; sub honorata Senatorum toga, quantum invidiæ ac curarum; sub Principum ac Pontificum purpura, quantum ponderis ac molestiarum lateat.

Exemplum ingens fuit Philippus II. qui moribundus filium suum Philippum III. acciri jussit, rejectaque stragula veste, pectus regiarum curarum olim nobile hospitium, ebullientibus confertim vermibus horridum ostendens, ait: Vide Princeps quo tandem recidant utriusque solis deliciæ, quid sub augusta purpura vermium delitescat. At si cujusque pectus altius introspicere daretur, alios illic vermes, qui animum amarissimo morsu corrodant, conspicere liceret. Honorum titulos tibi proponit mundus, & illos avida aure menteque bibis;

a Ovid. 2. Fast. b Ovid. 4. Metam. c Virg. 2. Æneid.

d Claud. 2. de laudib. e P. Rho. exempla virtutum pag. 560.

nimi-

UVA. BHSC. BU 02224

nimirum ut docte D.Cypr. *Ambitionis falsugo - bibulam animam occupat.* Pulchrè ambitionis falsugo, quia in eo plus est salis, quam sacchari; plus crucis & oneris, quam commodi & honoris. Quid porro sub regia dignitate mali sit, inexperti numquam discunt, experti non dicunt, neutri satis sciunt. Quem in terris mortales beatissimum appellant, & proni venerantur summum Pontificem, nonne is prope semper mortem à latere, aut intra dentes habet? unde anxietates papales, quis hoc metro quondam exposuit:

Cur tibi crux triplex Gregori,
triplexque corona est?
Anne suam sequitur, quæque
corona crucem?

Sed in hoc genere nihil illustrius, quàm Sanctissimi Patris Urbani VII. testimonium, qui quoties amiculum è subtili tela superindueret, alto pectore ingeminabat: *Quis crederet sub tam levi sindone, tantum ponderis delitescere?* a Recens est illud Cardinalis de Lugo, qui ad purpuram ita expalluit, ut ad primum nuntium deliquium passus sit, dumque primum fari potuit, quasi ad inferorum flammas damnatus, in has voces erupit: *Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Probe si quidem hi norant illud Senecæ: b *Est inter onus & honorem non tam allusio vocis, quàm rei ipsius expressa veritas; honor quippe ex onere venit, aut potius ex honore onus*, ut scite c S. Isidorus; cui ferendo, omnes succubuerunt, & multi in præceps acti sunt. d Denique quis crederet, intra quadrigas & auratas rhedas, tot creditorum cavillos, plebeiorum calumnias, æmulorum machinationes una devehi? quis crederet intra mercatorum arcas, intra nummorum saccos, tot angores, solicitudines, vigilias, commisceri? quod vel gentilis vidit, dum dixit: e *Majore tormento pecunia possidetur, quam quæritur.*

f Sigismundo Imp. ex Hungaria delata quadraginta millia aureorum: de quibus dum sedulo cogitat, concubia nocte somnum excutit ex oculis, & quietem ex animo. Ubi luci redditus, continuo Consiliarios evocat, & fortissimos quosque militiæ duces; ad quos aperta arca, nummos digito monstrans, *Ecce*, inquit, *crudelissimos hostes, ac tortores acerrimos, à quibus nulla mihi data requies.* Ite & inter vos æqua sorte dividite. Illis cum grata sarcina decedentibus, subjunxit: *Recessit à me tortor, qui me flagellavit, securius modo quiescam.* Non leve quippe torturæ genus est, flagitiosos per insomnia divexare. g *Divitiæ sunt tortore acerbiores,* nusquam nec unquam animum quiescere sinunt. Sed stultus non intelligit hæc: h *Suspirat ille in convivio, vigilat in pluma, nec intelligit miser pretiosa esse supplicia.* die noctuque curæ cerebrum perturbant, & caput inquiete corrodunt.

i Reperit aliquando Carolus V. inter deambulandum calvariam humanam, quam dum pe-

a Ariag, l. 2. tom 1. in dedicatoria.
b Seneca e. 2. de brevit. vitæ. c S. Isid. l. 2.
d S. Isid. l. 1. cap. 23. e Sen ep. 115.
f Æneas Syl. l. 4. comm. in Alphon.
g Chrys. in psal. 48. h Cyprian. l. 2. ep. 2.
i Poirters larva mundi p. 212.

de

UVA. BHSC. BU 02224

de proterit, advertit mures in ea nidificare, & adjecit; credere se hunc hominem in vivis nidos murium in cerebro aluisse, qui etiam à morte eum non deserunt. O si calvarias Magnatum introspicere contingeret, quam inquiete illic mures dies noctesque, inter epulas & delicias, corrodere cerneres! His tamen tam fucatis bonis homines inhiare pergunt, & ut canes Æsopici umbram pro corpore sectantur, specie exteriori decepti & allecti, tricasque non prius vident, quàm se implexos sero advertunt. Quod fœcunda mente calamoque oculis subjecit, nobilis scriptor Aresius Episcopus, qui hortum Labyrintheum, mille spiris & meandris fallaci amœnitate involutum proponit; ad quem facilis aditus, sed nulli exitus patet, cum hac epigraphe: *Species decepit te.* Mundus hic Labyrinthus est, & quod olim poëta,

Non labyrinthus erat, sed labor intus erat.

a Hoc enimvero contestabitur, qui hunc labyrinthum penitius ingressus, ambulat vias difficiles, tortuosas, quarum finis interitus est. Et unde hoc? *Species decepit te.* Hunc species honoris, illum species auri & argenti, istum species puellæ decipit & inducit in labyrinthum miseriarum, ubi se perdit, & sæpè nullus nisi sola morte exitus patescit; unde sapienter Sapiens: b *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

In aula Francisci I. Gallorum regis fuit Morio, c *Stulti sapiens imitator*, qui rege cum suis è consilio bellico, egresso subrisit, causamque rogatus respondit, temperare sibi à risu non posse, quod inaudisset adeo eos solerter egisse quemadmodum in Italiæ fines penetrare, neminem autem expendisse, quomodo regredi & exire possent. Optime animadversum; nam tunc ajunt Franciscum in manus venisse, nec reditum in Franciam reperisse; quod quidam symbolo limacis telo trajecti expressit, adjecto lemmate, *Nescit reverti.*

Hoc non morionis, sed & ad mores Principis Philosophorum pronuntiatum est; voluptatem faustos aditus, infelices exitus habere; ac proinde, ejusdem Aristotelis utilissimum præceptum est, d *ut voluptates abeuntes consideremus.* Tunc non amicam frontem, sed horridam & venenatam caudam contuebimur, quod à barbaris discere non erubescimus: ajunt enim Scythæ virginem apud se natam, cujus forma cingulo tenus fœminam, inferne viperam repræsentaret. Cum hac Iovem congressum, Scythen genuisse. Fabula est doctumque commentum, vel si mavis, voluptatis imago quædam est, veris coloribus adumbrata: cujus caput atque introitus, virginem referat pulcherrimam, & amabili specie renidentem; finis autem in viperam & draconem horribilem desinat. Cum hac stygius & luxurians more suo Iupiter si commiscetur, non Scythen, sed immane quoddam monstrum sceluisque progignet: quis enim alius à voluptate partus existat?

a Dan. 13, b Prov. 5, c Ovid. Fast. l. 2. d Valer. Max. l. 7, c. 2, n. 8.

Extre-

UVA. BHSC. BU 02224

§. II.

a *Extrema gaudii luctus occupat.*

APud *b* Persas dies festus est, quo non diuturnum, sed diurnum, dominandi & regnandi tempus conceditur; (sacrorum ipsi ludum appellant) accipiunt unum aliquem de captivis, jam morti destinatum, collocantque in regio throno, ac vestibus regalibus induunt, sinuntque eum deliciari ac pergræcari pro libitu; & nemo illum vetat quidquam facere, quæ velit: post hæc autem exutum, virgisque cæsum suspendunt. Cujus rei, quærit Dio Chrysostomus, putas hoc esse signum? & quam ob rem id fieri apud Persas? nonne ideo, inquit, quod sæpenumero stulti homines & pravitatem, & potestatem, & nomen adipiscuntur; deinde aliquanto tempore superbe viventes, turpissime atque ocyssime perduntur? proinde tunc, quem hominem tollunt è vinculis, simile vero est fatuum quidem, bonum saccum, & rei inexpertum gaudere, & semet propter ea quæ fiunt, beatum deprædicare. Qui triumphum tunc viderit, homini invideret, donec ad occasum venit, quando omnis pompa in luctum recidit, & qui totum diem se epulis ac deliciis opplevit, sub vesperam victima immolatur.

Ejusmodi ludum insolentem mundus ludere pertinax consuevit, & suos in pompam educit, quorum finis sine honore, & *extrema gaudii, luctus occupat.* Ejusmodi unum aliquem huc inducere placuit: *c* Fuit qui in principe urbe Italiæ, in Bacchanalibus populo ludum fecit; ubi ipse primarias partes egit, currum adornavit planum & apertum, purpureis velis, & clavis aureis fulgentem:

d *Aureus axis erat, temo aurea summa*
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Insanus Phaëton hunc inscenderat, sedens in throno qui non inferior Salomonico. Ubi ille spectandus, e *totus & argento contextus totus & auro*, capite radiato, vetustis fabulis, nescio cujus fictitii dii nomen sibi usurparat. Ad pedes illius eleganti forma & cultu adolescentes, tanquam genios alterius orbis collocarat, qui suavissime & voce & fidibus modulabantur. Sequebantur deinde multi servi honorati, juvenes lectissimi: currumque 4 equi Neapolitani, purpureis sagulis instrati trahebant; quod spectaculum omnem civitatem excivit. Donec domum delatus, ubi ad opiparum convivium, omnes hujus comœdiæ socios adhibuit. Multi applaudebant, plures illudebant. Vir prudens, inquit Chrysolius noster, mecum agens, stultum ac phanaticum pronuntiare non dubitavit. Videte quid evenerit: pecuniæ magnam vim mutuam acceperat, creditores, ut luxum illum viderunt, sibi metuentes, omnia reperunt, in hominem irruunt. Ille oppressus ære alieno, spoliatus, egens in carcerem conjicitur, ubi paulo post extremum diem, præ dolore obiit. Hic finis fine honore.

a Prov. 14. *b* Dio Chrys. orat. 4. de regno. *c* Chrysolog. antolog. part. 1. c 12. sect. 12. d Ovid. Met. l. 2. *e* Tibull. eleg. 2.

Victi-

UVA. BHSC. BU 02224

Victimam forte requiris, quæ aureis vinculis ad immolandum deducta sit? Etenim

a *Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.*

Etiam memoriam hominum non effugiunt plures Crœsi, qui vere experti sunt, quod extrema gaudii & divitiarum luctus occupat. Quam multi potentes ac opulenti mercatores, verissimi Plutones, quorum filiæ ut Proserpinæ, aureo curru rapiuntur; sed b *in exitu negotiationum*, ut Propheta loquitur, sæpe maxima lucra, in turpissima damna convertuntur: & secundo die nuptiarum, ut non semel accidit, declaratur parens sponsi aut sponsæ, summo dedecore, foro cessisse. Aut certe à funere mariti, miseræ viduæ ac pupillis, ea debita in hæreditatem conscribuntur, quibus omnibus divenditis, solvendo non sunt. Est qui apta similitudine ejusmodi mercatorum fortunas exponit: Vides filiam è glomere filum sericum, aut aureum, in opus phrygium deducere: quo devoluto, tandem exiguam schedam reperit, syngraphen quandoque millium aureorum; ita qui hic mollia & aurea stamina duxisse visi sunt, sub finem ad incitas redacti, nil nisi gravissimorum debitorum cumulum, in schedis & syngraphis, hæredibus relinquunt. Atque hic divitum miserrimus exitus est.

Invitat nunc præceptor gentilis, ut voluptuarios contemplemur, hoc etiam Christianos commonens: c *Voluptates præcipue exturba, & invisissimas habe, latronum more, quos philetas Ægyptii vocant; in hoc nos amplectun-*

tur, ut strangulent. Uti & simiæ faciunt. Exempla vis eorum qui in complexu exspirarunt, & ubi extrema gaudii, in funus desierunt? Historiæ confimiles tragicæ tribus tomis conscriptæ, passim in oculis, & manibus sunt. Unam alteramve delibasse sufficiat.

d Ladislaus Rex Neapolitanus Florentiam obsederat, jamque adeò premebat, ut propediem dedenda; unam tamen puellam deperiens, promisit infamis Paris se soluturum obsidionem, si hæc Helena sibi traderetur. Annuunt captivi, puella quamvis reluctabunda, omni mundo muliebri adornatur: sed magis reluctante patre, qui ut medicus erat, sudarium filiæ dedit singularis fragrantiæ, sed & præsentis præstigii, quo prima nocte veneno per utriusque corpus se insinuante, ambo extincti sunt. Unde quidam,

e *Te midden inden brant, en inde vuyle lust,*
Soo is hun bey ghelijck, het leven uyt-ghebluft,
---Hier ligh het jeughdig paer,
En uyt het vrolijck bedd' soo rees een droeve baer.

Ita thalamus in tumulum extemplo conversus est. Attila terror orbis, & flagellum Dei, disruptis visceribus, inter delicias nuptiarum, infelicem animam expuit. Hoc felleum ac venenatum poculum mundus cauponis more propinat, qui f *primo bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc quod deterius est.* Tunc uvam fellis, & merum venenum propinat: g *uva ejus uva fellis, & botri amarissimi.* Fel draconum, & vene-

a Tibul. l. 4. eleg. 1. b Ezec. c. 27. c Sen. ep. 51.

d Chalcondylas l. 5. Sabellicus l. 9. e I. C. Trouvv-rinck, p. 124. f Ioan. 2. g Deut. 32.

num

UVA. BHSC. BU 02224

num aſpidum inſanabile. Hinc monet Sapiens: a *Ne intuearis vinum quando flaveſcit: quando ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*

Richardi Victorini hæc brevis, ſed efficax ſententia eſt; in illa verba Sapientis, b *Omnia flumina intrant in mare. Quid eſt igitur flumina intrare in mare, niſi omnem delectationem carnalem terminari in amaritudine? Omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudii luctus occupat.* Hæc quo lenius in aures & animum admittantur, ſic recens Poëta modulatus eſt:

Principium dulce eſt, ſed finis amoris amarus;
Læta venire Venus, triſtis abire ſolet.
Flumina quæſitum ſic in mare dulcia currunt,
Poſtquam guſtarunt æquora, amara fluunt.

Ut-ut ſit, quantumvis humanæ vitæ flumina leniter ac dulciter fluant, omnia in *mare mortuum* decurrunt. Ita facilem vitæ curſum & amœnum collem Mauritius Princeps, Auriacus triverat; ſed ad extrema deductus arduum iter perhorreſcens, alto pectore ingeminabat: c *Scherpen-heuvel! Scherpen-heuvel!* O Collem aſperum! ô Collem aſperum! Heterodoxus Prædicans, qui illi aderat, ſciſcitatus, quid ea tam incondita vociferatione vellet? O, inquit, montem aſperum! ô iter arduum! quod brevi tranſire compellor: quàm autem hic exitus amarus ſit homini pacem non habenti, nemo ſatis valeat explicare. Hoc unum dico, quiſquis hujus fluxæ voluptatis exitum mente aſſequitur, facile eam nauſeabit. Anachoretam ferunt mire delectatum ſuavitate rivuli, in quem inciderat; aviditate ductus longius proſequitur, ut aliquando originem aſſequatur: reperitque demum fœtidum putridumve cadaver, è cujus ore hic melleus fluvius promanabat; quo viſo, aquas omnes nauſeabat.

Proſequamur nunc, ſi lubet, curſum hominis voluptuoſi, finem inveſtigare: quid aliud quam fœdum ac putrens ſcortum comperiatis? quo viſo quondam Angliæ Dux Boukingamius, voluptates ſuas exoſus eſt.

Divus Baſilius divine his duabus vocibus totum complexus d *Nuptiarum tragœdia*; ut enim in hac, primus actus læta omnia exhibet, atque amantia; at ultimus horrida: ſic & in nuptiis, vix dum cytharœdi pedem è limine, fletus in domo eſt: *Een krijterken achter de deur.* Amor qui primus in ſcenam venit, ſenſim ſe ſubducit, ac deinde ejus locum occupant perſonæ tragicæ, odia, rixæ, diſſenſiones, zelotypiæ, aliaque ejuſmodi monſtra, quæ ferales faciant nuptias. Accedunt jacturæ bonorum, liberorum, charæ conjugis. Imò ipſis ludis mors intervenit, e & funeſtam

a Prov. 23. b Eccl. 1. Rich. Vict. p. 1. tract. 1. de ſtatu int. hom. c. 10. c Tyingen. parad. pag 337.

d Baſil. opuſc. de Virg. e Majolus in canicul. colloq. 7. Summum bonum, pag. 794.

UVA. BHSC. BU 02224

ſtam *Nuptiarum tragœdiam* excitat. Celebrantur etiamnum ore omnium funeſtæ nuptiæ, in quibus Carolus VI. Rex Galliarum cum ſuis larvatus ſubintrans, & choreas ducens, face pellibus, quibus inſutus erat, à duce Aurelianenſi propius admota, ignem cum ſuis concepit: è quibus quatuor miſere uſtulati periere, Rege vix ſervato, uxoris Biturigis veſte caudata fluxaque, qua involuto flamma ſopita eſt. Conſimili fato in Germania tres comites in ipſo ætatis flore, cum Faunos induti peregrinis choreis Eberhardum conſanguineum ſuum antecineralibus feriis oblectare geſtiunt, ephebi forte è manu funali delapſo, omnes tres miſere conflagrarunt, *vertiturque lætitia*, inquit auctor, *in miſerabilem ejulatum*. Ita,

a *Gaudia principium noſtri ſunt*
ſæpe *doloris*.

Omitto alias de hoc argumento hiſtorias, quibus libri & veterum annales pleni ſunt. Hoc recentius & forte inauditum. Ex ore eorum qui tragœdiæ interfuere, ita Religioſus ſcriptor commemorat: *b* Pariſiis ab hinc annos duodecim regali luxu nuptiæ inſtruebantur, quas perſonati hiſtriones eleganti tripudio exhilarare, & adornare ſe velle ſimulabant. Admiſſi, mire convivas omnes, & inter illos quam maxime ſponſum oblectarunt, qui cum ludo peracto, non ſemel eos, ut larva poſita accumberent, officioſe invitaſſet, decretum ſibi eſſe dixerunt, palam ſe toti conſeſſui numquam manifeſtaturos; ut tamen ejus perhumanæ petitioni ſatisfacerent, ad conclave ab aliis ſecretum deduceret, illic ſoli ſponſi perſona poſita, ſe veros vultus exhibituros; ubi dum laute cum ſolo ſponſo epulati eſſent, denuo ad convivas, tripudium mortuale auſpicati, gratiſſimo omnium ſpectaculo, regreſſi ſunt. Tandem ut ſæpius ierant & redierant, omnes ſe omnino ſubducunt, relicto ſuper pavimento, ut putabatur, ſocio larvato, qui mortui partes egerat; hunc jam cæteris delapſis, dum convivæ commonent, trudunt, vellunt, ut aſſurgere vellet, ad hæc omnia immoto, larvam detrahunt: & ô ludum inſolentem! ô ferales nuptias! ecce ſponſus, verum fucus exhibetur, compertumque à lavernionibus, ob ſponſam ſibi præreptam, aut impari traditam, mappa ſtrangulatum fuiſſe, nunquam tamen auctor ſceleris cognoſci potuit. Quid ad hæc auditores? uno die ſponſam, nuptam, viduam! ita derepente nuptialem thalamum, in funeſtum tumulum recidere! ejuſmodi ut paulo diutius ludi protrahantur. Indies in orbe ſcena luditur, quæ hoc feralius clauditur, quod frequentius extrema gaudii luctus æternus, & cruciatus nunquam finiendus occupare perhibeatur. Dum mors cortinam claudit, in alterum orbem cataſtrophen apud inferos peragendam deducit. Hoc Bernardus alta voce intonat, ſerm. 41. in Pſal. 33. *Mors peccatorum peſſima: mala eſt in amiſſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo quem diligunt: pejor in diſſolutione carnis* (ſicut

a Ovid. 7 Metam. *b* P. Matthias Pauli Prior Ord. S. Aug. De poorre des Hemels. fol. 509.

UVA. BHSC. BU 02224

{ ſicut dens totus carni inſertus, violente extrahitur;) *peßima in tormentis inferni*. Quare fingamus vitæ curſum omnem, ſecundo flumine & flamine, ſine fluctu, ſine luctu decurrere, in portu certe miſerrimum naufragium, ac funeſtum exitum Propheta vaticinatur: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt* {alii legunt, deducunt ad finem vitæ) *in bonis dies ſuos, & in punEto ad inferna deſcèndunt.* Quod pro rei dignitate gravi ſtylo Tertullianus notavit: a *Vis eſt,* inquit, *iſta navigiis, cum longe à Caphareis ſaxis, nullis deturbata turbinibus, nullis quaſſata decumanis fluctibus, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt. Non ſecus naufragia ſunt vitæ, etiam tranquilla mortis eventus. Nihilo refert integram abire corporis navem, an diſſipatam, dum animæ navigatio evertatur*; ut Epuloni accidit, cui tantum tormentorum in æternitate, quantum deliciarum hoc in momento, ſubeundum eſt.

a Tertull. l. de anima c. 52.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXII.

Non est hic. Marc. 16.



Rursus VENIENT AD
POCULA. *Virg. Ecl.* 8.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

DE RECIDIVA, quam ii omnes incurrunt, qui quidem resurgunt, sed non quemadmodum Christus, cui mors ultra non dominabitur; at illi repetunt tumulum & thalamum libidinis, redeunt ad pocula; avium in morem, quæ in poculis nidificant, à quibus abactæ, ilico revertuntur, a *solitosque revisere nidos* gaudent.

§. I. *Multi resurgunt cum Christo, sed non quemadmodum Christus.*
§. II. *Idipsum appositio Emblemate exprimitur.*
§. III. *Recidiva nimio plus noxia in morbis animæ, quam corporis.*
§. IV. *Recidivam peccatorum passi, quam horrende puniti.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Surrexit, non est hic. Marc. 16.

XERXES *a* ille potentissimus Persarum Imperator, insignem adeo exercitum in campum eduxit, ut, Iustino teste, trecenta septuaginta millia, juxta alios quingentas myriadas, id est, quinquagies centena millia militum sub signis habuerit. Quid mirum si integra flumina epotarint?

--- credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo.

Hanc florentissimam Asiæ juventutem in potentissimo campo Abydos prope Hellespontum lustravit: b *Cumque de sublimi loco, infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum* (verba sunt Hieronymi) *flesse dicitur, quod post centum annos, nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset.* & subdit: *O si possemus in talem ascendere speculam!* Hoc unum in votis esset speculari, quam ingentem fidelium exercitum Ecclesia, hodierna die lustravit: qui omnes vergeti ac validi cælestiannona refecti, tanquam leones ignem spirantes, sub signo crucis militantes, perpetuum dixerunt Sacramentum. Formosum enimvero spectaculum, sed vel hoc ipso lachrymis deflendum, dum recogito non post 100. annos; sed post 100. menses, post 100. hebdomadas, post 100. dies, imo tres aut quatuor, ex tanto justorum numero, complures fore, etiam ex hic stantibus, qui in flagitium lapsi, denuo gustabunt mortem.

a Consen. polit. l. 10. c. 21. b Hieron. ep. ad Heliod.

§. 1.

Multi resurgunt cum Christo, sed non quemadmodum Christus.

CYprianus hoc expendens ait: c *Resurrexit Lazarus, & alii nonnulli ad imperium Christi, & aliquo tempore, beneficio vitæ usi, iterum ad funera redierunt; sed Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Complures ejuscemodi reperire est, qui semel in anno, idque circa festum Paschæ S. Synaxim frequentant, concioni interfunt: nemo quisquam in popinis, in prostibulis, in consuetis diversoriis versatur, quisquis hæc frequentare solebat, *surrexit, non est hic.* Die insequenti paululum de fervore remittit, postridie longius evagatur, mœnia obambulat, &c. 1. die est Gloria Patri, 2. & Filio, 3. & Spiritui Sancto; at ubi festa transierint, sicut erat in principio, & nunc, & semper. 1. die in familiis altissima pax. 2. si quod verbum asperius, supportantes invicem cum charitate. 3. breve litigium, levis velitatio; sed postea, iterum sicut in principio. 1. die tam spirituales, ubique colloquia & sermones de divinis; at paulo post.

c Cyp. serm. de Resurr.

ad

UVA. BHSC. BU 02224

ad perjuria, ad verba laſciva, ſicut erat in principio; non ſecus ac Hannonis aves, quæ magno molimine has paucas voces edoctæ, *a τρεὸς ἐς-ιν ἄνναν*, ubi ad ſylvas, ad ſuas ſorores rediere, non Hannonem, ſed vox ſua quemque ſonat, quæque rurſus more ac ore ſuo obſtrepebat: ita multi in Paſchate: Deus meus crucifixus eſt, IESUS Deus cordis mei: at ubi rurſus iter in antiquam ſylvam, ubi ad ſuos ſodales, aves concolores rediere, ebrius iterum: Deus meus Bacchus eſt. dives: Deus meus Plutus eſt. Iracundus: Deus meus Mars eſt. Fornicator & immundus: Dea mea Venus eſt, &c. Vox ſua quemque ſonat, hunc mendacem, hunc ſalacem; ſicut erat in principio. Hi anhelant ad Paſcha, recogitantes ollas carnium, ut ad genium & ingenium redire queant, de quibus amare melliſluus Doctor queritur: b *Amatores ſæculi anhelant ad Paſcha: ad diem reſurrectionis, ut liberius ſe dent voluptati. Pro dolor! peccandi tempus, terminus recidendi, facta eſt Reſurrectio Salvatoris; ex hoc nempe comeſſationes, &c. quaſi vero ad hæc ſurrexit Chriſtus, & non ad juſtificationem.*

1. Reg. 26. Sublatus fuit Sauli ſcyphus & lancea, & ilico pœnitentia ductus exclamat: *Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie; apparet enim quod ſtulte egerim, & ignoraverim multa nimis.* Abſtulit Deus per has 40. eſuriales ferias ſcyphum crapulæ & ebrietatis. Surripit ſæpe arma & inſtrumenta nequitiæ, quibus eum impetimus, aufert corpori robur, ejuſque vires debilitat, morbos ac alias afflictiones immittit, ut exclamare compellat cum Saule: *Peccavi*. Sed ubi ad ſe reverſi, rurſus in Dominum ſuum inſurgunt. S. Baſil. in illa verba, c *Adducite mihi pſaltem*: Ecce, inquit, ut ad ſe rediit, haſtam vibrat ut Davidem interimat, *quaſi ad mentem ſobriam ideo ſe recepiſſet, ut iterum ſæviret*. Conſimiles Poëta ſcite depingit:

d *Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem*
Immemor antiqui vulneris, arma capit.
Nil ſibi cum Pelagi dicit fore naufragus undis,
Et ducit remos, qua modo navit aqua.

Dum arca portaretur per alveum Iordanis, ſteterunt aquæ, & ſtiterunt curſum ſuum; at ubi arca tranſierat, aquæ in locum ſuum reverſæ, ſolitum curſum tenuerunt, tendentes in mare mortuum. Multi in hebdomade ceſſant aliquantiſper à curſu conſueto, quia tunc per eos tranſit arca Euchariſtica, aut imago Paſſionis Chriſti; at poſt hæc, ſicut erat in principio.

a Ælian. l. 4. variar. hiſt. b Bern. ſerm. de Reſurr. c Baſil. Orat. 15. d Ovid. de Pont l. 1. eleg. 6.

§. II.

Appoſito emblemate rem oculis ſubjicere placuit.

VIdiſtis quandoque paſſerem nidificantem in poculo: ſtrepitu excitato, aut lapide projecto, evolat, avolat, ut numquam rediturus; ſed mox

UVA. BHSC. BU 02224

ad arborem vicinam, tandem ad tectum, denique ad antiquum nidum revertitur, a *solitosque revisere nidos* gaudet. Quod Oseas cap. 9. innuit, dicens: *Ephraim sicut avis avolavit.* Ita peccator paululum avolat, sed cito revolat, potator ad poculum, scortator ad nidum suum, columba ad columbarium. Et ut Isaias ait: b *Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes.* Quin & ludus puerorum hic nobis documento sit: Avicula tenui vinculo cruculæ alligata, quandoque avolat, & quasi libera cælum petit, sed ad sibilum pueri, ad sonitum nolæ, ilico revolat, & ad solitam crucem revertitur. Hoc ludo homini illudit cacodæmon, quem laqueo peccatorum, ac pravæ consuetudinis adstrictum habet: quandoque quasi ejus jugo excusso, longius avolare sinit, in cælum conscendere videtur; at ubi tinnitus nummorum, aut poculorum clangor, aut sibilus lenocinantis pueri aut puellæ exauditur, prompte revolat, & ad miserandam reddit servitutem. c Quod spectaculum ut ludicrum sit, magno illi Cantuariensium Præsuli prope lachrymas expressit: quadam enim vice conspexit puerum cum avicula in via ludentem, quæ pedem filo annexum habens, sæpe, cum laxius ire permittebatur, fugam sibi consulere cupiens, avolare nitebatur; at puer filum manu tenens, retrahens aviculam ad se usque dejiciebat. Hoc ingens gaudium, pulchrumque spectaculum puero præstabat. Factum est hoc semel & iterum, factum frequentius. Quod pater benignus aspiciens, aviculæ condoluit, & ut rupto filo libertati redderetur præcepit: & ecce filum rumpitur, avisque avolat, puer plorat, pater exultat, & vocatis qui aderant ait: Simili consideratione jocatur diabolus cum hominibus multis modis, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit: sunt enim quidam, ut verbi gratia dicam, avaritiæ seu luxuriæ, & similium flammis succensi, & ex mala consuetudine addicti; his contingit aliquando ut sua facta considerent, fleant, seque a modo à talibus cessaturos, ore promittant, more avis se liberos avolare autumant, sed quia pravo usu irretiti ab hoc enentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, fitque hoc sæpius, nec omnimode liberantur, nisi magno conatu & gratia Dei, funis rumpatur pravæ consuetudinis. Ita David peccatorum vincula disrupit, cum gaudio exclamans: d *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Ita Augustinus vult & non vult: avolat & revolat, peccati vinculo constrictus: e *Suspirabam,* inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me,* donec tandem expeditus, *Rupisti,* inquit, *Domine vincula mea,* nec ultra se laqueis diaboli implicavit.

Id ipsum Chrysostom. exemplo

a Virg. l. 1. Georg. b Isa. c. 16. c Anselm. l. Simil. c. 189.

d Psal. 123. e Aug. l. 8. confes. c. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

plo brutorum animantium nobis inculcat: a *Avicula*, inquit, *semel capta laqueo, mox elapsa: cervus in rete decidens & effugiens, iisdem iterum difficilè capientur; nam cuique fit experientia, cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti, in eadem cadimus.* Sic ille. Quin etiam, ut refert Clemens Alexandr. l. 1. Strom. aliqui pisces reperiuntur, ut scauri, è quorum specie, si quis hamo captus, forte evaserit, eo die nullus prorsus consimilis piscis illo loco invenietur; quasi cæteri unius periculo docti delitescant. *Nos*, vero, *sæpius iisdem capti, in eadem cadimus.* Homo rationis compos, rursus in eadem peccati vincula, in easdem stygii aucupis pedicas ac retia incidit. Quibus omnibus, ait S. Petrus, b *contigit illud veri Proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* quæ utilitas utriquè? incassum fera casses fugerit, si rursus in easdem inciderit? quid prodest lepori latuisse, si se denuo prodat, & præda fiat? Sic August. c *Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, & nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.* Certe Sponsæ parum videtur, vitiosum habitum exuisse, si rursus induat. Cant. 5. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* In quæ verba S. Bernard. d *Si dixerit mihi* IESUS: *Dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? erit sine dubio recidenti quam jacenti deterius.*

a Chrysost. hom. 15. ad pop. b 2. Pet. 2. c Aug. dist. 3. de pœnit. d Bern. serm. 3. in Cant.

§. III.

Recidiva nimio plus noxia in morbis animæ, quam corporis.

SI placet id è e Medicorum placitis eruamus, apud quos compertum est, recidivam periculosissimam esse, vulnus iteratum tardius sanari, ejusdem ossis consolidati confractionem difficulter curari, atque adeo *erit sine dubio recidenti, quam jacenti deterius.* Testantur id passim SS. Patres, medici spirituales, qui hanc recidivam ad animum traduxerunt. D. Eligius Noviomensis Episc. f *Si alicui crus frangatur aut manus, cum labore solet ad pristinum revocari officium: si vero secundo aut tertio, eodem loco membra frangantur; potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt; & tamen post longos & multos labores, vix erit unquam ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis existimanda est.* g Quam doctrinam Cyrillus Alexand. illustrat ex verbis Christi, ad fœminam in adulterio deprehensam, & ab ipso Christo absolutam: *Vade & jam amplius noli peccare.* Quorsum enim hoc consilium spectabat, nisi ut deteriorem lapsum præcaveret? *Nam incassum*, inquit Cyrill. *sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vi-*

e Hic fusè Mendosa l. 1. Reg. c. 5. n. VI. XXVI. f D. Elig. hom. 15. g Cyrill. l. 5. in Ioann. cap. 17. Ioan. 8.

UVA. BHSC. BU 02224

tæ incontinentiam, qui convaluit, in priſtinum incidat morbum. Quin imo relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quam prior ille languor; & quos prima valetudo adverſa non extinxit, ſæpius iterata, poſt redditam incolumitatem, ægrotatio ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eam peractam ad præteritæ vitæ ſordes reditur: hæc enim ſecunda admodum periculoſa eſt animæ febricitatio. Dilucidè id expreſſit Chriſtus ad languidum probaticæ piſcinæ: a *Ecce*, inquit, *ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Incaſſum ſe reus marte vel arte è carcere proripuit, ſi iterum in manus incidat, niſi ut arctiori ergaſtulo concluſus, gravioribus vinculis adſtrictus, majori cautela aſſervetur, *b* uti de ſpiritu immundo Matth. refert, qui reverſus, ducit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Si ſemel è captivitate dæmonis elapſus, iterum redierit, arctius cuſtodiet, omnes occaſiones elabendi ſuccidet, pudorem ad confitendum, faſtidium ad communicandum, contemptum verbi Dei inducet, aut alio auditum avertet. Qui vero duplici ſtigmate inſignis, rurſus in manus incidit, de capite actum eſſe novit. Nos tot infames animæ notas inuſſimus, quot ſcelera perpetravimus; toties elapſi, toties relapſi, vindicem Dei manum non formidamus. Profecto vero illud onge eſt veriſſimum: *Periculis*

c *Offerre ſeſe nemo tam crebris poteſt.*

Semel, iterumque miſericordiæ locus eſt, ſed

d *Quem ſæpe tranſit cæſus, aliquando invenit.*

Sampſon ſemel, iterum, tertio, amore Dalilæ captus, eidem illuſit, ſed tandem ipſe deceptus, & vere captus, omnibus ludibrio fuit, & receſſit ab eo Dominus. Idem Pharaoni accidit.

Henricus III. Galliarum Rex volens ſecundo die nuptiarum, inter ſororem Margaretam & Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, haſtiludio iterum decertare, quia pridie plauſum & palmam retulerat, nequidquam diſſuadente uxore, dixit: e *Adhuc ſemel, & non amplius.* Veriſſime dixit, quia haſta in oculo læſus, oculus cum vita extinctus eſt. *Periculis*

Offerre ſeſe nemo tam crebris poteſt.

Quidam leonem cicuraverat, cujus ori caput ſuum ſæpe inſeruerat; at ſemel dum in magna hominum frequentia id facit, Leo caput dentibus preſſit, & præmordit. *Periculis*

Offerre ſeſe nemo tam crebris poteſt.

Dux Albanus, quemvis ex confœderatis Batavis captivum, ilico ſuſpendebat; ſemel dum plures ſimul in manus veniſſent, juſſit inter ſe ſortes mitterent, ut ex omnibus duo, ſuſpendio pœnas penderent. Inter hos Anglus felici jactu ſe omni metu liberarat; *f* quidam vero Hiſpanus, hoc periculoſæ plenum opus aleæ, nimium quan-

a Joan. 5, b Matt. 12.

c Sen. in Her. fur. d Senec ibid. e Garſias tom. 1. pag. 512. *f* I. C. Schat der geſontheyt, c. 9.

tum

UVA. BHSC. BU 02224

tum reformidabat, quare Anglum exigua pecuniæ ſumma induxit, pro ſe rurſus aleam ſubiret, fecit ſemel, iterumque pro alio, ſed dum toties periculum facit, parvo impendio ſuſpendium ſibi emit. *Periculis*

Offerre ſeſe nemo tam crebris poteſt.

Ita Deus qui toties peccatori pepercit, dum ſe ſæpius exponit, incautum interimit, & inopina morte in eum animadvertit. Pineda in cap. 22. Iob, expendens illa verba quæ Chriſtus paralytico dixit, *Iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* curioſe inveſtigat, quid ei deterius accidere potuiſſet, quam 38. annis in infirmitate jacere, & reſpondet: *Quid ei deterius contingere? quam ſubito & inopinato ſupplicio affici, cum minus expectatur, non dato triginta annorum, plurium ſpatio;* juxta illud Pſal. 54. *Doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* & dum præſumunt ut prius, de miſericordia Dei, judicem experiuntur, quem antea patrem habuerunt. Qui magis doloſi, quam qui toties in confeſſione ſe dolere aſſerunt, peccata ſe deteſtari teſtantur, mox in eadem relabuntur; ſimiles profecto Semei, de quo 3. Reg. 2. dicitur: Semei poſt peccatum ſuum impetrata à Salomone venia, habitare permiſſus eſt in Ieruſalem; hac lege tamen, ut civitate non egred eretur. Quam conditionem Semei libenter acceptavit, dicens: *Bonus ſermo: ſicut locutus eſt Dominus meus rex, ſic faciet ſervus tuus.* Sed poſt tres annos inſequitur Semei ſervos fugitivos, & civitate egreditur, & ilico coram Salomone obtruncatur. Quiſque noſtrum in S. Exomologeſi non perfidum dixit Sacramentum, addixit ſe deinceps non egreſſurum limites juſtitiæ, & mandatorum Dei, & hoc pacto veniam à Deo peccatorum impetravit. Sed heu! quam pauci vix tres expectant dies (quid annos dicam?) & mox egrediuntur præſcriptum ſibi limitem, limen amaſiæ rurſus terunt, quo juſtas trangreſſoris pœnas, ac vindicem Dei manum incurrunt. Quod ſapienter Sapiens monet, qui ſic Deum loquentem inducit: a *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: Vir bellator deficiens per inopiam: & vir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum: Deus paravit eum ad romphæam.*

a Eccli. 26.

§. IV.

Recidivam peccatorum ſæpius paſſi, quam horrende puniti ſint.

TEſtis mihi erit magnus ille Doctor Durandus Epiſcopus, *in rationali de feriis rogationum lib. 6. c. 102.* ubi refert Romanos tempore S. Gregorii M. tam ſæva peſte mulctatos fuiſſe, ut paſſim homines vel ſola ſternutatione, aut oſcitatione in plateis mortui conciderent. Ad quod malum toſlendum, ſupplicatio à S. Gregorio inſtituta, magno omnium pietatis ſenſu. Cauſam vero hujus tam communis cladis, non aliam Durandus fuiſſe affirmat, quam quod poſt peractam in Paſchate pœnitentiam, mox ad

UVA. BHSC. BU 02224

vetera flagitia, ad fornicationes, & comeſſationes conſuetas rediiſſent. Ideo *Deus paravit eos ad romphæam.*

Sed hoc parum, morte ſubitanea corporis, ejuſcemodi homines puniri; quin & æterna morte animæ digni ſunt, qui toties Deo illuſerunt; nam ut Sanchez, Dionyſ. Carth. &c. *Deus paravit eum ad romphæam*, id eſt, *ad ſupplicium æternum.* Exemplis res manifeſta erit. *a* Bonaventura in vita S. Franciſci, de Canonico quodam commemorat: Exegerat ille vitam in luxu, libidine, aliiſque ſcelerum monſtris infamem, quam ut mutaret in melius, Dei nutu ac miſeratione immiſſus eſt ei gravis morbus, velut opportunus monitor; cui acceſſit & Sanctus Franciſcus, qui ægro jacentique, pia monita ac præcepta ſalutis ingeſſit, ac dein etiam ſigno Crucis ſanitati priſtinæ reddidit, ſerio inculcans illud, ne cælum jam paratum ad vindictam, ſuis flagitiis ad nova flagella laceſſeret. Audiit ille bene ſuadentem, & aliquamdiu paruit; at deinde & ſui, & monitoris oblitus, ad priora ſcelera, vomitumque rediit. Non tulit Deus inſolentem animum, nec antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo, ſed gravi ruina oppreſſit: cum enim forte fortuna in ædibus cujuſdam Canonici cœnaret, derepente tota domus ſtructura, moleque corruente, ſolus ipſe è convivis ea ruina tactus, oppreſſus, exſtinctus atque ſepultus eſt; alios non attigit quidem univerſæ domus ſtrages, quia non attigerat culpa, nec recidiva peccatorum, quam unam petebat vindex Deus. Sed hoc obſoletum & antiquioris eſt memoriæ, alia accipe recentiora.

b Circa feſta Paſchalia Thomam Cantipratanum cum ſuo Paſtore convenit homo, unus aliquis, ut à peccatis ſolveretur; maxime vero à mollitie, qua ſeſe fœde polluere ſolitus. Thomas pro officii ſui ratione, primo difficultatem movere, dein etiam negare abſolutionem, vel ex eo tantum, quod in eadem peccata ſæpius recidiſſet: denique victus & Paſtoris & pœnitentis opportunis, importuniſque precibus, eam concedere. Qua accepta lætus ad ſuos ille rediit; ſed mox (quæ ejus miſeria fuit, ac deteſtabilis inconſtantia) in eadem crimina relabi, ipſoque, quod mireris ac lugeas, ſecundo Paſchatis feſto, iterum ſeſe eadem libidine fœdare cœpit, ac illico pœnam ſentit, tot peccatis parem: & iterum iterumque ac ſæpius ingeminans illa verba. *Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me*, infelicem animam exſpuit & dæmoni dedit, futuram in æternis flammis victimam nil miſerantis orci. Iure is ingeminare poterat, & non unus ex hic ſtantibus: c *Heu miſer! hæc tam ſæpe ſic confeſſus: Surgens, cadens ſum deſſus.* Nonne hos omnes paravit Deus ad romphæam? Conſimile in re diſſimili refert Delrio: *d* Argentorati 10. hæretici comprehenſi, per luſtratio-

a C. 12.

b Cantip. l. 2. apum c. 30. ſect. 9. c Bern. de inter. domo c. 34. *d* Diſquiſ. magic. l. 4. c. 4 4. 4. ſect. 3.

nem

UVA. BHSC. BU 02224

nem candentis ferri, hæreſeos convicti, ad incendium damnati ſunt. Dum ducerentur, Nobilis quidam uni eorum dixit: Miſer damnatus es, age vel nunc pœnitentiam, ne ex hoc igne in æternum. Fecit, converſus, hæreſim palam ejuravit, & ilico manus ambuſta ſanatur; quo miraculo liber dimiſſus ad uxorem redit, quæ ut altera Eva, virum graviſſime increpuit, quod à fide Lutherana majorum ſuorum deſciviſſet; & ecce virum ſeducit, qui ut errorem reſumpſit, protinus & manum ipſius & uxoris, cæleſtis ignis adeo ambuſſit, ut cum domi vociferari non auderent, in ſylvas profugi, tanquam lupi ululârent. Prodiiti in civitatem ducti, ſimulque in ignem nondum plane extinctum, conjecti ſunt.

Hanc ſeveriſſimam vindicis Dei manum nemo quiſquam mirabitur, qui peccatoris ingratitudinem & recidivæ graviratem attento animo expenderit: illud enim eſt Theologorum ac SS. Patrum de hoc peccato judicium, ut illud longe ominum graviſſimum, & prope irremiſſibile pronuntiare non dubitaverint. Ioannes Medina Theologus non vulgaris de pœnitent. tom. 1. quæſt. 9. recidivam tam grave peccatum eſſe aſſerit, ut ſua malitia ob ingratitudinem exæquet hoc unum, omnia peccata ante remiſſa, juxta illud Petri: a *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti.* Sententiam ſuam confirmat exemplo ſervi illius nequam, cui Dominus omne debitum dimiſerat, ubi tamen iterum peccavit in conſervum, totum debitum quod dimiſerat, rurſus exegit.

Chryſoſt. de lapſu primi hominis: *Cogita* GRAVIOREM CULPAM *eſſe poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam.* Vultis ſcire quam gravis hæc culpa ſit? ipſum Doctorem gentium audite: b *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Quod ſi impoſſibile, *audis*, inquit Bernard. c *recidere quam incidere eſſe deterius.* Id ipſum expendens vir ſanctitate ac doctrina conſpicuus, diſerte docuit: d„Sciendum quod tantum dam-„num incurrit recidivans, ut „omnes homines flerent ſan-„guineas lachrymas, inſuper„etſi omnia animalia exiſten-„tia & omnis creatura, non„tamen ſufficienter deflerent„damnum quod incurrit reci-„divans ob unum peccatum„mortale: imo non eſſet ſibi„tam damnabile, ſi centum„mille dæmonia in ſe haberet, ſi„rotari, ſi ſuſpendi, ſi comburi vel ſubmergi deberet„quoniam damna iſta omnia„finita ſunt & tranſitoria, hoc„vero infinitum. V. Canonherium Medicum de Recidiva fuſe in 2. Hippoc. aph. ſect. 12.

a 1. Pet. 2.

b Ad Hebr. 6. c Bern. ſerm. 54. in Cant. d Ioannes Heroltius ſerm. 54.

UVA. BHSC. BU 02224

Quæ cum itaſint, concludo, & illud Hieronymi ad extremum inculco: a *Egeſſiſti aceſcentes & morbidos cibos, relevaſti æſtuantem ſtomachum; quid vis rurſum ingerere, quod tibi noxium fuit? Canis reverſus ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum luti.* Egeſſiſtis per ſalutarem pœnitentiam, aceſcentes & morbidos hujus ſæculi cibos, relevaſtis æſtuantem ſtomachum à ſiliquis porcorum, quibus cum filio prodigo rabidam famem explere voluiſtis; quid rurſus eaſdem vultis ingerere, velut ſues, reverti ad volutabrum luti? quid rurſus, ô aves Ephraim, non habentes cor, redire ad pocula, ſolitoſque reviſere nidos. Hæc pro aculeo melliflui Doctoris ſententia alte inhæreat animo: *Timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amiſſa, longe plus pro recuperata*; ne te Deus paret ad romphæam.

a Hier. Ep. 10. ad Furiam.



EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXIII.

Stetit in medio. Ioan. 20.



MEDIO STANS PERFICIT
ORBEM.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Omnibus in medio standum: velut centrum in medio circuli; omni affectu sepositio, ut *non sit distantia personarum.* Deut. 1.

§. I. *Magistro standum in medio discipulorum.*
§. II. *Præses, Prætor, omnisque Iudex, resideat in medio Doctorum.*
§. III. *Prælato ac Superiori omni Ecclesiastico, semper in medio standum.*
§. IV. *Paterfam. consistat in medio domesticorum.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Stetit in medio. Ioan. 20.

IN *Medium* vobis proferam myſterium animadverſione dignum, Chriſtum *Mediatorem* noſtrum naſcentem, diſcentem, docentem, ſtantem, ſedentem, ambulantem, miniſtrantem, reſurgentem, judicantem, nuſquam, ac nunquam non, in *medio* repertum fuiſſe, ut manifeſte ſacræ paginæ teſtantur.

Naſcens inter duo animalia. Habacuc 3. *In medio duorum animalium cognoſceris*, ut 70. exponunt. 2. Lucæ 2. invenerunt eum ſedentem in *medio Doctorum*. 3. quandoque concionans aut docens turbas Ioan. c. 1. *Medius autem veſtrum ſtetit*. 4 in ultima cœna Luc. 22. ego *in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*. 5. Medius inter duos latrones Ioan. 19. *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum*. Et ut David vaticinatur, a *operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Unde merito nomen *mediatoris* ſibi vindicavit; quod & redivivus ſibi reſervavit, inter Deum & homines interpellans. 6. poſt reſurrectionem, b *ſtetit in medio diſcipulorum*. Addit Gualfridus & *medium* fore in judicio: c Amat, inquit, *medium mediator* Dei & hominum, qui in *medio* Doctorum inventus eſt, *medius* ſtetit ad baptiſmum, *medius* pependit in cruce, reſurgens quoque ſtetit in *medio* diſcipulorum, *medius* etiam ad judicium veniens' ſegregabit agnos ab hœdis.

Quo ſignificare voluit omnes in *medio* conſiſtere debere: Magiſtrum in *medio* animalium ſeu diſcipulorum, Præſidem ac judicem in *medio* Doctorum, Prælatum ac Superiorem in *medio* Sacerdotum & Subditorum, Concionatorem in *medio* auditorum, Patremfam. in *medio* domeſticorum: omnes exemplo Mediatoris noſtri, qui *medius* inter bonos & malos, inter juſtos & injuſtos; Patri ſuo omnes reconcilians, in omnibus æque uni ac alteri conſulendo, æque unum ac alterum fovendo, æque omnibus favendo, d *Rex Iupiter omnibus idem*. Sic liberis omnibus æque vicinus parens ſit, uti centrum circumferentiæ, in quo non modo urbis, ſed orbis perfectio ſita eſt; ſicut circinus *medio ſtans, perficit orbem*. Quod Iſaias teſtatur, dum ſanctæ civitati ſic applaudit: e *Exulta & lauda Sion, quia magnus in medio tui Iſrael*. Ubi S. Remigius: *Qui eſt in medio, æqualiter à circumſtantibus videtur; & quia Deus communis eſt omnibus, recte in medio poſitus dicitur*, uti circinus *medio ſtans perficit orbem*. Et quamvis Ariſtoteles aſſerat: f *In unaquaque re medium invenire difficile eſt: ut circuli medium deprehendere non cujuslibet, ſed ſcientis ſolummodo* eſt; tamen, cum à Magiſtro noſtro Chri-

a Pſal 8; b Ioan. 20. c V. Nyſſeni ſerm. Dom. 1. Paſchæ. diſc. 3.

d Virg. l. 10, Æneid. e Iſa. c 12. f L. 2. Ethic. c. 9.

ſto

UVA. BHSC. BU 02224

sto repertum, ac demonstratum sit, non difficile erit illud vobis huc in medium proferre, ac primum quidem ut ab elementis primis ordiamur.

§. 1.

Magistro standum est in medio discipulorum.

AVt potius in medio animalium, Iob 21. *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum*, unde Serlogus noster exponens illud Cant. 1. *Pasce hœdos circa tabernacula Pastorum*, non incongrue per hœdos petulcos, petulantem illam rudemque puerorum ætatem intelligit, quæ juxta tabernacula Pastorum, hoc est, excellentiam Magistrorum pascenda, ut Beda confirmat, qui per hœdos, petulantes auditores intelligit. Vnde recte præceptores parvulorum, a *oviam pecorisque Magistri* appellari possunt, ut fuse Serlogus. Quin & August. de bardis ac stupidis dixit: b *Numquid non bos vel asinus, numquid vel equus vel mulus, quibus non est intellectus?*

Tamen in medio animalium cognosceris; num plus tribuat uni quam alteri, pauperibus ac tenuioribus neglectis, formosulos, decore quasi ex ovo prodierint vestitos, divites, nobiles in oculis gerat, seorsim eos excolat, audiat, audiatur. Impune quidvis audeant, & inter hos adhuc unus aut alter c *gallinæ filius albæ*. Alii vilioris conditionis, d *pulli nati infelicibus ovis*; cum tamen jure naturæ, egentiori plus subsidii & auxilii, plus opis ac operæ debeatur: nam ut nobiles ac divites in ludo hoc literario in turba lateant, facile suis fortunis emergent; secus ac pauperes, quibus eruditio, sacra anchora est, ex qua omnis spes, & res eorum dependet. Quare non levis peccati magister reus damnaretur, qui altiora subsellia & primas palmas in ditiores immeritos effunderet, pauperioribus emeritis denegaret; imo suffuratur, cum præmia sint publicum doctrinæ testimonium, ex quo & Magnatum gratia, & eorum promotio, lauta beneficia ac stipendia non raro dependeant: quique ad altiores disciplinas, quandoque ad insulas nati erant, dum se negligi vident, se & animum prorsus abjiciunt. Quid quod experientia magistra compertum sit, sæpe sub sordido palliolo latere excellens ingenium, judicium acre, ac indolem præclaram; contra vero Narcissos comptos, crispos lacteos, delicias parentum; stupidos, obtusos, fungos, imo & perversos, ac intractabiles esse. In putri vagina sæpe chalybæus ensis reconditur, & contra ferrugineus ac plumbeus in gemmea, ut recte Seneca: e *Gladius bonus, non cui deauratus est baltheus, aut vagina gemmis distincta, sed cui ad secandum acies subtilis.* In eum igitur intueatur Magistrum, qui hodie *stetit in medio discipulorum*, de quo Sap. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Non quod omnibus idem ac æquale onus imponendū, sed pro

a Virg. Ecl 1. Serlogus tom. 2. vest. mor. 49. sect. 4. b Aug. serm. 38, ad fratres in Erem. c Iuven. 13. d Iuven. ibid. e Sen. ep. 76

UVA. BHSC. BU 02224

capacitate cujuſque, quemque curet: quod Beatus *a* Franciſcus Borgia prudenter notaſſe fertur; non una omnes regula metiendos eſſe, ſed milites imitando, qui pro fiſtulæ captu, machinam bellicam onerant; ita Magiſtri ingenia diſcipulorum pro capacitate occupent. Denique, hanc æqualitatem in omnibus Societas univerſa, ac auctor noſter Ignatius in ſuis Scholaſticis ſtudioſe requirit. Hinc Regula 47. Magiſtrorum: *Familiarem non ſe uni magis quam alteri oſtendat.* Et 50. *Contemnat neminem, pauperum ſtudiis æque ac divitum bene proſpiciat, profectumque uniuſcujuſque, e ſuis Scholaſticis ſpeciatim procuret.* Hinc de ratione præmiandorum ſeveriſſimæ leges, ac vigilantia ſumma Superiorum, ne qua fraus aut favor irrepat; ut illud verbum *faveo, favor, fautor*, uti non ſine numine divum, nuſquam in ſacris Litteris reperitur, ita & inter noſtros oblitteretur, & juxta Apoſtol. non nominetur in nobis.

a Ribad. in Vit.

§. II.

Præſes, Prætor, omniſque Iudex, reſideat in medio Doctorum.

NOn reſpiciat [c]perſonam hominum; eadem ulna, & ſericum & pannum, eodem modio, & triticum & panicum metiatur, æqua juſtitiæ lance omnia expendat, quæ nunquam niſi *in medio* ſeu æquilibrio conquieſcat. Virtutem hanc extollit Arnobius: b *Magnarum eſt mentium*, inquit, *pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis benevolentias exhibere.* Illa Reſp. inconcuſſa, ubi hæc æquitas viret ac viget, teſte Propheta: c *Deus in medio ejus, non commovebitur.* ubi acute more ſuo Auguſt. *Quid eſt ergo, Deus in medio ejus? Hoc ſignificat*, inquit, *quod æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipiat.* Quod appoſita ſimilitudine illuſtrat: *Quomodo enim illud quod* IN MEDIO *eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines, ita Deus dicitur æqualiter omnibus conſulens*, ut Mathematici docent, lineas ductas à puncto ad circumferentiam, eſſe æquales: Ita Chriſtus ubique, & utrobique *in medio*, Verbis, factis, doctrina, miraculis, æque omnes reſpiciebat, inopes æque ac locupletes, doctos ac indoctos, infirmos ac validos, juſtos ac injuſtos, ipſis Iudæis teſtantibus: d *Non accipis perſonam hominis.* In quæ verba *e* Bernardus illud Pſalmiſtæ adducit: *Suſcepimus miſericordiam tuam* IN MEDIO *templi.* Et ait: IN MEDIO *templi miſericordia eſt, non in angulo*, (uti liguum vitæ *in medio* paradiſi) *aut in diverſorio; quia non eſt acceptio perſonarum apud Dominum. In communi poſita eſt: offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit.* Iudices conſimiles eſſe debent ſtatuis Sanctorum, quæ in medio templi ſolemniter collocatæ, omnem ſplendorem & exiſtimationem ducunt ex eo, quod turbæ languentium, pauperum ac infirmorum eos ſtipent, quod ſemicinctia, fulcra, & alia anathemata ex iis dependeant. Ita Conſiliariis ac

c Pſal. 45. d Luc. 20 e Serm. 1. de Purif. Pſal. 47.

Conſu-

UVA. BHSC. BU 02224

Consulibus gratulandum, si ædes ipsorum pauperes ac languentes obsideant, & eorum januæ portis urbium consimiles sint, quæ æque paganos ac urbanos, æque currus fœno onustos, ac quadrigas admittunt, hi digni sunt quibus ut statuis Sanctorum, in medio templi luminaria accendantur. *a* Quod olim factum reperio, Theodoricum Regem Rom. adibat Iuvenalis vidua, querens litem suam in plures annos produci, quæ paucis diebus dirimi posset. Rex patronos causæ ad se vocat, eis commendat propediem hujus viduæ negotium expediant. Dictum, factum: die insequenti ex voto viduæ litem diremerunt, illique causa adjudicata est. Quo facto, eos ad se accersit Theodoricus: qui rati se pro munere à Rege vocari, rogantur quid tam cito causam viduæ expedivissent? Respondent Regis commendatione id factum. Tum Rex: Et quando vobis id muneris contuli, an non omnium negotia, & potissimum viduarum ac pupillorum commendavi? ac è vestigio utrique caput amputari jussit. quod adeo obstupuit Iuvenalis, ut *in medio templi*, Regi precanti velut Deo aut divo, cereum accenderit.

Scire vultis, ô Iudices, Legisperiti, Advocati, Medici, Consiliarii, Prætores, Præsides; scire vultis an in medio consistatis? expendite, an omnes lineæ, quas ducitis, sint æquales: an lites pauperis non longius producantur, quam divitis. Quod cautum videtur fuisse Israëlitis, Deuter. 1. *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis personam cujusque, quia judicium Domini est.* Nulla erit distantia, sed omnes lineæ æquales. Fateor magnam esse Iudicum auctoritatem, magnam Primatum potentiam & prope divinam: quia, ut Vicarii Dei, *judicium Domini* exercent; sed meminerint quod Propheta monet, & comminatur: *b* IN MEDIO *autem Deos dijudicat*, id est, ipsos Iudices, & justitias judicabit. In Galliis moris est, ut crucifixus in medio Curiæ judicialis statuatur, qui eos dijudicet, an non adjudicent causam uni, à quo munera aut munia præstolantur. Non me, sed virum magnum & expertum audite. *c* Quanta exurgunt,, Iudicum commenta! quam in-,, genioſus amor & avaritia est!,, hic affinitate aut sanguine,, junctus, ille veteri aut nova,, amicitia, ille magnis sponsio-,, nibus, magis etiam si donis;,, illi sæcularibus aut Ecclesia-,, sticis dignitatibus fulgent,,, quorum manibus purpura fi-,, lio, aut maritus filiæ sperari,, possunt; ille magnorum suffultus litteris venit armatus, imo,, cataphractus. Quid quod mu-,, liebres non dico formæ, sed,, accendant preces, & doctæ,, mentiri lachrymæ, docte fal-,, lere, etiam conjugis noctur-,, næ, validiusque nocturni fa-,, vonii maritalia carbasa, om-,, ni Euro Notoque impellunt.,, Etiam ab ancilla & filia itur,, in dominam & matrem, inde,, in maritum, & quod gravius,, est conjugi non paruisse, non,,

a Causin Court S. liv. 3. de la Iustice.

b Psal. 81. *c* Scribanius Polit. c. 9.

amasse

UVA. BHSC. BU 02224

amasse est. Aliam judicandi normam Iudex noster præscribit. Ioan. 5. *Ego sicut audio, sic judico*, secundum allegata & probata. quæ sic exponit Bern. a *Non sicut odi, non sicut amo, non sicut timeo, sed sicut audio sic judico.* Ille mihi injuriam intulit, jam talionis pœna solvet, *non sicut odi.* Hic me promovit, hic meus gener aut socer est, *non sicut amo.* Eccl. 37 *Noli consiliari cum socero, & à zelantibus te absconde.* Hic mihi multum obesse potest. *Non sicut timeo*, Aurea est sententia Caroli V. Imp. Quemadmodum sol *in medio* astrorum consistens, tam egenis quam divitibus, æquali modo ac mensura lumen dispensat, sic Principum ac Iudicum est, sine ullo personarum respectu, subditorum causas examinare, & æquali justitiæ lance appendere. Confirmat Arnob. l. 6. contra Gentes: *Magnarum est mentium pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis exhibere benevolentias*; non uni propinquo aut affini ambas aures præbere, sed & alteram parti reservare.

Vernacula vox *oordeelen*, sic dicta, quasi *ooren deelen*, prout rationes utrimque auditæ evincunt, non ut uni auri amicus insusurrat, sed omni affectu seposito. Laudandus in hoc vere magnus Alexander, à quo dum Olympia mater necem innocentis extorquere vellet, idque per labores novem mensium, ac partus dolores obsecraret; Aliam, inquit, mater mercedem pete, hominis salus nullo pretio compensatur. Eodem spectat quod Crantzius narrat: Dum Canutus, Vandalorum Imperator deprehensos in Merica latrones, capite damnasset, unus reorum è turba exclamat, esse se de cognatione Canuti; jure sanguinis se impunitatem & vitam deposcere. Quo audito Rex: Cognato, inquit, nostro, ut honorarior sit, sublimiorem crucem parate. *Non sicut amo, sic judico.*

Exstat illud magni Alphonsi Aragoniæ Regis dictum: Si vixisset tempore Romanorum, se erecturum fuisse templum Iovi positorio, in quo priusquam in Senatum patres Conscripti venirent, odium, amorem, ac privatos affectus deponerent. Quod ratum habuit florentissima Respub. Veneta, ubi laudabilis ille mos inolevit, ut priusquam Senatores Curiæ pedem inferant, ad Sancti Marci templum se conferant, ubi privatas inimicitias & simultates, si quas conceperint, deponant, ne, sicut ament, aut oderint, judicent. Quod si hic observarent, continuo pauperum querimoniæ, Iudicum vitia, ac populi convicia cessarent. *b* Refert Fornerus Episcopus Hebronensis, de cive quodam Romano, qui dum sententia Iulii Cæsaris, iracundia commoti, præfervide damnatus esset, libere exclamavit: *Appello.* Quo? inquiebat Cæsar: an ignoras me esse supremum Imperii caput? *Appello*, inquit, *à Cæsare irato, ad Cæsarem placatum.* O quoties hic appellandum esset à Iudice irato, ad Iudicem placatum: à Iudice perturbato, ad Iudicem sedatum! à Iudice corrupto, ad incorruptum! Est

a Bern. de grad. humil.

b Conc. 44. in Miserere.

Advo-

UVA. BHSC. BU 02224

Advocatus qui habuit rixas cum uxore, cum filiis, petit rusticus acceſſum ut de cauſa ſua quid reſciat: non vacat. Quot diras in hoc caput, longum iter remetiens? Fecit judex jacturam bonorum, mali rumores allati ſunt. Ludimagiſtro quidpiam non ex voto ſucceſſit: hoc in pueros, in clientes redundat. Cæſar à cive edoctus, innocenti vitam dare, poſteris apud Saluſtium hoc monumentum reliquit: *Qui de rebus conſultant dubiis, ab odio, amicitia, ira, miſericordia oportere eſſe vacuos.* Amici & hoſtis perſona exuenda eſt, dum Iudicis aſſumitur; cum Iunio Bruto, Caſſio, M. Scauro, A. Fulvio; patris etiam & filii. In quo illuſtre & illud Zeleuci Regis Locrenſium, qui legem ſanciverat, ut adulteris oculi eruerentur, dum ecce filius amore cæco in legem impingit. Quid hic agat Rex? ne à medio diſcedat, unum oculum filio, alterum ſibi erui voluit, inter juſtitiam & pietatem medius conſiſtens. Quam multi hic Iudices affectu in unam partem inflecterent, quas non rationes ac probabilitates excogitarent, qui experientia teſte veriſſimum illud Anacharſis comprobant: *Leges aranearum telis ſimillimas eſſe, quæ muſcas detinent, ſed majores aves tranſmittant!* Parvuli fures ac latrunculi luunt ſupplicia majorum.

a *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.*

Sed ut exteros fileam, hoc quaſi domeſticum eſt: Ioſeramnus Liderici primogenitus, præcla-

a Horat. l. 1. Ep. 2. Buzelinus in Annal. Gland. ann. 955. p. 67.

ra indole juvenis, forte cum ſociis propter arcis pontem Inſulis ludebat, dum à muliere tranſeunte, omnes fructus, quos in calatho venales habebat, emit, jubens hanc exſpectare, donec ex arce nummos adferret; interea fructus in ſuos diſpartiti, reliquos ad matris pediſſequas in aulam detulit: inde ad colloquia, ad jocos delapſus, pecuniæ & mulieris oblitus fuit. Hæret mulier pecuniam exſpectans, qua famem ſuam ac liberorum in ſumma rerum egeſtate. quæ tunc graſſabatur, ſolerur. Exſpectat in ſerum veſperum; dum nemo ex arce prodit, illuſum ſibi rata, domum divertit, & utrumque filiolum inedia extinctum reperit. Quod ut parens reſcivit, Tornacum ſe contulit, ubi Ioſeramini cauſam tacito nomine Senatoribus exponit, qui juvenem capitis damnarunt. Neque cunctatus eſt Lidericus, ſed ſingulari juſtitiæ exemplo, filium Inſulis capite truncari juſſit. *Non ſicut amo, ſic judico.*

Si uſquam, hic certe caſum pro amico Iudices reperiſſent; hic auctores adduci poterant, qui factum extenuarent, reum abſolverent, cum ejuſmodi jam plura probabilia jactentur, nulla ſit fœditas, quæ non habeat patronum, maxime ubi affectus interpres accidit. Plutarchus in hoc reprehendit Themiſtoclem, quod cuipiam aſſerenti optime illum præfuturum Reipublicæ, ſi ſe omnibus æqualem præberet, Reſponderit: Abſit ut ego tali inſideam ſolio, unde non plus ad amicos, quam ad exteros proveniat. Hinc ubi ad clavum Reip. ſedit, quia

UVA. BHSC. BU 02224

quia affectu, non ratione agebatur, has indignas viro & Iudice voces emisit: *Meam uxorem puer meus regit, uxor regit me, ego Athenas: ergo puer regit Athenas.*

a *Egregiam vero laudem, & spolia amplà tulisti,*
Tuque puerque tuus.

Et ô præclaram Remp. ubi Rex puer est, ubi fœmina judicat.

a Virg. lib. 4. Æneid.

§. III.

Quod in foro civili, idem in Ecclesiastico locum habet.

QVod Consulibus ac urbis Prætoribus, hoc Concionatoribus & diviniVerbi præconibus religiosum esse debet, *ut in medio* consistant, nec respiciant personam hominum. Auditores nobiles, literatos, divites sectando; ad forenses, plebeios, moniales imparati accedant, ut quidam qui bis de die dicturus, Illis, inquit, nempe monialibus, furfures dedi, vobis Anditores puram similaginem reservavi. Christus in pagis, in urbibus (*medius autem vestrum stetit*) ubique gentium æque ferventer exhortatus est. Quid est, quod plerosque Concionatores facit chartis impalescere? quid illis animos addit? quid ad studia impellit, nisi frequens ac florens auditorium. b *Excitat auditor studium*, non zelus, non pretium, quod in omnibus æquale est, animarum. Ad rudes, ad rusticos quidlibet effutiunt, infra & supra captum, has viles animas dicunt & ducunt. Ita etiam languent in urbibus si pauciores, si semen in petram, si c *rari nantes in gurgite vasto.* At ubi *aquæ multæ, populi multi*, tunc secundo flumine & flamine natant; quasi unam animam lucrari, non esset operæ & eloquentiæ pretium. Cicero *de claris Orator* refert de Antimacho celebri Poëta, quem dum recitantem omnes auditores desererent præter unum Platonem; Legam, inquit; Plato enim mihi unus instar est omnium. Sic Democritus ait: d *Vnus mihi pro populo est. Bene & ille quisquis fuit; cum quæreretur ab illo, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ? Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est unus.* e Alter ubi Scotum præsentem vidit, animose peroravit, exclamans: Auditorium habemus. Ita dum una anima adest, ut Ioan. 4. Christus ad Samaritanam, & medium se dedit inter duos Discipulos in Emmaus, juxta illud: f *Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum*, IN MEDIO *eorum.* Sed ut ad rem. Alterum est, nulli parcant, nulli adulentur, nullum vereantur, aut revereantur à scelere, celebri doctrina, sed cum grano salis, deterrere. Christus Luc. 4. concionabatur ad confertam multitudinem è navicula: *Sedens docebat de navicula turbas.* Nostis cur hac cathedra usus sit, cur non in littore, in campo steterit? Apposite Chrysost. g *Volens diligenter congregare spectaculum, ut nemo remaneret post tergum; sed omnes facie ad faciem cerneret, ascendit in navim*, ut concionatores instrueret, in-

b Ovid. l. 4. de Pont. Eleg. 2.

c Virg. l. 1. Æneid. d Senec. e. 7. e Annal. Min. f Matth. 18. g Chrysost. apud Thom. in Caten.

quit

UVA. BHSC. BU 02224

quit *a* Nyſſenus, dum ad varios variæ conditionis homines dicunt, omnibus eandem faciem exhibere, & libere quemque reprehendere, Moyſes, Deuteron. cap. 32. eoſdem illos inſtruit, dicens: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Pluvia palatia juxta ac mapalia irrigat, pluit ſuper juſtos & injuſtos: omnibus fontes ac flumina patent. Hieron. in illud Apoſt. ad Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes.* *Fons*, inquit, *bonitatis omnibus patet, ſervus & liber, plebeius & Rex, dives & pauper, ex eo ſimiliter bibunt. Lucerna cum accenſa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter.* Quin & aliam ſimilitudinem Oleaſter eruit ex illo Deuteronomii: b *Concreſcat ut pluvia doctrina mea.* In Hebræo inquit haberi *pilum* pro *pluvia*, & *ſicut pili ſuper herbam.* Quæ verſio liquide in concionatorem cadit; ſolent enim, ut Nyſſenus obſervat, ex pilis aſperſoria fieri, quibus in Eccleſia populus benedicta aſpergitur. Noſtis autem tam divites quam pauperes, tam cives quam magnates, eodem aſperſorio luſtrari. Et ut ad fontem revertamur, Cant. 5. Sponſa dilectum ſuum fonti comparat: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Guilielmus Cardin. quærit cur dicatur *quæ fluunt impetu?* idque ſignificare aſſerit, *ſine perſonarum acceptione aut delectu.* Torrens ex alto defluens, & ſaxa, & herbas, & colles, & ſepes, omnia ſternit & æquat. Hæc Concionatoribus ac Confeſſariis apta. Nunc è publico nos intus in domum recipiamus, ac primo in ſacras ædes pedem inferamus. Vnde in Religioſis familiis quandoque æmulationes, odia, ſimultates, partes, & ſtudia diverſa? niſi quia *Superior aut Prælatus non conſiſtit* in medio, non æqualiter omnia diſpenſat, exemplo Chriſti, de quo Luc. 22. *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat:* quod uni affectu propinquior plus indulgeat, quam alteri. *c* De quo vir gravis, & auctor egregius, ſevere ſuperiores commonet: Cavendum ne uni familiarior, ſit quam alteri: cum privatæ, hæ neceſſitudines, reliquorum, à Superiore animos avertant, murmurationibus cauſam præbeant, ſuſpicionibus dolum repleant, diffidentiam, ingenerent, diſciplinam in familiaribus hiſce laxent. Fit, enim ut omnia amico concedenda ſint, ne alienis arcana, cum Superioris rubore prodat. D. Bonavent. d *Licet meliores in affectu præferendi ſint minoribus, in actu tamen exhibitionis exterioris, taliter ſe gerat ad omnes, ut nullus ſe ab eo contemni, propter alios ſuſpicetur.* Habuit quidem Servator noſter diſcipulum ſibi dilectum Ioannem; Lazarum, Martham, Mariam prædilexit. S. Petrus unice amavit. S. Marcum & S. Petronillam ſpiritualem ejus filiam, ut ait Baron. S. Paulus Timotheum & Theclam, S. Gregor. Naz. Baſilium, ut dicat unam animam

a Iac. Nyſſen. ſerm. Dom. 22 poſt Pent.
b Dom. 22. poſt Pent.
c Scriban. ſuperior. relig. l 2. c. 2. d De ſex alis cap. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

[a]animam esse in duobus corporibus. Ambrosius Monicam, Chrysostomus Olympiadem, Hieronymus Paulam, ut fuse *a* Franciscus de Sales, qui & suas charissimas filias habuit, sed hi omnes affectum ita temperabant, ut alii non viderentur contemni. Christus ita dilexit Ioannem, ut discipuli inter se ambigerent quis eorum esset major, & Christo carior. Vt enim Ioannem singulariter dilexerit, ubi munera & dignitates conferendæ erant, Petrum qui se negarat, præfecit. Hieron. b *Magister bonus qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, si in adolescentem contulisset, quem dilexerat, causam præberi videretur invidiæ.*

Quin & superior omnibus æqualiter prospicere debet, exemplo magni illius patris-familias; qui cum sublevasset oculos, multitudinem contemplatus, dixit ad Philippum: c *Vnde ememus panes ut manducent hi?* Hi, non hi divites, hi nobiles, hi amici, sed hi omnes. Vtinam hæc virtus ad quosdam ævi nostri Prælatos dimanasset! non fieret quod Paulus queritur: *Alius quidem esurit, alius ebrius est*: alius favoribus & muneribus cumulatus, alius abjectus & invisus. Danielis 1. prudenter Oeconomus: *Timeo ego Dominum meum Regem, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum Regi.*

O quam timendum Prælatis, cælestis Regis Oeconomis, ne dum hos laute & caute, illos parce & paucis alunt, aliquod discrimen in subditorum vultu appareat: quare severe plectendi ab eo Rege, qui omnibus æqualiter vult prospici, & æqualiter in omnes animadverti. Optime Rex Ninive suo regno prospexit, auferens omnes fortunarum inæqualitates, Ionæ 3. *operiantur saccis homines.* nullum eximit aulicorum aut amicorum, nullum in vultibus discrimen apparere vult. D. Ephrem: *Vnus erat aspectus omnium, & unus amictus, unus divitibus & pauperibus erat cibus, unus ex æquo erat potus dominis & servis*; non ut apud quosdam accidisse fertur, quibus dum prælegeretur: Omnes feria 4. & Sabbatho facient disciplinam, exceptis Patribus ac Magistris nostris. Omnes feria 6. jejunabunt, exceptis Patribus ac Magistris nostris, omnes, &c. subjecit alter: Et omnes intrabunt cælum, exceptis Patribus ac Magistris nostris. Stet ergo superior in medio suorum subditorum omnes æqualiter complectendo, ægros ac hospites æqualiter fovendo, nulli singulariter favendo aut indulgendo, nullum habeat sibi præ cæteris charum ac familiarem; d *Vbi enim* (ut Scribanius scribit) *plus longe uni quam reliquis tribui domestici senserint, armantur concordibus studiis, in unum omnes.* Nec hæc in Religionibus dumtaxat, sed & in regnis videre est, familiares regnis ac Regibus, sibique exitio fuisse. Quod malum gravi oratione deplorat Salvianus: e *Vt pauci illustrantur, mundus avertitur: unius honor, orbis excidium est*; hanc enim rem, cum invidia ac odio

a Praxi. spirit. part. 3. c. 19. b L. 1. contra Iovin. c Ioan. 6.

d Polit. Christ. l. 1. cap. 19. e Lib 4. de Provid.

omnium

UVA. BHSC. BU 02224

omnium conjunctam esse, quis ambigat? cum multis auferatur, quod uni tribuitur, ut Plutarchus ait, quid quod non per se, sed per suos omnia agere videatur? *Nimirum quod in tragœdia fere usu venire solet histrionibus* (verba sunt Plutarchi) *ut qui nuncii personam gerunt vel ministri, pluris fiant, & primas partes agant: illius vero qui Diadema fert & Sceptrum, ne vox audiatur ulla loquentis: idem accidit ejuscemodi Regibus aut Principibus; Majestas quidem Imperii hærere apud Ministrum solet, Regi aut Principi urbium potentia nomen relinquitur.* Quod manifeste Regum potentiam infringit, & impotentiam arguit: nec regnum ullum diuturnum erit, *neque Princeps nimia unius aucta potentia tutus vivet*, auctore Dione. Quid Seianus non debuit Tiberio? quid vero non contra eum molitus est? Agesilaus Lysandrum ad regnum Spartanum evexerat, eoque familiarissime utebatur, & *omnibus aliis præferebat.* [a] quod cum Asiatici animadverterent, omnes certatim ad eum spreto Rege confluxere, quod Lysandro ruinæ rimam aperint.

Sed ut ad nostra veniamus, qui non cavilli, qui non pasquilli in Hispania quod præ cæteris unus Dux Lermensis ita Regis animum occupasset, ut Regem regere diceretur. Hos qui volet, ejusque facilem exitum videat apud Petrum Math. l. 2. narr. 2. Pic. decade 15. c. 9.

De Ancræo, aliusque sexcentis eadem tragœdia est. Recte igitur dictum à magno Philosopho, ut Scribanius ait: *Communis custodia principatus, neminem unum magnum facere, nemini uni plus favere.* Et hæc custodia Prælatorum est.

[a] Plut. in Lysan.

§. IV.

Denique: *Paterfam. in medio domesticorum.*

VTi regius ille paterfamilias: [b] *Perambulabam in innocentia cordis mei*, IN MEDIO *domus meæ.* Vbi Titelmannus: *In medio oportet ambulare, ut æque propinquus, æque expositus sit omnibus, ut ex æquo omnibus personarum acceptione invigilet:* unum non arctius complectatur quam alterum; unum non pretiosius induat, lautius, liberius, liberalius habeat quam alterum: sed in medio, sicut manus aut index in medio horologii, qui æqualiter omnes horas signat, omnibus æque vicinus, æque diu aspicit. Sic erit pax & tranquillitas in familia, concordia fratrum & sororum. Ejusmodi familiam Propheta designat, dicens: [c] *Filii tui sicut novellæ olivarum* IN CIRCUITU *mensæ tuæ.* Si filii in circuitu, si ipsi circumferentia, parens centrum ac medium sit, quid mirum si novellis olivarum, quæ Pacis symbola sunt, conferantur? filii stent in circuitu, unus non propinquior patri quam alter; unus non sedeat, altero stante. Talis erat familia Iob adhuc florens: [d] *Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei, qui,* ut Nicetas ait, *in illum tanquam* IN CENTRUM *oculorum animique aciem habent.* Vnde in familia Iacob dissidium? unde inter fratres discordia? unde

[b] Ps. 100. [c] Ps. 127. [d] Iob. 29.

in

UVA. BHSC. BU 02224

in privatis ædibus vulgare illud:

---a *Fratrum quoque gratia rara?* Causam nostis? Gen. 37. *Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios.* 12. fratres, 12. horas exprimebant, sed Iacob index & judex, non omnes æqualiter aspexit & obumbravit. *Fecitque ei tunicam polymitam;* & quid sequitur? *Videntes autem fratres ejus, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Imo & in necem conspirarunt, ac tunicam sanguinolentam patri remiserunt. Vbi Ambros. expendit, quam pater favore suo, filio obfuerit: *Plus,* inquit, *acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur; hæc ditior hæreditas filiorum, jungat liberos* ÆQUALIS *gratia, quos junxit* ÆQUALIS *natura.*

Quî fit ut fratres ac sorores oderint invicem? nihil pacifice loquantur? quia uni vestis polymita, filia una ornatior, hæc inaures, hæc cymelia accipit, hæc more modoque novo, & mater non b *habitare facit unius moris in domo*, sed moris modique diversi. Hic filius assidet patri, cum illo cœnat, impune peccat; alter assiduo in oculos incurrit. Hic luscus aut strabo, monasterio destinatur, cum morbidi ac defectuosi, plus externi affectus ac solicitudinis jure suo deposcant. Quare hoc Tostati parentibus impressum velim: c *Pater, vel Dominus, vel Prælatus, qui è domo sua invidiam propulsare desiderat, etiamsi aliquem specialius & obnixius diligat, nulli tamen specialis amoris demonstret insignia.* Quo fiet quod Sapiens asserit: d *In medio domesticorum in illo gloriabitur.*

a Ovid. lib. 1. Metam.

b Ps. 67. c Tost. in c. 37. Gen. d Eccli. 30.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXIV.

Illas oportet me adducere. Ioan. 10.



ICTVS AMORIS. *Lucret. l. 5.*

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Per adversa ad Deum compellimur, quemadmodum ovis errabunda per glebam à Pastore revocatur.

§. I. *Paupertas ad Deum confugere cogit.*

§. II. *Deus per bella & temporum angustias, homines ad se redire compellit.*

§. III. *Idem præstat per infamiam, juxta illud:* Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. *Psal.* 82.

§. IV. *Morbos & mortem quasi larvis immittit, ut ad sinum suum homo confugiat.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Illas oportet me adducere. Ioan. 10.

VERISSIME Isaias c. 53. *Omnes nos quasi oves erravimus*, longe à Pastore, longe à beatis illis pascuis, ubi pascit & cubat in meridie, Quid agat ut errantes reducat, ut revocet, ut compellat ad se? Immittit tribulationes, tempestates, pauperiem, bella, terræmotus, confusionem, morbos & mortem quasi ferales larvas, ut percussi, ut territi ad pastorem animarum nostrarum recurramus. Quod diserte docet summus ille Pastor Ecclesiæ Gregor. in illa verba, COMPELLE INTRARE: *Mala*, inquit, *quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.*

Isa. 43. *Dicam Aquiloni: Affer mihi filios tuos de longinquo.* Quî fieri potest ut Aquilo dissipans nubes, filios afferat? nonne manifestum est, a *Ab Aquilone pandetur omne malum?* & tamen Sponsa illum præ Zephyro invocat, & invitat: b *Surge Aquilo, veni Auster.* Vt quid turbines optat? & *fluent aromata virtutum*, ait Beda. Fluent pluviæ lachrymarum, prævaricatores redibunt ad cor, redibunt ad pastorem, qui ex longinquo, fient vicini per tribulationes, per tempestates. Longius profugerat & aberrarat Ionas, & ecce Dei ministri venti, mare, cælum, cete, nautæ expediti, ut fugitivum reducant: venter ille ceti videbatur ruina, inquit Hieron. & factus est carina, quæ fugitivum reduxit, & dixit; c *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum: de ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam.* juxta illud Psal. d *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* Votum fecerat visendi templum Hierosol. e *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Vetus illud dictum est: Qui non novit orare, vadat ad mare, illic discet, si quis turbo exoritur, cælum precibus fatigare. Divos omnes invocare, vota nuncupare, ad Deum confugere. f Hoc dilucide testantur lampades ante aras Divorum; hoc cereus ille instar turris Parisiensis Deiparæ accensus; hoc anathemata aurea, argentea è tholo suspensa, perpetua monumenta eorum qui ad Deum & Divos recurrerunt. Matth. 14. præsidenter Petrus: *Domine si tu es, jube me venire ad te.* Sed nunquid placido ac pacato mari ad Christum properavit! *Videns ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine salvum me fac.* Ambros. serm. 2. de SS. *S. Petrus*, ait, *dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis quod non nisi per pericula properatur ad Christum.*

Aptam similitudinem inducit Plutarchus: Themistocles, inquit, cum ab Athenienssibus vituperaretur, quos sæpius beneficiis, iisque ingentibus cumularat,

a Ierem. 1. b Cant. 4. c Ion. 2. d Psal. 80. e Ionæ 2. f Spondanus an. Christi 1357. fol. 753.

UVA. BHSC. BU 02224

larat, tranquillo animo gloriabatur se platanis esse persimilem, ad quas tempestate ingruente confugiunt, sed adveniente serenitate, illas præter-euntes vellicant atque discerpunt. Deus ab iis gravissime vapulat, in quos plurima beneficia contulit, donec tempestas adversitatis ingruat, quæ ad Deum confugere, sub umbra crucis requiescere suadeat. Hinc S. Bern. a *Feriendo clamat ut ad se redeam, ne mihi accidat quod* Is. c. 2. ait: *Percussi reversi non sunt ad se percutientem.*

a Bern. de modo bene vivendi. serm. 43.

§. 1.

Paupertas ad Deum confugere cogit.

SVnt qui utuntur Deo pro sago, seu pallio itinerario, quod dum serenum est, in angulo abjectum, contemptum; at dum proficiscendum, contra pluviam & injurias aëris, ad illud recurritur. Dum nudi, dum omnibus bonis exuti, ad illud pallium confugimus. Luc. 15. Filius prodigus longius aberrarat à patria, profectus in regionem longinquam; ubi nudus & inops, omnibus spoliatus, recogitare cœpit pinguia pascua. Est filius dyscolus, libertinus, excutiens jugum patris, dicit: Non serviam; & aufugit. Quid agat bonus Pater & Pastor? scribit amicis ne excipiant hospitio, repellant, severe corripiant ut ad se redeat: sic viam obsidet spinis, ut domum recurrat. ubi Gregor. *& tormenta misericordiæ! cruciat & amat.* Percutit ut ad se pelliceat. b Lon-

b S. Anton. part. 2. de S. Bern. sect. 3.

gius ab egregio illo grege in Clara-valle, & à Pastore suo mellifluo aberrarat Ribaldus, quem cum nulla ratione, nec oratione B. Abbas in arrepto proposito confirmare posset, abeunti cum pauper & inops esset, in viaticum summam 20. solidorum mutuavit, hac lege ut hanc cum censu annuo penderet. Spopondit Ribaldus, lætusque abiit. Cum ecce in primo diversorio, omnem pecuniam ludo deperdidit; quare plorans ad Bernardum rediit (qui hoc divino instinctu fecerat ut ad se rediret) necessitate compulsus per veterem necessitudinem obsecrat, se in suos admittat, cum desit quod reddat, se in lytrum ac pignus recipiat. Atque ita denuo in ovile receptus, qui pecuniam perdiderat, animam lucratus est. Sic comminatur Deus iis, qui longius à se recedunt, nec volunt audire vocem ejus: b *Mittam in vos egestatem.* Quot reperire est, qui in divitiis, omnibus vitiis dediti, ubi ad inopiam redacti, ad frugem redierunt? Vnus instar omnium Eulogius, opificio lapicida, tenuioris fortunæ vir, non minori in Deum pietate, quam in pauperes munificentia insignis: d quidquid enim labore manuum conquisitum, supra tenuem victum sibi supererat, id omne lucellum in egenos distribuebat, & liberalius quandoque in Danielem Anachoretam: qui pietate ejus permotus: Deum obnixe rogat, opulentiorem fortunam huic Eulogio concederet; certum se esse, qui in tenui fortuna in pauperes

c Malac. 2. d Cauffin. Court S.

UVA. BHSC. BU 02224

profusus erat, liberalissimum fore ubi opibus abundaret. Sed cum ex Angelo inaudisset, non conducere saluti ejus ditescere, Daniel imprudenti zelo, se vadem pro anima ejus stitit, sed suo malo. Etenim Eulogius reperto thesauro, licentiori vitæ se dare, in aulam Iustiniani Imp. se insinuare. Exercitus Dux creatur. Hic templa spoliare, ebrietate ac scortis vitam terere. Dum nocte intempesta anachoreta, obses ad tribunal Dei reus sistitur, & Eulogius in prostibulo ante oculos ejus constituitur. Hic Daniel admirari, ingemiscere, deprecari, detestari imprudentem zelum, quod supra divinam illam providentiam sapuerit. Interea Hyppatius & Pompeius Principes imperii, in Imperatorem conspirant, illis se adjungit Eulogius; seditione excitata capitur Hyppatius, Eulogius omnibus exutus fuga sibi consulit, jamque profugus, tutum latibulum, veterem casam subit, & ad pristinam pauperiem ac laborem pœnitens reversus, salubriter percussus, ad se & Deum rediit, à quo per divitias & delicias longius aberrarat. Auree Chrysostomus: a *Deus tribulationes irruere permittit, ut ad ipsum frequentius confugiamus*, sicut oves ad Pastorem.

Quod apta similitudine S. „Vincentius expressit: b Accidit „eis, inquit, ut falconi qui „cum esurit, statim ad primam „vocationem Domini venit; „sed si habet stomachum ple„num, non curat venire. Ita „recte est de hominibus mundi: pauperes, statim, veniunt, „ hi nullum allegant impedi„mentum; sed divites, dicunt: „ Anno venienti vadam, vel in, „ Quadragesima sequenti.„

David de se fatetur: c *Erravi sicut ovis quæ periit.* Sed quando aberrare cœpit? dum David de caula in aulam vocatur, dum percusso Philistæo festivum illud acroama, auribus gratius quam Pastoris fistula, insonaret: d *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Dum gener Regis salutatur, dum deliciis diffluit, dum longius in Bethsabeam evagatur, merito exclamat: *Erravi sicut ovis quæ periit.* At ubi Deus eum triplici plaga percussit, ubi dilectum filium eripuit, ubi ante faciem perduellis Absalonis profugus, quasi pedo pastorali percussus rediit, & cum gaudio exclamat: e *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, id est, ut Lorin. exponit, *admonent & advocant me*; in Græco enim est παρακαλεῖν, id est, advocare, teste Euthymio. Hæc errabunda ovis, in tribulatione nos ad Deum confugere docet. Psal. 31. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: erue me à circumdantibus me.* Sunt qui in tribulatione refugium habent ad creaturas, sed hi aberrare pergunt. Augustinus exponens hæc, f *Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus*, sic ait: *Sunt quædam refugia ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur quam confirmetur. Confugis v. g. ad aliquem in*

a Hom. 10. in Matt. b Vinc. Dom. 2 post Trin. serm. 1.

c psal. 118. d 1. Reg. 18. e Psal. 22 f Psal. 45.

sæculo

UVA. BHSC. BU 02224

ſæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur, (ô refugium ruinoſum!) antea enim tantum cauſæ tuæ timebas, cum vero ad talem refugeris, & de illo tibi timebis; multi enim cum ad talia refugia confugiſſent, cadentibus illis ad quos confugerunt, &c. non eſt refugium noſtrum tale. Sed ubi ad illum confugeris, nihil tibi deerit in loco paſcuæ, ubi te collocabit.

§. II.

Deus per bella, & temporum anguſtias, homines ad ſe redire compellit.

QVot ſunt qui in proſperis, tempore pacis, cæli, Dei & ſui memores; quos clades, cædes, tubæ bellicæ ſalubriter ad Deum convocarunt? Iſa. 26. *Domine in anguſtia requiſierunt te.* Gloſſ' interlin. Percute eos Domine, quia niſi in anguſtia non requirent te. Patet id in Manaſſe, 2. Par. 33. qui ligatus catenis ferreis, a *poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo.* Vbi Ambroſ. recte obſervat: *Congruo correptus flagello convertitur ad Deum: in pœna conſtitutus agnoſcit, quem in regno antea poſitus non quæſivit.* Ejuſmodi luculentum teſtimonium poſteris reliquit VVenceſlaus Rex Bohemiæ, qui ubi in hoſtium poteſtatem venit, in carcerem conjectus, rogatus eſt, *quid inter captivum, & Regem intereſſet?* Hic libere vinctus reſpondit; nullum eſſe diſcrimen, quam quod *Rex de terrenis cogitaret, captivus de cæleſtibus. Tunc vivebam mihi*, inquit, *nunc Deo.* Vt non injuria Prophera exclamet: b *Domine in anguſtia requiſierunt te.* Quid Chlodovæum Franciæ Regem cum Germanis dimicantem, ad ſanctum illud votum coëgit, ſe Chriſtianum fore, ſi bello ſuperior evaderet, niſi belli & cladis imminentis terror? c *Promitto tibi*, inquit, *Chriſte, quem adorat Clothildis uxor mea, ſi me ex præſenti periculo liberaveris, & deſperatam jam victoriam mihi dederis, ero nominis tui cultor & ſervus:* Victor baptizatus eſt, & totum regnum ad ovile Chriſti reductum. Huc facit quod refert Procopius: d Gilimer Rex Vandalorum, opum affluentia tumens, & felici rerum eventu furens, Romano inſultabat imperio, prodit in campum cum Belizario Duce Romanorum: ruunt Vandali, irruunt Romani, capitur Gilimer. Belizarius triumphali pompa urbem ingreditur, præferuntur capta ſpolia, præire jubentur captivi, & inter hos ſupereminet ſeminudus, victus, & vinctus Gilimer, ſiſtitur in Hippodromo, Iuſtiniano Imp. ac toti imperio. Quid Gilimer in hoc feſtivo triumpho? huc atque illuc oculos circumfert, nil niſi Romanorum felicitatem, victrices aquilas, & ſe miſeriæ ſimulacrum intuetur. Contemplatus ergo unde, quo devenerat, antiquam ſortem, præſentem cladem, quantum mutatus ab

a Ambr. l. de pœnit. c. 15.

b Iſa. 26. c Chavaſſius de prudent. lib. 1. cap. 9. d Lib. 2 de bello Vandal.

UVA. BHSC. BU 02224

illo qui quondam fuerat, exclamat: a *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vbi amabo vos, illud Sapientis hauserat, nisi ab adversa fortuna, nisi in carcere, in angustiis? illic ad se, ad Deum suum reversus est. b *Domine in angustia requisierunt te, & in tribulatione sua clamaverunt ad te.* Quod aptissima similitudine horologii, c Novarinus exponit: hoc enim quemadmodum nisi gravi pondere urgeatur, nullum sonum edit, sed prorsus inutile conquiescit; ita homo nisi adversitatum pondere (quod passim *Swarigheydt* dicunt) opprimatur, voces suas in cælum non attollit.

„Horologium, inquit, quod „habet rotas suas, & necessa„rium artificium, si illi pondera „subtrahas, non progredietur, „sed statim inordinatur: sic ho„mo est horologium, quod „confecit supernus ille artifex „eximio quodam artificio, & in „eo omnes necessarias rotas „humanæ vitæ posuit, quæ po„tentiæ, sensusque animæ & „corporis sunt. Hoc horolo„gium cum ponderibus, máxi„mo ordine procedit, cum labo„ribus, tentationibus, & velut „pondere premitur; quibus sub„latis, statim quiescit & inordi„natur. Attendite Davidem, „cum Saul per montes perse„queretur, quam bonus & ordi„natus incedebat; ablatis vero „ponderibus, ablatis tribula„tionibus, videte quis fuerit.

„Cum filii Israël fatigarentur „in Ægypto, clamabant ad Do„minum, ita ut dixetit Deus „Moysi: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & cla„morem ejus audivi: in deserto, „tamen constituti, manna, co„turnicibus saturati, quid fece„rint perpendite. Quid plura? „animadvertite quid vobis ipsis, „in dies contingat, cum vos „calamitatibus oppressos senti„tis, illico clamatis ad Domi„num.„

Supra ducentos annos Hebræi apud Ægyptios habitarunt, ut recte Pererius; toto hoc tempore nusquam reperiuntur idolis servisse, sed mox Ægypto egressi, vitulum conflant & adorant. Quid hoc? inter Ægyptia idola ab omni cultu idolorum abstinent, ab idolis Ægypti remotissimi, idola venerantur. Causam nostis? *d* In Ægypto, inquit Mendoza noster, miseri vivebant & infelices afflicti plagis, oneribus pressi, ad Deum suum confugiebant: extra Ægyptum felices, de cælo pasti, ab Angelo ducti, hostibus formidabiles, à Deo suo aberrarunt.

e Cassianus tres modos tradit, quibus homines ad Deum vocantur. 1. Per inspirationem internam. 2. Per exempla vel monitionem externam. 3. Per adversa & tribulationes; qui frequentissimus ac efficacissimus est. Ita Arsenius Arcadii magister, cum mortem sibi à discipulo intentatam fugeret, ad Christi caulam confugit, & declinando mortem corporis, vitam & quietem animæ adinvenit.

Consimili de causa, Princeps ille Eremi incola Paulus, ut sævitiam Decii & Valeriani

a Eccles. 1 b Isa. 26. c Novarini electa S. tom. 5. l. 9. excurs. 6.

d Mendozæ Viridarium l. 4. Probl. 14. e Collat. 3. cap. 4.

decli-

UVA. BHSC. BU 02224

declinaret, in ſpecum ſeſe abdidit, ubi ſolitudine delectatus, velut in beatis paſcuis ævum traduxit. Adeo veriſſimum illud S. Macarii comprobatur: a *Sæpe evenire, ut Deus ærumnis & tribulationibus hominem exagitet, ut is qui nimium terrenis rebus animo inhæret, cum omnia ſibi infeliciter ſuccedere videt, ita ſecum ratiocinari incipiat: Quandoquidem non poſſum in mundo conſequi quæ volebam, ecce mundum relinquo, & ad Deum pergo, ut ei uni ſerviam. & ita gratias deinceps agat de adverſa fortuna, quia ejus occaſione compulſus eſt ad Dei famulatum.* Idem docet S. Hieronymus Epiſt. 34. qua Iulianum virum nobilem, multis calamitatibus recens oppreſſum, hortatur ad deſerendum ſæculum: Dominum enim hiſce modis admonere, & ad ſe compellere. Vbi porro hoc Paſtoris ſibilo, nec canis latratu, ovis revertitur, pedo ac baculo utitur. Teſtor vos, qui tempora pacis & inducarum, & belli ſeu turbarum vidiſtis: quando unquam ita ſacræ ædes confertæ, concione s ac Sacramenta ita frequentata, quam hac tempeſtate, hoc calamitoſo tempore, quam in civitate obſeſſa, contagione infecta? cum tempore pacis templa deſerta ſint, Concionatores ad lapides dicant, populus in ſylvis, in ſaltibus degat.

Similiter in nupero illo terræ motu, quot revertebantur tundentes pectora ſua? quot oves errantes, è luto, ac lecto exilientes reverſæ ſunt Antuerpiæ, Bruxellis, Lovanii? Summo mane templa plena, qui die feriato animos expiaturi confluxerant, juxta illud Oſeæ 6. *In tribulatione ſua mane conſurgent ad me, Dicent: Venite, revertamur ad Dominum.* b Dum Conſentia, florentiſſima urbs Calabriæ, terræ motu quæteretur. cives omnibus deſertis, in campum egreſſi, qui ex amœnitate paradiſus dicebatur, tunc vere paradiſus & paſcua veri Paſtoris, nil niſi preces & gemitus audiebantur, tota nocte confeſſionis uberrimis lachrymis defluentibus exceptæ, ſupplicationes flagellantium inſtitutæ, fœminæ paſſis capillis, ſe, cultris, clavis, ſpinis laniabant, ut ſe tartarei lupi unguibus, quibus hæſerant, eriperent, & Paſtori redderentur, qui quidquid confractum ac contritum, facile conſolidavit. David ipſe, ut vidimus, converſum ſe in ærumna libere confitetur, Pſal. 31. quod ſic exponit Bernardus: c *Spina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus. Bene autem confixus eſt, qui converſus exinde eſt; bene pungeris ſi compungeris; multi cum ſentiunt ſpinam, corrigunt culpam, & talis dicere poteſt: Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Spectat huc illud Oſeæ c. 2. *Sepiam viam tuam ſpinis. Ex quo intelligimus*, inquit Hieron. *quod providentia Dei, ſæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea qua cupimus, & variis calamitatibus hujus ſæculi ad Deum redire cogamur.* Atque hanc rationem reddit calamitatum omnium Guido Carthuſian. tom. 12. pa. 2. Bibl. SS. PP. c. 14. dicens: d *Ne inve-*

a Macar. hom. 32.

b Recupitus de incendio Veſuviano. p. 118. c Bern. ſerm. 48. in Cant. d V. Pelleg. Parad. to. 2. pag. 162.

UVA. BHSC. BU 02224

niat ubi requieſcat pes mentis tuæ, ut ſaltem coacta, ô anima, redeas ad arcam, ſicut columba Noë. Ita ſe longius evaganiem, ſuaviter reductum fatetur Auguſt. a *Inhiabam*, inquit, *honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras tu. Quam miſera erat! & ſenſum vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te.* Quin & alteram methodum Prophera excogitavit, oves perditas aut palabundas reducendi ad Paſtores:

a Aug.l.6.Conf.cap. 6.

§. III.

b *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

SVnt homines elati, ſũperbi, oves aureo vellere turgentes, pretioſa lana conveſtiti, gregem in valle contemnunt, ad ardua juga honorum conſcendunt, donec palam calumniis impetiti, alapa ab æmulo percuſſi, aut quavis alia injuria affecti, ſuis ludibrio eſſe cœperunt, & hac labe ſeu gleba, à Paſtore turpiter notati, ad gregem in vallem deſcendunt. Quod ſingulari exemplo comprobat Platus: c Erat, inquit Petrus Conſalvus, Epiſcopo Valentino nepos, à quo cum opima beneficia adhuc adoleſcens conſecutus eſſet, illis ad inanem faſtum fruebatur. Hanc ut Deus errabundam ovem ad ſe reduceret, glebam luti injecit; dum enim quadam die in generoſo equo, una cum aliquot æqualibus, tota urbe huc illuc laſciviret, dum ſe cunctis ſpectabilem circumſpicit, omnibus inſpectantibus equo excuſſus, in cloacam ac profundum lutum corruit, è quo ut lutulentus emerſus, à puerorum turba cum riſu ac ſcommate procaciter explosus eſt; quare hoc indecoro pulvere ſordidus, pudore perfuſus, ſibique iratus, ita ſecum ſtatuit: Si ſic mundus, cui hactenus ſervivi, ludit me, ludam & ego mundum. atque è veſtigio ad ovile Domini, ad familiam Dominici ſe recepit, ubi doctrina & ſanctitate conſpicuus, vitam finiit. Veriſſime ille exclamare poterat, quod olim David: d *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me.* David mille beneficiis à Deo cumulatus, ne ingratus moreretur, hoc præ cæteris deprædicat: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me.* Non agit gratias quod pedum ſceptro, pileum corona commutarit, quod ab ovili in ſolium, à caula in aulam vocarit; quæ ut magna ſint, pluris æſtimat quod è Rege Deus mendicum fecerit, qualis fuit fugiens Abſalonem. Majus beneficium reputat, dum comparatione ovis, à Nathan reductus eſt ad Dominum, dum clade centum octoginta millium virorum humiliatus ingemuit, & miſere balavit, & percuſſus, apud Dominum miſericordiam invenit: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me.* Dixerit Ioſeph ſuo

b Pſal. 82. c De bono ſtatu Relig. Epil. ad ſæcul. c. 38.

d Pſal. 118.

Pharao-

UVA. BHSC. BU 02224

Pharaoni: Bonum mihi, quia exaltasti me: dixerit Ruth suo Bozio: Bonum mihi, quia ditasti me: dixerit Esther Assuero suo: Bonum mihi, quia coronasti me: dixerit Mardochæus Regi: Bonum quia honorasti me: dixerit Tobias Angelo: Bonum quia illuminasti me: dixerit Naaman Elisæo: Bonum mihi, quia mundasti me: dixerit claudus Petro: Bonum mihi, quia sanasti me: dixerit Lazarus Christo: Bonum mihi, quia resuscitasti me: at Rex David inter summa beneficia hoc summe deprædicat: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* Nam hoc longe magis è re, quam si aureos montes contulisses. & cur? *Ut discam justificationes tuas*, ut servem mandata tua, ne ultra transgrediar sepem præceptorum tuorum quasi errabunda ovicula. Non sciverat se David peccasse, nec cogitabat de reditu, nisi percussus. Franciscus I. Rex Franciæ, à Carolo V. captus, primum templum quod intrat, audivit à Clero cantari illud Psalmi, a *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* quasi sibi dictum exclamavit: *Verissime Domine.* Percussus sapuit, & ad se, ad Deum suum rediit, qui in aula illud Davidici, sibi non semel occini audierat, legerat, nec intellexerat.

b Anno 1596. Arcadio imperante, prædixit Deus viro sancto, Constantinopolim (quæ quasi altera Babylon fastu turgebat) in cineres redigandam, utque hoc Episcopo aperiat, severe edicit. Mox Præsul convocata concione, urbis excidium denuntiat, omnia illa superba ædificia solo æquanda. Et ecce, tibi repente alia urbis facies, ignitis precibus ut Ninivitæ ad luctum, ad saccum conversa: & ne fabula crederetur, sub nocte omnibus rei eventum præstolantibus, ignea nubes illuxit, unde teterrimus sulphuris odor exhalabat. Cuncti ad templa, ad Deum confugere, ut omnes non caperent: nonne *bonum Domine, quia humiliasti me?* dum sensim nubes evanuit, jamque parum respirabant, dum ex templo audita vox: *Migrate, migrate.* Exit igitur cum Imperatore omnis plebs, Episcopus cum Clero, nullo omnino in urbe remanente; & vel præpropera festinatione, vel quod plane de rebus suis desperarent, nemo domum clausit. Iam longe à mœnibus profecti, subinde tecta respiciebant, jamque tot millia hominum cum parvulis, ad pascua devenere, ubi in unum locum, fundendis lachrymis congregata, factus est locus flentium, omnis luxus in luctum, plausus in planctum, citharа in luctum versa; cum ecce fumum & scintillas ex urbe absistere vident; sed timore res tantum agebatur. Submissi primo mane, qui inquirerent, num urbs supereset, renuntiant omnia salva, quisque tecta repetit, sed alius quam exierat, & quod mirandum, patente domo nihil deperditum, nemo quidquam desideravit, ita timor ad justitiam compulerat, animum ab omnibus perituris avocarat.

Augustinus in Psal. 55. *In iræ populos confringet.* legit & intelli-

a Psal 118, 6 P. Balingem de tribul. c. 3. sect. 4.

UVA. BHSC. BU 02224

telligit: *In ira populos deduces.* Et subdit: *Irascaris & deducis, sævis & salvas, terres & vocas, imples tribulationibus omnia, ut in tribulatoinibus positi omnes recurrant ad te.*

§. IV.

Deus nos quasi filios vagos, larva morborum ad sinum suum compellit.

EXpende sigillatim illud, *Terres & vocas.* Vbi pueri longius domo aberrant, & redire detrectant, mater ut eos ad se compellat, larva illos terret, ut sic ad se, ad sinum suum confugiant. Est filia meliori forma quam fama, cælestium inanis, ovis vaga aut potius lupa, quam ut bonus Pastor reducat, fidelem ministrum, morbum immittit, qui cancrum, gangrenam, aut variolas ut larvam indutus, animum terret ut ad Deum suum recurrat. Chrysostomum audite: a *Matrum plurimæ cum nihil obsecrando proficere se viderint,* LARVAS *quasdam horroriscque figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, persuadentque ad se iterum recurrere. Hoc autem non in solis pueris contingit, sed etiam in nobis: quando enim malignus ille perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipsos agnoscimus, tunc ad Deum omnipotentem* RECURRIMUS.

Ita B. Franciscus Borgia Dux Gandiæ, ferali larva mortuæ Elisabethæ, ad Deum confugit. Ita Raymundus Lullus, nescio quo insano æstu abreptus, dum Dominam, quam perdite deperibat, eques in templum insequitur, illa obversa, mamillam fœdo ulcere exesam ostendit: qua larva territus ad Christum confugit. Sed nil in hoc genere illustrius, quam quod à Sophronio commemoratur *b*: juvenem nobilem vitæ licentioris, cum Virginem pretiose vestitam sepulchro condi vidisset, victum cupiditate, ausum proxima nocte tumulum subire, eamque vestimentis nudare; illam vero repente consurrexisse, latronis manum tenuisse, ac horrenda specie, & gravi comminatione hominem eo adduxisse, ut votum religionis conceperit, ac ilico liber dimissus ab hac larva, è monumento ad monasterium confugerit. Verissime itaque Greg. c *Felix necessitas, quæ ad Deum ire compellit, & mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.* Mitto hic nihil familiarius, quam in morbis ad Deum, ad Sanctos recurrere, ut turba cæcorum, claudorum, ut regulus, &c. mitto tot nobiles matronas ac viros patritios, qui prole aut conjuge sublato, ad Deum redierunt: d *Cum occideret eos, querebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Sic Melania, sic Paula viro mortuo. V. Hieron.

Denique ut concludam: Per adversa non modo redire compellit, sed & torpentem & tarde venientem incitat, instigat, & quasi calcaria subdit ad currendum, ut recte observat B. Thomas Tolentinas: e *Tribula-*

4 Lib. 1. de Prov.

b Platus l. 3. c. 36. c In illa verba, Compelle intrare. d Psal. 77. e Serm. de Cosma.

tiones

UVA. BHSC. BU 02224

tiones calcaria sunt, inquit, *quæ faciunt nos currere ad Deum*. Quod exemplo suo August. confirmat: a *Punctus tribulatione, cœpi quærere refugium*. Nisi eos pungeret, nisi spinas infigeret, nisi calcaria admoveret, dormitaremus, oblivisceremur, divagaremus. Sic Paulus ubi calcaria, ubi stimulum sensit, ocyus ad Deum recurrit. Et hoc calcar electis suis quandoque in via virtutis hærentibus Deus admovet, ut Gregor. testatur: b *Electis suis ad se pergentibus, Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque præsentis vitæ requie, quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delectet.*

a August. in Ps. 93.

b Greg. lib. 23. mor. cap. 15.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXV.

Modicum & videbitis me. Ioan. 16.



OSTENDENT TERRIS HVNC TANTVM FATA. *Virg. Æneid. 6.*

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Vitam noſtram COMOEDIAM eſſe, in qua omnia modicum ſunt. Hoc tantum quiſque ſatagat, ut partes ſibi à Deo datas recte agat.

§. I. *Omnes hic velut in comœdia ad modicum parent.*

§. II. *Suas quiſque partes recte ac rite agere ſtudeat.*

§. III. *Peracta ſcena, ut quiſque geſſerit & geſticerit, plauſum ac palmam feret.*

§. IV. *Quinam bene partes ſuas egerint.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA TERTIA POST PAECHA.

Modicum & videbitis me. Ioan. 16.

CÆSAR Augustus Romanorum Imperator, postquam 56. annos gubernasset Imperium, moribundus ad circumfusam aulicorum turbam hæc novissima verba habuit: a *Numquid belle, in hoc communi vitæ theatro, partes meas egi?* Patre Octaviano Consiliario progenitus, ad Imperii gubernacula provectus sum: *numquid belle partes meas egi?* Adolescens etiamnum, vix sextum & decimum ætatis annum attigeram, & toti exercitui Romano præfectus sum: *nonne belle partes meas egi?* Necdum Cæsar in funere patris, scenam omnem argenteam feci, augustissimum illud Marcelli theatrum exstruxi: *nonne belle partes meas egi?* Quadragesies septies Romanis ludos dedi, ex quibus vix ullus minoris quingenties aut millies HS. id est, supra tres milliones (ut Manutius ait) stetit; tria millia quingentas feras unis ludis mactans, mille struthiones, mille cervos, mille apros ad delicias populi induxi; *nonne belle partes meas egi?* Bella civilia varia gessi, adversus Brutum & Cassium, Julii Cæsaris avunculi interfectores; in L. Antonium Triumviri fratrem, adversus Sextum Pompeium; novissimum adversus M. Antonium; ac libens in bello isto Asiatico 150. milliones expendi, ut de Antonio cum sua Cleopatra triumpharem: *nonne belle partes meas egi?* Externa bella per me gessi, Dalmaticum adhuc adolescens, & Antonio devicto Cantabricum: *nonne belle partes meas egi?* Domui auspiciis meis Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, item Rhætiam & Vindelicos, & Salassos; gentes Alpinas coercui, Dacorum incursiones, tribus eorum Ducibus cum magna copia cæsis, Germanosque ultra Albim removi; alias item nationes ad obsequium redegi, ipsos Indos & Scythas, aut vi, aut clementia populo Romano confœderavi: *nonne belle partes meas egi?* Curules triumphos varios egi, Asiaticum, Alexandrinum, &c. urbem lateritiam marmoream reddidi, triumphator orbis totius, pacisque instaurator 56. annos in hoc vastissimo orbis theatro, populo spectandus fui; sed nunc cortina clauditur: *valete & plaudite.* Et reductis cortinis animam efflavit. Similia Augusto, in mortis articulo jactasse ferunt Henricum VIII. Angliæ Regem, salubri documento posteris relicto: b *Vitam omnem mortalium comœdiam esse*; ubi quisque suas partes agit, hic Crœsi, ille Codri; hic Catonis, ille Morionis, suffragante Chrysostomo: c *Non est theatralibus scenis vita nostra dissimilis: nam ut istic, ille imperatoris,*

a Sueton. Plutar. Lipsius.

b Scotti adagia sacra pag. 107. c Chrysost. Epist. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

hic ludicis, & alter militis implet officium, ubi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur, nec Iudex, cortina clauditur, & persona exuitur.

a Pineda in Eccles. Actores ingredientes in hunc mundum & egredientes, sunt homines: *Vnus enim introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Personæ comicæ & tragicæ, Imperatores, Reges, Principes, voluptuarii, epulones, divites, mercatores, egeni, mendici, viduæ, pupilli, domini, servi, milites, imbelles, pueri, senes, sapientes, stulti, probi, improbi.

a Cap. 1. vers. 4.

§. 1.

Omnes, velut in comœdia, ad modicum parent.

SI quem potentem, divitem, nobilem, voluptuosum videris, b *ostendunt terris hunc tantum fata.* Omnes illud usurpare possunt, c *Modicum & viedebitis me.* Philemonem Poëtam hic ex Apuleo inducere placuit, qui cum plaudente populo, conscriptam à se comœdiam recitaret, imber derepente coortus, cœptam fabulam in sequentem diem differre coëgit. Postridie maxima hominum frequentia convenit, quod reliquum erat comœdiæ excepturi; cum diu exspectatus Philemon non compareret, missi ex promptioribus qui eum accirent, & ecce eum in lectulo mortuum offendunt. Steterunt qui intraverant, perculsi, tam inopinatæ mortis prodigio; deinde regressi ad populum, renuntiavere Philemonem Poëtam (verba sunt Apulei l. 3. Florid.) qui exspectaretur, quo in theatrum fictum argumentum finiret, jam domi veram fabulam consummasse. *c* Vetera hæc, hac ætate sic etiam scenam claudimus: Fuit abhinc paucis annis in convictu Hallensi actor primarius, quem probe, utpote affinitate propinquum, novi; hic Hermenigildum acturus, sarcophagum secum tulerat, in theatro ficte tumulandus: cum omni populo actorem præstolante, hic serio intus agebat; sed animam, atque in eodem feretro, eodem vespere mortuus requievit. Quam multi indies inopinato fato fabula fiunt, quibus illud Horatii mors accinit:

d *Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;*
Tempus abire tibi est.

Satis diu in sago, in toga, in purpura;
Tempus abire tibi est.

Historias volve & miraberis, tam brevi temporis spatio, tot Pontifices orbi Vrbem exhibuisse spectandos. Mitto eos qui annum, vix paucos menses impleverunt; plures breviori tempore perstiterunt, ut sapienter illi senserint, qui cum Sapiente e *æstimaverunt ludum esse vitam nostram,* & verissimam comœdiam. Pius III. dies viginti sex: Damasus secundus, dies viginti tres: Marcellus secundus, dies 22. Theodorus secundus, dies viginti: Sisinnius dies 20. Cælestinus IV. dies 17. Bonifacius VI. dies 15. Vrbanus VIII. dies 12. Leo XI. dies 6. Stephanus II. dies tres;

b Virg. 6. Æneid. c. Ioan. 16.
c Anno. 1636. d L. 2. Ep. 21. e Sap. 15.

nonne

UVA.-BHSC. BU 02224

nonne omnes hoc veriſſimum oſtentarunt: *Modicum & videbitis me*? In hos actores, Bernardus monet, ut Eugenius oculos: defigat: a *Quantorum*, inquit, *in brevi Romanorum Pontificum mortes. tuis oculis adſpexiſti? ipſi te prædeceſſores tui, tuæ certiſſimæ deceſſionis admoneant*, & MODICUM *tempus dominationis eorum, paucitatem dierum nuntiet tibi.* b Nonne hi omnes diurno, non diuturno tempore perſonati fuere Pontifices? nox ſecuta eſt, & perſona exuitur. Feſtivum eſt quod refert Ioannes Nider Dominicanus in *formicario lib.* 2. *cap.*3. ubi narrat cujuſdam ſomnium Ordinis ſui, qui ſomniarat ſe in Pontificem aſſumendum; jamque adeo ea phantaſia animo inſederat, ut cum tempore Concilii Conſtantienſis tres à ſummo Pontificatu eſſent depoſiti, de eo ſibi conferendo vix dubitaret: electo autem in eadem Synodo Martino V. ne omnino ſpe ſua excidiſſe ſe putaret, aut in rabiem ageretur, cum Bacchanalia inſtarent, fratres Dominicani ludicrum ſpectaculum animi cauſa exhibuerunt, argumento ſumpto de Romano Pontifice, ac ejus Curia. Ad hoc variæ perſonæ delectæ; ſed Pontificis partes huic traditæ, & ſic ſaltem perſonatus Pontifex apparuit, ſerio ludicra egit; at ubi nox ſecuta, nullus Papa agnoſcitur. Quid omnes alii Pontifices, aliud in orbis theatro peregerunt? quid omnes Reges? quid Imperatores? Eccl. 10. *Rex eſt hodie, & cras morietur.* Vitellius octo menſes regnavit, Tacitus ſex, Ottho & Æmilianus quatuor, Pertinax 3. Florianus duos, Philippus ad totidem dies; nonne modicum? Caninius Rebulus in Fabii Maximi locum ſuffectus, cum per unum diem Conſul fuiſſet, Cicero lepide dixit: Vigilantem ſane habuimus Conſulem, qui in conſulatu ſuo numquam ſomnum vidit. De Fabio Mario ait Trebellius: Uno die factus Imperator, altero viſus regnare, tertio die occiſus eſt: nonne modicum? Vidiſtis quandoque in ſcenam dari, Beliſarios, Valerianos, Tamburlanos, Diogenes Romanos, auguſta forma indutos, poſt horam vero ſubita cataſtrophe omnibus exui. Iſtjuſmodi ludos c Petrus Damianus Agneti Imperatrici ſpectandos proponit: *Galba*, inquit, *Romanorum Imperator, quatuor tantum menſibus imperavit, & in Romæ foro, gladio percuſſus occubuit. Nonne Vitellius interemptus eſt à Ducibus Veſpaſiani?* & poſt longam ſeriem, ſic concludit: *Quis eſt enim cui ſe fortuna non transferat, & modo de adverſis in proſpera, modo de proſperis in adverſa,* SCENICA SE VARIETATE *convertat*? ut omnium oculis ac animis perſpectum ſit, *Oſtendunt terris hos tantum fata.* Ad eum prope morem res fieri aſſolet, ut in trium Regum ſolenniis ſolenne eſt per familias Reges, Conſiliarios, pincernas, moriones ſorte educere, qui ubi nox advenit, perſonam exuunt, & *modicum* parent; diurnum, non diuturnum regnum eſt. Hic quotannis novi Magiſtratus, novi Conſules, Commiſſarii, Duces exer-

a Bern. ad Eugen pag. 524.

b Bonaert in Eccl.

c Epiſt. 5. ad Agn.

UVA. BHSC. BU 02224

citus, indies nova officia, novæ dignitates: curritur, concurritur, multum impenditur, nec modicum expenditur. Petr. Damian. c. 8. *Nunquid & mulieres ab hujus* SCENICÆ *vertiginis rotatu reperiuntur immunes? Cleopatra nempe magnifice toti dominabatur Ægypto, quod videlicet regnum centum millia villarum includere perhibetur:* a & dum ex Ægypto in Ciliciam ad Antonium pergeret, advecta est navi, undique laminis aureis inducta; remi argentei, qui ad fistulæ tibiæque modos, à speciosissimis puellabus agitabantur; vela purpurea, rudentes serici erant; ipsa vero Regina, sub tentorio aureo requiescens, Deæ instar; ad quod spectaculum, ait Plutarchus, tota Cilicia effusa est. At rogo vos, quo choragio viva sepulchrum subiit, *Nunquid & mulieres ab hujus* SCENICÆ *vertiginis, &c.* Convivium adeò opulente instruxerat, ut Antonio bolum dederit, qui, teste Adrichomio, venerat ducentis quinquaginta aureorum millibus: *sed scenicæ vertiginis* rotatu, ab Augusto debellati, bolum sumpsere, quo & ille & illa, sibi vitam eripuere. Hæc qui spectat, & oculis mentis attentius contemplatur, profecto non se efferet, quantumvis illustrem personam agat: quia *modicum ostendunt terris hunc tantum fata.* Nemo opibus ac regio cultu spectandus, iis ut propriis extolletur, sed tamquam actor iis brevi spoliandus. Chrysost. *Noli gaudere in divitiis, quia iis spoliaberis sicut actor scena peracta.* Est filius lanionis, qui agit personam Regis aut Principis, indutus veste filii gubernatoris, in hac triumphat, sed hac spoliabitur scena peracta. b *Hoc mihi ipsi dico quoties aliquid perstrinxerit oculos, quoties occurrerit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus. Quid miraris? quid stupes? pompa est. Ostenduntur illæ res, non possidentur, & dum placent, transeunt.* Hæc si cogites, non te efferes: hæc si Iudices sacri, & profani attenderent, non tantum opulentis tribuerent, non adeo pauperes despicerent, libere magnates tanquam personatos, sceleris arguerent. Elias quondam occurrebat impio Regi Achab, qui sic Prophetam aggressus: c *Tune ille es qui conturbas Israel?* Elias respondit Regi, imperturbato animo: *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui.* Chrysostomus stupet hoc responsum Eliæ, & hanc tandem causam reddit: d *Elias non spectabat diadema, & exteriorem apparentiam, sed animam sordibus imbutam, squallentem, sordidam, & non in veritate sibi Regem cernere videbatur.* Quo spectat illud Senecæ: e *Omnium istorum personata felicitas est, contemnes illos si despoliaveris?* Quare nemo alteri invideat, nemo se miserum dicat; sed sua sorte contentus vivat, & personam quàm Deus injunxit, bene agere satagat, ac præ Regibus & Magnatibus, plausum ac palmam feret.

a Plut. in Antonio.

b Seneca Ep. 110. c 3. Reg. 18. d Chrys. hom. 8. ad pop. e Sen. Ep. 70.

§. 11.

Suas quisque partes recte, & rite agere studeat.

EPictetus *f* Enchiridio verè aureo, Christiana axiomata

f Epict. c. 23.

plura

UVA. BHSC. BU 02224

plura complexus est, ac in rem nostram sic ait: *Actorem esse fabulæ talis, qualis magistro probata fuerit, te memento: si brevis, brevis; si longa, longa. Si medicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniose repræsentes; ita si claudum, si Principem, si plebeium: hoc enim tuum est, datam personam bene effingere; eam autem eligere, alterius.* Incredibile est quot querelæ parentum ac puerorum, dum magister pro comœdia exhibenda, partes distribuit: hic queritur se partem habere rustici, ille quod nimis brevem, tres quatuorve lineas: frustraneos hic parentes sumptus allegant, altera mater indignatur filium semper morionem agere; cum tamen partes aptissime pro capacitate cujusque distributæ. Detur filio viri consularis, sed balbo pars quadraginta & quinquaginta versuum, stupido alicui ac bardo persona Regis: nonne spectatores id indignum judicabunt? splendor omnis actionis evanescet, actoribus vero perpetuum dedecus accrescet; sed talem agat quisque partem, qualis magistro probata fuerit. Ita agitur in hoc vastissimo orbis theatro: summus ille ac prudens magister Deus, cuique suas partes distribuit; hic mendici, alter Regis; hic militis, alter monachi; hic ægri, alius sani partes agit: & hoc tantum exigit, quisque ut suas partes strenue agat. In partibus musicis idem usu venit: si bassus velit superiorem canere, discordia summa, sed qualis magistro musices probata fuerit; similiter si Religiosus velit esse conjugatus, & conjugata velit esse monialis, miles Consiliarius, hic Dux exercitus: erit confusio summa; sed hoc observandum, ut si personam monachi acceperis, *fac eam personam ingeniose repræsentes*; si Medici, si Advocati, &c. Mechanicus mane præmissa oratione, omnem laborem ac sudorem Christo consecret, & strenue ad Christi gloriam desudet. Medicus non gravetur noctu ægrotanti pauperi succurrere, Advocatus causas pupillorum & viduarum non protrahat, non negligat. Sic Zeno apud Laërtium dicebat, bono histrioni esse sapientem persimilem, quod sive Therstitæ, sive Agamemnonis personam acceperit, utramque decenter exprimit, & imitatur: *Hoc enim tuum est, datam personam bene effingere*; eam autem dare, alterius. Æger es? fac eam personam bene agas. Hoc in ægrorum schola Binet docet: cum nescio quis morbo correptus, quereretur se pessime habere, hoc illi responsum solatio fuit: Amice quisque ægroti personam ac partes semel sustinere debet, tibi jam in proscenium veniendum est: tuas ergo præclare agito, stant pro theatro Deus & Angeli; si acutus fuerit dolor, brevi peregeris personam; si remissior, non adeo effœminatum te exhibeas, ut tantillo dolori succumbas.

Sed quereris vitam brevem, in flore vitæ te emori, alter filium sibi in prima ætate ereptum: si brevis pars obtigit, brevem, sed bene agat. Quod optime expressit Seneca: a *Quomodo fabula, sic vita; non quamdiu, sed quam bene acta sit, refert: nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque*

a Seneca Ep. 77.

voles

UVA. BHSC. BU 02224

voles desine, tantum bonam clausulam impone. Tantum suas partes bene agat: quo fit ut rusticus in comœdia sæpe plausum præ Rege referat, & Morio monarcham aut Menecratem aliquem exsuperet, ut recte Gregorius: a *In examine justi Iudicis, mutat merita ordinum, qualitas actionum.*

Spectatores non attendunt utrum quis gerat personam Pontificis, Imperatoris, Legati, aut Medici, sed quam bene. Et hinc fit ut in rustico, qui bene partes suas agit, *mutet merita ordinum, qualitas actionum.* In hanc rem refert *b* P. Paulus Barry de quodam Coadjutore nostro, qui eodem momento quo Philipp. III. in Hispania, Neapoli è vivis excessit, ut post mortem declaravit, seque tanto altius evectum in cælis supra Philippum, quanto Philippus illo altior fuerat in terris: diversas personas ac partes egerant, uterque bene, sed cocus palmam tulerat. Ita in examine justi Iudicis mutat merita ordinum, qualitas actionum. Ludovicus non ideo sanctus fuit, quia Regem egit Galliarum; Eduardus non ideo, quia Regem Angliæ; Chrysostomus non ideo, quia Præsulem; Paulus quia Apostolum, sed quia bene. S. Hieronymum audi: c *Cernis quod Episcopus, Presbyter, Diaconus, non ideo sint beati quia Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, sed si virtutes habeant nominum sacrum, & officiorum; alioqui si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferiori gradu, apud Christum deterior sit.*

a V. Bellarm. Conc. 138. in festo S. Iacobi. *b* Barry solitud. pag. 329. c Bellarmin, cit.

Ex quo præclare deducit Cardin. Bellarminus: Iudas Apo-„ stolus erat, hoc est, Episcopus, „ & Doctor; Stephanus Diaco-„ nus, id est, minister & disci-„ pulus; exacta tamen comœ-„ dia, Iudas *ex theatro* explosus, „ in gehennæ incendium ruit, B. „ Stephanus totius *comœdiæ* plau-„ sibus exceptus, ad cælum cum „ honore sublatus fuit; vidit Ie-„ sum stantem spectatorem, *Spe-„ culator desuper, qui nos diebus om-„ nibus, actusque nostros prospi-„ cit.* Causam hujus mutationis „ quærit Bellarminus, quare discipulus Magistrum, Diaconus Episcopum præcesserit? „Quia, inquit, Stephanus discipuli per-„ sonam egit bene, Iudas autem „ personam Apostoli egit male. „ Itaque contingere potest, & „ sæpe, ni fallor, contingit, ut „ Rex, & Pontifex, Iurisconsul-„ tus, & Theologus, æternis cru-„ ciatibus adjudicentur; cocus „ vero, & Regis mancipium, & „ alius nescio quis imperitus, & „ plebeius, æternis præmiis affe-„ cti, beatis Angelorum agmini-„ bus associentur; nec immerito, „ cum sublimes illi, personas suas „ non bene repræsentarint; alii „ autem suas licet viles & abje-„ ctas, præclare & eleganter „ gesserint. „

§. III.

Peracta scena ut quisque gesserit & gestierit, plausum ac palmam feret.

VBi *magni cortina Theatri* clausa fuerit, ubi omnes mortales partes suas egerint, ubi Antichristus fatalem epilogum tragœdiæ imposuerit, præconis voce spectantibus superis ac inferis,

UVA. BHSC. BU 02224

feris, sua cuique præmia decernentur: uti hic peracta scena fieri assolet, & cum stupore omnium, qui stultum aut Morionem egit, ad primam palmam evocatur, quando potentes sæculi mirabuntur & clamabunt: Est possibile? ô rerum vicissitudinem! iste famulus, ille mechanicus, ille qui stultus apud suos habebatur, ille simplex Religiosus, primum præmium? quantum mutatus ab illo! ille villicus primus in ascensu! nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. *a* Optime Tertullianus vallem Iosaphat in judicio comparat theatro, infernum caveæ, Principes hujus mundi ludionibus, dæmones phanaticis furiis: *Supersunt*, inquit, *alia spectacula, ille ultimus & perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, &c. ô quæ tunc spectaculi latitudo! Quid admirer? quid rideam? ubi exultem? spectans tot ac tantos Reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, cum ipso Iove & ipsis suis testibus, in imis tenebris congemiscentes? item Præsides, persecutores Dominici nominis, severioribus quam ipsi flammis sævierunt, insultantibus contra Christianis, liquescentes: quos præterea sapientes illas Philosophos coram discipulis suis, una conflagrantibus erubescentes, &c. tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate: tunc histriones cognoscendi, solutiores multo per ignem: tunc spectandus auriga in flammea rota, totus rubens.* In illo die *supersunt alia spectacula*, ubi detracta larva hypocritæ, id est, ut Augustinus exponit, histriones & mimi, veri tragœdi apparebunt: qui in theatro hujus mundi apparebant hominibus jejunantes, & personam Sanctorum assumebant, ut D. Thomas ait: b *Supersunt alia spectacula*, illic viri in veste muliebri; illic reducta cortina tota scena patebit. Invehitur hic Tertullianus, Chrysostomus, & Mariana noster in spectacula, quod in scena quandoque adulteria & stupra proponerentur, imo sacrilegia: vel audire fœdum est, nedum spectare quod *c* Mariana refert: „ Scimus, inquit, superioribus annis in quadam ho-„ rum hominum societate, à Iu-„ dice, quod ex ipsius ore audi-„ tum est, unam quampiam ex„ hoc grege, quæ Magdalenæ„ personam sustinebat, depre-„ hensam turpi consuetudine „ junctam esse cum eo histrione„ qui Christum Dei Filium, vo-„ ce, gestu, habitu repræsenta-„ bat. Insignem fœditatem, at-„ que eo majorem, quod magno„ populi plausu audiebantur. Sæ-„ pe spectatoribus excutiebant „ lachrymas. Hæc miramur &„ execramur. *Supersunt alia spe-„ ctacula:* secreto fornicantes, ut Cyrillus ait, producet in apertum theatrum. *Supersunt alia spectacula*: comœdia, quam hic hæretici Calviniani, Lutherani in comessationibus, in cubilibus, in versutiis & astutiis transegerint, in tragœdiam convertetur. Illic excucullatus Monachus, cum sua virgine spectabitur; d *Apparent*, inquit Psalmista, *ut intereant in sæculum sæculi.*

c Olim Augustæ Carolo quinto & Ferdinando fratre una prandentibus, hæc super men-

a Tertull. l. de spectac. in fine.

b V. Lanuza tract. 2. p. 2. sect. 1. n. 121.
c Mariana lib. de spect. cap. 8. d Psal. 91.
e Michael Picarti decad. poster. 9. c. 3.

sam

UVA. BHSC. BU 02224

ſam ab hæreticis comœdia exhibita eſt perſonis mutis; primum ſe infert larvatus habitu Doctorali, cujus tergori inſcriptum nomen Ioannis Capnionis ſive Reuchlini: portabat hic faſcem partim rectorum, partim curvorum lignorum, quibus diſſolutim projectis in medium atrium, receſſit. Hoc digreſſo, ſuccedebat alia perſona itidem larvata, nomen habens Eraſmi Roterodami, habitu ſibi convenienti: hic conabatur curva rectis ligna componere; quod cum fruſtra multo labore conatur, tandem quaſſans caput, animo commoto inde receſſit; tum ſubintrat Monachus, Lutheri nomen præferens, ignem ac ardentes prunas adferens, quibus diſtorta illa ligna ſuccendit: videnſque luculentam flammam concepiſſe, ſe ſubduxit. Inde prodit quidam habitn Imperatorio, qui ubi flammam intuitus, ſtricto gladio vim à lignis avertere conabatur: at quo acrius ligna fodicabat, & gladium ventilabat, hoc magis flamma invaleſcebat; itaque & ipſe, furibundo ſimilis receſſit. Tandem Pontificali habitu Papa ingreditur, titulo Leonis X. inſignis. Conſternatus ad incendium, ut eminus conſpexit duas amphoras, unam aquæ, alteram olei, inadvertenter quo ignem ſopiat, unam arripit; & oleum affundens, flamma latius ſe diffudit. Qua actione innuebant actores, Ioannem Reuchlinum Principem, artes & linguas, veterumque dogmata in Germaniam intuliſſe: ex illis alia recta, id eſt Orthodoxa, alia curva & diſtorta, minime fidei analoga, & mera hominum ſomnia; huic ſucceſſiſſe Eraſmum Roterodamum, qui ſtudioſe operam dedit ut recta diſtortis conciliaret, fruſtra laboraſſe: ſucceſſiſſe vero Martinum Lutherum, qui Orthodoxam doctrinam in cineres redigere conabatur, orbem Chriſtianum ſuis dogmatis incendens; quæ ut Imperator vi armata ac ferro exſtinguere fruſtra laboravit, Pontifex ſuis excommunicationibus eos territans, oleum camino affudit. Peracta fabula indignantibus Auguſtis, comœdi diligenter conquiſiti, celeri fuga ſibi conſuluerant, ne tragœdi fierent. Ita in re ſeria nebulonibus ludere placuit, & Eccleſiæ Papiſtis, ut vocant, & Papæ illudere. Reſtat ultima ſcena illis peragenda in orbis theatro, quo non effugient. a *tunc magis tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in ſua propria calamitate: tunc hiſtriones cognoſcendi ſolutiores multo per ignem.* tunc hæ voces ſero audientur: *Quomodo erravimus à via veritatis! Superſunt alia ſpectacula.* Non ſemel purpuratus epulo, non ſemel Cleopatra cum ſuo Antonio in ſcenam data eſt, ſed in illo die, in ignea purpura, totus rubens ſpectandus erit. M. Antonius juſſit dici Alexandrinis, quod Antonius Romæ egiſſet *tragœdiam* per cædes & ſeditiones, ſed quod Alexandriæ ageret comœdiam cum ſua Cleopatra in luxu & deliciis; verum ſcenica vertigine, luxus in luctum recidit, ut pleriſque accidit, qui hic comœdiam, poſtea tragœdiam exhibituri ſunt, *ſequiturque æternum plangite.* In quos cadit illud aurei Oris oraculum: b *Præſens vita lu-*

a Tertull. cit. b Chryſ. hom. 47. ad pop.

du

UVA. BHSC. BU 02224

dus est, futura non est ludicra.

a Rex quidam Persarum, vel eo solum titulo suum regnum regno Barbarorum præcellere dictitabat, quod Magnates apud Persas habeant alta & longa nomina, &, ut Tertullianus ait, *jugera nominum*. Spheudadates, Artaxerxes, Vavaranes, Omixindinas, &c.

Nomina sunt ipso pene timenda sono;

Barbaros autem habere parva nomina, verbi gratia, Caunus, Bythes, Davus; atque adeo suum regnum tragœdiam, qua viliores personæ arcentur, Barbarorum regnum comœdiam, & quasi plebeiorum esse.

Idem, inquit Garassus, de inferno dici posset, illic tragœdiam agi, ubi omnia magna nomina Alexandri, Tamburlani, Sardanapali, Machiavelli, Quabacondoni, Diocletiani, Thesaurochrysoniochrysides: in cælis vero ubi, S. Pierre, S. Paul, S. Luc. S. Iean, S. Iacques, *&c.* In qua cælesti comœdia, ut nos aliquando partes nostras agamus, optimos actores imitandos hic nobis proponamus.

a Garas. doct. curieuse l. 7. sect. 11.

§. IV.

Quinam bene partes suas egerint.

AUdi S. Prosperum. *Si spectandi voluptas est, habes aurigam* (non currum Medeæ conscendentem) *spiritualem Christum. Etiam qui curru igneo, usque ad metas provectus est cæli, curruque Pharaonis demersos in mare.* Habes præclarum illum actorem, Paulum, qui spectaculum fuit Deo, Angelis, & hominibus. Hieronymus ad Gal. 4. *Mutabat*, inquit, *Paulus vocem suam, & in histrionum similitudinem factus: si quidem ut in theatro, mundo, & Angelis, & hominibus, habitum in diversas figuras vertebat, & voces.* Talis actor fuit sanctus Ioannes Baptista, de quo S. Nilus: *In solitudine versabatur, & civitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant, qui scenicis vestibus induebantur, ad zonæ pelliceæ spectaculum concurrebant, sub dio manere non recusabant* (ut fit in insigni comœdia:) *nam videndi viri cupiditas, omnem sensum molestiæ abstergebat, virtutumque spectaculum, labores & incommoda leniebat.*

Talis actor fuit David 2. Reg. 6 *Vivit Dominus, quia ludam & vilior fiam plusquam factus sum.* dum saltat instar histrionis ante arcam, uxori & aulicis ludibrio. In quem ludum sic ludit Bern. b *Ludam*, inquit, *ut illudar, ac quasi bonus Rex, non ad honorem, sed ad contemptum. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet.* Et paulo post: *Non est hic ludus puerilis, sed qui cælestium spectatorum delectare possit aspectum: hoc ludo & nos interim ludamus ut illudamur, confundamur, humiliemur.* Ita lusit Simon Salus, Iacoponus, aliique innumeri, quos Raderus de SS. Stultis commemorat; quibus Hieronymus Paulam Romanam adnumerat: c *Novi*, inquit, *susurronem quemdam (quod genus hominum perniciosissimum est) quasi benevolum nuntiasse, quod præ nimio fervore virtutum*, Paula *quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confovendum. Cui illa respondit: Theatrum*

b Bern. Epist. 87. c Hieron. Epist. 27. ad Eustoch.

facti

UVA. BHSC. BU 02224

facti ſumus mundo & Angelis & hominibus: nos ſtulti propter Chriſtum. Hæc Hieronymus. Conſimiles actores fuere in purpureo theatro omnes Chriſti Martyres, de quorum anteſignano Petrus Damianus: a *Ecce ſpectaculum, ad quod aſpicit intentus operi ſuo Deus; ſurgit ipſe Rex filius regis, & lapidantium acies interrumpens, triumphatoris certamini aſſiſtit.* b Pium certe ſpectaculum videri poſſet cujuſdam juvenis, qui dum Chriſti patientis perſonam in theatro ageret, in cruce ſerio expiravit. Præbeamus & nos ſpectaculum dignum Deo, & ſi male hactenus partes noſtras egimus, nondum ſero; ab hiſtrione, ſerio motum, & mentem excitare diſcamus: c Fuit is Polus Comœdus, celeberrimus hiſtrio, qui Athenis in publico theatro Sophoclis Electram acturus, perſonam lamentatricis fœminæ induit, ploran-

a Serm. de S. Stephano. b Drex. Tribunal l. 1. c. 3. ſect. 4. c Mendoza l. 1. Reg. c. 3 an. 8. ſect. 2.

tis ad urnam, in qua fingeret oſſa recondita fratris ſui Oreſtis; hinc ut ſe, & ſpectatores ad fletum permoveret, filium prædilectum non ita pridem functum exhumari curavit, cumque ejus oſſibus capſa incluſis, theatrum ingreditur, non jam fictis, ſed veris lachrymis omnia complens. Haud aliter qui hactenus cum polo per omnem vitam ſe Comœdos exhibuerunt, fictis lachrymis ſcelera luxerunt, Deum riſerunt ac luſerunt, nec invitante Polo, electa anima Electræ plangentis perſonam induat, & ſe, aut fratrem, id eſt, proximum peccato mortuum plangat: idque ut veris lachrymis agat, unici Filii Dei non arida oſſa, ſed laceros & ſanguineos artus, ante oculos ponat: atque hac felici cataſtrophe, per planctum, cælo plauſum dabit: nam ut olim Seneca: d *Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas; tantum bonam clauſulam impone.*

d Sen. Epiſt. 77.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXVI.

Expedit vobis ut ego vadam. Ioan. 16.



ARCTIVS ABSCEDENS.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Per infestationes & ariditates Deus quasi absens, nos arctius sibi adstringit, uti nodus tum maxime constringitur, quo inter se stringentes longius recedunt.

§. I. *Deus intimis amicis sese quandoque subducit, ut ardentius ament.*
§. II. *Absentia Christi confert ad majus meritum, & robur virtutum.*
§. III. *Fidelitas amantis, in absentia amati, maxime comprobatur.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Expedit vobis ut ego vadam. Ioan. XVI.

DEMONSTRANT Astrologi, solem hoc magis lunam collustrare, quo longius ab eadem recedit, juxta illud Poëtæ:

a *Iam sum tibi charior absens.*

Sol absens lunæ charior, quod ipsa inde clarior. Confirmat Apuleius, b *Luna Solis æmula, noctis decus, quanto longius abit à sole, tanto largius illuminatur, pari incremento itineris & luminis.* Haud aliter Sancti, qui hic ut stellæ ac lunæ fulserunt, par incremento luminis & amoris exarserunt, pro ratione itineris, quo Deus ab eis recedere, & radios divinæ consolationis longius contrahere videbatur.

a Ovid. Met. lib. 11. b Lib. de Deo Socratis.

§. I.

Deus intimis amicis sese quandoque subducit, ut ardentius ament.

HOs internæ illustrationis ac consolationis radios, divinus ille sol per tres annos adeo subduxerat *c* Seraphico Francisco, ut testatus sit, ea desolatione ac animi afflictione se excruciari, ut si saxa & rupes ejus desolationis participes esse possent, disrupta fuissent. Et in his omnibus Deum ardentissime amabat, nec unquam illi charior.

Iam sum tibi charior absens.

c V. Reconfort des Ames desolees par Philippe Servius sect. 3.

Angela de Fulginio tam longe à solaribus radiis divinæ illustrationis recesserat, ut si omnes cælites ad se solandum descendissent, dolores ac angores minime alleviare potuissent. Pedem in inferno habere dictitabat. Et vel sic dilecto absenti erat *charior absens.* Mater Theresa 22. annos in tanta ariditate ac fastidio transegit, ut ne sermonem de divinis ferre, nedum intelligere potuerit, per 15. annos, sine libello meditari nequiverit, donec Christus ad excelsissimum contemplationis gradum eam sustollens, omnes libros proscribi voluit, se ipsum contemplandum, legendum, ac diligendum proponens. Solatio & tibi sit, ô fidelis anima, lactea Bernardi doctrina: *In multis tentat te Dominus Deus tuus. Declinat sæpius, avertit faciem, sed non in ira. Probationis illud est, non reprobationis.*

S. Eligius ita à divino illo sole desertus, ut exclamare non dubitarit, quidquid ageret, de salute sua conclamatum esse. Nec ideo desistebat indesinenter Deo servire.

d Sacerdos vitæ integerrimæ per 12. annos, molestissimis cogitationibus & phantasiis adeo divexatus, ut nec celebrare, nec ullas preces ad Deiparam fundere valeret. Persistebat tamen omni illo tempore, incredibili constantia; donec post nubila

d Pennequin Amour divin. part. 3. c. 3. pag. 39.

Phœ-

UVA. BHSC. BU 02224

Phœbus rediret, & post 12. annorum conflictum, tanta dulcedine, tot suavissimis lachrymis perfundebatur, tanta animi teneritudine in Dei Matrem ferebatur, ut præ divina dulcedine totus colliqueſceret. Quin & Brigittæ divinitus conceſſum eſſe, eo tempore quo ſacerdos hic faceret ad aram, cacodæmonem dejectis oculis, ligatum, ad pedes ejus proſtratum cernere. Et hi omnes, quis credat, hoc arctius Deo ac divino amoris vinculo colligati fuere, quo à ſe longius abire videbatur: ut in præfixo emblemate, amans ab amante longius recedens, arctius nodum conſtringit; ſubducitur oculis, ſed hoc ardentius vivit in corde. De Magdalena ingenioſe differit Origenes: a *Ieſus qui modo receſſit à te, & quomodo? forte neſcis an diligat te? olim te diligebat, olim à Phariſæis te defendebat. Olim quærebat te cum non adeſſes, vocabat te cum abeſſes. Et ô dulciſſime Magiſter, quid poſt hæc peccavit in te? Dixiſti: Mariæ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Sed quomodo verum eſt, ſi tu es ablatus ab ea? niſi hoc ita intelligatur, quod licet tu ſis ablatus ab oculis ejus, tamen non es ablatus à corde ejus.*

Catharina Senenſis fœdis infeſtationibus miſere divexata, ubi hæc Chriſtus ſeſe in conſpectum dedit, amare queritur ac quærit, Ut quid tanto tempore ſeſe ſubduxiſſet, ubi demum latuiſſet dilectus abſconditus? Reſpondit: In corde tuo filia. Idem magno Antonio reſponſum fuit, ac in intimis cordis viſceribus Deus ſic abſens aurum charitatis ac gemmas virtutum, humilitatis, diffidentiæ de ſe, tolerantiæ generat, uti ſol intra terram & mare. Hinc amaritudinem animæ ſic mellifluus Doctor ſolatur: b *Ne timeas, ô ſponſa, ne deſperes, ne exiſtimes te contemni, ſi pauliſper tibi ſubtrahat ſponſus faciem ſuam; omnia iſta cooperantur tibi in bonum, & de acceſſu & receſſu lucrum acquiris: tibi venit, tibi & recedit; venit ad conſolationem, recedit ad cautelam; ne magnitudo revelationum extollat te, ne ſi ſemper apud te ſit ſponſus, incipias contemnere alios ſodales, & hanc continuam viſitationem non jam gratiæ adſcribere, ſed naturæ.* Ex quo liquet veriſſimum illud. c *Expedit vobis ut ego vadam.* Probat id idem Doctor: *Dixerat enim ſancta anima quædam in abundantia ſua: Non movebor in æternum; cum ſubito ſenſit à ſe averſam faciem verbi, ſeque non modo motam, ſed etiam conturbatam, & ſic in triſtitia didicit* non altum ſapere.

Quin & in ſe hanc cauſam fuiſſe ait Bern. quod Dominus receſſiſſet à ſe. *Superbia*, inquit, *inventa eſt in me, & Dominus declinavit in ira à ſervo ſuo; hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior: non compungi ad lachrymas queo, non ſapit pſalmus, non legere libet, non orare delectat: meditationes ſolitas non invenio. Vbi eſt illa inebriatio ſpiritus? ubi mentis ſerenitas, & gaudium, & pax in ſpiritu?* O anima quæ ſe à Deo deſertam queritur; in ſe ipſa deſcendat, & hanc forte cauſam reperiet. Convenit in eo B. Laurent. Iuſtinia-

a Orig. hom. 130. de Magdal.

b Bern. in ſcala clauſtralium col. 3. c Bern. ſerm. 74. in Cant. d Bern. ſerm. 54. in Cant.

nus

UVA. BHSC. BU 02224

nus: a *Ad reprimendam hominis audaciam, sapientissime interdum se subtrahit sapientia, non odiendo, non contemnendo, sed amando: quis enim nisi quandoque, relictus sibi, propriam agnosceret fragilitatem? continuis successibus occasionem parat elationis*; atque ideo hic modicum nos deserit, ne in peccatum prolapsi, in æternum deseramur. Quod optime expendit Greg. b *Omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit? unde scriptum est: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Hinc Psalmista deprecabatur: Non me derelinquas usquequaque. Derelinqui igitur se, sed ad modicum posse utiliter noverat, qui ne usquequaque relinqueretur petebat.*

Hinc omnem elationem animi ac sensualitatem exosa B. Catharina Genuensis (cujus vitæ lectio magni fiebat à B. Aloysio) affirmare non dubitavit: c *Sane gustus ille spiritualis, magis quàm diabolus cavendus est; quandoquidem ubi adhæret, morbum generat incurabilem, homine ignorante.* Quem non incurrit, qui hoc gustu caret, & cui hæc mellis dulcedo subtrahitur, ne morbum, vermes ac fastidium generet: d *Temperanter*, inquit Laurent. Iustin. *spiritualis est sumenda dulcedo, ne ex immoderato gustu fastidium generet. Hoc Sapiens insinuans*, inquit: e *Mel invenisti, comede quod sufficit, ne cogaris evomere*. Quo spectat illud Bern.

a Lib. de Monast. discip. c. 18. b Greg. l. 20. Mor. c. 19. c Lancicius de Aridit. c. 6. n. 35. d Laur. Iust. c. 6. de Interiori conflictu. e Prov. 25.

f *Vulgare Proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo, ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur.* Et hic alter fructus absentiæ Christi, ut ardentius desideretur, juxta illud Poëtæ:

g *Semper in absentes felicior æstus amantes.*

h Quid causæ fuisse existimatis cur IESUS duodennis se parentibus subduxerit, quos ex absentia sua adeo cruciandos præsentiebat? nisi ut quibusdam lachrymis aspersum, luculentius amoris incendium exurgeret? *Amor magis sentitur cum eum prodit indigentia*, inquiebat olim i August. ad instar ignis, qui parum frigida affusa magis exardescit. k *Supra modum*, inquit Richardus Victor. *imo supra naturam, ignis convalescit in aqua: quia amoris incendium magis exæstuat ex alterutra contradictione, quam invalescere posset ex mutua pace.*

l *Nonnihil aspersis gaudet amor lachrymis, & crescit.* Cum Richardo convenit D. Ambr. *Quo magis lassatur affectus, eo magis amor crescit, & quo diutius abest qui desideratur, eo exspectantis desideria majori quadam vi amoris ignoscunt.* Mitto illud Horatii:

---m *Virtutem incolumem odimus,*
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Illudque Ciceronis de patria: cujus dulcedinem *non tam fruen-*

f Bern. in scala claustral. col. 3. V. Bernard ser. 74. in Cant. g Tibull l. 2. eleg. 33. h V. Lobbel. D. inst. oct. Epiph. q. 2. i Aug. l. 10. de Trinit. k Rich. Vict. de 4. grad. viol. chari. l Propert. l. 1. Eleg. 12. In Psal. 118. m Horat. l. 3. Ode 14.

do

UVA. BHSC. BU 02224

do quam carendo didicit. E quibus alia argumenta facile suppetunt.

§. II.

Absentia Christi confert ad majus meritum, & robur virtutum.

3. FRuctus absentiæ Christi, est majus meritum. Qua de re exstat præclarum monitum, & exemplum in libello quodam *a* B. Catharinæ Bononiensis: quæ cum varie impugnata fuisset, infestata blasphemiis, tentationibus infidelitatis *b* circa præsentiam Christi in Eucharistia, nullis eas lachrymis aut precibus depellere valebat; potissimum autem infestabatur sub tempus communionis, donec Deus illi revelavit, *quod majus meritum est animæ si communicet, cum supra dictis impugnationibus, ferendo patienter tempestates spiritus, quàm illa quæ his expedita, communicat cum multa dulcedine & suavitate.*

Si enim alias corporis afflictiones æquo animo ferre, magni meriti est, illas animi, quæ his longe graviores sunt, patienter tolerare, nonne summi existimandum est? B. Catharina Bononiensis in libello à se Deo inspirante conscripto: *Non est dolor acerbior illo, quem patitur anima, ob sensibilis amoris absentiam*; imo fuit qui martyrio conferre non dubitavit. Is fuit P. Alvarez, vir suo ævo sanctissimus, qui sic secum statuebat: c *Inquietudinem quamcumque in oratione mihi occurrentem* (puta abs te non causatam) *martyrium reputabo, & ut talem fortiter sustinebo*. sustinuitque per 16. annos: *d* B. Clara de monte Falco per annos 11. continuos varie exagitata à dæmonibus, & privata cælestibus deliciis: B. Catharina Bononiensis per annos 5. valde desolata fuit, & dæmonis illusionibus divexata. Videtur Deus noster cum dilectis suis quandoque in arenam descendere, ubi non armorum sed amorum animosa contentio, uti accidit luctando cum Iacob, de quo Rupertus: e *Famosa lucta, & totius ore Ecclesiæ per orbem celebrata, qua homo cum Deo luctatus est.*

Haud absimilis hujus certaminis imago (si fas sit humana divinis comparare) in Aluilda puella regia elucet, quæ ubi sponsi, quem deperibat, patre se interponente, expetitis nuptiis frui nequiret, virum mentitur, ac myoparonem conscendens, mari aufugit. Forte fortuna, hostilem hæc navim conspicata, ut ducem agebat, arma expediri jubet, confligitur, & eccum Aluildæ cassis excutitur; agnoscit hostis sponsam: & *f* ilico Martis tela, in amoris convertit, mutuos ruunt in complexus, & debitam sibi fidem exsolvunt. Sic anima ubi à Deo variis adversitatum telis impetitur, eum quasi hostem sub infestis armis delitescentem perhorrescit, & illud Propheticum exclamat; g *Quare posuisti me contrarium tibi?* Dum ubi paululum ventis jactata, post brevem conflictum, ex hoste sponsum sese exhibet, obvium in amplexum ruit, castamque sponsam

a In vita. b P. Servius cit. c V. Lanc. de Arid. c. 5. n. 29.

d c. 4. in fine. e Rupert in Gen. lib. 8. c. 6. f Saxo. l. 7. g Iob. 7.

UVA. BHSC. BU 02224

cæleſtibus complet deliciis. Hujus certaminis non inexpertes puellas complures reperio, quas inter occurrit *a* B. Angela de Fulginio, quæ inſidiis dæmonum per biennium impetita, acerrime corpore & mente conflictata eſt. Suos ipſam cruciatus enarrantem audite: *Ne magnitudo revelationum extollat me, &c. affligor corpore & anima. Non eſt in me membrum, quod non patiatur horribiliter à dæmonibus: numquam enim ſum ſine dolore & languore, ita ut continuo oporteat me jacere. Animæ vero tormenta majora ſunt, nec ſcio aliam aſſignare ſimilitudinem, niſi de homine ligatis manibus, ac velatis oculis, vivo pendente è patibulo, cui nullum auxilium, remedium nullum, aut fulcimentum. Sic ego torqueor*, & hoc ſuſpendium elegit anima mea, quia in hac tortura, Chriſto confixa ſum cruci. Idem ſapiebat B. Margareta de Pazzi, quæ fel purum ſitiebat, nullo medicatum guſtu ſpiritus, aut ulla etiam cæleſti dulcedine temperatum. Et confido, ajebat, ut iſte calix ab amantiſſimo ſponſo mihi aliquando propinetur. Mox voti compos, per annos quinque ab inferiis & ſuperis ſic excruciata, ut in fruſtra diſcerpi videretur. Cumque Confeſſarius ei ſolatium aliquod polliceretur, aut præſagiret, id longius à ſe removebat, deque Deo querebatur, quod à pactis inter ſe conventis diſcederet. Qua invicta animi conſtantia, quantum meritorum ac gratiarum cumulum hæ ſponſæ Chriſti ſibi comparint, ex divinis revelationibus ac favoribus impenſis, manifeſtum eſt. De quo exſtat illud Gertrudis, quæ à Domino quaſi ſpreta, intellexit, quod vicinitas nimia quandoque impediat, ne amantes ſe mutuo videant, ut in amplexu fieri conſuevit. Quo ſalubriter edocta, meritum gratiæ, ſubtractione ſponſi, in immenſum augeri, eumque non modo dulciter, ſed & prudenter; non carnaliter, ſed rationabiliter amandum eſſe. *b* Bernardus harum teſtis & arbiter ſententiarum: *Cum agre ferrent diſcipuli, quod de aſcenſuri Magiſtri diſceſſu ab eodem ipſo audierunt: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Quid ergo? non diligebant de cujus diſceſſione dolebant? Sed diligebant dulciter, ſed minus prudenter: diligebant carnaliter, ſed non rationabiliter. Dilectio eorum, contra ſalutem eorum unde ajebat: Expedit vobis ut ego vadam.* Quid quod vel ex eo Sancti plurimum meruerint, cum hoc ſit Deum vere & ſincere diligere propter ſe, non propter conſolationes.

Qui divinos favores ac cæleſtes favonios adeo ſordide aucupantur, ut ubi iis diſcuſſis auſterior aquilo afflarit, terga vertant, ac Dominum per ardua properantem deſerant, ne ipſis brutis animantibus brutaliores ſint. Canem, amabo vos, vel fruſtro panis mucidi ita hero obſtrictum cernitis, ut nullis minis aut verberibus, etſi etiam maxime velit, à ſe amoliri queat.

a In vita c. 19.

a S. Bernard. ſerm. 20. in Cant.

Ex-

UVA. BHSC. BU 02224

Excelsioris animi est, Domino propter se, nullo amore concupiscentiæ, sed amicitiæ, & afflatu filiali servire, nil solatii è creatis, nisi ex creatore hauriendo. Etenim, ut recte monet Bernardus, *illud verum ac solidum gaudium est, quod non à creaturis, sed à creatore percipitur.* a Hoc expetit & unice spectavit quem ex Taulero Nierenbergius noster inducit. Novi, inquit ille Doctor, insignem Dei famulum revelationibus & visionibus cælestibus admirandum, cui Deus arcana sacrarum litterarum sensa, hominumque internas cogitationes ac merito, graduque gratiæ cujusque manifestarat. Verum adeo parum illi arridebant, & vero suspecti erant favores isti, quibus indignum se arbitrabatur, ut enixe Deum rogarit, uti eos sibi surriperet; & exoravit. Quinque omnino annos vitam egit omnis penitus consolationis ac cæleſtis dulcedinis vacuam; ariditatum vero, tentationum, anguſtiarum feracissimam. Tandem & his ipse supra modum gravatus, vix respirabat, & ægre quietem animi ac pacem tenebat; cum ecce duo Angeli cælitus à Deo missi, eum solaturi. Sed fortissimus athleta ad Deum versus: Domine Deus, inquit, nullum ego solatium expeto, sat mihi est custodire locum ubi habitas in anima mea, ita ut in eam præter te introeat, aut appareat nihil. Quæ animi fortitudo, & sinceri amantis affectus sic Deo placuit, ut supra alias multas prærogativas, meruerit ex Patris æterni ore audire: *Tu es filius meus, in quo mihi complacui.* Quam felicius est hæc audire ex Dei ipsius ore, quam dicere: b *Complaceat tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me respice?* Hæc incipientium est vox, illa laus perfectorum, qua vel silium suum naturalem unigenitum Deus noster est dignatus.

4. Fructus absentiæ Christi: ut serviant expensis propriis, sicut milites honorarii non ob stipendium aut panem victalitium: uti olim Deus Brigittæ, & S. Gertrudi revelavit, dicens: *Vellem electis meis persuasum esset, quod eorum bona exercitia placeant, quando serviunt expensis propriis,* non ob stipendium consolationum. Quod suavissimus c Bernardus nobis instillat: *Purus amor mercenarius non est. Sponsæ res & spes unus est amor.*

d Fuit constans Dei Amicus, qui candide fatlus est, se jam 40. annis Christo servire assidua oratione sine ulla consolatione interiori aut gustu; hoc unum illi solatio esse, quod propriis expensis serviret. e Et hoc est, quod S. Ignatius suis inculcavit, Deo fideliter servirent sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores: f Camerarius refert de Petro Comite Sabaudiæ, qui ut Otthonem Imper. electum salutaret, in conspectum venit media corporis parte, holoserico ac tela aurea pretiosissime convestitus, ex altera parte totus cataphractus. Hujus insolentis habitus causam Imperatori exposuit: una parte se auro & gem-

a Nierenb. vita divina c. 20.

b Psal. 39. c Bernard. serm. 83 in Cant. d Drex. Rhet. cæl. l. 1. c. 9. sect. 2. e Reg. sum. 22. f Lib. 1. hist. med c. 6, Sainct. lure tom. 3, perseverance.

UVA. BHSC. BU 02224

mas pretioſe indutum, ut Regiæ ſuæ Majeſtati in pace ſerviret; arma vero, quibus pars altera corporis munita erat, ut illis in bello ipſi militaret, & uſque ad ultimum ſpiritum decertaret. Ita nos in utrumque parati eſſe, nec in bello terga vertere imbelles debemus.

Antonia Romana magnæ ſanctitatis vidua, à Sancto Philippo Nerio valde æſtimata, apta ſimilitudine animas in pace & animi tranquillitate, deliciis ac internis conſolationibus aſſuetas, catulis *a* Melitenſibus domicellarum comparat; viros autem adverſis exercitatos, venaticis canibus, dum dicit; „Deum operariis ſuis conver„ſioni animarum deditis non „præbere tot in oratione gu„ſtus & conſolationes, uti dat „quibuſdam fœminis; & licet „illos tanquam canes venaticos „(qui capiendo urſos & apros, „id eſt, peccatores convertendo, veniunt quandoque pedi„bus lutulentis) non admittat „ad oſcula, ſicut admittit par„vulos catellos, pulchros, otio„ſos; tamen pluris facit illos „Dominus, quam iſtas mulier„culas, quibus ſe magis com„municat per ſpirituales guſtus, „& veluti quoſdam amplexus.

Declaravit hanc veritatem Chriſtus S. Gertrudi non abſimili ſimilitudine: Sicut, inquit, „Imperator aliquis præpotens, „non ſolum delectatur in pala„tio ſuo habere puellas delica„tas & ornatas, ſed etiam or„dinat principes, duces, & mi„lites alioſque diverſis operi„bus aptos miniſtros, quos ſin„gulos in palatio ſuo ſemper habeat ad diverſa negotia pa„ratos; ita & ego non ſolum „delector interioribus deliciis „contemplativorum, ſed etiam „diverſis exercitiis utilium ne„gotiorum, quæ fiunt cauſa mei „honoris & amoris: quia tales „magis exercentur in charita„te, patientia & humilitate. Ec„quis Imperator duces exercitus ac milites honorarios, qui nullo ſtipendio pro eo decertant, non præferat puellis honorariis, quæ in Gynæceo Reginæ aſſervantur? b *Charitatem militis Imperatorem ſuum indicat bellum*, inquit S. Ioannes Climachus, *Monachi vero charitas ad Deum maximè eo tempore, quo adſtat orationi, deprehenditur.* Theologus quidam, quid rerum omnium difficillimum rogatus; hæc 4. reſpondit: c *Laborantis in partu, docentis in ludo, imperantis in bello, & orantis in templo*, aut in cubiculo, hic licet hoſtium incurſiones mille obveniant non decedit è campo, non arma abjicit: ſed generoſe decertat. S. Petrus in oratione raptus, vidit mappam refertam variis beſtiis, audit vocem, Occide & manduca, nec quidquam ſuavius guſtavit. Tentationes, quæ in mappam mentis candidæ incidunt, occide, & fructum ſuaviſſimum reperies, & ejuſmodi orationes aridæ, uti pharmaca medicorum *drooghen* maximæ virtutis, ac Deo ſæpe gratiſſimæ accidunt, ut docet *d* Binet de Amore divino, quem conſule. Unum hic delibaſſe ſufficiat, quod Plinius & Majolus referunt; Olim fuiſſe peritiſſimos

a Lancic, de Aridit. c. 5. num. 28.

b Grad. 28. c Oratio non deſerenda ob ariditatem aut tædia. d Amour divin c. 24.

ſta-

UVA. BHSC. BU 02224

ſtatuarios, qui ſimul in una ſtatua deſudabant, hic domi ſuæ caput, alter in officina ſua pedem, tertius brachium effinxit; ſed eo artificio, ut quæque pars parti congrueret, ac ſi uno cœlo ab uno artifice confecta eſſet, atque ita ex tot partibus, pulcherrima ſtatua effecta eſt. Ita oratio ac meditatio ſæpe longe præſtantior, quæ per partes interrupta, & variis phantaſmatis interciſa, quam ſine ulla interruptione abſolvitur. Nemo dicat, Non poſſum orare, meditari, &c. Si non potes cum Ioanne ſublimia & divina contemplari, procide, inquit Thomas à Kempis, cum Magdalena ad pedes Ieſu, & corde contrito & ſpiritu humiliato, pete tuorum veniam peccatorum. Si non vales cum Paulo ad 3. cælum evolare, mane cum eo apud Chriſtum, carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo. Si non potes montes excelſos conſcendere cum cervis, id eſt, viris perfectis, ingredere petram cum herinaciis, ut ibi ſpinas peccatorum & terrenarum rerum exuas. Si non habes alas aquilæ volantis ad ſidera, habes pennas ſimplicis columbæ nidificantis in maceria, meditando paſſionem Servatoris. Denique ut illud robur animi acquiramus, & in viros perfectos, ac robuſtos milites nos Deus efformet, lac nobis conſolationis ſubtrahit, & ſolidiori cibo aſſuefacit. Quam doctrinam B. Petrus Damianus Agneti Imperatrici tradidit, dicens: a *Ne turberis ſi quæ te fortaſſis adverſitas feriat: ob id enim fit, ut internus ille diſpoſitor ad hanc te dulcedinem trahat: nam & mater cum ablactare vult filium, aliquando fel uberibus adhibet, ut dum aſpernatur ille quod abhorret, compellatur ad alimentum ſe transferre quod roboret.*

a L. 7, Epiſt. 5. ad Imp. V. Interpretes de ablatione Iſaac,

§. III.

Fidelitas amantis in abſentia amati maxime comprobatur.

SUpereſt nunc 5. atque ultimus fructus abſentiæ Chriſti, ut dilectus experiatur animæ, ſe abſente, fidelitatem. Audite & melleum ſermonem haurite: b *Cave tibi ô ſponſa, quando abſentat ſe ſponſus, non longe abibit, & ſi non vides eum, ipſe tamen videt te ſemper, plenus oculis ante & retro. Habet etiam circa te nuncios ſuos ſpiritus, quaſi ſagaciſſimos exploratores, ut videat quomodo abſente ſponſo converſeris, & accuſent te coram ipſo, ſi aliqua ſigna laſciviæ & ſcurrilitatis in te deprehenderint. Zelotypus eſt ſponſus iſte, ſi forte alium amatorem receperis, ſi aliis magis placere ſtudueris, ſtatim diſcedet à te, & aliis adhærebit adoleſcentulis. Delicatus eſt ſponſus iſte, nobilis & dives eſt, ſpecioſus præ filiis hominum, & ideo non niſi ſpecioſam dignatur habere ſponſam. Si viderit in te maculam ſive rugam, ſtatim avertet oculos.* in abſentia ſua de fide ſponſæ, zelotypus ſponſus maxime ſolicitus eſt.

Sapient. 14. *Creaturæ Dei in tentationem factæ ſunt animabus hominum.* Locus difficilis. Quomodo enim ſumma bonitas, qui vult omnes ſalvos fieri, feciſſet creaturas in laqueum, cum

b Bern. Scala clauſt. col. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

Deus intentator malorum sit, & neminem tentet? Similitudo rem exponet. Facit Deus sicut paterfam volens explorare fidem filii seu servi; relinquit nummum in mensa, cistam vel cellam vinariam apertam; ipse se inde subducit, ut exploret an se absente quid auferent. Deus subducit se in secretum cubiculum aulæ suæ, & relinquit omnes thesauros creaturarum apertos, non ut exploret fidelitatem nostram. Quam doctrinam confirmat Cardinalis Cajetanus in illa verba; a *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Psal. 10. *Metaphoricus*, inquit, *est sermo ad similitudinem hominis claudentis oculos, ut experiatur quid, se non vidente, alii faciant.*

Fideles filii, qui absente patre, dum extra oculos, dum in universitate, in exteras provincias profecti, ita se gerunt, ut in ædibus paternis. Si famuli & ancillæ absente hero, vel hera æquè seduli, æquè fidi, ii laudandi sunt. Sic conjux ut casta Penelope absente conjuge, discipul[1] absente magistro, religiosi absente prælato, amicus absente amico, æque strenue partes agant, ac si præsentes essent, hi se fideles ostendunt. Quammulti hero præsente sobrii ac sobriæ, quæ coram simulant se crassiorem potum, nec vinum ferre posse, dum os poculi ab hero fuligine tinctum bene notatos in conspectum dedit.

b Rem miram & prope inauditam narrat Sanctus Petrus Chrysologus. Apostolos qui præsente Magistro tam frugaliter cœnabant, tanta reverentia coram agebant, impransi non semel Dominum sequebantur. Illo mortuo, vix oculis sublato, dum corpus vix in monumento positum, intra illud triduum, dum omnia elementa turbata, & petræ scissæ, cœperunt epulari & ducere in bonis dies suos. *Terra tremit*, inquit Chrysologus, *turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, & soli discipuli alto sigmate, choro uno, toto atrio delicis sæculi epulantur.* Quid hoc, ait Chrysologus? Unde hæc dissolutio, qui parati ad fundendum sanguinem, ad bibendum vinum delapsi? ubi respondet: *Hos fratres reversus ab inferis, sic Magister invenit.* Si hoc absentia trium dierum, si hoc absentia inter Apostolos, qui ante oculos tot terriculamenta ac prodigia mortis Christi, qui tot miracula viderant, tot conciones ex ipso audierant, quid non in familia absente hero, in scholis absente magistro, in Religione absente superiore timendum est, nisi omnino fidi sint? Matth. 21. *Homo erat Paterfam. qui plantavit vineam, & peregre profectus est, & agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt.* Qualis hæc carnificina? qualis tragœdia? Causam nostis? *Peregre profectus est.* Tum illi inter se conspirare, murmurare, otiari, vereri dominum, ad ultimum desperationem devenire. Nonne identidem de servo tali illud Comici ingeminatur:

c *Nescio quid me absente turbatum est domi?*

Vultis hujus prototypi ectypon videre?

a Apud Lippom. in calen. *b* Chrysolog. serm. 83.

c Pontan. Attic. bell. vol. 2, c 54.

UVA. BHSC. BU 02224

videre? Majorcensis civis loco-ples, uxorem cum liberis & ser-vo in villa reliquit, & ipse *pro-fectus est foras*.a Hic servus à do-mino male habitus, illo absente ultionem concepit, ac foribus obseratis, hera vincta, liberos ad domus tectum secum effert. Reversus herus indignatus fo-res clausas, servo qui è sublimi spectabat, minari: at ille unum filium è tecto præcipitat, & mox alterum. Pater hic pene exani-matus, blandius eum affatus: at frustra. Ni, inquit servus ille ne-quam, tibi nares præscindas, & tertium præcipitem agam. Quod cum amori filii pater feciset, mox tertium una cum uxore præcipitat, ac seipsum, ne pœ-nas daret, suspendio liberavit. Quid non absente domino tur-batum est domi? famuli, quam officiosi, quam morigeri, dum coram Domino; sed quid, dum inter alios famulos? de tenaci-tate domini, de salacitate domi-næ. Quot facti amici impræsen-tiarum aurea verba, omnia lau-dare, ad omnia aptum deprædi-care, ita absentia, inane cere-brum, nullius judicii, malæ fa-mæ, &c. *b* Vis nosse an alteri a-micus sis, inquire quid absens de te sentiat & dicat? Matt. 11. *Illis autem abeuntibus, cœpit* Iesus *dicere ad turbas de Ioanne.* Chry-sost. *Quam bene recedentibus dis-cipulis, cœpit laudare Ioannem. Non sicut quidam blandiores homines, qui libenter homines in facie lau-dant, aut quando vident amicos ejus fideles aut domesticos, quos credunt quia nuntiaturi sunt illis quidquid audierint.* Sed fidi amici sunt, qui non modo præsentes, sed & ab-sentes collaudant. Dicitur Gen. 11. *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorumdem.* Liran. *Est autem homo labii unius, quan-do similiter loquitur de proximo in præsentia, & absentia ejus; & lin-guæ diversæ, quando bona loquitur in præsentia proximi, & mala ipso absente.* Ideo & sponsus ille cæle-stis longe abit & dicit: *Expedit vobis ut ego vadam*, ut fidem fi-delis animæ explorem, quid di-cat, quid me absente agat. Quot peccata, quot adulteria, quot zelotypiæ ex absentia conju-gis?

Hic ludus amantis fuit: *c* Ma-trona Parisiensis deserta ab A-masio suo Pantagrueli, misit ei annulum cum falsa gemma, cui annulo inscriptum Hebraice Lamma Sabacthani. Consu-lit hic varios quid hoc signifi-caret, dum tandem ingenioso quidam Pamugus nomine, sic exposuit: *Dy amant faux*, id est, Dic falsus amator, *pourquoy m'as tu delaissé*. id est. Lamma Sabacthani, quare dereliquisti me? Quoties ejuscemodi annu-lum cælestis ille sponsus mitte-re posset ad olim sponsas suas: *amant faux*, quare dereliquisti me? promptu causa; Prov. 7. *Fruamur cupitis amplexibus.* Quo-modo audes hoc? *Non est enim vir in domo sua, abiit via longissi-ma.* Patheticam in hac re hi-storiam accipite, quam refert Gramondus: d Non longe à ci-vitate Montauban, castrum quoddam inhabitabat Nobilis Francus, Reynesius nomine, qui in uxorem duxerat Pana-tiam venustissimam fœminam.

a V. Fuse Acroam. Bidermanni lib. 2, Acroam. 3, b V. Serlog. tom. 1, pag. 284.

c Tuningii Apophtheg. Franc. pag. 54.
d Poirters Larva pag. 160.

UVA. BHSC. BU 02224

Et ecce quidam Paulinus Vicecomes in eam exarsit, variis munusculis eam sibi devinxit, & quo tutior esset accessus, jam forma hortulani, jam pictoris, jam alia in castrum sese penetrabat: jamque Panatiam totam occupabat, quo amor ejus in conjugem Reynesium omnino refrixit; qui rem subodoratus, omnem modum quæsivit, ut Paulinum in flagranti delicto deprehenderet. Interea Ephebum unum Reynesius pecunia corruperat, injuria à Domina pridem affectum, quare Dominum accedit, in genua provolutus veniam & vitam precatur, flagitium omne exponit, & ab hero vindictam flagitat. Jam plane edoctus Reynesius, simulat se peregre negotii causa proficisci, uxor illi Crocodili lachrymis valedicit, quibus infames ignes tegat. Die insequenti adest Paulinus cum Germano Panatiæ, ejusdem farinæ, jam sine ullo metu fruiturus cupitis amplexibus. Dies & vesper in epulas ac choreas, nox detestandæ libidini destinatur. Reynesius, qui ante decessum omnia pessula ostiis amoverat, jam certus adulterum intus esse, armata militum manu, concubia nocte castrum invadit, penetrat ad cubile, ubi Paulinus cum conjuge repertus, qui tumultu excitus, sclopum arripit, in Reynesium explodit, sed ictu irrito; Paulinus vero variis vulneribus confossus occubuit, ante pedes Panatiæ. Frater dum per fenestram fugam cogitat, à satellitibus inferne suppositis hasta trajicitur. Iam nobilissima fera supererat, infamis mulier, quæ se subduxerat, & in interula, solo pudore tecta, in latrinis latebat, protracta jam veras lachrymas dabat, ruit in amplexus conjugis, vim ac technas Paulini exaggerat, omnem fidem per sacra ac profana spondet. Inserit se medium ac pro matre intercedit filius; hic jam patrem exarmarat, dum ab Ephebo ad vindictam tam indigni facinoris incitatus, uxorem obtruncat. Cadavera per triduum jacuere inhumata. Hoc est frui cupitis amplexibus, dum vir in domo non est. S. Hugo Card. exponens hæc, a *Non est vir in domo, abiit via longissima*, per virum accipit Christum, qui non est in domo sua, id est, in mundo, visibili specie; abiit via longissima, puta in cælum, sed væ cum venerit exacturus rationem. Quid fecit hic paterfam. agricolis vineæ? malos male perdet. Quid fecit hic paterfam. conjugi suæ? viro hoc absente, quid non in terris mortales agunt, & audent? quam paucæ fidæ ac fideles animæ? Unum & singulare fidelitatis exemplar proposuisse sufficiat. *b* Bertulphus inter proceres Germaniæ nobilitate ac opibus præpollens, ut animo erat apprime pio, in Palæstinam cogitabat, vestigia Christi veneraturus? jamque necessariis ad iter comparatis, adscitisque consilii sociis, magna remora Ansberta uxor, lectissima matrona intercessit;

---c *Sed nullis ille movetur*
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.

a Proverb. 7. v. Cornel. hic. *b* Bidermanni lib. 2. Acroam. 1. c Virg. l. 4. Æneid.

Affir-

UVA. BHSC. BU 02224

Affirmat ſe voti reum, nec temere aliquid decreviſſe: ſi avocare pergeret uxor, non marito, ſed cælo eam pugnaturam. Adhæc abſentiam ſpondet opinione breviorem fore, nec annum exceſſuram. Solvit ergo, & jam multum terris jactatur & alto, tandem Palæſtina potitus eſt. Hujus aſpectu quam voluptatem Bertulphus ceperit, ſupervacuum ſit narrare, illum neque antrum Bethlehemiticum, nec Iordanis fluenta, quamvis annus, ſpectacula ſatiaſſent. Interea Anſberta quaſi virum extuliſſet, publico abſtinere, & mundo muliebri abjecto, quotidie lugebat. Sic anno prope revoluto adeſt ecce nuntius, & literæ; reſpirat, ſed heu! legit illum à barbaris captum, ſævique principis in poteſtatem veniſſe, aratro trahendo aut foſſis ducendis ſervilem in modum occupari, flagriſque, ſi qua ceſſet, identidem moneri, mucido pane ac frigida vitam tolerare. Spem libertatis unicam, ſi coram uxor lachrymis, ac facundia potius quam auro, ferocem principis animum tentaret. Hoc per quidquid jucundum utrique in vita, ſe orare & obſecrare. Lecta cum gemitu Epiſtola, amici, procereſque ſententias rogantur. Nemo omnium fuit qui expeditionem ſuaderet in terras barbaras fœminæ. Cæterum ne & hanc fidem etiam abſenti deneget, ſimulat conſilium. Eo tempore Bertulphum non ergaſtuli magis ærumna, quam uxoris in horas expectatæ deſiderium excruciabat; perlatæ demum literæ, quibus de conjugis adventu juſſus eſt deſperare, & jam triduum in querelis, non ſine ſtomacho, duxerat, cum in veſtibulo regiæ, fidicen peregrinus conſpicitur. Hic ſuaviſſimo concentu omnem viciniam, ac aulicos excire. Fuere qui ad principem referrent; jubet adduci. Cum pulſare teſtudinem paulatim incepiſſet, ſenſit ilico vultum hominis ſerenari, quo factum ut cum numeros modoſque docte variaret, brevi hominem totum occuparit. Iam cœna vocabat & una juvenem comitari, dapeſque concentu ſuo condire jubet. Epulis menſiſque remotis, Orpheum ſuum opipare haberi vult. Dum per aliquot dies illic commoratur, vidit mane captivos ex ergaſtulis ad lapicidinas deduci, & inter hos Bertulphum, quem, cum decimo poſt die, tyrannus quidvis petendi audaciam faceret, liberum dimitti poſtulavit, & impetravit. Accitus ad tyrannum Bertulphus, mortem præſagiebat, & libertate donatur. Iuvenem hunc redemptorem ſuum complectitur, in ſe immeritum ac ignotum tam benevolum, mille votis extollit. Ambo pariter patriam repetunt: jamque patrio ſolo vicini, ſimulat ſe fidicen in proximo pago quid negotii habere, propediem adſore. Interim Bertulphus ſummo civium ac nobilium plauſu excipitur, convivio exſtructo rationem itineris ſui exponit: at hoc maxime queritur, ab uxore ſe deſtitutum fuiſſe. Cum repertus eſt qui eam auſus criminari, marito abſente viram voluptuariam duxiſſe, plus ſex ſeptemve menſes domo abfuiſſe. Iamque ille diras omnes in uxorem evo-

UVA. BHSC. BU 02224

cvomere vixdum cœperat, dum nuntiatur fidicen adeſſe, cui ille aſſurgere & mille ſexcentis titulis patronum, parentem, ſoterem appellare, obſecrat ut nomen ac genus ſuum tandem aperiat. Renidens facturum ſe ſpondet, ſi conjugem toties infidam coram ſiſteret; ſed nuſquam reperitur, & ecce galero rejecto, & colere, quo ſibi perſonam fecerat, ſtrophio deterſo, momento ex peregrino fidicine, Ansberta prodiit, quæ fidicinem egerat. Qui hic affectus in conjugem tam fidam!

O anima ſacris delitiis, conſpectu ſponſi deſtituta! abiit à te, in terram ſanctam, Solymis captivus detinetur; omnem mundum muliebrem abjice, lachrymis ac orationis cithara revocandus eſt.



EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXVII.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.



QVODVIS PETE MVNVS. *Ovid. 2. Met.*

DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Oratio ad omnia efficax, si quid in Christi nomine petieris: uti pura charta, Regis subscripta nomine, potestas fit quidlibet impetrandi.

§. I. *Oratio ut omnipotens sit, in nomine ejus facienda.*

§. II. *Ars oratoria forensis potens est, sed præpotentior cælestis ad quidlibet impetrandum.*

§. III. *Divini Oratores, qui impetrarunt, quidquid rogarunt.*

§. IV. *Quemadmodum pecuniæ, ita à fortiori, orationi obediunt omnia.*

§. V. *Quemadmodum pecunia nervus belli dicitur, ita & in bello omnes vires, victorias uni orationi deberi.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. XVI.

CAROLUS *a* Imperator, nomine Quintus, secundo numine primus, Christianus Achilles, Europæus Alexander, cum Peruanam provinciam sibi reconciliatam cuperet, nobilem illum Gascam huic negotio destinavit, eique complures chartas candidas, solo nomine suo signatas (vulgo chartas blancas) dedit, eo consilio, ut quisquis privilegia, munera, aut munia quælibet postularet, si ea in charta virgine exaraſſet, jam impetraſſet. Hac tam libera & liberali indulgentia, rebelles animi in gratiam reducti, in gratitudinem redacti. Summus Imperator noster Christus ingeniosam hanc artem suggessit, paginam puram regio nomine signatam, nobis offerens: b *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et virginem chartam, nihil est quod rogando, quod orando impetrare non possitis.

In annalibus tam sacris, quam profanis legere, intelligere, & seligere est, promissiones perquam splendidas. 2. Reg. 2. Elias ad Elisæum: *Postula quod vis, ut faciam tibi antequam tollar à te.* Non inferior fuit illa Assueri: c *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

Huic consimilis illa Herodis ad Herodiadem: juravit illi: d *Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

e At longe ampliſſima summi Regis ad Salomonem: *Postula quod vis, ut dem tibi.*

Sed hoc tantum pro illo tempore, & illi soli, nunc omnibus, & semper, non dimidium, sed totum Regnum, & infra illud & supra illud, *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

f E profanis, Plutarchus & Thucidides, de Xerxe commemoravit, eum Themistocli si in Asiam redire vellet, adpromisisse tres civitates: unam frumento, alteram vino, tertiam omnibus aliis necessariis opulentam. Promissa splendida, cujusmodi inter homines quotidiana sunt, nec quidquam modernis aulicis antiquius, quam omnia promittere, & nil præstare. Quibus covenit illud Poëtæ:

Promissis dives quilibet esse potest.

Deus non modo promissis, sed & solutione promptus est; & si cui placet, illud Antverpiensi Præsuli Maldero adscriptum Anagramma, *Malo de re*, quam de verbis, aut vanis promissis gaudere. Is Deum fidejussorem habeat, qui & promittere & præstare valet, quæ nemo dare. *g* Fuit olim Aulicus Regi suo perquam charus, qui

a Drex. Rhet. l. 1. c. 2. sect. 4, b Ioan. 16, c Esther c. 5.

d Marci 6. *e* 3. Reg 3. *f* Plutarch. in Themist. *g* Camus Dom. 5. post. Pasch. Ovid. 7. Metam, Amb. serm, 869.

sagittæ

UVA. BHSC. BU 02224

sagittæ inscripserat: *Consequitur quodcumque petit.* hoc uni & soli orationi (quæ ab Ambrosio sagitta nuncupatur) emissa in nomine Salvatoris convenit: *Consequitur quodcumque petit.* Hæc enim verba, inquit Chrysostomus, *Omnis qui petit accipit, solus Deus dicere potuit, qui solus omnipotens est,* qui solus præstare potest. Quidlibet autem ut assequamur, in nomine suo petendum præcipit.

§. 1.

Oratio ut omnipotens sit, quomodo in nomine ejus faciendæ.

MAgna est vis nominis hujus. *a* Sanctus Gregorius ex ipso IESV nomine quæstionem solvit. *Nomen Filii,* inquit, *Iesus est; Iesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem attinet:* vel quidquid desiderat, in eum finem postulat. Nam ut August. ait. b *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.*

Euthymius, *in nomine meo,* id est, ut mei, à Christo Christiani. Ribera, *in nomine meo;* id est, velut à me missi. Cyrillus: c *in nomine meo* petitur, quod per Christum, velut mediatorem & collargitorem rogatur. Bernard. d *In nomine meo,* id est. *quidquid petieritis me secundum quod sum homo, dabo vobis secundum quod sum Deus.*

Chrysost. *in nomine meo,* hoc est per me, meaque merita, quæ optima orandi, exorandi, & quidvis impetrandi ratio, & oratio est, quam Ecclesia usurpat, dum quidvis *per Dominum nostrum Iesum Christum* postulare consuevit.

Molossitæ (gens cæterum inculta ac barbara) si quid à Rege suo supplices flagitassent, id enim vero per filium postulabant, eumque prensabant ulnis, stringebant brachiis, & paternis sistebant oculis, quem scilicet vel aspectu solo, ceu elingui oratione ad subditorum vota precesque flecterer.

Ita feciisse quondam auditus Themistocles, à Regina probe edoctus: Athenis ille exulare jussus, ad regem Admetum Orator venit, & filium quem manu prensabat ostendit. Oravit hic & certe etiam peroravit; at longe efficacius in cælesti curia, Filius ad Patrem perorat; quem ad supplicum vota, potenter inclinat summus amor in Filium, & summa in hominem Filii merita, quibus negari nil omnino potest.

e Porphyrius Gazæ Episcopus, pro eo quo erat in religionem zelo, ab Arcadio Imperatore petiit omnia idolorum fana solo æquari. Repulsam passus, libellum supplicem nomine Theodosii Iunioris recens nati, ac fonte lustrati, obtulit, & votis potitus est. Apud Hebræos, nomina primorum Patriarcharum, vim quidvis Impetrandi continere videbantur. Genesis 48. filiolis Iosephi

a Greg. hom. 27. b Aug. tract. 102. in Ioan. c Cyrill. lib. 11. c. 7. in Ioan. d Bern. serm. 7. in cœna Dom.

e Raderus in Aula S.

UVA. BHSC. BU 02224

bene precatur Iacob, dicens: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum.* ratus per ea quidvis impetrandum iri.

Ita deinde lapsis longe sæculis, per Davidis nomen optimi parentis, Salomon orare solitus: quod, si Rabbinis credimus, tantæ virtutis fuit, ut cum arcana vi Salomon templo arceretur, nec ulla humana industria fores referari possent, ad solam invocationem nominis *David*, è vestigio desiliisse, ac cuique patefactum aditum fuisse.

Si tantum potuit Davidis nomen, ut ferreos postes perruperit, adyta reserarit, si hoc nomen pro clavi fuerit, quid valebit nomen Christi? quomodo non cælos reserabit, & omnes thesauros cælestium gratiarum, oratio tali nomine recludet, cum Augustinus asserat: a *Oratio justi, clavis est cæli?*

Alteram loci hujus expositionem plane moralem, sacro Ecclesiastici convenientem adfert Osorius, quasi illud, b *in nomine meo*, idem sit quod *in syngrapho meo.* Seu chartam porrigat, in qua nomen manu propria subsignatum; in quo Christum ait, amantissimum parentem imitari, qui dum charissimum filium in partes exteriores destinat, cum omnia necessaria ad longinquum iter, citra incommodum & periculum secum asportare nequeat, quo illi universa suppetant, chirographa plura, in quamvis civitatem præstat (quæ vulgo dicuntur *librances*) scedulas cambii, nomine suo signatas, quibus ostensis, ei annumeretur quantum petierit, nec quidquam desit. In hunc modum oratio nobis concessa, Christi nomine signata, ubi Patri exhibita, in omni loco, in omni necessitate, quidquid petierimus, quasi ex debito, & contractu cum Filio inito persolvet, nec quidquam desiderari patietur. Nostis quanta vis nominis Regii, Pontificii in Bullis Apostolicis, diplomatis, literis patentibus? hæc duo verba, *EL REY*, quantæ virtutis? collatio dignitatum; Ducum, Comitum, Baronum, aliorumque officiorum tam in sago quam in Toga, omnem vim suam habent ex vi nominis hujus, *EL REY*: in litteris Assertoriis, vulgo pasportis, quantæ virtutis nomen Regis Galliarum, Belgii Archiducis, statuum Hollandiæ? codicilli, pia legata, testamenti tabulæ millium, millium millionum, vim suam habent in syngrapho, ex nomine Testatoris, propria manu tabulis subscripto.

In cambiis, apochis, contractibus, emptione, venditione, sponsalibus, ex solo nomine valor maximus est.

Ex quibus illa inaurandae Petri Chrysologi verba infero: *Si homo homini exiguæ chartæ obligatione constringitur, Deus* suo sanguine & nomine subsignavit, *& debitor non tenetur?*

Quidquid collibitum collibysta syngrapho exhibito exhibebit, & si quid petieritis Patrem in nomine talis Filii,

a Serm. 226. de Temp. b Osor. Dom. 5. post Pascha.

c Chrysologus ser. 25.

dene-

UVA. BHSC. BU 02224

denegabit? fidem habe fidejussori fidelissimo: a *Quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Sed ne singulas partes orationis sectando, volumina Tulliana, aut Tertulliana conflasse videar, soli perorationi, quæ potentissimos animorum motus concitare solet, insistam: & ut finis orationis est persuadere dictione, ita apud Deum non modo orationem quidlibet impetrare, sed quidvis Deo imperare posse, adeoque orationem omnipotentem demonstrabo.

a Ioan. 15.

§. II.

Ars oratoria forensis potens est, sed præpotentior cælestis, ad quidlibet impetrandum.

POtentiam disertæ orationis plurimum valere *b* Valerius asserit; *tamen sub propriis exemplis*, inquit, *quo vires ejus testatiores fiant, recognosci convenit.*

Regibus exactis plebs dissidens à Patribus, juxta ripam fluminis Avienis, in colle qui sacer appellatur, armata consedit: eratque non solum deformis, sed etiam miserrimus Reip. status, à capite ejus cætera parte corporis pestifera seditione divisa, ac, ni Valerii diserta subvenisset oratio, spes tanti Imperii, in ipso pene ortu suo corruisset: is namque populum nova & insolita libertate temere gaudentem, *oratione ad meliora & saniora consilia revocatum, senatui subjecit*, id est, *urbem urbi junxit.* Orationi ergo faciendæ, ira, consternatio & arma cesserunt.

Hæc etiam sanguinis cupiditate furentes compescuit: missi enim à sævissimis ducibus Mario & Cinna milites, ad M. Antonium obtruncandum, oratione ejus extemporali obstupefacti, destrictos jam & vibrantes gladios, cruore vacuos vaginis reddiderunt; quibus digressis Pub. Antonius (is enim solus in ambitu expers Antonianæ vocis steterat) crudele Imperium truculento ministerio peregit. Quam disertum igitur eum fuisse putemus oratorem, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modo vocem ejus ad aures suas voluit admittere. Sed ut alios mittam, Oratorum Princeps Cicero, Romanam Curiam in quam collibuisset sententiam pertraxit: inde Rex à quibusdam dictus est, quod mentes Senatorum regeret: ut vel maxime in Q. Ligario patuit, in quem ut Iulius Cæsar sententiam tulerit, Cicero peroravit, & absolvit. Orationis vim, quam pro se digesserat, sed non dixerat, Milo ut legit, facile intellexit: Si hanc, inquit, libere pro rostris pronuntiare Tullio licuisset, non comederem modo barbatos pisces. Verissime itaque pronuntiavit: c *Tantam vim habet omnium Regina rerum* ORATIO, *ut non solum inclinantem erigat, stantem inclinet: sed & adversantem & repugnantem quo velit inducat, deducat unde velit.* Inter Græcos Demosthenes gloriari solitus, non difficile

b Val. Max. lib. 8. cap. 9.

c Cic. 2. de Orat.

sibi

UVA. BHSC. BU 02224

sibi esse, perorando causſam malam, ut vellet, bonam reddere: id vel ex eo colligas, quod Athenienſes modo arma ſumebant, modo pacem cum Philippo Macedone componebant, modo bellum gerebant, prout Demoſthenes civium animos huc atque illuc oratione ſua flectebat. Ita Græcus hic orator pacem & bellum ferebat lingua, alterutrum quod voluiſſet effuſurus. *a* Eadem perorandi vi Piſiſtratus, Pericles, aliique excelluere, quos Mendoſa noſter in amœniſſimo viridario, appoſite peritiſſimo iſti Citharœdo Alexandri, aut Henrici Regis cognomento Boni, compoſuit: Apud hunc, inquit, fuit quondam neſcio quis, citharam pulſandi peririſſimus, qui à Rege exoratus, primum fides graviter remiſſas, fracta & nutabunda digitorum viciſſitudine percutiens, tam inuſitatæ ſeveritatis concentum elicuit, ut regi quendam veluti ſtuporem injecerit, lachrymas excuſſerit, totum vultum incredibili mœſtitia complerit. Subito vero digitis celeriter incitatis, nervis ad plauſum hilariter ac feſtive commotis, molliores vegetioreſque ſonos, in illius aures induxit: quibus rex tanquam illecebris incitatus, non modo hauſtum dolorem ſepelivit, verum etiam maximo riſu exultabundus, in ſaltus geſtuſque erupit. Poſtremo chordis ad vehementiores modos acriter pulſatis, neſcio quid horridum & incultum, regis aures perculit, quod illius animum tanta immanitate efferavit, ut rationis minime compos fremeret, deſæviret, magnam ſatellitum ſtragem ederet, majorem haud dubie facturus, niſi congeſtæ undique à militibus pulvinarium moles, furentem retardaſſent. Videtis unius Citharœdi poteſtatem; at in ea obſecro adumbratum viri juſti apud Deum precantis imperium agnoſcite. Hieronymus certe de cæleſti oratione loquens, ait: b *Hæc eſt lyra noſtra, hæc cithara, in hac cantamus Domino.*

Hæc omni Citharœdo argutior, omni oratore facundior, ipſum Deum, in quas voluerit partes, potentiſſime flectere, & arbitrio ſuo quaſi obedire compellit. Hoc ne temere, Salvianum induco ſic ſentientem. *Quod ſcriptura ait, aures Domini in precibus ſemper eſſe juſtorum, non audientia tantum Dei, ſed quædam quaſi obedientia Dei deſignatur.*

Ecquis unquam ita judicem orationis lenociniis incantavit, ut quaſi vinculis conſtrictus, ab eodem ſe diſſolvi poſtularit? Hoc orationis faſcino Moyſen uſum fuiſſe legimus, dum velut faſciis quibuſdam Omnipotentem ita colligavit, ut exclamarit: c *Dimitte me.* Quod expendens Hieronymus d: *Quando dicit, Dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe, ne faciat quod minatus eſt.* Dei enim potentiam, fervi preces impediebant.

Ea propter jure exclamat Greg. ille Nazianz. e *O ſacrum & divinum opus orationis!* O-

a Mendoſa virid. l. 6. Orat. 9. n. 127. De Time hęo Citha. Alexand. v. Marian. de Regis inſtit. l. 2. c. 7.

b Hieron. in Pſ. 143. c Exod. 32. d Hier. ep. 12. ad Gaudent. e Orat. 1. de Orat.

pus.

UVA. BHSC. BU 02224

Pus plane divinum quo homini Poteſtas, quaſi omnipotentis quidlibet patrandi confertur. Ita Petrus Chryſologus, oratione ſola Moyſen quaſi omnipotentem agnoſcit: a *Per hanc*, inquit (orationem) *Moyſes fit Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi omnia mandat elementa.* Quibus longe concedit omnis Tullii facundia.

Aër ceſſit dum intemperiem ejus, preces non ſemel temperarunt. Elias pro libitu cælum aperire, & operire viſus eſt: b *Iubet, & clauditur cælum; orat poſtmodum, & aperitur, ut Sanctorum meritum monſtraretur, non ſolum in terris poſſe quod voluit, ſed & cæleſtibus poſſe impetrare quodcumque petierit.* Hæc Chryſoſtomus.

Neptunus non ſemel tumentes fluctus levi oratione placavit, quin tempeſtate ſæviente Ionam fluctuantem tempeſtivo hoſpitio excepit, de quo Nyſſen. *Oratio Ionæ, cetum domum effecit.* Ob nauli penuriam, cum tranſvectionem nauta Franciſco de Paula denegaret, calcavit elementum, in famulatum ſubeunte natura. Molem terræ, potentius quam Archimedis machina, non ſemel oratio concuſſit. Act. 4. *Cum oraſſent* (Petrus & Ioannes) *motus eſt locus in quo erant congregati.* Orantibus media nocte Paulo & Sila, c *terræmotus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris.*

Ignis vero agens fortiſſimum, quoties ad Virginum ac Martyrum preces, aut ſubito reſtinctus, aut altiori vi retentus ſit, d tres illi pueri in medio fornacis innocui luſitantes, aliaque ſacrorum annalium teſtimonia, ſatis loquuntur. Si hæc parva videantur, adjiciam majora: Omnes morborum legiones orationi ſubjectas, mortuorum agmina orantis imperio, ſuis tumulis ad vitam revocata, ſacræ ac profanæ hiſtoriæ, me tacente locuplete teſtantur. *An non omnipotens ergo*, quærit Bernardus, *cui omnia poſſibilia ſunt?* Si omnipotens divinus orator, certe orationem, ex homine Deum quemdam facere convincemus. quod ingenioſus Poëta Martialis diſerte inſinuat:

Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Facit vel ſe ipſum Deum, cum rogando & orando ſe omnipotentem experitur.

a Chryſologus ſer 43. b Chryſ. de Elia ſer. 2. c Actor. 16.

d Danielis cap. 3.

§. III.

Divini Oratores, qui impetrarunt, quidquid rogarunt.

CHryſoſtomus l. 2. de orando Deo: *Age jam & illud exponamus vobis, quam multis Sanctis datum, deprecationis præſidia ſervare non ſolum gentes ac civitates, verum etiam orbem univerſum; in mentione vero deprecationis, primus occurrit Paulus ille inſatiabilis Dei cuſtos, ille cuſtos orbis terrarum, qui per deprecationem & aſſiduam obſecrationem, omnes gentes ſalvas fecit, ſemper illud dicens nobis: Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

alis

UVA. BHSC. BU 02224

Talis erat oratio Beatorum Dominici & Franciſci, qui ne orbis ruerer, alter Atlantem, alter ſe Herculem exhibuit. Hieronymus exponens illud, [a] SUB QUO CURVANTUR, QUI PORTANT ORBEM: *Hi ſunt*, inquit, *qui per orationem curvantur, humeroſque periclitanti orbi ſubmittunt.* ſic Abraham portavit orbem, ſic Loth ſuis precibus provinciam, Moyſes univerſum populum.

Tales hodieque ſunt orationes amicorum Dei, qui vim Deo faciunt, quod petunt, impetratum auferunt, volucribus, piſcibus, feris, aſtris, creatis omnibus, ipſi creatori vim gratam preces inferunt, & ſibi quaſi ad nutum & ad delicias, *tamquam ſervum emptitium*, ut ait S. Thomas, cogunt famulari. [b] *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, ut audiat & exaudiat. Sic ipſi Thomæ Aquinati ægrotanti, piſcesque appetenti, ibi ubi decumbebat, ignotos (recentes Haleces erant) eoſdem per miraculum ſubmittit. Illud ipſum uſu venit è Societate noſtra viro Apoſtolico P. Petro Caniſio, quem itidem ægrum vehemens cupido inceſſerat carnibus certæ cujuſdam aviculæ veſcendi, qualis fruſtra alibi quærenda, per feneſtram in cubiculum advolavit, ſeque nullo negotio capiendam, tantum non ultro obtulit: in quo vel hoc potentiam orantis maxime manifeſtat, quod antequam peroret, deſiderium Deus audiviſſe videatur, juxta illud Iſaiæ: [c] *Antequam clament, exaudiam.*

[d] Si gloriari potuit Hierophantus Themiſtoclis filius, quidquid voluiſſet, id populo quoque Athenienſi probari; ſuæ enim ſententiæ matrem ſuffragari, hujus Themiſtoclem, cujus omnes Athenienſes ratum haberent decretum; quanto meliori jure cæleſtis orator dixerit, conceſſam ſibi eſſe omnipotentiam divinam, & quidquid petierit, hoc omnes creaturas, cælites, Deum ipſum promptiſſimum præſtare. Quod de ſe aliquando confeſſus eſt [e] B. Dominicus vir cætera oris modeſtiſſimi; auditus tamen eſt dicere, *ſe nihil unquam à Deo petiiſſe, quod non impetraſſet.* Excepit has voces ſociorum aliquis, & continuo ſubjungens: Mi pater, inquit, pete obſecro, ut ille celeberrimus Doctor Conradus in tuam adſcribi velit familiam. Cui Dominicus: Difficile id quidem eſt, inquit; ſi autem id petam, futurum confido ut impetrem. Proximam noctem totam orando traduxit: ſequenti mane Doctor Conradus ad cœnobium venit, & à Dominico in Religioſam familiam admitti poſtulat. Adeo verum illud Auguſtini: [f] *Sancti ad ſalutem per omnia exaudiuntur.*

Bernardus ille mellis fluvius, complures genere, divitiis, eruditione præſtantes in ſuam familiam precibus adlexit. Inter ceteros Gaufridum de Perona, quem jam nutabundum, & ab aratro ſæculum reſpicientem, oratione

[a] Iob. 9. [b] S. Thomas opuſc. de Bentitate cap. 7. [c] Iſai. 65.

[d] Plut. de liberis educ. [e] In vita [f] Auguſtinus in epiſt. 1. Ioan. cap. 3.

per

UVA. BHSC. BU 02224

per transennam fusa, ita confirmavit, ut idem Gaufridus de parente suo, viro bene opulento, solicitus, Bernardum oblento, solicitus, Bernardum obnixe rogarit, patri suo emendatiorem vitam precibus suis impetrare ne gravaretur. Cui Bernardus: Ne male metuas, ego illum probatum Monachum, in hac Clara-valle meis manibus sepeliam. Vtrumque fuisse verissimum, eventus docuit.

Non minoris efficaciæ orationem dixero, quæ peccatori gratiam, & vel invito salutem contulit.

Talis Elisabethæ principis, quæ uni suorum aulicorum, vehementissimum de noxis dolorem impetravit.

a Talis oratio B. Lutgardis, quæ ut advertit Venerabilem Iacobum de Vitriaco deperire religiosam quandam ægram, Deum potenter oravit: *Aut separa me à te, aut hominem pro quo te rogo, sana, etiam non volentem.* Et eodem momento alter resipuit. Denique ut orationem in pauca contraham, de Anna Samuelis matre, hoc Oris aurei oraculum est: b *Orando omnia quæ voluit effecit.* Vt merito orationis potentiam, quidam clarius illustrantes, pecuniæ, cui obediunt omnia, comparare non dubitarint.

a Pennegnin amour divin. part. 3. c. 28. *b* Chrysost. hom. 1.

§. IV.

Quemadmodum pecuniæ, ita â fortiori, orationi obediunt omnia.

THiraquellus *de nobilitate l.* 3. docet, pecunias facultates appellari, quod ad res omnes facultatem, adeoque facilitatem, præbeant: nam quidquid in urbe carum, in orbe rarum; quidquid voluptati natum, voluntati gratum, id omne, insuper.

c *Et genus, & formam, regina pecunia donat.*

Forum omne circumspice, quidquid humanis usibus commodum & congruum, calcei, caligæ, pannus, panis, piscis, lana, linum, id omne pecunia venale est.

Officinas ingredere, Nundinas contemplare, quidquid oculis delectabile, quidquid cupiditati acceptabile, id omne pecunia venale est. Ad diversorium diverte, quidquid deliciarum, quidquid cupediarum, quidquid palato acceptum, id omne, etiam ex ultimis finibus terræ, ad tinnitum pecuniarum, ad tintinnabulum, quod in tabernis ad manum, advolat: Massica, Chia, Falerna, Mosella, Rubella, *quidvis nummis præsentibus opta*, veniet & eveniet vobis; vel ipsa Veritate attestante: *Pecuniæ obediunt omnia.*

Nunc vero si orationem pecuniam ostendero, nonne omnia ei obedire, quidvis precibus, non secus ac pretio comparari posse comprobaro? ubi occurrit imprimis illud Apulei, d *Non levi mercede emit, qui pre-*

c Horat. l. 1. Ep. 6. d Apul 1 3. florid.

catur.

UVA. BHSC. BU 02224

catur, aut parvum pretium accepit, qui rogatur. Cicero in Verrem: *Emere,* ait, *malo, quam rogare.* ac si rogatio majus quolibet pretio pretium esset; nec immerito, cum preces ingentis pretii loco sint; ut probat illud Gen. 4. ubi Eva: *Tossedi hominem per Deum.* Ex Hebræo vertunt alii, *Emi virum à Domino*; sed quo pretio, scite hic Oleaster ad mentem nostram, *Forte Dominum pro filio deprecata est, & precibus emit.*

Rem acu tetigit *a* Ozorius: Qui pecuniam habet, omnia habet, quæ illi necessaria sunt: quia ea data omnia emere potest. *Ita,* inquit, *oratio est pecunia spiritualis,* qua media omnia acquirimus, quæ volumus: est enim illa instrumentum generale, quo omnia nobis acquirenda sunt. Quare sicut de pecunia Ecclesiasticus ait: *Pecuniæ obediunt omnia.* ita eadem Veritas de oratione: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.*

Pecunia vinctos carcere exemit, judices corrupit, morti eripuit. Oratio Danielem ex lacu leonum, Petrum ex arctissimo carcere, sic eductum scribit Chrysostomus: b *Vis discere quanta sit orationis in Ecclesia facta potentia? vinctus erat Petrus, multisque catenis circumdatus.* ORATIO AVTEM FIEBAT SINE INTERMISSIONE AB ECCLESIA AD DEVM PRO EO, *& statim eum à carcere liberavit. Quid hac igitur oratione potentius?*

Pecunia & aurum, ut Poëta canit, omnia penetrat, *potentius ictu fulmineo.* At longe potentior oratio, nubes fulmine ocyor, penetrat saxa & rupes pervadit. Talis Marci Aurelij Cæsaris Christiana fulminatrix legio, non sibi solum largissimos imbres insiti, sed in hostes fulmina, precando, cælo evocavit. Pecunia Christum Iudas vinciri fecit: melius Moyses oratione Deum, ut clamarit, *dimitte me.* Hæc omnia ut pecunia valeat, longe tamen pluris valet oratio justi. Quis pecunia eloquentiam, quis sapientiam sibi emere potest? teste Sapiente: c *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* hanc autem precatione sibi innumeri compararunt. Quis pecunia morbum pellere, quis vitam emere, quis cælum claudere, & aperire solem sistere, retrogredi, montes movere, aliaque supra naturam portenta effecit? hæc omnia aliaque innumera ex sacris paginis sola oratione complures veri Thaumaturgi patrarunt. Elisæi oratio ferrum natare jubet, oratio rapidissimum solis cursum adversus Gabaonitas stitit, oratio umbram in horologio Achaz decem lineis retroëgit, oratio Sunamitidis filium ad vitam reduxit, oratio Saræ domum à dæmone liberavit, oratio centum & octoginta millia hominum in Sennacherib castris exstinxit. Plus dico, oratio decies centena millia Zaræ ducis interfecit, dum Asa sic apud Dominum paucis precatur: d *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus:*

a Ofor. Dom. 5. post Pascha. b Chrys. homil. 29. ad popu. Act 12.

c Prov. 17. d 2. Par. 14.

adjuva

UVA. BHSC. BU 02224

adjuva nos Deus noster: in te enim & IN NOMINE TVO *habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem*. Tantarum virium fuit hæc oratio, inquit sacer Codex, ut Domino præliante, tot centena millia prorsus cæsa, & deleta sint.

a *Ante diem clauso componat*
vesper Olympo,

quam ego potentissimos orationis effectus percenseam. Vnum hac tempestate adnotasse sufficiat.

a Virg. lib. 1. Æneid.

§. V.

Quemadmodum pecunia nervus belli dicitur, ita & in bello omnes vires, victorias, ac triumphos, uni orationi deberi.

CHrysost. hom. 2. de orando Deo: *Quod quis animi nervos preces appellaverit, mihi profecto vere dicere videatur: etenim ut corpus opinor nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactum est, iisque incisis, omnes corporis numeri dissolvuntur; sic animi* (in bello) *per sanctas preces & conglutinantur & constant, cursumque habet pietas facilem, ac secundum*, totumque belli corpus, orationis nervis potissimum consolidatur.

Dixerit Asdrubal de Hannibale, plures urbes Italiæ eum pecunia, quam armis expugnasse, & ejus solo defectu, non militum, Italia excedere coactum. Plures certe oratione urbes expugnatas, validissimas hostium acies fusas, ex sacris *Scripturis*, inquit Cyrillus; b *si quidem qui videre voluerit, potest facile.* Summus Hebræorum Sacerdos Iaddus, Alexandrum Macedonem precibus expugnavit: Basilius Valentem Imperatorem sacrificiis terrefecit: Leo Pontifex Hunnorum regem, Dei flagellum Attilam, sola oratione devicit.

Illius preces armatæ fuerint necesse est, qui solus & inermis copiosissimum exercitum fugarit ac superarit. Fecit hoc clarissimus Orientis Apostolus, mundi jubar, Societatis nostræ columen Franciscus Xaverius: cum enim innumera multitudo Barbarorum, quos Badegas vocant, effera, sanguinaria, truculenta, belluis quam hominibus propior, in Christianos sacro de fonte recens susceptos, insiliret, omnes sine dubio perditura; Xaverius, prius numine multis cum precibus & lachrymis implorato, solus & inermis occurrit, & cædes ac minas anhelantem, unico aspectu & affatu ita terret, ut effusior in fugam se convertat, quam ad pugnam convolarat. c Igitur non minus per oratores, recte subdit Mendosa, quam per bellatores, hostiles exercitus divinitus atteruntur.

d *Magna arma sunt preces*, clamat Chrysostomus. Hoc fortassis innuere voluit cælestis sponsus, dum sic prædilectam suam sponsam collaudat: e *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Super quem locum attonitus hæret Theodoretus, quid hæc sibi velit rerum maxime dissimilium connexio?

b Cyrill. Alexand. l. 7. contra Iulian.

c Mendosa l. 1. reg. c. 7. num. 7. d Chrys. hom. 13. in c. 6. Matth. e Cant. 7.

Quid

UVA. BHSC. BU 02224

Quid chorus cum armis commune habeat? Arma ad milites, chori ad Religiosos spectant. Vnde dicit:a *Quid chori cum castris? Neque enim castris conveniunt chori: Pax enim bello contraria est.* Ecquis hæc duo incomparabilia non videat? Etenim in choro Religiosi, in castris milites degunt: in choro Psalteria, Breviaria, Missalia, libri Rituales & pij: in castris gladii, sclopi, tormenta & instrumenta bellica reperiuntur. In choro silentium, devotio aut sacer concentus: in castris vociferatio, strepitus tympanorum ac tubarum clangor auditur. In choro, Christi Deiparæque, aliorumque divorum statuæ, ac imagines: in castris galeæ, loricæ, vexilla, equitum peditumque turmæ conspiciuntur. In choro humillime supplicamus, in castris superbe prætendimus. Ecquid igitur res adeo dispares divina Sapientia inter se comparavit? *Nimirum*, inquit idem Theodoretus, *natura orantis animæ per hoc nobis exprimitur; etenim dum apud Altissimum preces fundit,* & MVSICI *officium facit*, & MILITIS. At ne quis hic magis demiretur quî fieri possit, ut quis duobus hisce adeo contrariis muniis *Musici* & *Militis* fungi possit; subjungit: *Musici quidem, dum placat iram; militis vero, dum vincit invincibilem.* Vnde regius Psaltes hominem orantem describens, ait: b *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* Vt non nudæ dumtaxat voces censendæ sint, verum & præacutorum ensium virtutem exerant. Vt recte Chrysostomus: c *Ostendens per hoc quod canentes & laudantes, sic vincent.* Verissime itaque *magna arma sunt preces.*

d Divus Augustinus de Theodosio Iuniore commemorat, eum adversus Eugenii Tyranni validissimum exercitum *magis orando quam feriendo pugnavisse*, stupendo sane prodigio: *milites* porro *qui aderant, nobis retulerunt, extorta sibi esse de manibus, quæcumque jaculabantur, cum a Theodosii partibus, in adversarios vehemens ventus iret, & non solum quæcumque in eos jaciebantur, concitatissime raperet; verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret.* Ad quem eventum alludens Ambrosius, & accommodans illud Davidis: e *Gladius eorum intret in corda ipsorum*; *Sæpe*, inquit, *jacula in ipsos, qui ea jecerint, refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello: ut subito ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium, atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret.* Hoc in pluribus aliis consimilis eventus comprobavit. Quis in illo celeberrimo conflictu dimicavit? in quo nemine è castris Honorii Imperatoris desiderato, imo ne saucio, centena Gothorum millia, ut refert *f* Augustinus, aut ut Orosius, ducenta millia ceciderunt, & cum liberis suis eorum Rex Rhadagasius. Denique ut *g* Cyrillus Alex. ait: *Quod per omnipotentem Deum*

a Theodor. in Cant. 7. vers. 1. *b* Psal. 149.

c Chrysost. in Psal 149. *d* Aug. l. 5. de civit. cap. 26. e Psalm. 36. *f* Aug. lib. 5. de civit. cap. 23. Orosius l. 7. c. 37. *g* Cyrill. l. 7. contra Iulian.

sæpis-

UVA. BHSC. BU 02224

ſæpiſſime victæ ſint fortes & inexpugnabiles hoſtium acies, ex ſacris Scripturis, ſi quidem quis videre voluerit, poterit facile. Nam divinus quidem Samuel, Iudæorum terram Philiſthinis bello depopulantibus, gravemque & moleſtum impetum facientibus, precibus ad Deum fuſis, grandinem de cœlo deſcendere fecit tam copioſam, & gravem, & intolerabilem, ut pedeſtri exercitu, cum equitum alis cadente, abſque labore Iſraëlitæ victores evaſerint, & pro his, qui Deum timebant, cœlum arma moverit. Sed hæc omnia miſſa facio, & ad fontes remitto, qui uberrime ſcaturiunt, Mendoſam noſtrum *lib. 1. reg. 7. annot. 28. ſec. 3. & 4.* Ribadeneiram *de principe Chriſtiano lib. 2. cap. 42.* Alexandrum Calamato diſcurſu mor. 55. Drexelii Rhet. cæleſtem; qui pertractate orationis vires, victorias partas recenſent. Vnum ego hic Carolum V. in quo cum ſint omnia, præterire minime poſſum, qui non tam pugnando quam orando, has hactenus inauditas victorias conſecutus eſt. Contra Ottomannicam lunam lunavit arcus, ſexcentas in eum Turcarum Chyliades Deus alliſit, ut frangeret: *a* his conſpectu ſuo Solimannum ante Viennam, velut prænuntia fulminis luce, ſic perſtrinxit, ut nunc trecentis, nunc prope ſexcentis ſuorum millibus armatum, obſidionem ſolvere & fugere compulerit: ſeptuaginta bella Deo auſpice fortiter ſuſcepit, & feliciter confecit: cujus bellatrici manu relatæ manubriæ fuerunt decies octingentæ urbes, & totidem naves ſpolia: caſtella ſupra centum millia, numquam acie aut prælio victus. Plus ultra hunc orbem, in orbe novo metam fixit, ubi octodecim præliis totidem reges debellavit, è quibus Atabalida ultimus Cuſcorum regum, ſeptuaginta aureorum milliones intra dies 70. appenſurum ſe ſpoponderat, ſi libertate donaretur. At quid hunc Carolum Imperatorem invictiſſimum, tot urbium Triumphatorem, orbis domitorem effecit, niſi orationis panoplia? per omnem namque vitam, divinæ rei quotidie interfuit, quotidie duarum horarum precibus, primum mane Deo dicavit, preces inſuper canonicas indies recitavit: duas itidem horas orationi dabat à cœna, plerumque flexis genibus, ut multi, qui eum tam domi quam militiæ adeo prolixum in precibus adverterant, dicere ſolerent: *Carolus cum Deo ſæpius, quam cum hominibus loquitur.* In ſingulas bellorum expeditiones, novas ſibi preces & componebat, & ſuapte manu deſcribebat, quæ prolixitate Pſalmos pœnitentiales ut minimum æquabant; quas prius cenſendas dabat, approbatas quotidie vel in acie recitabat, adeo in illo valuit quod Auguſtinus de Theodoſio: *Magis orando, quam feriendo pugnavit.* Atque hinc illa in rebus gerendis felicitas, hinc tot bella tam feliciter geſta, hinc tam inſignes partæ victoriæ; ut Galli eum Herculi, Carolo Magno Germani,

[a] Scriban. polit. l. 2, c. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

mani, Itali Davidi, Scipioni Africano Siculi, Alexandro Magno Hiſpani, Turcæ Iulio Cæſari, Afri Hannibali æquiparint.

Nunc Pyrrhus jactare deſinet, plures urbes Imperio ſuo additas oratione Cyneæ legati, quam ſuis armis; orbem certe Carolus oratione potius, quam armis ſubjugavit. Hujus qui victorias, qui Lauros æmulantur, orandi ſtudium ſectentur, & non modo in bello, ſpiritus etiam nequitiæ triumphando Victores, ſed & quidquid petierint, impetrando omnipotentes ſe fore confidant.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXVIII.

Vt non ſcandalizemini. Ioan. 16.



PATRVM VESTIGIA DVCVNT. *Iuven. Sat.14.*

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

De ſcandalo, quod, ut D. Thomas docet, potiſſimum conſiſtit in malo exemplo. Vivum ejus ſymbolum habes in cancro marino, qui parvulos ſuos de diſtorto ac enormi greſſu coarguens, rogatur à ſuis ut præiret: illis longe enormius incedens, peſſimo exemplo fuit.

§. I. *Filios inſiſtere veſtigiis parentum.*
§. II Regis ad exemplum totus componitur orbis.
§. III. *Vis exempli, exemplis manifeſtatur.*
§. IV. *Quam grave ſit peccatum ſcandali.*
§. V. *Pœna in eos, qui ſcandalizaverint unum de puſillis.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

Vt non scandalizemini. Ioan. 16.

INTER celeberrima artis ac industriæ humanæ monumenta, illud vel momenti maximi, Dianæ Ephesinæ templum contemplandum occurrit: in quo opere, testante *a* Plinio, ducentis viginti annis, universa Asia opes ac operam impendit. Longitudo erat 315 pedum, latitudo 220. columnæ 127. à singulis regibus, sexaginta pedum in altitudinem erectæ, *munificentia*, inquit, *vera admiratio*. Hæc augustissima moles tanto molimine exædificata, uno die, imo hora, destructa ac in cineres redacta à perditissimo incendiario Herostrato, qui sacrilegis hisce flammis, nominis splendorem usquequaque diffundendum, & hoc tam illustri facinore, se orbi spectandum arbitrabatur; verum fama ejus hac flamma adeo denigrata est, ut publico edicto nomen ex omnibus annalibus ac libris erasum & penitus obliteratum sit. Monstrum hoc hominis omnes execramur. Quid si etiamnum bustuarios supereſſe monstraro, qui molem longe præstantissimam sacrilegis manibus demoliri, ac funditus destruere non verentur? qui templum non manu factum, sed opus Excelsi, b *templum Dei sanctum*, habitaculum Spiritus sancti; animam, inquam, miraculum naturæ maximum, quæ ab Apostolo c *Dei ædificatio* dicitur, incendunt, ac destruunt, dum scandalo ac pravo exemplo, proximum in ruinam inducunt. Diserte Doctor Angelicus: d *Scandalum est dictum vel factum minus rectum, præbens proximo occasionem ruinæ.* Hinc passim Scripturæ ac PP. exemplo bono proximum *ædificari*, scandalo *destrui*, ac in *ruinam* duci pronuntiant. 1. Cor. 4. e *Accepistis potestatem à Domino in* ÆDIFICATIONEM *aliorum, non in* DESTRUCTIONEM. Et Lorin. in Acta c. 9. v. 31. Voces, inquit, ædificandi & ædificationis, significant quoddam incrementum ex mutuis exemplis, ceu lapidibus. Vnde dici solet quis loqui verbum ædificationis, f *hominibus loquutus ad ædificationem*, aut dare bonam ædificationem, aut esse homo ædificationis, seu ædificativus; & Apostolus 1. Cor. 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* Ita è contra qui aliis scandalo est, aut malo exemplo, illis est g *in destructionem.*

Hinc ad Rom. 14. commonet: *Noli propter escam destruere opus Dei.* Contingit autem, ut D. Thomas ait, h *aliquem disponi ad ruinam spiritualem, per dictum vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, vel exemplo alterum trahit ad peccandum; & hoc proprie dicitur scandalum.* Verbi gratia,

a Plin. l. 36. c. 14. b 1. Cor. 3. c Ibid.

d D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. e V. etiam Cornel. in 1 ad Thessal 5. f Rom. 15. & 2. Cor. 13. h D. Thom cit.

UVA. BHSC. BU 02224

gratia, ſuadet quis alteri contractum injuſtum, peccat ſcandalo. Alterum quis incitat ad vindictam, ad duellum, peccat ſcandalo. Alteri quis operam ſuam addicit in cauſa iniqua, peccat ſcandalo. Præſcribit quis, aut præbet pharmaca ad procurandum abortum, peccat ſcandalo. Alterum quis urget frequenti hauſtu ad ebrietatem, peccat ſcandalo. Denique quandocumque proximo præbet occaſionem peccati, id eſt, ruinæ ſpiritualis. Sed ne hic latius evagemur, in poſtrema illa ac primaria ſcandali ratione, quæ in exemplo conſtituitur, inſiſtemus, cum in eo ad permovendum ac pervertendum vis ſit maxima, magno teſte Gregorio, a *plus exempla, quam prædicamenta ſuccendunt.*

a Gregorius in Dialog. c. 1.

§. 1.

Filios inſiſtere veſtigiis parentum.

APologus non infacetus exponit illud Aquinatis Poëtæ:

---- b *Patrum veſtigia ducunt.*

Cancer marinus numeroſam ſuam ſobolem, in littore palabundam attentius contemplatus, advertit omnem progeniem inconcinnos ac diſtortos greſſus figere, & ceu varis omnes pedibus enormiter vacillare: increpuit, ac recto pede incedere juſſit; ſed liberi parentem libere admonere, præire vellet, & recta veſtigia figeret, quibus ipſi inſiſterent; tum grandævus ſenex, ubi divaricato crure, longe inconcinnius claudicavit, ſuis riſui fuit, patuitque ut ille ſuos majores, ita *patrem ſequitur ſua proles*, & ut vulgo dicitur:

'T kindt heeft het aertje, naer ſyn vaertje.

---- *Patrum veſtigia ducunt.*

Theodoricus Rex Gothorum apud Caſſiodorum, cum ad Senatum populumque Romanum ſcriberet. *Facilius eſt*, dicebat, *errare naturam, quam diſſimilem ſui facere Rempublicam*: facilius ac frequentius accidere, hominem vegetum ac validum, gignere prolem morbidam ac imbecillem: virum ad unguem expolitum & omnibus membris abſolutum, prolem claudam, luſcam aut mutilam: virum eruditum ac ingenioſum, filium ſtolidum aut ſtultum, quam ut parens potator aut ſcortator, habeat liberos pudicos ac temperantes; quam ut uxor & maritus inter ſe palam liberiores, famulos & ancillas continentes, imo vel filias habeant, ut recte obſervat S. Vincentius:

c *Mater venalis, docet ut ſit filia talis.*

Scilicet, expectas ut tradat mater honeſtos,
Aut alios mores quam quos habet.

quam ut in familia, ubi aſſidua jurgia diræ, execrationes, imprecationes blaſphemiæ, pueri ac domeſtici verecundo ac honeſto ſermone ſint. Compertum hoc nimis:

Soo de oude ſongen, ſoo pepen de jongen.

Tradit Majoragius, luſciniam maxime ſolertem ac ſolicitam

b Iuvenalis Sat. 14.

c Vincent ſerm. in Nati. B. V. Iuvenalis Sat. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

esse, ut pulli recte modulentur, eosque avide auscultare parentem, ut voces ejus quam proxime imitentur; quo fit, inquit, ut juniores philomelæ captæ, minus concinne modulentur, quam quæ diutius parentem magistram observarunt. Cujus inter homines utinam non exstaret exemplū! In partibus Leodiensibus puer rogatus, quod nomen matri esset; a *Charongne*, inquit, nec alio unquam nomine à patre nuncupari. Rogatus quod nomen patri, *Diable*, inquit. quod fratri, *Petit Diable*. quod nomen ipsi, *Petit crapaut*. Nonne hi pulli crocitant, ut à majoribus edocti sunt? *Patrum vestigia ducunt*. Parentes, Præpositi, ac Prælati, omnes à Christo *lux mundi* nuncupantur, quia Solis ac Lunæ vices gerunt. Genes. 37. *Vidi per somnium quasi solem & lunam, & stellas undecim adorare me.* In omni familia sol & luna parentes, in regno Principes. Si sol in oppositione cum luna, terra aut nube interposita, uxor cum marito; derepente eclipsis oritur, omnia sublunaria in caligine ac turbis vertuntur. In Republica, ubi eclipsis inter Consulem & Gubernatorem, inter Capitulum & Episcopum, inter Monachos & Prælatum, quid non in populo turbarum ac tumultus? Alphonsus de Principum vita differens: Ut heliotropium, inquit, ad Solem, ita populares ad Principum mores convertuntur, imo

a Candelabrum myst. Marchant tr. 8. prop. 3. lect. 2, b Beyerlinck Apoph. p. 507.

§. II.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

IDem à fortiori, in Prælato Ecclesiastico locum habet; nam, ut S. Isidorus observat, *Pontifex*, dictus est à *ponte faciendo*, quasi fit *via sequentium*. Quod expressius Bernardus Epist. 42. ad Henricum Archiepiscopum: *Hoc enim agens, populis non solum pontificis officium, sed & etymologiam nominis; pontem utique teipsum faciens inter Deum & proximum.* ut sis exemplo tuo, quasi c *Via sequentium*. Quin & veteres ut sacerdotem exprimerent; pingebant venerabilem senem, una manu solem, altera horologium tenentem; quo innuere volebant, per solem, vitam sacerdotis debere esse illustrem; per horologium, omnium subditorum vitam ac mores, ex ejus directione pendere. Aut si mavis, Superiores ac parentes sunt index horologii, horæ vero sunt ipsi liberi, qui male notant ac signant, quando horologium patris turbatum, quando illud male sonat, objurgat, pulsat sine ratione. d Sunt denique Prælati lux mundi, ut luceant non sicut ignes fatui, qui, ut Delrio ait, pelliciunt in stagnorum fluminumque voragines ac præcipitia: sed tanquam Pharos, ad quam se navigantes dirigunt, & ad portum salutis tendunt. Liber hoc, sensu ac consensu Prælatorum Ecclesiæ, qui Tridentino

c Tympii speculum magnum, signum de 73. vita exemplari. d Delrio disq. mag. lib. 2. quæst. 10.

inter-

UVA. BHSC. BU 02224

interfuere, confirmare: sic enim sess. 6. cap. 1. declaratur: *Integritas præcedentium, salus est subditorum*; & contra, eorum perversitas, vorago ac præcipitium est subditorum. Vnde Eccles. 10. a *Qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Secundum judicem populi, sic & ministri ejus.* Quod experientia edoctus, ac probe noscens Carolus V. dicere solebat, se, quamcumque civitatem ingrederetur, quamprimum in tria PPP. inquirere, ac observare: an bonus b *Pastor, Prætor, Præceptor.* Quibus salvis ac sanis, de corporis ac Reipublicæ incolumitate nullus dubitabat. Et contra ut Innocentius III. recte sensit: *Si caput fuerit infirmum, totum corpus languidum erit.* c *Qualis Rex, talis & sacerdos.* Et qualis Rex, talis grex. Cui accinit Poëta:

---- d *falsa regula prima,*
Omnia mendose fieri & distorta necesse est.

e Expertus loquitur qui regum limina trivit: tam ἀδύνατον esse in aula male instituta, principem ac aulicos formari probos, quam rectam duci lineam ad distortam regulam. Henr. VIII. Angliæ, Regi, ubi à fide descivit, prope omnes Ecclesiastici subscripsere. Qualis Rex, talis grex. Aulam attendite ubi Rex adulter, Princeps fornicator; nonne aula, imo civitas universa prostibulum erit?

f *Scilicet in vulgus manant exempla regentum.*

Solon populares homines, Principum umbras vocitabat: ut enim umbræ figuras corporis, ita hi Principum mores adumbrant, & corpore curvo frustra labores rectam umbram jacere. g Nec minus elegantier alius, appellat vulgus speculum Principum: ut enim hoc ridenti arridet, flentem deflet, gestientis gestus refert, ita vulgus, Principum nutus, ac mores in se exprimit. Quid quod Philo Iudæus lib. de Adam, Patriarcharum vitas & facta appellavit *leges & jura non scripta*, sed viva: non minus enim Respublica ad illorum exempla, quam ad præcepta conformatur, ut recte Claudian. cit.

---- non sic inflectere sensus
Humanos edicta valens, ut vita regentis.

Nec concionatores, nec magistri in scholis, nec monitores, nec minæ tantum in animis subditorum valent, quantum domestica ac externa exempla: *Nam segnius irritant animum, &c.*

a Bonart, in Eccl. cap. 10. v. 2. b Innoc. ser. 1. in consecr. Pontificis. c 2. Reg. 21. d Lucret. l. 4. e Saavedra symb. 2. f Claud. Paneg. 1. de laud. Stilicenis.

g V. Mendos. tom. 2. l. 1. Reg. c. 6. num. 18. pag. 417.

III.

Hanc vim exempli, exemplis vobis manifestam reddam.

ÆThiopes, teste b Isidoro Siculo, adeo suos Principes imitabantur, ut si quem haberent monoculum, alterum sibi oculum eruerent: si quem claudum, alterum sibi crus debilitarent, ne qua in re suo Principi dissimiles viderentur. i Hieronymus Ep. ad Lætam refert de Alexandro, quod assiduo contemplando claudi-

h De Fab. antiquis c. 4. i Beyerlinck festo Epiph. sect. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

cantem, didicerit claudicare. De hoc autem Alexandro & Alphonso, utroque magno, fertur, illos solitos collum leviter contorquere; hunc à natura, alterum a consuetudine. Hoc illico imitari studuerunt aulici, ut Regis amicus non esset, nisi qui obtorto collo incederet. Plutarchus de audiendis Poëtis: Platonici quidam, inquit, præceptoris incurvos humeros, & Aristotelis balbutiem imitabantur.

a Ex hoc fieri amat ut in familiis nonnullis certi quidam mores & affectus è parentibus in filios successione continua propagentur, non tam innati sanguinis vi, quam convivendi usu ac consuetudine. Hoc modo apud Romanos olim Claudii habebantur superbi, bellicosi Scipiones, ambitiosi Appij: uti nunc in Hispania Gusmanni putantur boni, Mendozæ humani, Manriquezij formidabiles, Toletani graves. Idem in artificibus videre licet, ubi aliqui in familia semel excellere cœperint, facile id postea transfundunt in posteros, quos artis suæ habent spectatores, quibusque opera sua & laborum monumenta post se relinquunt.

Item in moribus: Si Rex venationi, musicæ, literis deditus; ejusmodi studia in populo vigebunt. Sicut figulus ollam qualem vult fingit, ita populum Princeps. Cretenses suorum Regum æmuli, venatione, & re nautica se exercebant. Spartani Regis armis ac militari otio vacabant, quorum disciplinam universi juvenes sectabantur. b Aurelius Imperator volens philosophica studia in sua Republica languentia iterum instaurare, primus ipse literariam ingressus palæstram, quem passim omnes secuti.

Ludovicus XI. literarum ofor, filium hæc pauca Latine scire voluit: c *Qui non novit dissimulare, non novit regnare.* & illico urbs Parisiensis, asinis referta fuit, quos Franciscus I. scientiæ amans eliminavit, factumque ut nusquam ea ætate plures literati essent, quam in Gallia.

De Iosina Rege Scotorum memoriæ proditum est, cum medicorum familiaritate mirifice caperetur, brevi totam nobilitatem huic se studio dedisse, ut aula omnes medicos non caperet.

Mitto Neronem Citharœdos ac histriones summa benevolẽtia complecti solitum, ac proinde urbem ejusmodi hominum fæce abundasse. Vnum è multis exempli causa adduxisse sufficiat. d Deperiit Nero Poppeiam Matronam Rom. captus maxime flavis ejus crinibus, qui electrum referebant: adeo ut de crinibus hisce Imperator versus pangeret, ac decantaret; quin usque eo insaniit, ut singulos capillos numerans, ac cuique pilo singulare nomen, ac de unoquoq; versum unum, seu canticum aliquod ediderit. Quo factum, ut cum Cæsar tantopere diligeret Poppeiam, ob flavam ejus Cæsariem, omnes filiæ Romanæ studerent habere flavos crines, & praxes quærent,

a Salvedra symb. 2. b Mendoza cit.

c Tolenaer Eccl. pag. 262. Beyerlinck cit. d Horologe des Princes par Don Ant. Gevare in dedicatione.

UVA. BHSC. BU 02224

rent, ut colorem illum electri inducere possent. Quin & vestes ejusdem coloris gestabant, ut Poppeia, numismata ex electro, aves ex electro, omnia ex electro gestabant; quia Neronem, hoc colore mirifice delectari noverant: sic ut brevi Romæ nil pretiosius electro reperiretur. Vnde omnes mores, nisi à maxime immorigeris Primatibus, ac Principibus?

a *Nemo suos, hæc est aulæ natura potentum,*
Sed Domini mores, Cæcilianus habet.

b Franciscus Rex Franciæ, accepto vulnere, capillos, quo facilius curaretur, tonderi jusserat: continuo omnes domestici, Principes, Magistratus, omnes ordines, capillos abradi curarunt, usque adeo ut si quis Magnatum vestigiis insistere, ac tonderi detrectaret, risui esset. Affine est quod Famianus Strada refert; Carolum, cum ad Imperii coronam capessendam veniret in Italiam, minuendo capitis dolori, cæsariem deposuisse: exemplo ab aulæ primoribus certatim recepto, ac more, qui per ea, retroque sæcula tantopere vigebat, alendæ comæ, imitatione unius, apud omnes abolito. Aliud non minus illustre de Ioanne Austriaco subjungit, qui quod ad lævam temporum partem, erectum natura capillum haberet, omnem à fronte crinem eò manu revocabat: quodque placeret illud porrectæ frontis additamentum (*een hoofken*) inde usum derivatum esse retorquendi, sustinendique capillamenti, adeo ut qui eo suggestu capitis utuntur, vulgo gestare Austriam alicubi dicantur. Dum mos in Belgium è Galliis profluxit, ut juvenes promisso cincinno, caudati passim incederent, multum à concionatoribus laboratum, quin & à magistris circa juniores, caudam ponerent, sed irrito conatu; venit Princeps Cardinalis, & nemo Bruxellis caudatus apparuit; adeo verbis etiam divinis, efficaciora exempla Principum ac Regum.

Abimelech, ut refertur Iudicum 9. Sichem fortissimam munitionem aggressurus, cum diffideret vi ac armis expugnandam esse, ad stratagema conversus, non marte, sed arte superavit: hic primus excenso equo, securi arrepta *præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios; Quod me vidistis facere, cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem*: atque ita ingenti strue lignorum circum arcem accensa, præsidium expugnarunt. Addit Abulensis, hoc illum feciisse ut promptius exequerentur ejus exemplum. Quoties fit aut in justa expeditione, aut iniqua direptione, milites exemplo Ducis sui vehementissime incitari? pleni libri, plena exemplorum vetustas.

c Alexander Macedo interiorem Persidem penetraturus, pedes per nivem & concretam glaciem ingredi cœpit, primusque Rex dolabra per glaciem iter fecit. Erubuerunt non sequi primo amici, dein copiarum Duces,

a Mart. l. 9. Epi. 82. Beyerlinck in fest. Epiph. sect. 3. *b* De bello Belg. an. 1529. pag. 62.

c Curt. lib. 5. cap. 14.

UVA. BHSC. BU 02224

Duces, tandem & milites exemplum Regis ſecuti. *a* Quod ipſum viderent facere, alacriter fecerunt. Magno Alexandro non minor Carolus V. Imperator Maximus, qui inauratis armis conſpicuus, generoſo equo primus Albim trajecit; hunc equites Hungari pone ſecuti, humeris tantummodo & pectore eminentes, & cum eis levis armaturæ equites, quibus ſingulis ſinguli milites ſclopetarii à tergo equi inſidentes, adjuncti ſunt: ac omnes in ulteriorem ripam, duce Carolo delati, nobiliſſima victoria potiti ſunt, qua Carolus de Saxone captivo triumphavit.

Exemplo ſuo Imperator clamabat: *Quod me vidiſtis facere, cito facite.* fecerunt etiam vel ſummo vitæ diſcrimine; patuitque exumplo nil efficacius eſſe, ad omnia quantumvis ardua ſuperanda. Lucanus hic nobis lucem affundet, qui ſic Catonem exemplo ſuo commilitones hortantem inducit:

---- *b* Libyæ *primus arenas*
Ingrediar, primuſque gradus in
pulvere ponam,
Me calor ætherius feriat, mihi
plena veneno
Recurrat ſerpens, fatoque peri-
cula veſtra
Prætentate meo. Sitiat quicum-
que bibentem
Viderit, &c. -----

c David ſitibundus, oblatam ſibi aquam repudiavit, *ut ſuo exemplo*, inquit Angelomus, *totus exercitus diſceret ſitim tolerare*. Fruſtra ſuperior ſuos ad temperantiam adhortatur, ſi ipſe ſibi indulgeat, *& ſitiat quicumque bibentem viderit:*

Sic Alexander, ſic Rudolphus I. Imperator in ſicca & exſucca ſolitudine exemplo ſuo totum exercitum ſitim tolerare docuerunt. Profecto ſi ſitientis exemplum tantum effecerit, ut prius corpore quam animo deficerent. quanto potentius bibentis exemplum quemque ad imitandum pellicere putatis? quod filii parentem, diſcipuli magiſtrum, Religioſi Prælatum, ſubditi ſuperiorem, aulici Regem facere vident, id ſibi omnes licite faciendum putant.

Docuit hoc olim Hieronymus Heliodorum: *In te omnium oculi dirigantur: domus tua, & converſatio tua quaſi in ſpecula, magiſtra & publicæ diſciplinæ: quidquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant.* In convivio ſi vir Eccleſiaſticus religioſæ familiæ detrahat, ſi vir Conſularis ſermones laſcivos proferat, ſi Primas aliquis ſanitatem bibendi inſtituat, omnes præſentes facile ſequaces habet. Pro exiguo eſt, ſi quis naturarum in navi erret; ſed ex gubernatoris lapſu, maxima & præſentiſſima pernicies impendet. Ita ſi Præſes in ſenatu, Prætor in curia iniquam ſententiam ferat, facile alia animalia dicent amen.

Quod ſane, quam perniciоſum, non modo Reipublicæ & regno, ſed potiſſimum animæ ſit, nunc oſtendere aggredior.

a Surius comment. rerum geſtarum p. 404. *b* Luc. l. 9. c. 2. Reg. 23.

Quam

UVA. BHSC. BU 02224

§. IV.

Quam grave sit peccatum scandali.

CIcero libro tertio de legibus: *Perniciose merentur de Republica vitiosi Principes, qui non solum vitia concipiunt ipsi, sed & infundunt in civitatem: neque solum obsunt quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent*: qua enim via liberius in populum exeunt vitia, quam regia? Eadem Platonis & Socratis gnoma est, *Principes magis exemplo peccare, quam culpa.*

Quid est quod David, sublato filio ex Bethsabee, quem vita ipsa habebat chariorem, gravissime à Deo puniatur? an quod adulterio, quod homicidio vehementer Deum exacerbarit? Minime vero: hæc enim peccata unico verbo delevit, *Peccavi.* a *En*, inquit Ambrosius, *quam tres syllabæ valeant pec-cavi.* Et ex ipso Propheta Nathan audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Quid ergo supereſt sceleris expiandum? *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quod Salvianus accurate expendens, dicit: b *Qui æternam pro offensionibus suis pœnam per unam tantum confessionem meruit evadere, hujus tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.* Et paulo post: *Ex quo intelligi potest, quod nullum majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare.* Criminis vero hujus enormitatem efficacissimo, ex aliorum damno, probat argumento: quia *multos secum præcipitat in mortem, & necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum.* Eidem sententiæ subscribit Bernardus: c *Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest.* Vnde communis Theologorum, Bonacinæ, Fillucii, Sanchez, in confessione explicandum, quot exemplo seduxerit. Profecto qui pro his omnibus pereuntibus, unus pœnas persolvere debet, *in pœnas non satis unus erit.* Verissimum illud Gregorii: *Scire debent qui præsunt, quod tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt: quia pereuntium animarum sanguis requiretur de manibus eorum.* Fuit qui ahenum oriza plenum veneno miscuit, & eleëmosynam ad Moniales destinavit, tot mortibus dignus, quot obierunt. Est quis incentor in Repub. seditionum, in Religione murmurationum, tot mortibus reus est. In curia qui fraude viam injustitiæ sternit aliis, tot mortibus reus. Et Bernardus ejusmodi hominem ipso dæmone pejorem credit: d *Vtinam*, inquit, *soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis* EXEMPLIS, *persuasionibus importunis, atque aliis modis*: quia efficacius ac sæpius ad peccandum prava hominum exempla, quam dæmonum incitamenta perducunt, eoque efficacius, quo

a Anib. l. 2. de pœnit. 2. Reg. 12. b S. Ivian. de provid.

c Ep 127. d Bern. ser. 1 in Septuag.

UVA. BHSC. BU 02224

qui peccat major habetur; valet enim hic illud D. Thomæ. a *Peccatum tanto in aliqua persona est gravius, quanto majorem obtinet locum.* Quod ore aureo confirmat Chrysostom. b *Vulgarium hominum delicta veluti in tenebris commissa, suos auctores solos perdunt; cæterum hominis illustris & vulgo cogniti delictum commune, omnibus damnum affert.* Quod & gentilis Poëta expressit:

-----c *Velocius & citius nos*
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Dum subeant animos auctoribus.

Et hæc causa prostitutæ nequitiæ Poëtas: olim deos mœchos, adulteros & fures induxisse, ut si hæc divi, ac domini faciant, eorum exempla homines sectari non erubescant. Præclare Seneca: d *Inde etiam Poëtarum furor, fabulis humanis errores alentium, quibus visus est Iupiter voluptate Alcmenæ duplicasse noctem. Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere deos, & dare morbo,* EXEMPLO *dignitatis excusatam licentiam.* Atque hinc Christianos, & vel maxime Ecclesiasticos, de quibus Christus dixit: e *Dii estis, & filii Excelsi omnes.* gravius suo pravo exemplo peccare, dilucide ostendit Nigronius. Certe in illos meriro, cum gravi Ecclesiæ sensu, insultant hæretici, & Ethnici sic exprobrando, ut loquitur Salvianus: f *Ubi est Catholica lex, quam credunt? ubi sunt pietatis & castitatis præcepta, quæ discunt? Evangelia legunt, & impudici sunt: Apostolos audiunt, & inebriantur: Christum sequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt.* Quid potest contumeliosius excogitari? Sed acutius telum iidem jacere videntur, apud eundem Salvianum: *Talis profecto,* inquiunt, *secta est, quales & sectatores: hoc sunt absque dubio quod docentur. Apparet Prophetas quos habent, impuritatem docere, & Apostolos quos legunt, nefaria sensisse. Et Evangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipsi faciunt, prædicare.* Vtinam hic sisterent, nec ulterius effunderentur! Sed prô dolor! in majores blasphemias prolabuntur. In ipsum totius sanctitatis fontem, Christum Dominum, Christianorum scandala refundunt: *Sancta,* inquiunt, *à Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Æstimari de cultoribus suis potest, ille qui colitur. Quomodo enim bonus Magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos? Vide Christianos quid agant, & evidenter potes de ipso scire quid doceat.* g Ita Ethnici apud Salvianum, quorum atrociss. mas blasphemias, quæ Religiosorum aures non perhorrescant ac detestentur? sed multo magis detestanda eorum opera, quæ pernicioso suo exemplo, illos faciunt blasphemare nomen Domini.

g Vide Mendozam l. 1. Reg. c. 2. an. 19. ser. 3.

a D. Thom 2. 2. q. 100 a. 2. ad 7. b Chrysost l. 6 de Sacer. c Iuven. Sat. 14. d De brevitate vitæ cap. 16. e In ascet. p. 191. & Salvian. l. 4. de Provid.

Deus

UVA. BHSC. BU 02224

§. V.

Pœnæ in eos qui ſcandalizaverint unum de puſillis.

DEnique pro rei gravitate, ſeveriſſime Deus hæc peccata punivit. Nuſquam legitur Chriſtus Dominus cujuſquam peccatum per ſeipſum puniviſſe, præterquam vendentium in templo: qui teſte Hieron. erant Principes Sacerdotum, & legis Doctores. Quod expendens Greg. a *Negeu*, inquit, *fruſtra per ſemetipſum Dominus Deus nummulariorum æs, & cathedras vendentium columbas evertit: nimirum ſignificans, quia per Magiſtros quidem vitam judicat plebeium; ſed per ſemetipſum facta examinat Magiſtrorum.*

Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis his, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria, &c.* Vbi Hieronymus, ſecundum ritum patriæ Evangeliſtam hic loqui, quia graviſſima crimina hoc ſupplicio apud Iudæos plectebantur; & tamen addit, *expedit ei*, ut mola deſcendant in profundum, ne cadavera ſupernatent, & vel conſpectui noſtro adhuc noceant. Tam grave eſt, ſi quis paterfam. coram innocua filia licentius cum uxore agat, aut laſcivos ſermones effutiat, quandoque etiam de induſtria ſcintillas ſubminiſtret, ut à religione avertat. Bernard. ſerm. 2. de Converſione S. Pauli: *Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas intulerunt.* Horrendum facinus, innocentem, integrum, omnis nequitiæ expertum puerum, ab Ephebo corrumpi, laſciviæ ancillarum committi, *Expedit ei, &c. cereus in vitium flecti puer,* ex eadem cera tam facile dæmonculum, quam Angelum effinxeris.

Horrendum ſacrilegium, caſtiſſimam filiam, ſubinde Deo dicatam, non à paſtore, ſed à lupo violari. *Expedit ei*, &c. vel violatione ſilentii novitios ſcandalizare, à mortali non excuſari, apud *b* Nigron. cit. invenies. Quæ cum ita ſint, nemo quiſquam mirabitur, atrocius quandoque in eos qui parvulis ſcandalo fuere, animadverſum fuiſſe. *c* Petrus Rex Aragoniæ, quo turbas ac ſeditionem regni ſedaret, decrevit inuſitato remedio in capita ſævire, ut vel ſic membra enervaret. Dum ſeditioſos ac turbulentos parentes liberis ſuis, ne eorum veſtigiis inſiſterent, in exemplum propoſuit. Ad hoc Principes ſibi rebelles in palatium acciverat, deliberaturus cum iis, qui campana conflari poſſet, cujus ſonus toto Aragoniæ regno exaudiretur? Convocati proceres, impudenter regis conſilium ſannis excipiebant. Sed Rex cujuſque ſenſum ſe explorare velle aſſeruit; ac ilico quemque in ſecretum conclave admiſſum, capite plecti, ac trunca cadavera in periſphæriam, ad formam campanæ conſtitui juſſit. Superarat Princeps à rege primus, qui cruento hoc ſpectaculo attonitus, rogatus fuit: Ecquid huic campanæ deeſſe ſibi vide-

a Greg. l. 25. Mor. c. 14.

b Nigron. tract. aſceticit. 10. n. 13. p. 302.
c In annalib. Aragon. Bonaert. Eccl. c. 5. n. 24. p. 709.

UVA. BHSC. BU 02224

retur? Hic hærere, tergiverſari, juſſus dicere: Egrègia, inquit, eſt, hoc tandem ſubtimide pronuntians, malleum, quo ſonet, deſiderari. Ad quæ Rex appoſite, Tu illi malleus eris, ac è veſtigio & ille capite minutus, medius vicem mallei ſubiit. Mox interfectorum liberos Rex ingredi jubet; ad quos converſus: Cernitis, inquit, quod parentes veſtri pro meritis ſuis ſupplicium luerint: ſi eorum exitum reformidatis, facta quoque execramini. Quod & fecerunt, ac hujus campanæ ſonus, non modo Aragoniam, ſed & totam Hiſpaniam, utinam & orbem pervaderet; utinam in omnes parentes ac principes qui parvulis ſcandalo ſunt, pari ſupplicio animadverteretur, priuſquam ipſe etiam ſumma Bonitas, longe atrociori ſupplicio in eos deſæviat.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXIX.

Nolite judicare. Luc. 6.



TEMERE EST VISVM. *Virg.* 9. *Æneid.*

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

DE IUDICIO TEMERARIO: quo graviſſime delinquitur, dum ex levibus indiciis, perverſe de proximo ſentimus; recta curva, ut baculum in aqua confractum, jùdicantes.

§. I. *Hoc judicio quam graviter peccetur, & quam malum illud fugiendum ſit.*

§. II. *Iudicia maxime temeraria, de viris ſanctiſſimis quandoque habita.*

§. III. *Quemque paſſim pro affectu judicare, appoſito emblemate exponitur.*

§. IV. *Efficax SS. Patrum ad judicium temerarium vitandum, paræneſis.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Nolite judicare, & non judicabimini. Luc. 6.

LUDUS pueris perfamiliaris eſt, unum aliquem oculis ſtrophio obligatis, inter ſocios Andabatarum in morem, palpando diſcurrere, ut ſi quem deprehendat, ſibi in ludum ſubſtituat; ſed cum hæc præda à cœco indaganda ſit, ſæpe ſæpius dum hominem ſe prenſare autumat, in menſam impingit; dum ſocium quærit, ſedem aut ſpondam arripit. Quot hic temerariæ conjecturæ? quot cœci ictus? & ut adhuc ſocium nactus ſit, rogatus quem eſſe autumet? ex capillitio, ex veſtitu, ex levibus indiciis, palpando judicat Petrum, & eſt Ioannes; judicat fratrem, & eſt extraneus.

O Cœcas hominum mentes! ô pectora cœca!

Conſimili ludo non modo pueri & imbellis ætas ſe oblectat, ſed & fœminæ & viri: hic ludus nimium quantum frequentatur, ab iis etiam qui Critici, qui prudentes, qui ſcioli haberi volunt, ſed in hac re prorſus cœci ac temerarii ſunt: ſine fundamento, ex levibus indiciis, temere judicando Eccleſiaſticos, juxta ac ſæculares, ex capillis, ex veſtitu; vident filiam criſpo capillitio, & à natura eſt, habitu ſupra ſtatum eleganti ac ſumptuoſo, & fortè jam hæc mundo illudit, & Religionem cogitat, aut parens te inſcio lautam hæreditatem adiit. Vides juvenem ſub veſperam ædes puellæ intrantem, mœchum judicas, in ſpondam impingis, in homine falleris, neptis iſtius iſtic habitat. Rem colluſtrabit cœcum anachoretæ cujuſdam judicium.[a] Hic ſibi videre videbatur quendam è fratribus in ipſo actu fornicationis, quod flagitium ut graviſſime deteſtabatur, in homines ut putabat irruit, vehementem in eos calcem impingens, & ecce duos manipulos colligatos eſſe conſpexit. Noſſe ergo vultis quàm hic luſus omnibus in uſu ſit, quot cœca judicia ferantur, quot Andabatæ reperiantur? Auguſtinum audite: *b Maxima pars generis humani indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur; cum tamen ita ſe velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare.* Hinc ſtatim ab initio Cain male judicat de Abel; Eſau de Iacob; fratres de Ioſeph; Maria de Moyſe; Heli de Anna; Saul de Davide; Phariſæi de Chriſto & Ioanne.

a P. Tylingen Paradis p. 180. b Serm. 102. de temp.

§. 1.

Qua in re quam graviter peccetur, & quam illud malum fugiendum ſit, paucis oſtendemus.

ANgelicus[c] Doctor 2. 2. q. 60. art. 2. ſic docet; *Cum aliquis de his judicat quæ ſunt dubia vel occulta, propter aliquas leves con-*

c D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3 in corp.

jectu-

UVA. BHSC. BU 02224

jecturas, dicitur judicium temerarium. Cujus *Primus gradus est suspicionis, dum homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit: & est veniale peccatum*, juxta illud 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare.*

Secundus, *cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis; & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale*, juxta communem Theologorum. Causam subdit D. Thomas cit. ad 2. *Hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei.* Si enim peccat apud alterum famam proximi lædendo, quid ni apud semetipsum? ubi & illud maxime mirandum occurrit, nos tam pronos ac promptos esse ad judicandum & condemnandum alios in animo, in foro interno conscientiæ; cum tamen in foro externo tam lente, tam difficulter ad judicandum & condemnandum procedatur, tam operose causæ utrimque expendantur, tam timide sententia de lite aliquot millium, de capite proferatur. Quinimo cujus flagitium manifestum est, eum libenter absolvere & vita donare, patrata scelera si non excusare, at extenuare in favorem rei, juxta leges Charitatis conamur. Ecquis nostrum posset reum flammis adjudicatum, in rogum propellere? quis è scalis deturbare? & tamen in tribunali mentis tam expediti, tam faciles sumus ad condemnandum proximos etiam non convictos, ex levi suspicione, ex falsa delatione, ex passione aut affectione animi, qua non semel sententiam ferimus de bonis ipsorum injuste partis, & fortunis male acquisitis, de fama & nomine, de vita etiam animæ; imo flammis æternis adjudicamus, dignos esse in quos divina Justitia animadvertat; occultum & arcanum illud Dei judicium nobis usurpantes, quod id foro externo prorsus illicitum, etiam erga maxime reos & flagitiosos: quia judicium à legitima auctoritate procedere debet. Matth. 22. *Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* quis credat hunc non conspectum fuisse à famulis, quibus ea provincia demandata, ut convivas congerent, & pro cujusque conditione collocarent? an mentem Regis ignorabant? minime vero, sed judicium illi reservabant: sic enim Paschasius l. 10. in Matth. *Quia malos in conscientia intelligere non omnium est, ideo hunc malum solus Deus terribilis & Rex magnus invenit.*

Perfecturus benignissimus Salvator opus nostræ Redemptionis, cunctis discipulis in cœnaculo congregatis dixit: a *Unus vestrum me traditurus est.* Quo audito omnes attoniti, cœperunt singuli dicere: *Nunquid ego sum Domine?* & ecce Redemptor dedit illis signum, dicens: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* quem ut Judam esse, facile quilibet animadverteret; nihilominus Petrus eum proditorem judicare minime ausus, interrogat: b *Quis est, de quo dicit?* Apposite hic S. Augustinus: c *Signum vidit, peccatum non credidit, quia discipulus est*

a Matt. 26. b Ioan. 13. c August. in Ioan. c. 13. v. 24.

Christi.

UVA. BHSC. BU 02224

Christi, cui proprium, nil siniſtri de proximo ſuſpicari. Idemque expendens B. Laurentius Iuſtinianus, ait: a *Innocentes Apoſtoli cum eſſent & ſancti, nil mali de proditore cogitare ſunt auſi.* Ac tandem concludit: *Quod nefas à ſe alienum non ignorabant, hoc condiſcipulo adſcribere verebantur.* Sententiam hic ferre ſinguli detrectabant, quod omne judicium Patrem Filio dediſſe, exploratum haberent. Hoc tamen judicium homo paſſim ſibi uſurpat, quod ſoli Deo competit; in quo ne judices humani poteſtatem habent; ſolus enim Deus ſcrutator eſt cordis, & ut recte Paulus: b *Qui me judicat, Dominus eſt.* & ad Rom. 2. *Tu quis es qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat vel cadit.* Unde B. Climacus: c *Iudicare eſt impudens direptio dignitatis divinæ.* Audiunt aliquem ſubita morte aut violenta obiiſſe, ſtatim judicant hanc eſſe vindicem Dei manum, ſe non dubitaſſe quin talis finis eos ſequeretur; cum tales ſæpe ſalvi, imo ſancti extiterint apud Deum. Audire lubet quid in hoc genere Spondanus Apameenſis Præſul, vir literis apud Francos celeberrimus, commemorat, *d* Anno 1260. Cracoviæ in Polonia tres fratres VVenceſlaus Presbyter, VVladiſlaus Diaconus, VViſlaus Subdiaconus eodem die S. Dominici habitum à ſancto Hyacintho ſuſceperunt, cumque in eo ſancte vixiſſent, uno item die, cum Feria 5. majoris hebdomadæ communicaſſent, & ante altare proſtrati gratias Deo agerent, ſimul mortui reperti ſunt; & ecce perverſa hominum judicia: cunctis, inquit, exiſtimantibus id contigiſſe quod indigne communicaſſent, terra profana ſepulti ſunt, donec eidem Priori tertio apparentes, beatitudinem demonſtrarunt: quo factum ut ſummo plauſu in ſacellum relati ſint. Sic S. Ludovicus peſte obiit, S. Euſtachia Virgo Patavina tota vita à dæmone poſſeſſa, cordi tamen à morte inſcriptum nomen IESU apparuit. Simeon Stylites ne evaneſceret, à Deo impetravit ut fulmine percuſſus interiret. Subnectit hiſce Epiphonema Raderus, e *Itaque reprime judicium quando hic, ille, & quicunque alius atroci genere mortis ſublatus dicitur. Nullum mors facit impium, ſæpe ſcelerati pacate obeunt, innocentes cum ingenti tormento.* Ac primo quidem ut videre poſſitis, quam cœco modo, & quaſi divinatorio, hæc judicia efformentur, ex eo ſacri Proverbii colligere eſt: f *In ſimilitudinem arcoli & conjectoris, æſtimant quod ignorant.* Tapetem aliquem involutum aut complicatum vobis propono, amabo vos, divinate quæ hic perſona, quæ hiſtoria acu depicta. Hinc videbis partem acinacis, inde pedes equi: invertis? hinc loricam, hic caput, inde brachia, iſtic purpureo colore magnam partem occupari conſpicies. Quid cenſeris? quid judicatis? indicia videtis. Iudicant conflictum, aut cruentum prælium hic exhiberi, tapete aperto apparet S. Martinus eques, qui partem rubræ chlamydis,

a B. Laurent. Iuſtin. de triumph. Chri. agone cap. 5. b 1. Cor. 4, c Clim. Grad. 10. *d* Spondan. to 1. an. 1272. pag. 343. Bzovius eodem anno.

e In virid. SS. f Prov. 23.

gladio

UVA. BHSC. BU 02224

gladio divisam, pauperi porrigit. Tapes ille cor nostrum est, quod multiplices & abditos recessus habet, teste Francisco Sales: a *Cor tuum aperi, omnes plicas demonstra*, & qui avarus ac sordidus judicatur, munificus Martinus apparebit. Ita

a De vita spirit. lib. 4. c. 14.

§. 11.

Iudicia maxime temeraria de viris sanctissimis quandoque habita.

VIdet quis in florentissima b S. Dominici familia juvenculas forma venustas, solas cum solo in cella familiarius agentes inter se, ilico ad superiorem concurritur, quale de hoc homine judicium expectatis? sacrilegus, fornicator judicatur, excommunicatur; divina providentia tapes hic apertus fuit, & S. Petrus Martyr apparet, quem cœlites Virgines Catharina & Agnes, una cum Virgine Matre inviserant. Viderat quis sub obscuro vespere solitarium monachum prostibulum ingredientem, judicans illum libidinis explendæ causa eo divertisse; monacho bene mane egredienti, quasi infami mœcho, & apostatæ alapam impegit: & ecce rem pando, S. Vitalis erat, qui fornices adibat, ut meretrices à turpi corporis quæstu avocaret, & prece vel pretio, vel unius noctis continentiam pacisceretur, quam ille orando traducebat; c quæ res clarius orbi innotuit dum percussorem suum à dæmone liberavit; unde & hæc apposita in cella viri sancti reperta est sententia: *Viri Alexandrini, nolite ante judicare, quoad usque veniat Dominus.* Ita Abrahamus anachoreta, ut apostata, sprera eremo, militari sago ad neptem suam; Paphnutius ad Thaidem meretricem divertit. Mitto alia, quæ copiose congerit P. Tylingen *Paradiso volup. pag.* 180. Quid vobis videtur de venustissima fœmina, ad omnem elegantiam composita? post regias epulas sola cum solo viro principe, per noctis silentia clauso cubiculo degere? quid judicatis? mulierem fortasse lascivam ad capiendas animas, aut scortum aliquod? cum interim castissima Iudith de Holoferne triumpharet. Prodit puella compta, crispata, mundo muliebri splendide adornata; mollem ac lascivam Helenam arbitraris, & est S. Clara, quæ adhuc mundo vacans, sub pretiosis vestibus cilicium gestabat, uti & B. Borgias. d Viderat Anachoreta festo in Ecclesiam ingressum Basilium Episcopum, pontificalibus solenniter indutum; vanitatis ac superbiæ illum apud se arguebat, & ecce vox audita: Plus voluptatis ipsum capere, felem quam in cella habebat demulcendo, quam Basilius in hoc ornatu. e Phantasia in cælo leonem, scorpionem, variaque spectra effinxit, cum lucidissimæ sint constellationes. Ita & sceleratissimos judicant eos, qui lucent tanquam stellæ firmamenti. Vident Ecclesiasticum præsulem aliquem facie rubicunda, bene pinguem; potatorem ac hel-

b V. Hist. eleganter apud Lobb. de fort. p. 252 c Surius in vita S. Ioan. Eleemos. 13. Ianuarii.

d Barry solit. pag. 318. e Tympii spec. signum 120.

luonem

UVA. BHSC. BU 02224

luonem judicant, & est S. Cassius Episcopus Narnienſis, de quo S. Greg. *lib.* 3. *Dial.* 6. refert: cum Totilas S. Præsulem ut ebriosum judicaret ac despiceret, Deo permittente accidit, ut armiger Regis à maligno spiritu infestaretur, qui ad Cassium adductus, signo crucis liberatus est. Et quoties accidit rubicundum vultum à calido hepate, aut alia naturali causa incendi? ex quibus patet si in his, ubi tam manifesta signa, tam certa indicia videbantur, error fuerit, & qui scelestissimi hominum judicio habebantur, sanctissimi apud Deum fuerint, non facile judicandum, illudque monitum Apostoli alte inculcandum: a *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus.* Ad hunc judicem, perversis hominum judiciis lacessitus, appellat Hieronymus: *Periculosum*, inquit, *est de servo alterius judicare, & non facilis venia, prava dixisse de rectis. Veniet illa dies in qua mecum dolebis ardere non paucos.* Nimiæ familiaritatis, cum Paula in sacco & cinere stertente, quam numquam manducantem viderat, vir tantus insimulabatur: at sui securus subdit: *Saluta Paulam, Eustochium, velit nolit mundus, meas; & dic eis: Ante tribunal Christi simul stabimus, ibi apparebit qua mente quis vixerit.* Quando libri conscientiarum aperientur, ex quibus legere & intelligere poterimus, quam cœca, quam erronea, quam temeraria judicia humana fuerint; tunc apparebit alia esse judicia Dei, alia hominum: atque illud verissimum *b* Ioannis 23. Pontificis fuisse judicium, qui rogatus, quid longissime abesset à veritate? respondit, judicia vulgi. Confirmat doctrinam hanc August. dicens ac docens: c *Multa facta quæ hominibus improbanda, testimonio tuo (Domine) approbata sunt, & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur, cum sæpe se aliter habeat species facti, & aliter facientis animus.* Si quis vidisset Abrahamum unigenito suo manus colligantem, stricto gladio armatum, nonne insanum aut rabidum tyrannum, barbarum maxime facinus judicasset? & nullum unquam magis heroicum, aut Deo jucundius spectaculum fuit. Si quis perversus, vidisset *d* Iacob osculantem Rachel ad puteum, Rebeccam acceptantem armillas & inaures ab Eleazaro, qui in patria illa peregrinus & incognitus, dubio procul sinistra illi fuisset suborta suspicio de castitatis periculo; sed sine ratione & fundamento: nam quando actionis alicujus ex se indifferentis temeraria suspicio est, tum consequentia oritur mala, ait Sales: e Quid? quod non modo actiones indifferentes, sed sanctas pravo judicio detorqueant: qua de re jure queritur Sidonius Apollinaris: f *Quis non erubescat, cum videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum?* Si eligimus humilem, vocatur abjectus: si profecerimus erectum, superbus censetur: si minus institutum, propter imperitiam creditur irridendus: si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus: si severum, tamquam crudelis horretur: si indulgentem, faci-

a 1. Cor. 4. *b* Boteri polit. c. ult.

c Aug. lib. 3. conf. c. 9. *d* Genes. 29. e Praxis spir. p. 3. c. 28. f L. 7, Epist. 7.

litate

UVA. BHSC. BU 02224

litate culpatur: si quietum, pronuntiatur ignavus: si abstemium producimus, avarus accipitur: si eum qui prandendo pascat, edacitatis arguitur: si eum qui pascendo jejunet, vanitatis (ut hypocrita) arguitur. Hæc vulgi judicia scire Sidonius depinxit, & indies videre est: si quis paterfamilias in suos animadvertat, observans disciplinæ domesticæ existat, crudelis, tyrannus, leo audit, evertens domesticos suos: si quis animi sedati, lenis & in suos benignus, talis animo imbelli ac puellari, bonus saccus, bonus Heli judicatur. Est quis in consuetudine humana gratiosus, lingua promptus erga matronas officiosus ac perhumanus, hic de gente levi, hic lascivire; si quis paucorum verborum, homo apathos; frigide & ficce cum fœminis agens, ille Stoicus, stupidus, mopsus audit.

Est quis bono stomacho ac obfirmata valetudine, qui super mensam avidius vescitur & liberalius bibit, is helluo est. Alius quispiam tenuis victus, stomacho affecto, paucis contentus, hinc illinc quædam delibans, is exquisito palato, homo delicios; sybarita habetur. Matth. 11. *Venit Ioannes neque bibens, neque manducans, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Christus manducans & bibens, & dicunt: Vorax est, & potator vini.* Quid huic Critico hominum generi facias?

Si quis Religiosus pallidus, macilentus, vix ossibus hærens, statim amici: Nepos noster aut filius, necessario internis afflictionibus divexatur, exedit se, melius ipsi fuisset in sæculo: cum tamen ipse cum Paulo exultet in tribulatione, & Christo confixus sit cruci, per spontaneam mortificationem. Alius monachus præpinguis & obesus in publicum procedens, quæ non judicia objective movet? & hic gratia vocationis nixus, lætus in Domino, in omni rigore monastico exultat. Est qui breviter se expedit in confessione, is laxus, imparatus seu ex consuetudine accedere æstimatur. Si quis diu hæreat, Deus bone! ille ovis paschalis, quam gravia, quam multa habet enarranda, & sunt scrupuli. a S. Ignatius inter divinas epulas lachrymis colliquescere totus videbatur, quod homini impio suspicionem injecit, conscelaratum esse Ignatium, qui tot lachrymis inter faciendum delicta elueret; adeo nihil tam sanctum, de quo perversi non secius judicent. Idem Bern. judicium est: b *Si pauperes, vilem & abjectum reputat, si dives, ambitiosum & avarum & cupidum; si affabilis, dissolutum; si prædicator vel doctor, honoris & humani favoris quæsitorem; si tacens, inutilem; si jejunus, hypocritam; si comedens, voratorem.*

a Rho exempla pag. 258. b Ber. in sent. V. Corn. in Ierem. c. 9, v. 8.

§. III.

Quemque passim pro affectu judicare, apposito emblemate exponitur.

IN limpido fonte, aut pellucido amne erectum baculum, aut regulam perfecte Geometricam conspicaris, curvam & confractam judicas; sic videre tibi videris & c *temere*

c Virg. 9. Æneid.

est

UVA. BHSC. BU 02224

est visum; species in aqua refractæ te ludunt: Quoties fit ut ex speciebus externis, ex levibus indiciis, quæ in oculos incurrunt, de actu interno, de animo judicemus, ex iis quæ temere visa? Notum illud Apellis: Ne sutor ultra crepidam. Nos de externis & sensui objectis tantum, & in his frequenter fallimur, solus Deus intuetur cor. Ergo ne ultra crepidam, ne supra ea quæ foris patent, judicare præsumamus. Vides opus, intentio latet, de qua quidam:

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

a Vidit Assuerus Aman super lectum reginæ, judicavit eum reginæ vim inferre velle, qui supplex erat. *b* Vidit Heli Sacerdos Annam labia moventem, conjecit temulentam esse, & ferventissime orabat Dominum: ut & *c* Judæi signa animi gestientis in Apostolis videntes, judicarunt ebrios, sed cælesti musto.

Viderunt Melitenses viperam adhærere manui Pauli, mox eum homicidam censuerunt, quem divina ultio persequeretur, quam ubi citra læsionem excussit, Deum proclamarunt. Vidit S. Henricus Imperator è thalamo conjugis Cunegundis: per triduum aliquem specie militis egredientem, suspicatus adulterum, suspectam habere conjugem cœpit, donec se delusum à dæmone deprehendit. Venit quis serius in templum, judicas diu stertisse, *temere est visum*. quid si in multam noctem lucubrationes extenderit? Alius à concione matutina abit è templo, judicas eum sacrum negligere, *temere est visum*. quid si prius audierit, vel alio ex devotione se conferat indulgentias lucraturus? Est quem videas omnes pauperes à se repellere, avarum ac tenacem judicas, quid si clam ad ædes privatas, ad nosocomia, per manus alienas centena simul profundat, ut sæpius accidit? in his omnibus quæ vidistis, *temere est visum*.

Quod baculus rectus, in aquis curvus appareat, ex medio oritur, ad quod refringitur: ita recte facta si in animum iracundum, libidinosum, ebriosum refringantur, omnia perversa apparent. Homo lascivus omnes alios hoc igne afflatos putat, ut Nero existimabat neminem quemquam continentem reperiri. Qui sunt qui Religiosos viros avaros judicant? qui nunquam teruncium elargiuntur. Optime Seneca: d *Quidquid videtur per humorem, longe amplius vero est.* Expende illud per *humorem, humeur.* Aurelius pictor omnes imagines ad similitudinem suæ Amasiæ Lucretiæ efformabat: ita homo omnia ex humore, ac genio suo judicat. Rem similitudo elucidat: Uti per vitrum rubrum, aut flavum prospiciens, omnia judicat rubra aut aurea, ita pro affectione animi de aliis judicamus: nam, ut *e* S. Thomas, *dum quis ex seipso malus est, talis facilitèr de aliis malum opinatur*, juxta illud Eccl. 10. *Stultus in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Cui congruit illud Nazianz *An iis qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur?* mini-

a Esther 7. b 1. Reg. 1. c Actor. 28.

d Seneca natur. quæst. l. 1. c. 6. Sales vita devota p. 1. c. p. 1 P 3. c. 28. e D. Thom. 2. 2. q 60. art. 3.

me

UVA. BHSC. BU 02224

me vero, sed pro phantasia sua inversa judicant: quod tam stultum, quam si quis pro palato suo, de bonitate cibi judicet: quod tu non vescaris perna, non ideo illa in se insipida aut aspernanda sunt. Et quia talis concionator tibi non sapit, an ideo indoctus, elinguis, conciones VVappii judicandæ sunt? & quis tamen hîc non libere sententiam dicit? fœminæ, imperitæ anus, inepti juvenes, innuptæque puellæ suam libere censuram profe-runt. Sic & scriptores vapulant, quis ille stylus est? quid in eo ingenii? ille commentator mera rapsodia, de charta in papyrum; unde *qui animum ad scribendum applicat vel ad dicendum*, ait Hieron. *tot sibi judices contra se assumit quot lectores* (quot Auditores:) *quidam namque dicunt quod profanus sit*, alter quod brevis & obscurus, hic quod verba & voces. Ejusmodi plura refert Hieronymus, quæ contra probatissimos auctores audierat judicia. *Tertullianus*, inquit *creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo. B. Cyprianus instar fontis purissimi, dulcis incedit, sed cum totus sit in exhortatione virtutum, de scripturis divinis nihil disseruit.* Sic Socrates, ut profana misceam, *a* à Platone reprehensus est, Plato ab Aristotele, Aristoteles ab Averroë, Cæcilius à Sulpitio, Lælius à Varrone, Ennius ab Horatio, Seneca ab A. Gellio, Eratosthenes à Strabone, Thessalus à Galeno, Hermagoras à Cicerone, Cicero à Salustio. Hi omnes suos momos habuerunt, & quid miri, si viri docti ab indoctis, sancti ab impiis, tam graves censuras subeant? cum increata Dei Sapientia, hominum judicia ac censuram non evaserit, & opera Dei quis ausus sit erroris insimulare. Alphonsus X. Rex Hispaniæ, eo temeritatis devenit, ut in mundo creando si opifici adfuisset, & se consuluisset, multa se Deo dissuasurum fuisse, ac pleraque meliorem in modum condenda. Hoc suum esse judicium. Mitto momum, qui in fabrica hominis, fenestram requisivit, qua cor pateret: *b* Fuit oris blasphemi homo, qui sic censuit: Deus cloacam capitis, id est, nasum media facie collocavit; si ego vel architectus fuissem, vel archiecto à consiliis, unum dumtaxat oculum fronti inseruissem, unam autem dextro lateri, sinistro autem collocassem nasum. Ita paulatim Critici illi in blasphemias, & in apertas hæreses prolabuntur.

Hæc liberrima pro arbitrio, pro affectu cujusque censurandi consuetudo, frequenter in mortale præcipitat. Lessius *de jure & justitia l. 2. c. 29. dub. 2. n. 21.* si ex pravo affectu, & advertens signa non esse sufficientia, suspicetur de proximo grave malum, id est, quod sit illi magnæ infamiæ, est in se mortale; imo vel leve malum de quibusdam suspicari, lethale est: verbi gratia, virum sanctum & valde Religiosum mentiri, virum primariæ nobilitatis esse spurium, Iudæum; de Medico vel Advocato, esse ignarum, imperitum, uti in detractione peccat mortaliter. Idem docet

a Guevarram horol. Princip. in argumento n. 66.

b Drex. lingua imprecans.

Lugo

UVA. BHSC. BU 02224

Lugo *de jure & justitia disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 23. Sanchez selecta *disp.* 35. *n.* 10. quia talis suspicio procedit ex malitia, qua quis vult ita suspicari ut eum contemnat, quæ est gravis injuria. Sic Hæretici, & Politici solent male judicare de viris probis, de Religiosis, eos esse impuros, avaros, quæstus & honoris causa omnia facere. Quid? quod [a] S. Cyprianus hinc schismata & hæreses excitatas commemorat, dum in Criticum qui Ecclesiasticos adeo temere sugillabat, si calamum stringit! *An ad hoc frater charissime deponenda est Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & sacerdotalis auctoritas ac potestas; ut judicare se velle dicant de Ecclesia, extra Ecclesiam constituti? de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de judice rei, de sacerdote sacrilegi? quid superest nisi ut Ecclesia capitolio cedat?* & lib. 4. Epist. 9. *Vnde enim schismata & hæreses? nisi dum Episcopus* (& Religiosus) *superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur.* Hinc fit Religiosos adeo contemni, dum quod gravius est, ejusmodi judicia hæreticis, à Catholicis suppeditantur. Si Religiosi zelum ostendant, illos ambitiosos, omnia velle per se agere: si desistant, jam à primævo fervore desciscere, otiari, infirmos destituere: si ad eos visant, testamenta conquirere judicant: in quibus heu quoties mortaliter peccatur, & æternus reatus incurritur? Horrendam vibrat hic Chrysostomus sententiam [b] *Si nullum nobis peccatum esset admissum, pro hoc solo* (de ejusmodi agit judicio) *nos gehennæ tradi, satis abundeque sufficeret: quippe qui in aliorum delictis severi & amarissimi judices residemus; nostras autem trabes oculis nostris infixas non cernimus, à quo vitio neque sæculi hominem, neque Monachum ullum facile invenies liberum, quia spiritualis judicat omnia.*

[a] Cypr. lib. 3. ep. 9. [b] V. Nieremb. asset. p. 197.

§. IV.

Efficax SS. Patrum ad judicium temerarium evitandum paræneſis.

QUare si lethalem noxam, si tremendum Dei judicium, si gehennam effugere velimus, declinemus hoc temerarium judicium, monente ac minante Apostolo ad Rom. 2. *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas.* Quod suis identidem B. Bernardus inculcat, & diserte sermone 56. in Cant. *Cave alienæ conversationis esse curiosus explorator, aut temerarius judex; etiam si perperam quid actum deprehendas, non sic judices proximum, magis excusa: excusa intentionem si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipsa tibi, & dic: Vehemens nimis fuit tentatio. Quid de me fecisset, si in mea fuisset potestate? Dic cum Christo, qui in atroci Iudæorum scelere proclamavit, Nesciunt quid faciunt.* Dic cum anachoreta, de quo idem [c] Bernardus, cum videret fratrem pec-

[c] Bern. serm. 2. de resurrect.

cantem,

UVA. BHSC. BU 02224

cantem, suspirans dixit: *Hei mihi! hodie ille, cras ego.*

Inhæreat illud alte D. Augustini de sermone Domini in monte lib. 2. cap. 28. *Duo sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus: cum incertum est quo animo quidque factum fuerit, vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Quod cum semper incertum sit, nunquam judicandum est.* fieri enim potest, ut quem tu in flagranti delicto repertum adulterum judicas, talis fuerit; sed in gratiam, etiam per actum internum redierit. Nec hæc longe quæsita: Pharisæus damnat Publicanum ut superbum, ut raptorem, injustum, adulterum: & jam justus erat apud Deum. Simon damnabat judicio interno Christum & Magdalenam, b *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit illum.* Magdalenam ad Christum perfricta fronte, libidine incensam penetrasse judicabat, & jam divino amore saucia advolarat. Alium profecto S. Ioannes Eleëmosynarius sese præbuit, qui in simili causa condemnationis judicium plane exhorruit: juvenis impudicus virginem Deo sacram ad flagitium flagitarat, & secum Alexandriam, cum totius urbis scandalo pellexerat: nemo non juvenem illum æternæ damnationis reum, scelestum ac sacrilegum appellabat. Quod cum vir sanctus audisset, graviter reprehendit, dicens: Quis vos constituit judices? nolite ante tempus judicare: incertum enim an ad meliorem frugem Dei miseratione non reducendus sit, & forte jam redierit; si quis in manu vel officina artificis stipitem informem conspectum despiceret, ac flammis adjudicaret, quasi ad nihil aliud aptum, certe judicium ejus sæpe erroneum foret, cum artifex illud lignum destinarit, ut ex eo elegantem statuam efformet; ita nemo quisquam alium contemnere, aut ut ineptum despicere debet, cum Deus potens sit ex lapidibus, filios Abrahæ efformare.

Denique ad omnia prava judicia declinandum, moveat nos illud Dorothei: b Quemadmodum, inquit, qui bonæ complexionis & fortis stomachi est, cibos etiam duriores & crudiores in bonam substantiam convertit; & contra, qui affecto, alimenta bona in pravos humores; ita mali semper suspicaces, optima in partem pessimam detorquent, contra ac homines sinceri ac pii, etiam peccata excusant, ac omnia in meliorem partem retorquent. Gen. 27. *Prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit Isaac jocantem cum Rebecca uxore sua, & dixit: Perspicuum est quod uxor tua sit.* Lascivus aliquis, juvenem cum puella lascivum putasset. Sic Ioseph nihil sinistri de virgine gravida cogitavit, sentiamus & nos quod olim inter Ethnicos Euripides, de scriptis Heracliti auctoris obscuri, quæ ubi legit, sic ait: *Quæ intellexi præclara sunt; opinor autem & quæ non intellexi.* Ita lectores de libris, auditores de concionatoribus, quisque de proximo judicet: In quantum ipsum novi, vir probus est; opi-

a Luc. 6.

b Rodrig. fuse p. 1, t. 4. c. 15. &c.

nor

UVA. BHSC. BU 02224

nor autem & in aliis quæ me latent, prudenter procedere, recte agere. Quo fiet ut severissimum illud Dei judicium effugiamus, testante Luca; *a Nolite judicare, & non judicabimini.* Rem exemplo concludo. *b* Refert Baronius ex vita S. Anastasii, Monachum quendam, cum in summo otio ac desidia vitam traduxisset, in morte mirum in modum exultasse, quasi de salute sua securum. Ad quem senior: Frater, inquit, recordare tepiditatis & socordiæ tuæ, & peccata tua detestare priusquam ad severum illud judicium abripiaris. Ad quem frater moribundus: Fateor, inquit, me graviter Deum offendisse, qui per Angelum suum hac hora chirographum mihi exhibuit, in quo omnia scelera mea exarata legi: quibus id unum respondi, graviter me quidem in vita deliquisse, sed ex quo Monachus factus sum, me neminem judicasse, & omnem injuriam illatam ultro remisisse; ac proinde Domini testimonium pro me stare: *Nolite judicare & non judicabimini: dimittite & dimittetur vobis:* quo dicto chirographum lacerarunt, & jam securus morior. atque ita in pace obdormivit.

a Luc. 6. *b* Baron. tom. 8. anno 599.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXX.

Fecit cœnam. Luc. 14.



HUIC PANIS SOLET ESSE VENENO.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Eos qui indigne accedunt ad ſacram cœnam, judicium ſibi manducare, ac panem vitæ illis veneno eſſe, uti accipitri, teſte *a* Auguſtino, eſſe conſuevit.

§. I. *Nihil adeo ſanum, quod abutenti non cedat in venenum: nil tam ſacrum, quod ſuum non habeat ſacrilegium.*

§. II. *Quam immane ſacrilegium, ſacram ſynaxim à ſcelerato ſumi.*

§. III. *Qui indigne accedunt, judicium ſibi manducant, & vindictam Dei accerſunt.*

a Aug. lib. 4. contra Manich.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Fecit cœnam. Luc. 14.

INTER ea quæ Parrhasius, posteritati transscripsit artis suæ monumenta, illud minime obliterandum, quo genium sic expressit in tabula, ut variis spectatoribus varius appareret, ridens, flens; blandus, torvus; mitis, ferox; puer, senex; prout hinc vel illinc, obliquis vel directis oculorum radiis conspiciebatur. Mirandum hoc, sed admirationem in stuporem verrit miraculum, quod in pane Eucharistico, Vivero noster exhibet: *a* Santareti in Hispania, inquit, sacra hostia videnda exponitur, in qua diversis diversimode se Christus spectandum proponit: aliis in cruce expansis ulnis, sine mensura misericordiæ; aliis in specie juvenis specioſi præ filiis hominum; nunc forma judicis formidandus; nunc in resurrectione glorioſus: quandoque totus sanguineus ac rubicundus, quandoque in cunis totus candidus: *b* Addit Nierembergius: In hoc collegio Madritensi, duo sunt fratres Lusitani, quorum unus hostiam intuitus, vidit frustum carnis candidissimæ, alter spinis Christum redimitum, ut à Pilato, *Ecce homo* exhibitus; ita variis varius, juxta illud Poëtæ:

c *Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.*

Panes propositionis dicti sunt panes facierum, quia duas facies habebant, non sine mysterio: in Eucharistia enim Christus est vultu amabilis, & terribilis: amabilis juxta illud, d *Letificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* e *Illuminet vultum suum super nos.* malis vero terribilis juxta illud, f *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Et alibi: g *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdet*, &c. Quæ paucis complexus D. Thom. *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Quare paucis probare aggredior.

a Vivero convivio divino appendix pag. 55. *b* Nierem. hist. natur. pag. 392. c Martial. l. 12. ep. 38.

d Psal. 20. e Psal. 66. f Psal. 20. g Psal. 33.

§. 1.

Nil adeo sanum ac sanctum, quod abutenti non cedat in venenum; nil tam sacrum, ut ait Seneca, quod non habeat suum sacrilegium.

APposite Pelignus Vates:

h *Nil prodest, quod non lædere possit idem.*

Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Cœperit, audaces instruit igne manus.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator;
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Psal. 77. i *Eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.*

h Ovid. l. 2. Trist. i V. Serlog. tom. 2. pag. 33

Drogo

UVA. BHSC. BU 02224

Drogo Hostiensis : Quæ est nubes nisi sanctissimum corpus tuum ? in quo velatur nobis altitudo Dei, immensitas majestatis tuæ, cujus calorem & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, splendorem & ardorem temperaret. Sed hæc nubes in nocte peccatorum degentibus, convertitur in columnam ignis, ut recte Orig. advertit in illa verba Deut. 4. *Deus noster ignis consumens est.* quæ sic vertit: *Qui approximant mihi, approximant igni.* Et addit: Si aurum & argentum, purgatur ; si fœnum & stipula, comburitur. Beati igitur qui proximi sunt, & ita proximi sunt ut ignis eos illuminet, non adurat. Quo spectat illud Nysseni : Sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit, ignis aurum purgat, stipulam absumit : sic Christus malis in ruinam est, bonis in resurrectionem. Aureè Chrysostomus: *Aquilas solis radius recreat, noctuas excæcat.* Etenim, ut Maria Oigniacensis asseruit, Christus se non semel in Eucharistia tanto splendore radiantem exhibuit, ut omnes solis radios luce sua prorsus obscuraret. Ad lucidissimos hujus solis radios, tot bubones ac noctuæ hæreticorum caligarunt ; unde Cyprianus de cœna Domini : *Veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit : & cum in sole vellet figere oculos, vini luminis non ferens, cæcata est, non illuminata præsumptio, & aspectui ejus lippitudo inhæsit.* a Testis Hermogenes hæreticus ille multum cæcutiens, cum in sole Eucharistico Christi corpus non cerneret, in sole illud repositum dicebat. Sed pluribus propositum stabilire pergo : Nonne eodem solis calore linum & ceram albescere, vultus vero hominum nigrescere : ceram ac glaciem liquefieri, lutum indurari videmus ?

b *Limus ut hic durescit, & hæc*
ut cera liquescit
Vno eodemque igni.---

Nonne iidem fluctus quibusdam fuere in mortem, nempe exercitui Pharaonis; quibusdam in vitam ? Euseb. Gallicanus : Creatura insensibilis elementi, factorem suum sentiens, transeuntibus præbet viam, &c. Sic & arca quibusdam præsidio, quibusdam exitio fuit. Ex eodem fonte bibunt homines & bestiæ. Ioannis 4. de puteo Iacob Samaritana ait: *Filii ejus & pecora ejus bibebant ex eo.*

Idem cibus in cœna magna qui valentibus alimento est, confortat, & vegetat; ægris veneno est, atterit, & enecat. Idem de vino est, ut ait August. c *Vinum quod sanus homo ad jucunditatem & confortationem ; febricitans accipit ad majorem infirmitatem, vel certe ad mortem,* estque oleum addere camino.

Botrum uno vecte duo viri portabant, sed hic aversus, alter continuo aspectu solabatur. Panis optimum hominis nutrimentum, in quo robur & vita hominis, quibusdam venenum est, quis credat ? Aldrovandus de animalibus asserit panem accipitri toxicum esse, & Aug. l. 4. contra Manich. *Panis hominem alit, accipitrem necat.* Nec mirum, panem alicui exitio es-

a Theat. Beyerlinck lit. H. p. 20.

b Virg. Ecl. 8. c D. Thom. opusc. 58. c. 18.

UVA. BHSC. BU 02224

se, cum Iosue dicat de pane cælitus conspecto, *Non est hoc aliud, quam gladius Gedeonis.* Et Bernard. *Nec quemquam moveat, quod idem verbum dixerim & cibum & gladium, quasi impossibile & absurdum.* Quod pathetica historia confirmat D. Cyprianus *serm. 5. de lapsis*, ubi de fœmina indigne communicante, ait: *Non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit, & quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.*

Paulus de exemplis Christi agens, quibus alii scandalizabantur, alii Deum laudabant, sic ait: *Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.* Ubi Chrysost. homil. 5. adducit, unguento, quod homines reficit ac confortat, sues præfocari. Et Greg. Nyss. a *Quomodo*, inquit, *idem unguentum si fuerit appositum scarabæo & columbæ, non idem efficit in utrisque; sed columba per bonum unguenti halitum fit robustior, interit autem scarabæus; ita etiam magnus Paulus in divino illo suffitu, &c.* uti ex eodem odore, sic ex eodem flore apis mella, aranea venena fugit; non quod res in se mala sit, aut flos, aut cibus hic venenum tegat, sed optimum succum aranea in venena transmutat: ita & peccator affecto stomacho ad hoc sacrum epulum accedens, omnia in fel convertit, idque quia indigne præsumens accedere, *judicium sibi manducat.* In quæ verba Augustinus: *Non quod res illa mala sit, sed quia malus, quod bonum est, male accipit.* Petrus Damianus: Nunquid buccella quam Iudæ Dominus porrexit, bona fuit? sed quod erat causa salutis, illi facta est materia condemnationis.

Quid humano generi salubrius quam sanguis Christi? & tamen Iudæi in suam perniciem exclamarunt: *Sanguis ejus super nos.* Chrysost. hoc expendens ait: *illis ad condemnationem, nobis ad justificationem; illis ad mortem, nobis vero ad vitam.* Et confirmat exemplo fornacis Babylonicæ: *Non est*, inquit, *sanguis Christi deterior Babylonio igne, ille scilicet Sanctorum corpora in camino honorare, & Chaldæos comburere. Quanto magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos, & salvare fideles?* Diadema, regium capitis ornamentum, aliquando Alexander adhibuit, ut Lisimachi saucii militis vulnus obligaret; sed Monima uxor Mithridatis, ne in Luculli potestatem veniret, diademate pro laqueo usa est; adeo nihil tam pretiosum, tam sacrum, quod non fiat perniciosum, ac sacrilegum. *b* Nonne lampades, quæ ardent ante aras Dei, & Divorum, venerabile lumen habent? ad hoc tamen fur noctu templum ingressus, omnia pretiosa abstulit, subsidio lampadis usus.

Quid majori in veneratione habendum quam crux Christi, quam lignum illud vitæ? *c* fuit tamen qui per hoc mortem homini adferre studuit; dum crucifixi argenteum simulachrum, quod Pius V. indies exosculari solitus, ad pedes præsentissimo veneno infecit. Quo certe caput Ecclesiæ abstuliset, nisi crucifixus prodigio pedes retraxisset. Hinc merito excla-

* Nyss. hom. 3. in Cant.

b Garasus doct. curieuse l. 5. lec. 29.
c Lobbetii Quæst. Dom. 2. q. 5.

mat

UVA. BHSC. BU 02224

mat Philo Carpatius cap. 7. in Cant. O rem miram? ô rem tremendam! *Hæc quæso mecum diligenter Sacerdotes attendite, hæc fratres animadvertite, hæc timete semper, & cavete periculum: ea est enim rerum divinarum humanarumque natura, ut quæ pro sua dignitate optima esse debent, eadem mutato ordine pessima fiant.* Sacrilegium ingens est, SS. Hostias, vel calicem Domini, veneno tingere, & pane vitæ, hosti mortem inferre. Fuere qui hoc ausi sunt. Henricus VII. Imp. dum die Assumptionis communicare vellet, absente Confessario ejus Episcopo Tridentino, alius vir Religiosus accitus (quem subornatum volunt à Florentinis) ut coram Imperatore celebraret: qui hostiam ei venenatam porrexit, & in loco exspiravit. Ita Ioannes Fontanus in vita Ioannis XXII. & Genebrardus. Ita teste Platina, Victor III. ubi calicem veneno infectum hausit, extinctus est. Quæ ne altius repetamus, ipsum sanctissimum corpus Domini, sacrarium divinitatis, hæretici mille injuriis proscindunt, in lutum, in sterquilinium, equis in pabulum abjiciunt, cultris ac stylis impetunt.

Magi, venefici, inter arctissima fœdera, quæ cum dæmone ineunt, passim sacras Hostias admiscent, omnes blasphemias ac diras in eas evomunt. Ad hæc inhorrescimus, miramur & indignamur. Thenis corpus Christi equis in pabulum datum, quasi leviora sint, dum corpus Christi intra sceleratam animam velut in cloacam, immundi peccatores præcipitant, ac indignissime tractant. Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Canibus, id est, *immundis peccatoribus*, ait Doctor Angelicus.

§. II.

Quam immane sacrilegium, S. Synaxim à scelerato sumi.

QUam barbarum & immane fuisset, si Herodes parvulum natum non occidere, sed sacratissimum corpusculum cunis extractum, in sterquilinium abjecisset? Quale sacrilegium, dum venefici S. Hostiam in latrinas, in lutum immergunt? Ad hæc Augustinum audite: a *Quam temerarium, quamque nefarium est, cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare Filium? quis auditus sustinet aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitum? cujus mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium?* Et ne quis dubiter, quis tale quid audeat, subjungit: *Non enim minus est detestabile, in os pollutum, quam in lutum mittere Dei Filium.*

Criminis hujus gravitatem Doctor Aquinas ab hominis ingratitudine exaggerat: *Quæ enim*, inquit, *potest esse major* (ingratitudo) *quam si quis habens dominum, à quo accepisset quidquid boni haberet, & ipsum insuper morte sua de suspendio liberasset, eundem dominum in stabulum immundissimum inimici sui traditione duceret, & ibi conculcaret, rursus occideret? Tanta*, inquit, (verba sunt tanti Doctoris) *ingratitudine peccant, qui corpus Dominicum sumunt in peccato mortali.* Quo spectat illud Psal. 55. *Conculcaverunt me inimici mei.* Et ad

a Cit. S. Th. opusc. 58. c. 18.

UVA. BHSC. BU 02224

Heb.10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Ambrosius: *Christum ille conculcat, qui eo indigne participat.*

Inter gravissima flagitia, quæ unquam non modo humanum, sed & diabolicum ingenium excogitavit, censetur peccatum Iudæ & Iudæorum, qui crudelissimam mortem Dei Filio intulerunt. Hoc si de indigne communionibus gravissimi Doctores asseverarint, nonne hoc temerarium facinus omnibus horrori esse debebit? Ac primum quidem ipse Doctor gentium: *Quicumque manducaverit vel biberit indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* a Hieron. reus erit violati corporis & sanguinis Domini. Cyp. Domini corpus invadunt, vis infertur corpori & sanguini Domini. Amb. qui indigne Christum sumit, idem ac si interficiat. D.Tho. mortis Domini pœnas dabit; id est, ac si Christum occiderit, punietur, secundum illud, *rursus crucifigentes Filium Dei*; cujus omnia vulnera ad præsentiam homicidæ peccatoris renovantur. Sed disertissime Chrysostomus hom. 60. ad pop. *Considera quantum adversus proditorem indignaris, & contra eos qui crucifixerunt; itaque considera ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi: illi sanctissimum corpus jugularunt, tu vero, polluta suscipis anima post tot beneficia.* Quasi diceret: Si indigne suscepisti, non minus tu, quam illi, Christum in crucem sustulisti: nam si illi qui Baptismo abutuntur, gravissime peccant, juxta illud, *rursus crucifigentes*, &c. quid ni b Christum crucifigere dicantur, qui non solum Baptismum, in quo Christi efficacia reperitur, sed etiam Eucharistiam, in qua Christi præsentia continetur, indigne tractant. August. in Psal. 142. *Accepit buccellam Iudas, & introivit in eum Satanas: quam multos Iudas Diabolus implet, indigne accipientes buccellam ad judicium suum! qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat.* Notis qui, & quam multi Iudæi? quot in pauperes crudeles animo avaro; quot in proximum iracundi animo obstinato; quot in potum effusi, sine ullo vitandæ ebrietatis proposito; quot in Venerem proclives, libidinis vinculo irretiti, hoc sanctissimum Corpus instar Iudæ præsumunt. suscipere, teste Hier. c *Dic Sacerdos, dic Clerice, qualiter eisdem labiis Filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia meretricis? cum Iuda, osculo Filium hominis tradis.* Nemo qui fœtentem animam habet, cum viro honesto propius agere, nedum osculari auderet. Chrysost. homil. 3. in Epist. ad Eph. *Regem utique non audeas osculari, si quidem os tuum oleat graviter: & regem cœlorum impudens oscularis, anima tua vitiis olente.* Tormenti genus, quod Mezentius adinvenit:

d *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis:*

Hoc fit, dum vividum illud corpus Christi, fœditissimo cadaveri putentis animæ conjungitur,

a Velasq. ad Philip. c. 2. v 9. 10. 11. v. 2. ad n. 18.

b Ad Heb. 6 c Cit. à Suare. 3. part. q. 66. d Virg. 8. Æneid.

ac

UVA. BHSC. BU 02224

ac mortuis quasi membris traditur uniendum. Augustᵃ *Magis peccant qui tradunt Christum peccatoribus membris, quam qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis.* Hinc Trid. Sess. 13. c. 17. tam sollicite omnes admonet, dicens: Si non decet ad sacras alias functiones quemquam accedere nisi sancte; certe quo magis sanctitas & divinitas Eucharistiæ Christiano comperta est, eo diligentius cavere debet, ne in illam plenam formidinis Pauli sententiam incidat: *Qui manducat & bibit indigne*, &c.

Persæ sellam Regis sui tam eximio cultu venerantur, ut in ea quempiam alium sedere capitale sit. Hinc illud Alexandri regium dictum, quod refert Curtius: *b* Sedebat Alexander & admoto igne refovebat artus; cum forte gregarius miles frigore prope enectus, & qui vix arma & seipsum sustentabat, ad castra pervenit. Eo viso Rex è sella sua quamprimum assurrexit, torpentemque militem, & vix mentis compotem, exutis armis in sua sede jussit considere: ille diu nec ubi requiesceret, nec à quo esset exceptus, ignovit. Tandem recepto calore vitali, ut regiam sellam, regemque vidit, è vestigio territus, exilivit. Quem intuens Alexander, Ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliori forte quam Persæ sub me rege vivatis? illis enim in regis sella consedisse fatale est, tibi saluti fuit. Sed quanto nos, ô Superi, meliore conditione sumus, quam miles iste! quanto sub rege vivimus benigniore! non sellam tantum regiam occupamus, ipsius Regis gremio amantissime fovemur. Hic thronus Salomonis est, ad quem si trepidi, jejuniis exhausti, venerabundi accedimus, nobis saluti est: at si temere, thronus hic leonculos suos habet, & velut Persis exitialis erit. Et profecto quas pœnas tanto flagitio dignas daturus sit, attendite. Chrysost. exponens illud, c *Iudicium sibi manducat:* id est, damnationem. S. Tho. in opusc. cit. ad judicium mortis se obligat. Suarez: ac si Christum occideret, punietur. Philo Carpatius: b *Licet*, inquit, *videre quosdam ex hoc sacratissimo convivio, fieri quotidie praviores, & ob id solum ad gehennam properare miserrimos, quod ad tale ac tantum, tamque ineffabile & cæleste convivium, Angelorum choris optabile, immunde corde atque sordidato, audacter accedere, & insolentissime devorare præsumunt.* De triplici morte quam indigne sumens incurrit, vide *e Mendoz.*

Dissimilis sibi videtur in passione Christus, ibi pro suis persecutoribus orat: *Non enim sciunt, quid faciunt.* ibi absolvit latronem, Iudæos excusat: hîc minatur, hîc reos corporis & sanguinis sui graviter judicat, & morte æterna damnat. An non manifesto hinc concluditur, Christianos gravius Iudæis delinquere? quid? quod Iudas semel Christum tradidit, Iudæi semel illuserunt, semel crucifixerunt; indigne vero sumentes, quotidie eum produnt, quotidie crucifigunt: ut vere Tertullianus exclamarit: f *Proh sce-*

a V. ascetica Nierenb. pag. 121. b Curt. l. 8. c. 9.

c Suarez 3. part. qu 66. d Cap. 7. in Cant. e Lib. 1. Reg. cap. 6. ann. 24. sect. 3. f Tertull. lib. de Idolol. cap. 7.

UVA. BHSC. BU 02224

tus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, illi quotidie ejus corpus lacessunt. O manus præcidendæ? viderint jam an per similitudinem dictum sit, Si te manus tua scandalizat, amputa eam. quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur? Sic ille. Manus tuæ sunt plenæ sanguine pauperum, plenæ sanguine vindictæ: manus tuæ fœdo tactu commaculatæ; & hoc scelus Iudæi semel, tu toties. Habes domi ancillam, quæ est dextra manus tua, quod in officina, in familia dexterrime rem agat; affectui carnali illi junctus es, abscinde eam. Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quarto non convertam eum.* Rupert. per tria, intelligit peccatum cordis, operis, & omissionis, quæ remittuntur, in quorum figuram Christus tres suscitavit mortuos; sed quartum, ait Rupertus, *hoc scelus diabolicum est.* Paschasius intelligit de peccato indigne communicantis: *Quis orabit pro eo, qui in Dei injuriam ad sanctificata, ad corpus & sanguinem Christi indignus accedit? talis profecto nec Dei reveretur præsentiam, nec angelorum frequentiam.* Imo tales ipso dæmone pejores sunt; ille enim Dominum suum reveretur, obedit, ut patet in energumenis. a *Dicam*, inquit Chrys. *aliquid terribilius: Non tam grave est energumenos intus esse quam illos: dæmonium enim patiente pejor est, qui postquam peccavit, accedit.*

a Chrysost. hom. 60. ad popul.

§. III.

Qui indigne accedunt, judicium sibi manducant, & vindictam divinam in se accersunt.

HInc D. Thomas afferere non dubitavit: b *Christianis maximum est peccatum, & causa plagarum quod corpus Salvatoris indigne suscipiunt.* 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus; si autem in Deum, quis orabit pro eo?* Glossa: Quanto major gloria, tanto major offensa. quasi diceret Dominus, ait S. Thomas: Parum irascor hominibus propter peccata, quæ committuntur in proximum, sed maxime eo quod peccant in Deum. Unde cum hoc peccatum maximum appellet, secundum hoc pœnas & plagarum modum, Deum intentasse videmus. Mitto gravissimas pœnas, quas in lege veteri, figuras & umbras eucharisticas indigne tractantibus inflixit, quanto magis Christiano verendum, ne cum bestia montem tangente lapidetur, vel cum Oza percutiatur, cum Bethsamitis arcam Domini non satis digne excipientibus, à Domino occidatur? Si quis irritam legem Moysi fecerit, sine ulla miseratione moritur, quanto deteriora supplicia meretur qui filium Dei conculcarit? Hæc supplicia, ait Divus Thomas, possunt dici triplices plagæ 1. Multa damna spiritualium bonorum. 2. Sterilitas terræ, sive caristia temporalium. 3. Pestes corporum & strages hominum. David. Psal. 68. non levem plagam eis intentat, dicens: *Fiat mensa eo-*

b Opusc. cit.

rum

UVA. BHSC. BU 02224

rum coram ipsis in laqueum. Longum esset enarrare, quot pane Eucharistico suffocati, & velut strangulati sunt.[a] Bernardus fratrem quendam ob secretam culpam à sacris suspenderat, hic in magna solennitate notari timens, & ruborem non sustinens, palam cum aliis accessit. Quem Bernardus intuitus, cum scelus occultum esset, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, ut tantam præsumptionem in bonum ejus converteret. Dum ecce sumptam hostiam homo deglutire nullo modo potuit: diu multumque nequidquam conatus, anxius & tremebundus, ore clausam hostiam servabat; donec expleta hora, S. Patrem seorsim traxit, ejusque pedibus cum lachrymis advolutus, aperto ore hostiam ostendit. Increpans autem eum absolvit, & sine difficultate recedit Divina Sacramenta. Sed hoc singulare quod P. Gabriel de Vega, Rector Collegii Madritensis posteris reliquit.

Fuit Cordubæ homo familiæ satis illustris, qui dudum capitales inimicitias foverat, non sine publico scandalo totius urbis. Hic ut in morbum lethalem incidit, nostrum Sacerdotem advocat, ut animum sacra exomologesi expiet; sed Confessarius illi negandam absolutionem dixit, nisi palam cum inimico in gratiam rediret, cujus inveteratum odium jam omnibus notum erat. Annuit æger, alter advocatur, & inter complures testes, alter alteri veniam rogat, & injuriam omnem remittunt. Quo facto, sacro epulo munitus fuit eoque sumpto exspiravit, ac honorifice, ut decebat, sepelitur. Quis hic non exclamet: *Moriatur anima mea morte justorum*? sed alia sunt judicia Dei, alia hominum. Nocte insequenti postquam terræ mandatus, en tibi duo Ephebi, pulsant portam Collegii Cordubensis, facem manu gestantes, rogant loqui Confessario defuncti, habere se rem momenti illi communicandam. Adest Confessarius, quem face prælucente deducunt ad summum templum, ubi hic sepultus. Dum ad fores templi ventum est, unus eorum claves Patri exhiber, dicens, audacter aperiret, non esse quod timeret. Hinc deducunt ad summam aram, & dant in manus clavem tabernaculi, in quo hierotheca seu ciborium corporis Christi asservabatur: jubent ciborium secum deferat, illumque cum facibus deducunt ad sepulchrum defuncti. Quo ut pervenit, unus eorum dixit: Pater, hic conditus est Dom. N. qui ut multis adstantibus & testibus alteri ignoverit, quia tamen non ex animo, sed in corde fovit iracundiam, & sic ausus est SS. Corpus Domini sumere, cessit illi in judicium, & in æternam damnationem; maledictum ejus cadaver adhuc in ore habet S. Hostiam, quam non valuit deglutire, sed illi fuit in laqueum. Quo dicto, pede terram pulsant, & ecce cadaver arcana vi assurgit, aperit sacrilegium os, & hostiam exhiber, quam Sacerdos in ciborium recondit. Tum rursus pede terram pulsantes, & subito corpus concidit

[a] Lib. 1, vitæ S. Bernard.

UVA. BHSC. BU 02224

in abyssum inferni; nam tumulus postero die repertus est in ingentem fossam concidisse, & corpus nusquam repertum est. His peractis patrem deducunt ad Collegium, & ilico dispa-rent. Aliud longe terribilius de Udone Episcopo Magdeburgensi, *Vide apud Delrio & S. Fulgosum l. 9. cap.* 12.

Concludo cum gentium Apostolo & exclamo: O peccatores! a *Christus vobis nihil proderit.* O sacrilegos! qui indigne de pane vitæ & sanguine Christi participatis, judicium & mortem manducatis. *b* Et ut olim, teste Baronio, Theodorus Pontifex è calice consecrato vivificum sanguinem Christi in atramentum instillans, in Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum, excommunicationis sententiam scripsit, haud aliter calix vitæ, & sanguis redemptionis pretium, mortis æternæ fit instrumentum. Unde illud: c *Quæ utilitas* (in carne) *quæ utilitas in Sanguine meo?*

a Ad Gal. 5.

b Baron. tom. 8. an. 648. c Psal. 29.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXI.

Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.



NON SUM QUI FUERAM. *Ovid l. 3. Triſt. eleg. XI.*

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Fit perfecta peccatoris converſio, dum membra quæ fecit ſervire iniquitati & vanitati, facit ſervire juſtitiæ & veritati; mutaturque in virum alterum, haud aliter quam arbor ſilveſtris, in frugiferam.

§. I. Inſiliet in te ſpiritus Domini; & mutaberis in virum alterum. 1. *Reg.* 10.

§. II. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ, in ſanctificationem. *Ad Rom.* 6.

§. III. *Omne corporis ornamentum ad animum referendum, exemplo mulieris peccatricis.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

AMASIS Ægyptiorum Rex, dum ſuis contemptui eſſet, quod obſcuriori loco natus ad regium culmen erepſiſſet, hoc conſilii cepit: Ex aureo vaſe, in quo pedes ablui, inque alios turpes uſus adhiberi ſolebat, Iovis ſimulachrum conflari, & medio urbis foro eminenter collocari juſſit. Quod cum omnibus Religioni ac venerationi eſſe animadvertit, hæc ad ſuos paucis verba habuit: Video vos omnes huic ſtatuæ honorem ac venerationem deferre, non reputantes, ad quos uſus antea ſervierit. Ita de me ſentite, non recogitantes, quis fuerim, ſed ad quem dignitatis gradum me fortuna evexerit. Quo tumultuantem populum ſedavit. Hæc ut alio referamus, complures hodierna die reperire eſt, qui antea vaſa in contumeliam, dein à cœleſti illo artifice, igne charitatis expurgati, vaſa honoris, & divorum ſimulachris ſimillimi effecti ſunt. Hæc enim eſt perfecta converſio, dum in novum hominem transformamur, juxta illud vaticinium:

§. 1.

a *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.*

INgenioſum magis, an lucroſum, humanæ induſtriæ inventum fuerit, non facile dixero, quo ſilveſtris & infœcunda arbor, pabulum ignis, in frugiferam convertatur: ut quæ primum nil præter folia, & luxuriantes ramos protrudebat, iis reciſis, fœcundo ſurculo inſerto, ſapidiſſimos fructus colono refundat. Iam enim oleaſter in olivam converſus, omnem ſuccum, omnem ſubſtantiam, vigorem, virorem omnem, quem olim in ſilveſtres ramos, nunc in uberrimos fructus inſumit.

b *Miraturque novas frondes, & non ſua poma.*

Ambroſius *l.* 2. *de pœnit. c.* 10. refert adoleſcentem poſt amores meretricios, cœlitus admonitum, in deſertum ſeceſſiſſe, ut lachrymis ignes reſtingueret; dein occaſione aliqua urbem repetiiſſe, ac veteri amaſiæ occurriſſe; quæ ubi ſe inſalutata tranſeuntem ſatis demirari nequiret, accidit ut altera vice, cum ſe ut ignotam præteriret, juvenem blande compellarit: Ecquid, inquit, noſti me? ego ſum illa. Cui alter: Sed ego non ſum ille, quem tu putas; non

a 1. Reg. 10.

b Virg. 2. Georg.

ſum

UVA. BHSC. BU 02224

ſumille, qui ſolebam. a *Non ſum qui fueram.* ſed multum *mutatus ab illo.* Iam enim inſilierat in eum ſpiritus Domini, & mutatus erat in virum alterum; uſurpare poterat quod olim Martianus: *antiquiſſimus* b Auguſtini (ut ipſe teſtatur) *amicus:* qui ad meliorem frugem converſus, *comicum de Terentio verſum, ſed tamen aptiſſimum & utiliſſimum* protulit: *Nunc hic dies vitam aliam offert, alios mores poſtulat.* Aliæ jam illi cogitationes, aliæ aures, alii oculi, alia lingua, alii pedes, aliæ manus, alii mores, alii amores, totus alius. Chryſolog. *ſerm. 77.* mulierem peccatricem jam longe aliam depingit: *Venit Maria Magdalena & altera Maria: una venit nomine, quæ nunc alia legitur in diverſa perſona. Venit Maria & alia Maria. Venit enim, non venerunt, & cum dicit alia, in utraque eandem myſtice deſignat affatu, ut aliam veniſſe ante fidem, aliam poſt fidem redituram eſſe monſtraret. Venit mulier, ſed redit Maria. Venit Maria & alia Maria.* Vnde Chriſtus ad Simonem ait: Vides hanc mulierem: quaſi diceret: Si eandem credis, falleris. Hanc perſonam alteram & eandem lex vetus nova proſopopœia etiam urbibus dedit. Edixerat Ionas veritatis præco: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; ſed falſus vates multis audire potuiſſet, niſi Auguſtinum audiſſent, ſic ſentientem: c *Ego puto impletum eſſe quod Propheta prædixerat. Reſpice quæ fuerit Ninive, & vide quia everſa eſt: everſa in malo, ædificata in bono, Sicut everſus Saulus perſecutor, ædificatur Paulus prædicator.* Vnde jam alius exclamavit: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Tum ad Carthaginienſes convertendos hanc apoſtrophen habet idem Doctor: *Quis non diceret civitatem iſtam, in qua nunc ſumus, feliciter everſam. ſi omnes illi inſani, nugis ſuis deſertis, ad Eccleſiam compuncto corde concurrerent? nonne diceremus, Vbi eſt illa Carthago? quia non eſt, quod erat.*

Et alibi brevius in eandem ſententiam: d *Everſa Ninive quæ mala erat, & bona ædificata eſt quæ non erat: ſtantibus enim mœnibus atque domibus, everſa eſt civitas in perditis moribus.* Hoc ſaluberrimum excidium evenit Antiochiæ, quæ ſub annum trecenteſimum nonageſimum ſextum regnante Arcadio, everſa eſt in perditis moribus, & perverſis amoribus: nam ut Auguſtinus loquitur; e *Non faciunt malos mores, niſi mali amores.* Edixerat & tunc Deus per virum ſanctum, urbem hanc inſtar Ninive ſubvertendam, f *cum vellet Deus terrere civitatem, & terrendo emundare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare.* Subverſa fuit, id eſt, ut hic ait Tilmannus, ſurſum verſa, ad cœlum, ad ſuperos, ad Deum verſa, quæ eſt vera converſio.

Nec quiſquam veſtrum huic opulentiſſimæ urbi malum imminere præſentit? in qua tantus in ſplendore veſtium luxus, tanta in exquiſitis affluentia, tanta in quotidianis congreſſibus laſcivia, tanta in

a Ovid. l. 5. Triſt. b Aug. Epiſt. 155. c Aug. in Pſal. 50.

d Aug. l. 21. de civit. c. 24. e Aug ad Macedon. f Aug. de excidio urbis c. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

forensibus negotiis perfidia, ut quod de Ninive olim subvertenda Deus prænuntiavit; a *Quia ascendit malitia ejus coram me*, idem nonnullis Belgii civitatibus timendum sit, nisi pro muris cujusque mores subvertantur, & in aliam faciem eadem hæc respublica convertatur. Scio fuisse qui silvestri trunco, jam inserto frutice, in apricam malum conversо, hoc lemma cortici inciderit: *Alter & idem*. Ita & hæc divitiis & vitiis florentissima civitas, ubi fructus pœnitentiæ proferre cœperit, eadem & altera erit. Quisquis à licentiori vita ad frugem se receperit, ad se, ad Deum conversus fuerit, jure alter & idem, utpote in virum alterum mutatus, nuncupandus erit. Ad quam maxime fructuosam vicissitudinem, ne in diversa abeamus, hoc unum requiro, ut consilio Apostoli, omnia membra ac instrumenta immunditiæ & nequitiæ, servire faciamus justitiæ ad sanctificationem. In quo cum vera peccatoris conversio sita sit, indubie gaudium in cœlo super eo Angelorum existet. Sed hoc alio remittimus, ubi de fructibus pœnitentiæ, & pœnitentium lachrymis, quæ vinum Angelorum. Nos impræsentiarum ad unum hic scopum præfixum colimabimus.

a Joan. c. 1.

§. II.

b *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

TElephus Mysiæ Rex, cum Græcos ad expeditionem Trojanam proficiscentes, præpedire niteretur, ne per fines suos iter facerent, ab Achille vulneratus est: cui plagæ cum præsens nullum remedium inveniretur, oraculi responsum est, fore, ut eadem hasta, qua saucius fuerat, sanitati restitueretur. Gratia itaque cum Achille inita, ab eo impetravit, ut ex hasta qua vulnus infligtum, rubiginem sibi detergere liceret, ex qua malagma confectum ac vulneri appositum, medelæ fuit, ut de remedio amoris ille canit:

Discite sanari, per quem didicistis amare:
Vna manus vobis vulnus, opemque tulit.
Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Sic videmus ab igne læsos, manum ustam igni applicare: à rabido cane saucios, ejusdem pilis vulneri appositis sanari. Ita quæ in se maxime noxia, auxilio & remedio esse possunt, & omnia instrumenta vanitatis & nequitiæ, converti possunt in instrumenta pietatis & justitiæ. Quam doctrinam Apostoli accurate expendens

b Ad Rom. 6.

b *Sicut*

a Ori-

UVA. BHSC. BU 02224

a Origines, facilem nobis methodum suggerit, quemadmodum instrumenta iniquitatis converti possint in instrumenta justitiæ. *Pudorem*, inquit, *hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, ut hoc saltem obsequii impendant justitiæ, quod prius impenderunt iniquitati; quasi dicat: Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserandum, & uniuscujusque membri ministerium. quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctitatemque convertat. Videtur hanc justitiam hic pro omnibus virtutibus nominasse, sicut è contrario iniquitatem pro omnibus vitiis proposuisse.*

Pedes qui ad otiosas ambulationes, ad tabernas, ad prostibula; nunc ad obeundas supplicationes, ad templa, ad conciones, ad sacram synaxim: manus quæ annulis & armillis aureis pretiosæ, quandoque ad impudicos tactus protendebantur, nunc corolla mariana redimitæ pectus tundant, nunc flagello armatæ in corpus sæviant: os quod lautitiis, quod crapulæ, quod ebrietati indulsit, nunc inediæ, nunc jejunio, assiduæque temperantiæ consuescat. Ita oculi, ita aures, i a omnia corporis membra, à profanis & obscœnis, ad divina, ad cœlestia transferenda sunt. In quo Valentinianum Imp. singulariter excelluisse narrat Ambrosius in funebri ejus panegyri: b *Ferebatur primo ludis Circensibus delectari: sic illud abstersit, ut ne solennibus quidem principum natalibus, vel imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Ajebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci. Omnes feras uno momento jussit interfici. Iactabant invidi, quod præmature prandium peteret: cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumque ipse impransus convivium solenne suis comitibus exhiberet. Scenicæ cujusdam forma ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabatur. Iussit eam ad comitatum venire; deductam tamen nunquam aut spectavit, aut vidit.* Hanc doctrinam passim illi observarunt, qui à perversa vivendi consuetudine, ad meliorem frugem redierunt, & flagitia exoli, virtutem sectati sunt. Quo loco uberius Davidem scelus suum fleviſſe existimatis? an in templo, an in secreto cubilis oratorio, an in arcano aliquo palatii angulo? hic certe aptus lachrymis, & privato dolori locus videri posset, sed nullum aptiorem rex pœnitens adinvenit, quam lectum suum, nusquam profusius fleviſſe dicitur, ut ipse de se testatur, *Psal.* 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum: Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hieronymus vertit: *Natare faciam.* Alii apud Lorinum: *Imbrem lachrymarum fundam*; idque non semel, sed per singulas noctes. Vt quid hoc? lectus somno aptior, quam orationi: aptior quieti quam fletui. Causam exponit *c* Cassio-

a V. Corn. hic.

b Ambr. de obitu Imp. *c* Cassiod. hic.

dorus:

UVA. BHSC. BU 02224

dorus: quia quotiescumque David cubile ingrediabatur, quoties lectum cernebat, toties testem sceleris, toties locum adulterii, toties instrumentum flagitii, quod illi servierat nequitiæ ad iniquitatem, intuebatur; hunc igitur lachrymis purgare, hunc reddere instrumentum animæ pœnitentis ad justificationem satagebat: *Et merito quidem*; ait Cassiodorus, *lectum quem noctibus polluerat, lachrymis abluebat.*

Ioannis 21. Christus post resurrectionem apparuit discipulis suis, cumque in litore pransi essent, *dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei; Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me, & dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.* Ridicula videri posset quibusdam hæc triplex interrogatio, aut puerilis, uti ludibunda mater sæpius infantem rogat, num se amet, ubi amet? ut corculum monstret. Sed mysterium arcanum hic eruit Augustinus, dicens: a *S. Petrus trinæ negationi trinam reddit confessionem; ne minus amori lingua serviret, quam timori*, ut lingua quæ servierat iniquitati ad iniquitatem, serviret justitiæ in sanctificationem, *b* Stupendo id sane exemplo effecit mulier Iaponensis, quæ ad fidem Christiana sub annum 1621. conversa, quotidie Iesu & Mariæ nomina toties, quoties nomen idoli, id est ad 14000. invocare consueverat: ad hoc bene mane ab Angelo suo tutelari, uti ante à malo dæmone, excitari solebat. O lingua instrumentum nequitiæ! quoties hanc servire fecistis vanis & otiosis fabulis, mendaciis, perjuriis, scurrilitatibus, detractionibus, calumniis! converti vultis ad Deum? facite illam servire justitiæ ad sanctificationem: servire Dei laudibus, orationi, laudi proximi, Religiosorum, quorum famæ gravem notam non semel inussistis. Quis non miretur ænea tormenta hosti erepta, quibus tot ferreæ pilæ in filios Ecclesiæ emissæ, eleganti metamorphosi in Ducis statuam commutata fuisse? *c* id enimvero Ferdinandus Toletanus, Albæ Dux ann. 1571. effecit, dum ex machinis æneis hosti in Frisia ademptis statuam suam conflari jussit, cum hoc lemmate; *Deo Patrum nostrorum*, atque in basi *Pietas* inscripta legebatur. Stupendum magis os illud quod tot calumnias, tot diras in Christi servos quasi ignitas pilas emisit, de scelere confundi, & quasi in statuam Sancti commutari. Et ut ad alia veniamus, Bernardus lib. de Vita solitaria: *Audiat hoc dictum Pauli*, inquit, *hactenus amicum corporis sui mancipium, animalis homo, qui jam incipit corpus subdere spiritui, ut delectationibus sæculi ac carnis, tantum delectet eum de membris corporis sui servire justitiæ in sanctificationem, quantum prius delectabat, eum servire im-*

a Aug tract. 123. in Ioan. b Literæ Societ. Iesu An. 1621. P. Sirren. c Haræus to. 1 an. 1571. p. 116.

mun-

UVA. BHSC. BU 02224

munditiæ ad iniquitatem. Ita magnus ille Indiarum Apostolus Xaverius, dum corpus cœpit subdere spiritui, pedes suos ad saliendum dexterrimos, quosque petulanti agilitate sæpe vibrarat, jam non modo nudos per saxa, per nives, per vepres, cruentavit, sed & lumbos adeo constrinxit, ut funes sine vitæ discrimine & absque altiori virtute eximi nequiverint. Mancipium corporis sui, multo abdomine gravis Dux Gandiæ audire poterat: qui ubi in Ignatii disciplinam se dedit, mancipium illud adeo in servitutem redegit, ea ciborum abstinentia corpus extenuavit, ut vasti ac projecti ventris, cui lunata ut assideret mensa opus esset, postea inanis ac frigidi pellem, follis vacui in morem, complicare habuerit necesse. Itaque subdit historicus: a *Alterum Franciscum abstinentia accepit, alterum reddidit.* Audiat hoc quisquis cupediis & splendidis epulis assuetus, & crapulam suam, duce Borgia, inedia domet, famem ex succis & amaris herbis pellere studeat, in quibus ille cælestem dulcedinem prægustabat.

Ingeniosus amor est, & ut furor, ita & ille arma ministrat, vertitque terrena & carnalia, in cælestia & spiritualia. Vbi hoc in Aloysio singulare, quod currenti stimulum addere posse videbatur: ipsa calcaria pio flagello adhibuit, & nudo tergori inflicta, largissime sæpius cruentavit. Quid mirum, cursum tam cito confecisse, qui subditis continuo calcaribus ad metam festinabat, adeo etiam quæ in se profana ad sacros usus converti posse edocuit Gonzaga, & instrumenta vanitatis, fieri posse pietatis.

b Non absimile est quod refertur de illustrissimo quodam Comite Hispano: Choreæ ducebantur in domo Comitis de Lemos, omnia late cantu, fidibus, ac nuptiali licentia personabant; quia tamen hæc stata erat se diverberandi Comiti dies, subiit animum non intermittere. Sed unde flagellum? dissimulanter in abditum conclave secedit, torquem aureum è collo diripit, nudato tergo incutit. En

----- c *hos quæsitum munus in usus,*

en quo aurum irritamentum malorum, en quo torques honoris, ac vanitatis tessera, in flagellum, in instrumentum justitiæ convertitur.

Idem Catharina Pœnitens Senensis practicavit: ut enim Deo sapere cœpit, & libidines aversari, aureis catenis in verbera evibratis, ac late cruentatis, sub novis his armis Deo militare incepit.

a P. Rho exempla pag 806.

b P. Rho exempla virtut. p. 779. c Virg. 4. Æneid.

§. III.

Omne corporis ornamentum ad cultum animæ referendum, exemplo mulieris peccatricis.

QVæ materia vanitati aptior, quam capillitium? quot hic technæ, quot illecebræ, quot laquei? ut merito cincinni *locken* vocentur, quia velut quædam illicia & retia sunt, ad

UVA. BHSC. BU 02224

ad capiendas animas; his tamen multæ vel gentiles fortiter usæ, non ad mollitiem, sed ad animi robur ostendendum: aliæ non ad vanitatem, sed ad sanctitatem Deo consecrarunt. Laudantur Carthaginienses, quæ, teste *a* Floro, crines suos in tormentorum vincula adversus Romanos obtulerunt. Laudantur item Romanæ, quando Galli primo in urbem impetum fecerunt: quia, ut refert Plutarchus, & Capitolinus, rasserunt comas, ut ex earum pretio, viri militares machinas conflarent.

b Laudantur Lusitanæ apud Diensem obsidionem, quæ masculo robore præstantes, suppetias militibus, crinibus suis attulerunt, vel eis læsorum vulnera obligantes, vel bellicos funes in barbarorum perniciem contorquentes. Laudantur denique Aquileienses, tantam erga suos cives fidem servantes, ut deficientibus nervis, capillos resecuerint, quibus chordæ necterentur in arcus flectendos, & sagittas emittendas. Sed hæc profana fortitudinis exempla: plures omnino sagittas heroës animæ ad Deum conversæ, per capillos in eum emiserunt; ut ipse de sponsa sua contestatur: c *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in uno crine.* Hanc laudem tot fama & forma præstantes filiæ, in sponsas Christi attonsæ meruerunt. Vultis illustriores? *d* De civitate Senensi Virgo Pasitea, capillo quod ad sæculi pompam sese vane ostentaret, de trabe suspendit, gravi ad pedes alligato pondere; aut pedibus de eadem trabe pendens sublimis, capillis pondera innexuit, fumoque ex accensa subtus palea, pro odoris fragrantia, excruciata est.

Quid? quod & viri, qui cæsariem, muliebrem in morem promiserant, eandem converterunt ad Ecclesiasticorum pedes extergendos. Inter hos non vulgaris notæ excelluit Robertus Rex, de quo Heldegaldus in ejus vita sic scribit: *e* Post mensam præparans se ad Dei servitutem, Rex humilis ponebat vestimenta sua, indutus ad carnem cilicio, advocatoque clericorum collegio, centum sexaginta & eo amplius numero, ad exemplum Domini eorum pedes lavans, capillis capitis sui tergebat, & ad mandatum Domini singulos eorum duobus solidis remunerans. Clero præsente & Diacono adstante, qui lectionem legeret secundum Ioannem, in cœna Domini dictam & factam, dimittebat. Sed nihil in hoc genere illustrius, quam quod de fœmina peccatrice commemoratur, quæ vanum omnem corporis ornatum, in divinum convertit. Audire libet Greg. hom. 33. de Magdalena: *Unguentum quod pro odore suæ carnis turpiter sibi adhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, sed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat,* (apte enim oculis natura lachrymas indidit, ut unde mors oriebatur, inde vita effluereret) *capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam pedes capillis tergebat: ore superba* (lasciva) *dixerat; sed pedes Domini deosculans,*

a Nervs l. 2 ic. 15. *b* Viridarium Mendosæ pag. 299. *c* Cant. 4. *d* P. Rho exempla pag. 780. *e* Novar. nuptiales aquæ l. 7. nu. 215.

lans,

UVA. BHSC. BU 02224

lans, hoc Redemptoris vestigia figebat. Ex quibus omnibus sanctissimus Pater concludit: *Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta; convertit ad virtutem, numerum vitiorum.*

Quisquis hactenus cum Magdalena servire fecit membra iniquitati; quisquis inani odorum fragrantia, fluxis florum odoramentis, sensuum illecebris nimium indulsit, nunc hoc spectet, ut Christi bonus odor fiat. Hunc spiravit Arsenius, qui à Theodosio magno delectus liberis suis Honorio & Arcadio Augustis, morum magister, aulam mutavit solitudine: ubi, qui vir! sportis è palmæ folio texendis aulicas manus attrivit; porro opus est, prius palmæ folia aqua macerari, in qua tetrum odoris virus relinquunt, ideoque eam, tantum abest, ut effuderit, ut potius arcta in cella penes se servarit. Vbi rogatur quid ita? respondit; Vt corpus olim aulicis unguentis delibutum, & odoris illecebras hac mephiti & putido narium tormento expiem, & puriores cœli auras aliquando hauriam. Sic spiret, eo quisquis aspirat.

Si quis oculos in illicita conjecit, nunc ex iis fontes derivet lachrymarum. Si quis capillis animos hominum irretivit, nunc iis stringat pedes Christi. Si quis ore impura tot oscula fixit, nunc illud plagis Domini exosculandis affigat. Denique *quot in se* quisque *habuit oblectamenta, tot de* se faciat *holocausta.*

a Chlodovæus dum baptismatis fonte lustrandus esset, S. Remigius curavit ex una parte fontis, collocari imaginem crucifixi, Deiparæ ac Sanctorum, aliaque Ecclesiastico ritui vasa sacra adhiberi solita; ex altera vero parte, idola, signa superstitionum, quibus fidem adhibuerat: tum conversus ad Regem dixit: *Incende quod adorasti, quod incendisti.* Tu adorasti Jovem, Mercurium alios que Deos, eos destrue & in ignem conjice. Christi in crucem suffixi, aliasque Sanctorum imagines destruxisti, combussisti; illas cole, istam adora. Fecit, atque omnia instrumenta nequitiæ, omnemque idolorum cultum in veram Religionem convertit, totque obtulit holocausta, quot destruxit idola. Tu Plutum, tu Bacchum, tu Venerem veneraris & adoras: *Incende quod adorasti.* Hoc pelagiam, hoc Thaida factitasse legimus, dum quæstu meretricio quidquid mundi muliebris, quidquid pretiosarum vestium circumferebat, in forum palam congestum luculento rogo incendit; quotque habuit ornamenta vanitatis, tot obtulit holocausta pietatis. Huc referri possunt, qui auro gemmisque contextas pallas, damascenas cyclades, à corporis cultu ad divinum transtulerunt: quemadmodum *b* Ludovicum XIII. Franciæ Regem fecisse legimus, qui cum Bearniam Galliarum Provinciam victor ingressus esset, à populo umbella auro gemmisque pretiose intexta donatus, hanc piissimus Rex Eucharistiæ hostiæ per urbem deferendæ triumphabundus consecravit. Præcelluere & hac pietate ævo nostro Albertus & Isabella Belgarum

a Causs. in parall. eloq. l. 14. c. 17.

b Theat. polit. Mariani pag. 80.

Princi-

UVA. BHSC. BU 02224

Principes, Ferdinandus Cardinalis, aliique, quorum Regiæ magnificentiæ ornamenta in Virginem Hallensem collata, annales testantur: quibus jure meritissimo Piccolomineus Dux Amalphinus accensendus, qui nuperrime, inter aureatos equites adscitus, vestem perquam splendidam ei dignitati congruam, Matri misericordiæ Bruxellis in æde Societatis transscripsit, in apparatum aræ concinne adaptatam. Longum esset recensere, quot nobiles genere & forma filiæ, pretiosa corporis indumenta, mundo spreto, templis & aris in pia anathemata contulerunt; in quo unam præ cæteris excelluisse comperio; *a* An. 1624. nobilissima matrona, non sanguine tantem & opibus, sed & ingenio florens, novum vestimenti genus invenit, tantæ concinnitatis & elegantiæ, ut omnium oculos in sui spectaculum raperet. Mirabantur aliæ fœminæ non solum vestis pretium & artificium, sed felicitatem ingenii, quæ hoc artificii excogitasset. Palla erat perquam spatiosa è purpura serica: hanc acu pinxerunt ex auro tres Phrygiones, qui annum & amplius huic vesti assiduam operam impendérant. Ad cycladem hanc seu pallam additus thorax, fœminæ habilis ex eodem purpureo serico, aureis filis pictus. Primo autem die quo hanc vestem matrona illa induerat, observavit nimium in se oculos convolare, timuitque ne aliæ atque aliæ novi artificii curiositate ductæ, imitari vellent. Itaque ne facere rogaretur, quod recusare vix posset, hortante vehementer conscientia vestem illam unico die spectatam, & semel exutam, nunquam induit amplius, sed pio consilio, *quod superbiæ fuerat instrumentum, religiosæ liberalitatis & eleemosynæ ornamentum esse voluit*, & illum omnem mundum, Mariæ Magdalenæ in templo quodam obtulit & sacravit. Porro ex hac una tam pretiosa veste, altari sacrum frontale seu pallium, sacerdoti indumentum, calici velum, libro missali tegumentum, sanctissimæ Eucharistiæ amiculum confectum est.

Quamobrem, ut in unum omnia conferam, & in una muliere peccatrice vos omnes convertam, aureum ejus conversionis elogium ex Chrysostomo audite, qui oratione de S. Philogonio, sic in Magdalenæ laudes excurrit: Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia pœnitentiæ: per quæ convocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lachrymas. Per capillos arte compositos, multos illexerat ad peccatum, per eosdem, pedes absterst Iesu. Vnguento multos inescarat, per hoc pedes ejus unxit. Proinde & tu quibus rebus provocasti Deum iratum, per has rursum reddas propitium. *Provocasti illum pecuniarum rapina; per easdem illum reconcilia: cumque & rapta restitueris illis, quos injuria affeceras, & alia insuper addideris, dicito juxta Zachæum: Reddo tibi quod rapui quadruplum. Provocasti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis, nunc puras emittas preces, benedicens maledicenti-*

a Drexel. Trismegist l. 3. c. 10. sect. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

entibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus anniſque, ſed ſolo animi propoſito: unico die perficiuntur. Ita regius [a] Pſaltes ſubito mutatus in virum alterum: *Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Hoc animi propoſito fuit illud viduarum decus Paula, quæ irruente in ſe ſpiritu Domini, mutata eſt in aliam: [b] *Turpanda,* inquit, *eſt facies quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxit: affligendum eſt corpus, quod multis vacavit deliciis: longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu: mollia linteamina, & ſerica, & pretioſa, aſperitate cilicii commutanda. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere contendo.* Dixit & fecit. Vos vero Martyres mundi, mancipia diaboli, quæ per diem tot horas ad cryſtallum faciem expolire conſueviſtis, nunc eam ad lividum Chriſti vultum, & ſpinoſum verticem adaptate. Corpus ſplendide enutritum, & in molli ſtrato laſciviens, nunc inedia exhauſtum, & de ſtorea ſine plumis in cælum evolare condiſcat. Quæ viro, quæ ſponſo, quæ mundo heri placere ſtuduit, hodie cæleſti ſponſo placere contendat; in quo, ſi vélit, Iuliam Auguſti filiam, longe antecellet. Hæc enim, cum nimio luxu veſtium patris indignationem incurriſſet, eaque propter graviter increpita fuiſſet; poſtero die modeſto habitu in Auguſti conſpectum venit; qui habitum ſimplicem adeo alteri diſparem admiratus, mirifice eam collaudavit. At illa vanitatem priorem hoc dicto purgavit: Heri me viri oculis ornavi, hodie patris placere ſtudui. Ita quæ heri, quæ nudiuſtertius, quæ jam tot annis diabolo, mundo, carni, vos ornaſtis, hodie ad Chriſtum nudum converſæ, ei pœnitentium habitu placere contendite. Nec eſt quod quis hic vilem lacernam aut ſaccum erubeſcat, quem David pœnitens cum purpura commutavit, ut tanto abjectiori habitu ſe homo Deo proſternat, quanto ſuperbiori cultu ſeſe efferendo, Deum, hominesque deſpexit. [c] Exemplo hactenus inuſitato eſſe poterit viri potentiſſimi Senatoris Veneti jam ſupplicis habitus. Ferrariam Veneti occuparant, cum in eos Clemens V. fulmen jecit Excommunicationis. Ne eo arderet reſpublica Catholica, legatos mittunt Avenionem ad ſummum Pontificem; à quo tamen nec auditi illi, nec admiſſi. Id ubi ex iis ſenſit ſenator unus, canina pelle ſe ipſe induit, abjecitque ſub menſam, atque ex ea de improviſo erupit, ſtupente qui aſſederat Pontifice; qui ea demiſſione permotus, & vincula ſuſtulit Excommunicationis, & ſupplicem paterna gratia ac donis oneravit. Haud aliter ubi quis vana ſui opinione turgidus, & ſuperbo veſtium luxu ſplendidus, ſeſe ad incultum habitum abjicit, & luctuoſis in ſordibus ad Domini pedes ſupplex obſoleſcit, tum demum eam: quam à Deo expoſcit, veniam impetrat, & vindicis iram avertit; inſuper non Chananeæ inſtar catellæ, eum menſæ ſuæ Regiæ micis dignatur,

[a] Pſ. 76. [b] Hieron. in epit. Paula. [c] Lobbetius de cultu templ. p. 193.

ſed

UVA. BHSC. BU 02224

ſed ſplendidiſſimo ſacræ ſynaxeos epulo reficere, ac æternis ſecum cæli deliciis perfrui concedit.

Hoc vere converti eſt ad Dominum Deum ſuum: hoc eſt mutari in virum alterum: hoc eſt oleaſtrum in frugiferam olivam, Saulum in Paulum, vel ut Auguſtinus loquitur, lupum in ovem commutari: hoc eſt Æthiopiſſam mutare pellem ſuam: hoc eſt mulierem peccatricem, in Chriſti ſponſam adoptari. Quæ, qualis & quanta ſit metamorphoſis, nunquam clarius eluceſcet, quam ex *a* Ambroſio, contraria in ſe componendo, qui ad Virginem lapſam ſic ait: *Vnde incipiam? quod primum, quod ultimum dicam? bona commemorem quæ perdidiſti, an mala defleam quæ inveniſti? eras virgo in paradiſo Dei, utique inter flores Eccleſiæ, eras ſponſa Chriſti, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus ſancti. Et cum dico toties eras, neceſſe eſt ut toties ingemiſcas, quia non es quod fuiſti.* b *Incedebas in Eccleſia tanquam columba illa, de qua ſcriptum eſt: Penna columbæ deargentatæ. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum ſincera conſcientia procedebas. Eras tanquam ſtella in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas pertimeſcebas. Quæ eſt iſta ſubitanea converſio? quæ eſt iſta repentina mutatio? De Dei Virgine, facta es corruptio ſatanæ; de habitaculo Spiritus ſancti, tugurium diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris ſicut ſtellio; quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras ſtella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cælo, lumen tuum exſtinctum eſt, & converſa es in carbonem.* Habes animam, meretricem Babylonicam, quæ à veritate ad vanitatem, à juſticia ad peccatum, à fonte vitæ æternæ ad ciſternas & cloacas mundi, è cœlo in omnium vitiorum cœnum miſerrime prolapſa es: nunc ejus quam ſtupenda, quam præclara, quam in cælum efferenda ſit converſio, attendite: unde incipiam? quod primum, quod ultimum dicam? mala commemorem quæ effugiſti, an bona deprædicem quæ inveniſti? Eras filia Babylonis miſera, utique cœno libidinis immerſa: eras cloaca ſordium, eras charybdis animarum, eras proſtibulum dæmonum, eras teterrimi hoſtis mancipium. Et cum toties dico eras, neceſſe eſt, ut toties Angelis congaudeas, quia non es quod fuiſti. Incedebas in hac torrida mundi zona, tanquam Æthiopiſſa, quæ, ut ſcriptum eſt, non poteſt mutare pellem ſuam. Squallebas ut hara, fœtebas ut cloaca, quando cum cauteriſata conſcientia procedebas. Eras tanquam lupa inter oves Chriſti, quam oves & agni pertimeſcebant. Quæ eſt iſta ſubitanea converſio? quæ eſt iſta repentina mutatio? de meretrice ſatanæ, facta es ſponſa Chriſti, de tugurio dæmonis habitaculum Spiritus ſancti. Quæ incedebas ut Æthiopiſſa, nunc dealbata es ſuper nivem. Quæ fueras vilior luto plateарum, nunc fulges ut aurum propter charitatis ardorem. Quæ caliginoſo erebi carceri deſti-

a Amb. ad Virgin. lapſam c. 8. *b* Pſ. 67.

UVA. BHSC. BU 02224

destinata, nunc ut stella matutina fulges, & exsurgis è medio nebulæ. Quæ fueras pabulum ignis infernalis, facta es Seraphin, cælestis amoris flammis exardescens.

a *Vix illam subito possis cognoscere: tanto*
Sanctior, & tanto quam modo major erat.

O ter quaterque beata illa anima, quæ de terris, parta ab orco victoria, ad cælos augustum transmisit triumphum! quæ ubi pristinas humi voluptates despuit, mentis aciem in cælestium deliciarum contemplationem defigit. Quis modo supernæ civitatis gaudia enarrare sufficiat, exultantium Angelorum festos choros explicare, communem Sanctorum omnium lætitiam, oculis auribusque haurire; ipsius denique numinis, de oviculæ deperditæ, suis jam humeris subsidentis salute, gratulationem eloqui? excedit vires, omnem vim eloquentiæ humanæ transcendit. Itaque cum sancta illa anima, præ admiratione, & inenarrabili gaudio exclamo: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

a Ovid. l. 5. fast.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXII.

Nihil cepimus Luc. 5.



NIHIL OMNIBVS. *Virg.* 11. *Æneid.*

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Humana omnia, opes, honores, voluptates ſapienter Sapiens NIHIL eſſe duxit. Quare qui hæc prece vel pretio ſectantur, iis paſſim, ut in ſortilegio, *nihil omnibus* obtingit.

§. I. Divitias nihil eſſe duxi *Sap.* 7.
§. II. *Honores ac dignitates nihil eſſe.*
§. III. *Voluptates denique, ac omnia quæ in mundo ſunt, nihil eſſe.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Nihil cepimus. Luc. 5.

PYTHAGORAS non inſcite mundum ſortilegio comparavit; quo intuentium oculis expoſito, quemque percunctare quid expetat? miles oculos in baltheum: puella in ſpeculum. ebrioſus in capacem cyathum: laſcivus in nudam tabulam: avarus in torquem aureum: alius in alia ſe conjeciſſe fatebitur; eo pecunias deponunt, exponunt, & præter *nihil* in ſcheda vacua, *nihil* paſſim referunt. Hunc ſortis ludum, ſtultis mortalibus mundus proponit, quorum nonnulli divitias, [a] alii honores, alii voluptates avidiſſime expetunt, quas vix è millibus unus attingit, plerumque *a* NIHIL OMNIBVS obtingit, & quibus quid ſorte obtigit, ij vere *b lætantur in* NIHILO; cum omnes mundi divitiæ nihil, dignitates nihil, deliciæ nihil, humana omnia nihil, ac nihili ducenda ſint, ut comprobare aggredior. Ac primum quidem de divitiis hoc Sapientis judicium eſt:

a Virg. 11. Æneid. *b* Amos c. 6.

§. I.

Divitias nihil eſſe duxi. Sap. 7.

AMpliſſimum illud ſapientiſſimi Salomonis imperium, Reginam Saba merito excivit, & in ſtuporem adduxit: ecquis enim non obſtupeſcat menſam regiam, *c* in quam indies farinæ coros ſexaginta (corus autem mille libras continebat) boves domeſticos duodecim, campeſtres viginti, arietes centum præter altilium ac ferarum, quæ venatione capiebantur, copiam immenſam, inſumebat. d *Omnia quoque vaſa convivii Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo.* Et omnes *divitias*, inquit Salomon, *e* NIHIL *eſſe duxi. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis: & curruum equitumque duodecim millia*, [f] ad ſeptingentas ſuas concubinas Reginas devehendum, ait Cornelius, & hæc omnia NIHIL *eſſe* duxit. Tributum vero quod annuò Regi pendebatur, f *erat ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri*, id eſt, undecies centena millia, ducenta & octo ſcutorum Romanorum millia, & ſeptingentaoctoginta. g *Tantamque copiam præbuit argenti in Ieruſalem, quaſi lapidum.* Vnde ſubditur, *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ præ divitiis & gloria.* At ille tantam, tamque immenſam auri argentique copiam *nihil eſſe* duxit. Quiſquamne mortalium arcas auro & argento oppletas, ſaccos ducatis & pataconibus plenos, nihil eſſe ducat? nihili prorſus faciendos, ſapientiſſimus Rex denuo inculcat, dicens: h *Eſt tibi*

c Cornel. in c. 1. v. 2. Eccleſ.

d 2. Par. 9. e Sap. 7. 2. Par. 2. *f* 2. Par. 9. v. Vilalpan. tom. 2. p. 507. g 2. Par. 9 h Eccleſ. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

NIHIL *in sacculo.* Quid? an non idem pecunias omnibus præpollere, & quodammodo imperare dixit Eccles. 10. *Pecuniæ obediunt omnia?* an non hominis substantiam eas *a* Euangelista pronuntiavit, quam prodigus à patre extorsit, & concoxit vivendo luxuriose? & quisquam qui vel limen lycæi trivit, substantiam accidens, imo, merissimum nihil affirmare non dubitabit? Hujus, quam paradoxam ducis, doctrinæ Magistrum, regium psaltem auscultа: b *Substantia mea*, inquit, *tanquam* NIHILVM *ante te.* Et qui in substantia divitiarum suarum spem ac fiduciam ponunt, ij, Isaia attestante, c *confidunt in* NIHILO. quod D. Bernardus exaggerando clamat: d *Mirandum, sed magis dolendum quam mirandum, quod id quod nihil est, amari potest.*

Causam nostis quare Salomon divitias nihil esse ducat? quia vidit NIHIL *permanere sub sole*, sed omnia fluere. Vnde Augustinus ad illud Psal. 61. e *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Non immerito*, inquit, *ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat*, sed subito è manibus effluit & evanescit, ipsique eucliones cum divitiis suis, f *ad* NIHILVM *devenient tanquam aqua decurrens*, aut etiam ocyus, ut alibi docet, g *quemadmodum fumus deficient.* Prudenter quis omne aurum suum nihil esse diceret, si illud in fumos evanescere cerneret. Hujus rei testis historicus, qui rem penitius examinavit, è fumo nobis lucem ostendet. h Refert is Lugduni in Anglia numerari officinas supra septem millia, in quibus ab aromatariis, apothecariis, tabernariis, &c. tabacum venditur. Facit autem computum, ut si quæque officina, in singulos dies recipiat medium aureum, id est, 25. asses, quotidie expendentur in fumos septem millia mediorum aureorum; summa vero octo millium septingentorum, & 50. florenorum. Annue autem hæc excrescet in unum & triginta vasa auri, nonaginta tria millia, septingentos quinquaginta florenos; quid per annos complures, quid per universam Angliam, quantumque auri in fumos, in nihilum evanescit? hæc miramur & omnes divitias una cum supremo halitu oris, è manibus evanescere & in nihilum abire non cogitamus; quam tamen lectionem non semel filio, ac nobis omnibus occinuit David. i *Dormierunt omnes viri divitiarum, &* NIHIL *invenerunt in manibus suis.* Omnes, omnes nihil invenient. Olim quidem apud Ethnicos in more erat, sepelire mortuos cum naulo in manu, quosdam cum annulis ac pretiose convestitos; at modo ex tot millibus aureorum, ne teruncium invenient, omnes viri divitiarum in manibus suis. Qui cum Lucullo tot chlamydes possidet, quot dies in anno, quæ tot holosericas cyclades, quot habet natura colores, k *inde* NIHIL *secum auferet.*

l *Nil feret ad manes divitis umbra suos.*

a Luc. 15. b Ps. 38. c Isa. 58. d Bern. Ep. 18. ad Petrum Diacon. Cardin. e August. in Prol. Ps. 83. f Ps. 57. g Ps. 36.

h De de[illegible]lijckheydt van onsen tijdt, by Barnabas de Rijcke. i Ps. 75. k Iob 27. l Ovid. l. 5 Trist. El. 14.

Haud

UVA. BHSC. BU 02224

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas.
Nudus ad infernos cogar adire lares.

Idque omni dubio procul certissimum esse Paulus affirmat: a NIHIL *enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus.* Nullis veterum aut recentiorum annalibus, compertus est infans cum nummo in manu, aut monili è collo in lucem prodire, aut quidquam in mundum adferre: ita nihil auferre poterit. Confirmat idipsum Iobi testimonium: b *Dives cum dormierit,* NIHIL *secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* Mirandum ait Greg. c *Cum dormierit, aperiet oculos, &* NIHIL *inveniet. Ad dormiendum oculos claudimus; sed cum corpus obdormiscit in morte, anima evigilat in vera cognitione, quia quales sint res vere conoscet,* acuto mentis oculo humana omnia, fluxa, caduca ac merum nihil perspiciendo. Vbi in exemplum divitem Euangelicum inducit: *Epulo mortuus aperuit oculos, & vidit Lazarum, quem nunquam antea videre voluerat,* Luc. 16. *Dum esset in tormentis, vidit Lazarum. Sed* NIHIL *invenit in manu sua ille dives.* Qui tot cantaris ac pateris se ingurgitare consueverat, ne haustum frigidæ reperit: è tot cadis, ac cellis musto spumantibus, ne guttam aquæ; ex tot cupediis & exquisitis ferculis, ne micam, *sed* NIHIL *invenit in manu sua ille dives.*

Compello vos divites ac potentes sæculi, priusquam

In æternam claudantur lumina noctem;

priusquam obdormiatis in morte, ut evigiletis & oculos aperiatis: ut cum Salomone omnes has divitias nihil esse ducatis, illas ut nihilum despiciatis & æternis inhiare velitis, tot illustrium virorum exemplo, qui divitiis si affluerent, cor non apposuerunt, sed quemadmodum Isai. ait, d *quasi nihilum possederunt,* ut Deum, ac in Deo omnia possiderent, juxta illud Apostoli: e NIHIL *habentes, & omnia possidentes. Niet met allen.* Inter quos merito annumerandus intimus ille Dei amicus Moyses. Num. 20. miserat Legatos ad Regem Edom, ut per terram ejus transire liceret, testatus quod de agris aut vineis ac universis divitiis ejus nihil delibaret; cujus continentiæ rationem reddit. f Philo Hebræus, & sic Moysem loquentem inducit: *Nam ista,* inquit, *tibi chara, omnino nihil sunt.* Quare

Sis pecore & multa dives tellure licebit;

possideas Crœsi & Pygmalionis opes, omnia ista tibi chara, *omnino nihil sunt.* Est qui apud Ossæam sibi gratulatur, *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Sed & ignorat ille quid Paulus ait: *Quia idolum nihil est.* Moysi Regius Psaltes accensendus, qui in tantis opibus plus vice simplici se pauperem ac nihil habentem proclamat. Advertit hoc Basil. in Ps. 9. expendens illud, g *Factus est Dominus refugium pauperi.* ubi se pauperem deprædicat, cum sacer textus hoc de illo elogium contestetur:

a 1. Timot. 7. b Iob 27. c Greg, l 18. Mor. c. 12.

d Isa. 63. e 1. Cor. 6. f Philo lib. quod Deus immortalis. V. Mend. fuse in lib. Reg. t. 1. p. 561. Horat. Ephod. 4 c. 8. 1. Cor. 8. g 1. Par. 1 29.

UVA. BHSC. BU 02224

Mortuus est David in senectute bona, plenus dierum, & divitiis & gloria, tantis divitiis filio relictis, ut omnium hominum conceptus, teste Vilalpando, superare videatur. His tamen affluens a *sæpissime David pauperem se, & tenuem appellat; quamvis regiis circumflueret opibus ac divitiis*: b *Vtpote cui certo certius constaret, omnia humana risum, pulverem,* NIHILQVE *esse*. Hoc ab illo edoctus sapientissimus filius, sacrum istud Proverbium evulgavit: c *Est quasi dives, cum* NIHIL *habeat*. Quod exponens S. Hugo Carensis: *Est*, inquit, *quasi dives, sed non vere dives, quasi tantum divitias hujus mundi habet, cum* NIHIL *habeat*.

a Vilalp. to. 2. p. 506. b Basil. in Psal. 9. c Prov. 13.

§. II.

Honores ac dignitates nihil esse.

ERit fortasse qui cum Sapiente divitias nihil, aut meras sordes esse ducat, nisi honores ac dignitates accesserint. Hic Principis Dynastæ in aula Assueri sensus fuit, Estheris 5. *Exposuit Aman magnitudinem divitiarum suarum & filiorum; & cum hæc omnia habeam,* NIHIL *me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.*

At si usquam locum habeat propositum emblema de sortilegiis, in honore adipiscendo quam maxime valet. Si officium militare, forense, aulicum, Ecclesiasticum vacet, mille millibus expositis concurrunt, & unus accipit bravium: *d* quorum insanum ambitum lusit ille, qui in tabula genium depinxit, una manu coronam, altera prolixam chartam, refertam innumeris Zero tenentem, cum hac Epigr. *Aut Cæsar, aut* NIHIL: alii eandem sortem subeunt: Aut Prætor, aut nihil: aut Præses, ut nihil: aut Præsul, aut nihil: ex his unus dumtaxat dignitatem obtinet, alii omnes laborantes nihil capiunt, e *in vacuum currunt*, & ut Poëta canit,

------f *Nihil omnibus actum*
Tantorum impensis operum, ac opum.

Nunc vero, si & eum, qui Prætoriam, Senatoriam, Patriciam aut Episcopalem dignitatem indeptus est, merum nihilum acquisivisse demonstraro, nonne omnes honores nauci, flocci, imo nihili faciendos esse fateamini necesse est? Vbi quis è plebe in sedilia irrepsit, ubi in subsellia Senatoria, aliumve honoris gradum emersit, tum enimvero sibi aliquid esse videtur; cum tamen Apostolus eos gravissime doceat exerrare, ad Galatas 6. *Qui se existimat aliquid esse cum* NIHIL *sit, ipse se seducit*. Ergo nihil est, Syndicum esse? nihil est, Ærarium esse? nihil est, Senatorem esse? nihil est, Consulem esse? totus ordo Senatorius, nihil est? Nostis receptam horum quatuor characterum S.P.Q.R. expositionem? Fuit qui sic interpretatus est: *Sabinorum Populo Quis Resistet?* apte responsum iisdem literis: g *Senatus, Populus-Que Romanus*. Alter exposuit: *Sancte Pater, Quare Rides?* cui Papa retrograde in palquillo: *Rideo, Quia Papa Sum*. Ven. Beda sic vertit

d V. Poirters larvam p. g. 210.
e Ad Gal. cap. 11. f Virg. l. 11. Æneid.
g Tuningij apoph. pag. 81.

Stul-

UVA. BHSC. BU 02224

Stultus Populus Quærit Romam. Sed ad ſenſum noſtrum concinne nobilis Francus, has quatuor unciales literas S.P.Q.R. Italo Rempub. Romanam jactanti, dixit ſignificare: *Si Peu, Que Rien.* Totus enim Senatus Romanus, & Hiſpanus, & Francicus, ejus judicio nihil erat, omneſque illos qui eo aſpirant, a *currere*, ut Paulus ait, *propter aliquid quod non ſit.*

Idem de dignitate equeſtri, patricia, ac regia ſentiendum eſt: ubi enim Chriſtus tot miranda patrarat prodigia, omniſque populus ad eum confluëret, & non ſemel Regem facere decreviſſet, quanti omnem hunc populi plauſum ac honorem ſibi exhibitum duxiſſe arbitraminiſ Ipſum audite: b *Gloria mea* NIHIL eſt. Quid ni potentiam ac dignitatem omnem monarchicam mortales nihil eſſe diſpiciant, & pro nihilo deſpiciant.

c Omnem Regis Hiſpaniarum potentiam maturo judicio puer, nihil eſſe duxit: nam cum Philippus II. venatum iviſſet, aſſumpto ſecum filio Philippo III. puer ut vidit derepente pluviam ingruere, parentem comiter rogavit, ut imperaret nubibus deſuper ne plueret. Rege reſpondente hoc ſuperioris poteſtatis eſſe, ille his intellectis, qui de patris potentia plurimum inaudierat: Quid, inquit, mi Pater, tam parvam rem præſtare non potes? quid ſi majorem poſtulaſſem? *jam plane te nihil poſſe comperio.*

Quod & ipſe, ubi patri in regnum ſucceſſit, expertus, ac moribundus palam confeſſus eſt, dicens, d NIHIL *confert Regem eſſe, niſi quod in morte cruciet fuiſſe.* e Quotannis Philippe, ſex ſupra viginti milliones auri percepiſſe, *nihil confert?* regnum uſque adeo amplum poſſediſſe, ut in ſola Hiſpania ſupra triginta millia oppidorum pagorumque numerentur, è quibus ſingulis ut pedites duos, equitem unum eduxeris, exercitum nullo ſumptu conflabis ſexaginta millium peditum, equitum vero triginta millium. Hic omnis tamque numeroſus exercitus *nihil confert?* Philippe, è ſola Belgii parte quæ imperio tuo ſubeſt, oppida minimum centum & triginta ſunt; loca vero mœnibus viduata, è quibus plurima cultu, potentia ac populi frequentia certare cum urbibus poſſint, ut parciſſime dicam, inquit Scribanius, ad quinque millia: è quibus ſingulis ſi unum equitem, quatuor vero pedites eduxeris, conficies exercitum viginti millium, quingentorum & viginti peditum: equitum vero duorum millium quingentorum & ſexaginta quinque. Sed eheu! tot millia militum, tot potentiſſimos exercitus terra marique ſub ſignis numerare, *nihil confert?* tot Principes ac Dynaſtas ad nutum habere, tot regna ac provincias, imo orbem ſubjugaſſe, *nihil confert?* nihil, nihil. Non adeo diſſimile illud Suetonii de Imperatore Romano, qui ſub vitæ epilogum in has voces prorupit: f *Omnia fui, ſed nihil expedit.* Omnia

a 1. Cor. 19. b Ioan. c. 8. c Erithræi exempla in fine tom. 3. ſect. 74.

d Mendeza l. 1. Reg. c. 2. in fine. e Scriban. polit. l. 2. c. 42. f Lib. omnia nihil hæc de Licht. p. 208.

UVA. BHSC. BU 02224

fui, ſed nihil ſum. Has Auguſti voces, ut curioſe Garaſſus noſter obſervat, in doctrina curioſa, ſi quis mortalium, ſibi uſurpare poterat *a* Volſæus, qui è vili ſtirpe in aulam Henrici VIII. Angliæ Regis irrepens. 1. factus eſt à ſacellis, 2. ab eleemoſynis Regis, 3. Tornacenſis Epiſcopus, 4. Lincolnienſis, 5. Dunetenſis, 6. Winthonienſis, 7. Eboracenſis Archiepiſcopus, 8. Cancellarius, 9. Cardinalis, 10. Legatus à Latere per totam Angliam, 11. Abbas multis locis locupletiſſimus, 12. Penſionarius Caroli V. Imperat. 13. Oeconomus Angliæ, 14. ipſius Caroli Dominus, 15. pluſquam Summus Pontifex in Anglia: ac tandem ſubdit; 16. mendicus, 17. reus læſæ Majeſtatis, 18. NIHIL. Nonne jure hic exclamare poterat: *Omnia fui, ſed nihil ſum.* Aureum hic eloquentiæ torrentem, Chryſoſtomi ore derivemus, qui ſic Eutropium Arcadii Cæſaris delicias, primum ſecunda, exinde adverſa fortuna uſum ac deluſum alloquitur: b *Vbi nunc inclytus ille conſulatus ſplendor? ubi illuſtres illi faſces! ubi applauſus illi, & choreæ, epulæque & facti conventus? ubi coronæ & aulæa? ubi ſtrepitus urbis, & ille* c *Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes, atque adulationes? omnia illa perierunt: procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem. Vbi nunc fucati illi amici? ubi compotationes & cœnæ? ubi paraſitorum examen? ubi illi potentatus cultores, ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti?* OMNIA ILLA NIHIL. Quo honor Vrbani? quo Principis Ferdinandi? quo Spinolæ? &c. d *honores ejus in nihilum.* Hæc omnia paucis, ſed nervoſe complexus eſt, qui celeberrimo totius Angliæ Cancellario Thomæ Moro hoc Epitaphium condidit: e *Hic* NIHIL *eſt Mori.* De tanto viro, quem Carolus V. Angliæ univerſæ caput dictitabat, *nihil eſt.* De homine illo, qui in ſententiam ſuam univerſum Parlamentum non ſemel flexerat, *nihil eſt*; magni illius Thomæ Mori, *nihil eſt.* Omnia fuit; ſed *nihil eſt.* Ita Lector & humana omnia priuſquam fuerint, etiam dum ſunt, nihil eſſe lege. Quod olim ille probe intellexit, qui dixit: f *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſraël in Ieruſalem.* Quid illud *fui?* tempus præteritum ſignat, cujus in præſenti nihil eſt. Latini de mortuo, qui modo non eſt, dicunt, *Vixit, Fuit.* Oratores, dum nil amplius dicturi, hoc uno claudunt, *Dixi.* At Salomon poſt hoc effatum, Rex permanſit uſque ad finem vitæ, ut quid ergo *fui* Rex? g Hugo de S. Victore, ex eo docet Salomonem perſpecta mundi vanitate, omnia humana pro nihilo deſpexiſſe, ac ſi non eſſent: *Fui, jam non ſum: quia etſi ſum, idipſum jam* NIHIL *eſſe agnoſco quod ſum.* O mentis oculos perſpicaces ac lynceos, qui dum omnia vident, nihil vident. Hoc ſplendidiſſimum nihil ut videret Sereniſſima Iſabella, in interiore aulæ receſſu hos verſus deſcriptos indies lectitare conſueverat:

a Garaſſus doctr. c ir, l 4. ſect. 7. p. 379.
b Chryſ. tom. 5. ſer. de Eutrop. c V. Lobb. vita & mors c. 1. ſect. 2. & ſuſe.

d 1. Mach. 1. e Velaſquez in Philipp. c. 1. v. 24. c. 5. f Eccleſ. 1. Hugo de S. Vict. hom 5. Corn. hic.

a *Si*

UVA. BHSC. BU 02224

a *Si mihi sunt vires, & prædia magna: quid inde?*
Auri sint species, argenti massa: quid inde?
Si mihi sint nati Regis de stirpe: quid inde?
Longus servorum mihi serviat ordo: quid inde?
Et rota fortunæ me tollat ad astra: quid inde?
Si felix annis regnavero mille: quid inde:
Nam cito prætereunt hæc omnia: quod NIHIL *inde:*
Serviat ergo Deo omnis homo: quia sic satis inde.

Hactenus Magnatum ac Regum gloriam pro nihilo duximus, nunc ne quid de nihilo dicendum supersit, non-nihil de Oratorum laureis, de Doctorum titulis, quique è rostris aut altissimis cathedris, se omnia scire jactant, nihil eos scire dicturi sumus.

Paucis Seneca: b *Academici novam induxerunt scientiam*, NIHIL *scire*. Vnde concludit Romanus Philosophus: *Tota rerum natura, umbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim utrum magis irascor, illis, cui nos* NIHIL *scire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt,* NIHIL *scire*. Cui jure non succensendum, sed accensendum. Atque utinam moderni Doctores, ac Magistri nostri, cum magno Suarez sentiant, cui Collegium Corumbricense cultu quo potuit maximo, hoc Epitaphium posuit.

c Franciscus Suarez Europæ, atque adeo orbis universi Magister appellatus;

Aristoteles in naturalibus scientiis,
Thomas Angelicus in divinis,
Hieronymus in scriptione,
Ambrosius in cathedra,
Augustinus in polemicis,
Athanasius in fidei explicatione,
Bernardus in melliflua pietate,
Gregorius in tractatione Bibliorum ac verbo,
Oculus populi Christiani,
Sed suo solius judicio,

NIHIL.

d Ita Doctor ille eximius, ut illum Paulus V. non semel compellavit, sensit, ita sapuit, se nihil scire; nos doctrinam nostram aliquid esse arbitrabimur? Non est qui sapiat supra Paulum; ille tamen Doctor Gentium de se faretur: e *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Cornel. hic: *Ita me gessi inter vos quasi* NIHIL *scirem*. Paulus, cujus doctrinam vel Ethnici adeo suspexerunt, ut teste f Chrysostomo dubitarint, an divino Platoni præferendus esset; hic tamen judicavit se nihil scire. Paulus raptus in tertium cælum, ea edoctus quæ non licet homini loqui, nihil se scire arbitratur. Paulus, quem, ut Origenes loquitur, ob sublimen sapientiam nonnulli spiritum veritatis crediderunt, quem D. Dionysius oculatus testis, communem omnium solem ac sapientiæ abyssum, Chrysostomus mare sapientiæ, purissimum & profundissimum pronuntiavit, se nihil sci-

a Lib. omnia nihil Iac. de Licht, p. 210 b Seneca ep. 88. c Alegambe Bibliotheca script. Soc. Iesu, tit. Franc. Suar.

d Alegambe ibid. e 1. Cor. 2. f Chrys. hom. 3. in 1. ad Cor. V. Cornel. proœm. de prærog. S. Pauli c. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

re, ſe abyſſum nihil profitetur. Hæc quiſquis ſciolus audit, æmuletur, ac ſcire ſuum nihil judicet: ne inani ſapientia elatus, illud 1. ad Timoth 4. audiat, *Superbus eſt, nihil ſciens.* Sed optandum ut quiſque cum Paulo nihil ſapiat, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum; quod multum, imo omnia ſapuiſſe eſt: a *Vera* enimvero *ſapientia eſt, ſcire hæc duo: Deum eſſe omnia, & ſe* NIHIL.

a B. Laur. Iuſt. in c. 9. vita.

§. III.

Voluptas denique, ac omnia quæ in mundo ſunt, nihil ſunt.

INter Reges potentiſſimus, inter potentes ſapientiſſimus Salomon, cui nihil nec divitiarum, nec honoris, nec voluptatis abfuiſſe conſtat, cui, ut cætera taceam, 700. uxores quaſi Reginæ, 300. concubinæ erant, exclamat: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, & vidi* NIHIL *permanere ſub ſole*, Syrus *inanitas inanitatum.* Vnde vernacule, *Ydelheydt der ydelheydt, ende al ydelheydt.* Videntur mundi voluptates plenæ ſaccharo, ac liquidiſſima dulcedine, & omnia vanitas ac inanitas ſunt. In hoc mundus ſaccharopœos imitatur, qui ante officinas ſuas proponunt varias capſas, quibus aureis literis: iſtic dactyli, illic padis ſaccharites, alteri ſpiræ, iſti ſcriblita, illi mattya, ſcitamenta, tragemata, bellaria, ac genus omne cupediarum inſcribitur: at ſi aperueris, inanes pixides apparent, quibus aptius illud Poëtæ inſcriberetur:

------b *Quantum eſt in rebus inane!*

Quod utinam non ſuo malo comprobaſſent ij, de quibus hæc circumfertur tragœdia in libello qui inſcribitur: *Veritas genuina* NIHIL. c Pariſiis tres non gregariæ conditionis viri, per compita, ſeu otio, ſeu negotio, intempeſta nocte vagabantur, cum de longinquo mulierem cernunt, cui puer facem præferebat. Vultus velo tegebatur, ſub velo larva: accedunt, quærunt ut fit blandius; unde & quo tam fero per tenebras? Illa cauſata cœnam, in ea immodicam amicorum invitationem, reſpondet inſalutato hoſpite, nec non marito ibidem moras trahente, ſe domum redire. Illi latus utrumque claudunt, offerunt comitatum, fidem præſtituri, quam maritus negabat. Admittit, itur, confabulantur, jocantur. Interea viam emenſi, ſtant pro foribus, quas puer clave in id præparata aperit, ingrediuntur domum magnifica ſupellectile inſtructam: invitantur ad ſeſſionem, ſedent; & ipſa aſſidet. Dein puer cum vino adeſt; quo propinato, velum una cum larva removeri per famulum à facie imperat, & elegantis formæ puella apparet. Ardere omnes: quiſque potiri: etiam unus pudicitiam tentare. Ad hæc illa quaſi erubeſcere & ſtupere, tandem non refugere, & admittere. Fruuntur fructum, ſed omnibus mox acerbum. Quid expectas amice Lector? numquid maritum illos deprehendere cum famulis, lædere, occidere?

b Perſius Sat. 1. c Fran. de Licht, cap. 5.

an

UVA. BHSC. BU 02224

an Promotorem, qui adulteros ad vincula promoveat? Nihil simile; at dæmonica illa, ut nihilo se litasse cognoscerent, & vel deducta larva personam delituisse, sub ipsa veste (horresco referens) putridum ac tabe fluens cadaver. Mox puella, ædes, famulus disparent: duobus fractæ cervices, tertius confessioni ac nuntio superstes, qui in deserto ac immundo civitatis angulo, sub auroram inter aliorum cadavera semivivus repertus est. Vbi hoc tandem epiphonema subjungit: a *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* In ejusmodi Veneris procos merito Propheta intonat: b *Væ illis qui lætantur in nihilo.* Qui per peccatum, quod teste *c* Augustino nihil est, nihili fiunt, & aptissime *deughenicten* nuncupantur. Hanc nomenclaturam B. Damianus ad Desid. Abb. iis indidit, *Tunc*, inquit, *cum videbantur esse impii, ad nihilum potius pertinebant quam ad verum esse: qui enim ab illo recedit qui vere est*, juxta illud Exod. 3. *Ego sum qui sum, necesse est ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Sed hæc alio. Quare ubi Salomon expertus omnes mundi voluptates, dicit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* alii legunt: *Nihilum nihil, & omnia nihil.* O si Salomoni liceret ad vitam redire, quam vitam institueret, quid mortalibus inclamaret? utique illud S. Salvii à morte ad vitam revocati, apud Gregor. Turon. l. 7. hist. cap. 1. *Audite filii Adæ, & intelligite, quia* NIHIL *est quod cernitis in hoc mundo, sed omnia vanitas. Omnia ergo ut vana contemnite, ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cælo.* Hoc in densissima errorum caligine acutum Ethnici viderunt. d *Nausiphaes*, teste Seneca ait, *ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his quæ videntur, nihil esse universum. Zeno Eleates, qui omnia negotia de negotio dejecit, ait* NIHIL *esse.* Vnde ingeniosus Poëta lusit:

Omnia de NIHILO *qui fecit, is omnia solus:*
Quod Deus ex nihilo fecit, id omne NIHIL.

Quod primæ Veritatis stabilitur testimonio, dum Christus Ioannis 16. ad discipulos suos dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et subdit: *Vsque modo non petistis quidquam.* Quod etiamnum in nobis locum habet, quamvis Lutherus in hæc verba impudentem blasphemiam evomat, dicens: Necesse est Christum esse summe mendacem, quia multi multa petunt, & non impetrant. Vsque modo non petistis quidquam, verum non est, cum multi multa ac varia petiissent: Matth. 20. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Dic ut sedeant hi duo filij mei, &c.* & tamen audiunt, *Vsque modo non petistis quidquam.* Matthei 15. *Accedentes discipuli ejus rogabant illum*, pro filia Chananeæ, quæ à dæmonio vexabatur. Luc. 4. *Rogavit illum* pro socru Simonis, quæ tenebatur febribus. Et quisque ve-

a Psal. 72. b Amos cap. 6. c August. tract. 1. in c. 1. Ioan. nihil fiunt homines, cum peccant.

d Sen. ep. 88.

UVA. BHSC. BU 02224

ſtrum tot precibus, tot votis, tot anathematis Deum rogavit, hic divitias, ille officium, alter ſanitatem, alius pacem. Eſt qui litem, qui bellum, qui peſtem à ſe amoliri precatur, & hæc omnia: *Vſque modo non petiſtis quidquam.* Luthero abunde facient ſatis, duo ſummi Doctores Eccleſiæ, Auguſtinus & D. Thomas. Auguſtinus in Ioan. tract. 102. *Hoc quod ait, ſi quid, non quidlibet intelligitur, ſed aliquid quod in beatæ vitæ comparationem ſit nihil.* Sanctus Thomas vero in cap. 16. Ioannis: *Vſque modo non petiſtis quidquam.* ſic exponit: *Quoniam in comparatione rei quam petere debuiſtis, pro* NIHILO *habendum eſt, quod petiſtis.* Sunt quibus numeroſa proles eſt, negotia ceſſant, rara commercia, parum lucri, multum detrimenti; quid petunt? divitias, aurea ſæcula. *Vſque modo non petiſtis quidquam.* Quis cum Philippo rogavit: a *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Quis cum Nicodemo *petiit Corpus Ieſu?* Quis cum Davide, *unam petiit? &c.* alii morbo conflictantur, petunt pro ſe, pro ſuis, corporis infirmitate liberari. Hi uſque modo nihil petierunt; ille multum petit qui illud Sancti Fulgentii Epiſcopi Africani petit, qui dum fuſtibus ab Arianis cæſus, exilia & perſecutiones paſſus, tandem ad ſeptuaginta dies graviſſimis doloribus dive-xatus, hoc ſolum petiit: *Domine da mihi hic patientiam, ibi indulgentiam.*

Multi hiſce turbulentis temporibus ardenter inducias aut pacem cum hoſte poſtularunt, & uſque modo nihil rogarunt. Quis Deum efflagitavit ne Sacramenta conculcarentur, ne heterodoxa doctrina irreperet, ne refrigeſceret charitas multorum, ne lupi in ovile Chriſti irruerent?

Qui vanam hactenus ſcientiam periſtis, uſque modo nihil petiſtis. Nunc cum Auguſtino petite: *Domine noverim me, noverim te:* ut cum Seraphico Franciſco exclamare valeatis: b *Quis ego ſum Domine? quis tu? ego abyſſus vanitatis, ignorantiæ, malitiæ &* NIHILI: *tu abyſſus veritatis, ſapientiæ, bonitatis, & rerum omnium: Deus ergo meus & omnia.* Qui hic longitudinem dierum, & paucos miſeræ vitæ adjicere petiſtis, uſque modo nihil petiſtis: quia *pro nihilo habentur eorum anni.* & ut Iob ait: c *Nihil enim ſunt dies mei.* Quod eleganter Ioannes Dux Cliviæ expreſſit, qui in teſſeram gentilitiam aſſumpſit lilium cum hac Epigraphe: *Hodie, cras nihil.* Talis eſt vita hominis, qui ut flos egreditur & conteritur. Vnde Petronius: *Heu, heu nos miſeros! quam totus homuncio* NIL *eſt.* Nunc ergo, cum Legiſperito petite: d *Domine, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* Nunc ergo, ô filij hominum, ut quid diligitis vanitatem? ut quid tanto labore ac ſolicitudine nihil quæritis? Chryſoſtomus commiſeratione tactus, ſic quemque ve-

[a] Ioan. 14. Matth. 21.

[b] Cornel. in Eccleſ. cap. 102.
[c] Iob 7. Typotii ſymbol. d Luc. 10.

ſtrum

UVA. BHSC. BU 02224

ſtrum compellat: a *Quid tanto ſtudio quod* NIHIL *eſt, quæris? quid labores pro* NIHILO *ſuſtines? at ſplendidiſſima officia conſpicis, eorumque te fallit aſpectus: in cælum protinus ſuſtolle oculos, animadvertes formicarum iſta eſſe, & culicum opera.* Vidit hoc ocellus Belgij IUSTUS LIPSIUS, cujus vel ex nominis omine, *pius ſtyli uſus eſt.* Hic de magnitudine Romana acturus, ſic ſereniſſimum Albertum alloquitur: b *Heu res mortalium vel maximorum parvæ! heu validiſſimorum inſtabiles, imo omnia illa ſomnium, umbra,* NIHIL, *ſi cum æterno & æternitate comparentur.* Quare graviſſimi Doctoris vobis inſideat ſententia: c *Deteſtandi eritis, ſi* NIHIL *ametis; amate, ſed quid ametis, videte.* Divitias æternas, gloriam æternam, annos æternos, bonum æternum, in quo ſunt omnia, amate, & nolite per Deum immortalem, terram illam fluentem lacte & melle, Ieruſalem illam cæleſtem, terram illam deſiderabilem d *pro nihilo* habere; ſed omnia hæc inferiora, ac omnia mundi bona pro nihilo ducatis, illudque celeberrimi Lipſii ſepulchro inſcriptum, quod ſibi ſuiſque poſteris monumentum condidit, maneat alta mente repoſtum:

Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et ſcenæ imago, verbo ut abſolvam, NIHIL.

Quare cum omnia humana merum nihil ſint, e *dignus plane eſt morte, qui tibi Domine Ieſu recuſat vivere, & mortuus eſt: qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe niſi propter ſe, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Propter temetipſum Deus feciſti omnia, & qui vult eſſe ſibi, non tibi, nihil incipit eſſe inter omnia.* Supereſt itaque ut ad eum recurramus, in quo ſunt omnia; à quo defeciſſe, in nihilum recidiſſe eſt. Quod pluribus ſanctiſſimus Auguſtinus exaggerat.

f *Confitear ergo, confitear tibi Pater, Domine cæli & terræ, miſeriam meam, ut me venire liceat ad miſericordiam tuam. Miſer quippe factus ſum, & ad nihilum redactus ſum, & neſcivi: quia tu es veritas, & ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, & non dolui: quia tu es vita, & ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me, quia tu es Verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil: & ideo ſine te factus ſum nihil, quia eſt nihil quod ad nihilum ducit. Omnia per ipſum facta, quæcumque facta ſunt. Et qualia facta ſunt? Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quare bona ſunt? quia omnia per Verbum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quia nihil bonum ſine ſummo bono eſt, ſed malum eſt, ubi non eſt illud bonum, quod utique nihil eſt: quia nihil aliud eſt malum, quam privatio boni; ſicut nihil aliud eſt cæcitas, quam privatio luminis. Malum itaque nihil eſt: quia ſine Verbo factum eſt, ſine quo factum eſt nihil. Malum igitur nihil eſt, ſi factum non eſt. Sed qualiter malum eſt, ſi factum non eſt? quia*

a Novarini riſus Sard. c. 19. Anagramma. b Lipſius de magnit. Rom. in dedic. c Auguſt. in Pſal. 21. d Pſal. 105. e Bern. ſerm. 20. in Cant.

f Auguſt. Solil. cap. 5. quid ſit nihil fieri.

UVA. BHSC. BU 02224

malum privatio boni est, per quod factum bonum est. Esse ergo sine Verbo, malum est: quod esse non est; quia sine ipso nihil est. Separari autem à Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est quam deficere, & à facto transire in defectum: quia sine ipso est nihil. Væ mihi misero ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam? Sed quid hoc quæro? si nihil eram, quomodo cognoscere volebam? scimus quia nihil, nihil est. Si ergo nihil fui, cum sine te fui. quasi nihil fui, & velut idolum, quod nihil est.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXIII.

Gehennæ ignis. Matth. 5.



COMPESCUIT IGNIBUS IGNES.
2. *Metam.*

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

Viva recordatio ignis infernalis, præsens remedium ad restinguendum ignem libidinis: quemadmodum in caminum incensum bombarda explosa ignem extinguit.

§. I. *Ignis libidinis urbes & orbem depopulatur.*
§. II. *Præsentissimum remedium, ignes ignibus restinguere.*
§. III. *Exempla eorum, qui vel sola recordatione ignis infernalis, libidinem vicerunt.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Reus erit gehennæ ignis. Matth. 5.

NERO, narrante Tacito, tertiam urbis partem incendit, ut speciem incendii Trojani instauraret. Ad hoc excelsam turris speculam conscendit, testudinem pulsans, ne morientium, inter crepitantes flammas, ejulatus ferum animum flecterent. Patriam incendit, ut extingueret: urbs illi nimium angusta videbatur, ut augustam domum conderet. De qua Mart.

Roma domus fiet. ---

Tenuit hoc incendium ad sex dies, absumpsit tertiam partem urbis Romanæ, invasit pueros, puellas, juvenes, senes.

a *Hæc facies Trojæ, cum caperetur erat.*

a Ovid. l. 1. Trist eleg. 3.

§. 1.

Ignis libidinis urbes & orbem depopulatur.

ALiud profecto incendium longe luculentius vobis proponam, quod non urbem dumtaxat, sed integras regiones, regna, orbem universum occupavit: b *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Ignis libidinis omnem ætatem corripuit, omnem sexum corrupit. Quid Sodomam & Gomorrham, quid Pentapolim locum deliciarum, & quasi terrestrem paradisum in cineres redegit? Rationem assignat Gregorius: c *Deus destruxit Pentapolim*; IGNE *punitus fuit* ARDOR *libidinis.*

b Gen. 6. c Gregor. l. 4. mor. c. 10.

His accenseri posset Carthago, quæ ab Hipponensi Præsule SARTAGO d *flagitiosorum amorum* indigitatur. Regiones integras, tertiam orbis partem Salvianus deflagrasse queritur: e *Quis nescit*, inquit, *Africam totam obscœnis libidinum* TÆDIS *semper* ARSISSE? *non ut terram ac sedem hominum, sed ut* ÆTNAM *putes impudicarum fuisse* FLAMMARUM. Demum totius orbis vastissimum fuisse incendium necesse est, quod omnia flumina, nec totus Oceanus restinguere potuit: cælum ipse cataractas sustollere debuit, quo ignis ille libidinis, ut Albertus M. sentit, qui totum orbem incenderat, deleretur. Sic enim prima Veritas palam contestatur: *Finis universæ carnis venit coram me.* Causam nostis? *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Genes. 6. Quid? quod hoc incendium, rubro pretiosi sanguinis sui mari, Christus extinguere voluit: non enim mysterio vacat, Redemptorem nostrum, ut totum mundum salvum faceret, die Veneris in crucem suffixum fuisse, ut præclare Christianus Poëta canit:

f *Luce obiit Veneris; Veneris fle turba: videtur*
Causa Dei pessi, non minima esse Venus.

Ecquid causæ arbitramini, aliquando

--- g *adfore tempus*

d Aug. l. 3. conf. c. 1, e Salvian. lib. 7. de provid. f Novarini Schediasm. pag. 116 g Ovid. 3. Metam.

Quo

Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret?

Hæc mundi machina conflagrabit, & in cineres redigetur, libidine pabulum subministrante: ut diserte August. a *Significatum est, in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. Luxuria* enim, ut ex nominis etymo patet, merito *lux urens* appellatur: quo luxuriæ igne Christina mirabilis in spiritu, universum orbem adustum vidit, *b* jamque Deum vindicem rursus ignem & sulphur pluere decrevisse, ni suis precibus & corporis afflictationibus, hanc igneam nubem virgo amovisset. Orbem universum! itane vero? ergo nullus ab hac flamma immunis? nec viri, nec fœminæ, nec pueri, nec senes, nec cælibes, nec conjugati? Hac super re Doctorem Angelicum audiamus, qui exponens illud Ioannis, c *Mundus totus in maligno positus est*, sic ait: *Totus mundus in maligno, id est*, IN MALO IGNE *positus est*, nempe luxuriæ, ut & Lyran. affirmat.

Horribile dictu est quod S. Remigius Episcopus Rhemensis pronuntiavit: d *Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur*. Confirmat P. Ieremias Drexelius: Memini, inquit, & horreo, quod à præceptore meo audivi: e *Si* 100. *juvenes damnentur, è centenis illis*, 99, *ob vitium carnis damnari*. Quod fortasse non adeo mirum videretur, si liceret, ut Hieronymus ait, in istam speculam conscendere, & quaqua patet, terrarum orbem lustrari; occurrerent hic vel in una Neapoli meretricum quadraginta millia aliquando numerata. Romæ olim quinque millia, quarum omnium nomina, quis credat, in album redigebantur. duæ erant ditissimæ ac præcipuæ. f Numerare longum esset, quot scorta aluit potentissima orbis Respublica Veneta, de qua hic versus in theatro Beyerlinck decantatur:

Vrbe cur in Veneta scortorum millia tot sunt?
In promptu causa est: est Venus orta mari.

Dictis fidem potenter adstruit Hieronymus g Capivaccius medicus Patavinus, qui libro de lue venerea cap. 2. narrat se ex curatione luis Gallicæ, plusquam octodecim millia coronatorum lucratum. *h* Quis nunc miretur Turcorum Soldanum quinque millia stipendiariorum alere consuevisse pecunia ex meretricum commercio collecta? *i* Nolim his epistolam antiquam S. Uldarici ad Nicolaum I. ut authenticam attexere, in qua refertur tempore D. Gregorii in ejusdem piscina ex occultis fornicationibus, infantum suffocatorum capita, ad sex millia, à piscatoribus comperta fuisse; hoc dico quod in aperto est, non Augusti solum tempore Vestales & sacra adyta hoc igne conflagrasse. Has terras tamque exitiales flammas varii varie sopire, suffocare, restingue-

a August. de civit. lib. 16. c. 24. *b* V. Corn. in c. 38. Gen. c S. Thomas in 1. Ioan. cap. 5. d S. Remig. in epist. ad Rom. c. 1. e Drexel Nicetas l. 2. cap. 12.

f Beyerlinck theat. in pag 432. g Pont. Attica Bellarm. p. 1. c 4. h Spond. tom. 1, an. 1260, i V. Vasquez de Sacram. dis. 249, c. 7. n. 72, Bellarm. Marchin. de Sacram. Ordinis pag 227.

UVA. BHSC. BU 02224

re conati ſunt. Aliqui lilium caſtitatis illæſum ſervárunt in ſpinis, ut Benedictus: alii in lecto roſarum, ut Martyr Nicetas, qui linguam in petulantis ſcorti faciem exſpuit.

a Alii inter nives, candorem ſervarunt, ut Seraphicus Franciſcus: Bernardus in glacie. Hos æmulata Sanctia Carillo, quæ ſe ſentiens libidinis flammis violentius uri, hyeme ſumma, nocte frigida, in cupam, quæ pluvialibus plena, pene glaciarat, nuda inſiluit.

b Alii inedia, corporis afflictione, & ſanguinis imbre, hunc ardorem reſtinxerunt. Ita Dominicus ille ferrea lorica munitus, intra unam Quadrageſimam ſingulis diebus ad quadraginta quinque millia verberum ſibi infligebat. *c* Inter ungues puncturis & aculeis compunctus Ioannes Bonus ſervavit. E ſexu fragili, puella fuit, quam dum juvenis ob formæ venuſtatem ardenter deperiret, dixit ſe feciſſe votum quadraginta diebus in pane & aqua jejunandi, quo ſe primo exſolvere volebat, nec conſenſuram, niſi ille, ut amorem ſuum comprobaret, ſecum eandem inediam toleraret. Sed exiguo tempore ita debilitatus fuit, ut magis cogitaret de morte, quam de amore. Norat credo illa conſilium Hieron. ad Furiam Epiſt. 10. *Quod ardentes diaboli ſagittæ, jejuniorum & vigiliarum rigore reſtinguendæ ſint.*

Alia ut has flammas fugeret, ad mortuorum cineres confugit: refert enim *d* Caſſianus, puellam Alexandrinam duodecim annos in ſepulchro latuiſſe, ut libidinem reſtingueret. *e* Sic Guido Preſbyter Nivellenſis, dum mortuam adhuc arderet, noctu ſepulchrum adiit, & inter vermes ac putidas carnes ſe volutans, victor evaſit; veriſſimum illud Gregorii expertus: f *Caro dum concupiſcitur, penſetur quid ſit exanimis, intelligetur quid ametur.* g Libidini quidem furioſa vis ineſt, quæ ipſam etiam rationem calcat, ſed effrænes hi impetus coërceri poſſunt, præſertim ſi frænum libido pati maturè diſcat. Eam ob cauſam in eremo Scythica, vir religioſiſſimus libidinis impetum ſic repreſſit: *h* Sæpius ei recurſabat fœminæ olim non ignotæ forma. Hanc ille memoriam, has cogitationes è pectore penitus eliminandas cenſuit. Diu laboravit, animoſe certavit, & non uno tantum ariete fregit; nec tamen aliud ſibi videbatur, quam ne victus eſſet. Submiſit interim divina providentia hominem ex Ægypto, qui mentione temere injecta, fœminam illam forma præſtantem fato conceſſiſſe narrabat. Excepit dictum hoc athleta Chriſti, & in rem ſuam ſuper eo deliberans, id demum reperit conſilii, tugurium ſuum ſuperis committit, & ad defunctæ fœminæ ſepulchrum properat. Hic ille fœdum cupidinem triumphaturus, rem ſic aggreditur: Noctu à tumulo ſaxum amolitur, ter-

a P. Rho pag. 735. Exempla virtutum.
b Lilium Marian. part. 3. præſid. 5.
c Cauſin. to. 4. de l'amour ſenſuel. ſect. 9.

d Caſſian. de ſpiritu fornicat. c. 23.
e Cantip. l. 2. cap. 3. n. 31. f Greg. l. 18. mor. g Lib. Sen. Patrum ſect. 10
h Drexelii rogus c. 5. ſect. 2.

ram

UVA. BHSC. BU 02224

ram egerit, & ad cadaver penetrat. Ubi ſeipſum affatus: En, inquit, theſaurum tuum, en tuas delicias: quin aufers rem tibi chariſſimam? Pars certe de hoc auro, quod effodiſti, aſportanda erit. Dixit & fecit, furtoque religioſiſſimo partem mortualis velaminis, ſanie ac tabo bene ſaturatam abſtulit. Regreſſus in caſam ſuam, bene olentem hanc prædam ſub ipſos oculos poſuit, aſſidue aſpiciendam. Hic ſeipſum iterato ſcommate laceſſens: En, inquit, habes quod appetiſti; fruere, ſatiare: exple oculos, paſce nares, imo totus hic naſus fias: cogita hoc eſſe ſtrophium à chara tibi fœmina miſſum: quin ori, ac naribus propius admoves tam pretioſum ac fragrans munuſculum. Ita generoſus hic athleta tamdiu fœtore ſe cruciavit, dum ſordidas cogitationes victor ab omni animo extirparet. Ita libido quantumvis potens & furibunda, ceſſit fœtori. Alii, quod mireris, in ſterquilinio hanc gemmam ſervarunt. *a* Claudius Aquaviva Ducis Atrii filius, à quadam morbum ſimulante, libidinis febri vere æſtuante, adſcitus, dum ſe expedire nequiret, in vas excrementorum manum immittit, totam faciem ſordibus inducit; qua larva illam terruit; uti & P. Manaræum feciſſe leges in Patre Rho, in *b* Nierembergii aſceticis, aliiſque. Quæ omnia ut efficacia antidota ſint, longe tamen præſtantius ac præſentius alii remedium excogitarunt, qui hunc ardorem libidinis alio ardore, luxuriæ flammas aliis flammis reſtinxerunt[a] illud placitum Paracelſi obſervantes: *Similia ſimilibus curantur*: uſtionem igne curari, eryſipelam, quæ inflammatio quædam eſt, calida aqua, qua pori aperiantur, extingui, juxta illud Poëtæ,

---c *Compeſcuit ignibus ignes.*

Quin & ratione naturali Phyſici docent, & experientia compertum eſt, caminum incenſum, bombarda in illum explo-ſa derepente extingui. Caminus è luto exſtructus, corpus noſtrum eſt, fomite ac fuligine plenum, quo fit ut facile libidinis flammis incendatur. d *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*, nempe dæmone.

a Exempla virtutum P. Rho p. 744.
b Nieremb. Aſcet. 376.

c Ovid. 2. Metam. d Oſeæ c. 7.

§. II.

Præſentiſſimum remedium: ignes ignibus exſtinguere.

AC primum quidem ardorem ardore pellere, quidam feliciter tentarunt. *e* Philippus II. cum pompa ſua forte urbem obequitans, vidit è feneſtra Matronam formæ perquam venuſtæ; intectis uberibus proſpectantem. Nec ſubitus Regis ardor clam fuit aulico, qui mulierem dein adit, ad aulam invitat. Illa, cui caſtitas cum forma certabat, quid in ſe Regi carum interrogat? Ubi pectoris nives, & mammarum ebur audiit, arriſiſſe, Hic ego, inquit, compta mox adero. & ſubito bullienti aqua ubera perfundens, totum pectus miſere uſtulavit, atque ita in aulam progreſſa, nudato pe-

e P. Rho exempla p. 736.

ctore,

UVA. BHSC. BU 02224

ctore, canis deglubiti, aut leprosæ instar sese exhibuit, paucis lenonem increpans: Hæccine tam fœda species Regis oculos icit? Perierunt nives, & his frigidior jam stupri conciliator. *a* Quin & in Ethnicis vel pueris, hic ardor servandæ integritatis illuxit. Democles adolescens Atticus, cui à forma, vulgo formosi cognomen erat; hic à Demetrio, qui tum Athenis lasciviebat, in balneis deprehensus, non nisi in morte effugium videns, hanc elegit, reseratoque aheni operculo, in aquam ferventem se demersit, & extinxit. Illustre fatum & forte factum, quod adolescentes nostros si imitati pigeat, admirari delectet. Sed parum hoc, ardorem ferventibus undis attemperare, & febrium calorem calentibus balneis curari; at ignem igni cedere, sopiri, & compesci, portenti loco habendum est. Docuit id primo, fœdos illos ignes gravissime aversatus virgineus Doctor Aquinas, qui scortum libidine inflammatum, in cubile immissum, titione ardenti ex rogo arrepto profligavit. *b* Fuit quæ à Regis libidine sibi periculum imminere sentiens, faciem, cujus forma Regem captum sciebat, titione candenti varie adussit, omnemque pulchritudinem obliteravit, ut Regis flammas restingueret.

Ab Angelico Doctore, hoc etiamnum adolescens, quidni hausit *b* Antonius Caraffa, dein Cardinalis? Impuri nebulones puellam comptam ornatamque in Antonii cubiculum adhuc dormientis, mane immittunt, multis oneratam promissis, si pelliceret ad amplexus. Hic ad primum aspectum exiliens, ad ostium accurrit, quod fraude occlusum reperit: nequidquam famulos inclamat. quid agat? Caminum habebat, in quo pridie vesperi luculentum ignem excitarat: ergo ad illum accurrit, batilloque usus, ardentium adhuc prunarum grandine, cum nube cinerum, instantis mulieris os, crines, sinum complet, ac semiustulatam egregie fugat, atque ita *compescuit ignibus ignes*. Hæc ignea furor entheus arma ministrat. Furentis & urentis hæc arma fuere, quibus usus in se Laurentius Fuccinensis Capucinus, qui cum Forolivii ardentissimi Concionatoris partes sustineret, lenones aliquot, quorum libidinis faces, dicendi ardore non semel perdere conatus, scortum adornant, quod multa jam nocte virum studiis intentum aggreditur: at Laurentius ubi flammam apud se sensit, tanquam aliud agens, digitum lucernæ constanter admovit, donec caro diffluueret; satius ducens digitum perdere, quam vel levi scintilla castitatem amburi. *d* Idem jam pridem factitarat è priscis ascetis unus aliquis, qui ubi fœminam in cellam suam se penetrantem vidit, omnes digitos ad candelam combussit, periculum faciens, an ignes æternos tolerare posset. I nunc, & unum Scævolam admirate: legitur enim in actis S. Brigidæ, inter puellas ejus fuisse quandam, viri cujusdam amore captam, in quem incaute oculos conjecerat; qui illius

a Lipsii exempla Polit. cap. 16.
b P. Rho. pag. 736. *c* Pag. 740.
d P. Rho p. 739.

itidem

UVA. BHSC. BU 02224

itidem impuro æstuabat amore, jamque pollicita erat se certo tempore ad illum visuram. Itaque ubi sensit Brigidam sese quieti dedisse, surrexit è lecto. a *& libidinis accensa flammis*, cœpit miro quodam cogitationum æstu agitari; at tamen præpotentis Dei, & S. Brigidæ timore retenta, obnixè Dominum precabatur, ut in tanto discrimine sibi opem ferret. Incidit tandem menti salubre consilium, accensoque igniculo, illi pedes admovit, *ignibusque extinxit ignem*, ait auctor. Nil vero horum latebat S. Brigidam, cui divinitus erant omnia revelata; tacuit autem ut puellæ constantiam probaret. At illa mane S. Brigidæ aperuit, audivitque ab illa: Quandoquidem in hac nocte egisti viriliter, & pedes tuos aduristi, neque libidinis ignis in hac vita nocebit tibi, neque *gehennæ flammis* combureris. mox ejus pedes ita sanavit, ut nullum adustionis vestigium in eis appareret. Ar quod caput est, dum pedes adussit, totum corpus ab gehennæ incendiis vindicavit. Præceptum, & receptum illud supremi medicorum est: b *Expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod probe norat Martinianus ille, qui vitam solam agere cœperat, dum c dæmon ut virum decipiat, denuo mulierem subornat. Adest hæc panniculis involuta; & velut à via aberrasset, magnis ejulatibus ne in pabulum feris cedat, id noctis hospitium orat. Aperit Martinianus, à feris fœminam defensurus, se lupæ objecturus: penitioribus tamen adytis clausus pernoctabat. Sed mane mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam. Videt hanc, & basiliscum videt; audit, & syrenem audit, & dæmonis victorem prope mulier vicit: experrectus tamen velut è somno, ignes fecit insignes, pedibusque insultans, Age, inquit, lubeat peccare, si vel has flammas lubet ferre. Extinxit hic rogus Veneris ignem, tum præcipue cum meritricula, jam Venere damnata, lachrymas effudit. Cæterum Martinianus in rupem medio mari eminentem fecessit. Hic quoque dum charybdim fugit, in scyllam minimo minus incidit, & Venerem plane regnare in mari didicit: ecce enim naufraga puella, & ad perniciem oculorum pulchra, in rupem enatat. Hic vero Martinianus illud Gregor. forte recolebat: d *Ignis stipulæ propinquus, parum tuta res est: nihil tutius ô monache tibi fuerit mulierem contubernalem habere.* Quare se in mare præcipitat; sed & hanc virtutem novit amare mare, delphines tergo excipiunt, & salvum littori reddunt.

Simile quid in se ausus Iacobus, de quo Surius 14. Ianuarii. Salubriter, ut ait Augustinus, e *ignem palea timet.* Et M. Gregor. f *More ignis libido succenditur, adjacens stipula velociter inflammatur.* Quod incendium Martinianus in mari fugit, in terra igne extinxit. Sed nihil in hoc genere illustrius, quam quod S. Dominicus, magni Pa-

a Novarini Adagia pag. 86. b Matt. 5. c 13. Febru.

d Greg. in sent. e August. in Psal. 49. f Greg. in 1 Reg. c. 15. Cantip. l. 2. c. 3. n. 45. Spinellus de Deip.

triarchæ

UVA. BHSC. BU 02224

triarchæ filius, vir morum integritate celebris, posteris reliquit. Hic Rege Castellæ connivente, per quosdam ad flagitium pellectus fuit: qui pellicem adornarunt, quæ cum salaciter ac fallaciter instaret, ei tempus, locum, opportunitatem omnem condicit. Adest illa nocte concubia: à monacho clam intromittitur; sed clam ipso, testes ex insidiis, rei eventum operiebantur. Dum ecce ad cubile venit, in medio pavimento, ex succensis carbonibus ad mensuram corporis sui, flammeum stratum exhibet; nec mora, super illud se nudum conjicit, sic eam compellans: Veni, hic lectus dignus, ubi libidinem expleas. Accurrunt ex insidiis proceres, hominem attollunt, sed citra adustionem: & ni hic interceffisset, ipsam pellicem ignibus addixissent; suffecerat enim sibi ignem ignibus extinxisse, & in medio ignis, potissimum libidinis, ne æstuatum fuisse. At dicit aliquis, hoc antidotum nimis violentum, a *ignem esse omnium supplitiorum ultimum.* Quare si lubet, aliud vobis medium suggero, remedium lene ac leve, ut sola recordatione ignis infernalis, cujus intuitu omnis hic noster ignis pictus & fictus est, mentem ac animi sensus inflammare velitis, ubi hic libidinis ignis afflarit; & ilico *ignibus ignes* extinxeritis. Occurset animo identidem illud Hieronymi: b *O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus finis gehenna.*

a Curt. l. 4, c. 12, b Hieron. in c. 30. Prov.

Pausanias in Photicis Græcorum, inventum fuisse ait, ut in templo Apollinis appenderent tabulas, in quibus enormia supplicia, quibus impii apud inferos misere cruciantur, exhibebantur, ut sic à flagitiis deterrerentur. Si vel nuda imago supplicii, si ignis pictus, sinoster ignis, qui, teste Augustino, ad infernalem comparatus, vere pictus est, sic valet sceleratos compescere? quid non aget ignis ille æternus? Si ignis hic luxuriæ, hoc nostro igne purgandus esset, quam repente ardentissimi juvenes frigerent! Laius Rex Thebarum licet gentilis, in emasculatores tanquam naturæ jura pervertentes, ignis supplicio animadvertendum censuit, ut docet Plato apud Cælium *lib.* 15. *cap.* 1.

c *Gen.* 38. Thamar adultera cum fœtu trimestri jam animato, igni adjudicatur: *Producite eam ut comburatur.* Incestus igne punitus Levit. 20. *Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis,* cum filia & matre. O si omnes, qui hoc fœdo igne correpti, igni adjudicarentur, si vel pedem vel manum vel digitum flammis immittere cogerentur, quot ubique rei ustularentur! quot pueri, quot teneræ puellæ! quæ domus immunis ab hac flamma? Hoc expendens S. Augustinus in Psal. 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet.* sic exclamat: *Non erit iste ignis sicut focus tuus; quo tamen si manum tuam mittere cogaris, facies quidquid voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filio-*

c V Cornel in Genes. pag. 149.

rum

UVA. BHSC. BU 02224

rum tuorum; nam si non feceris, manum tuam mittam in focum tuum; facies ne ardeat manus tua. Minatur ergo inimicus tam leve malum, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum. Dum campanæ aut tormenta ænea funduntur, vel ad conspectum liquati metalli, & ignei fluminis colliquescimus; sed picti sunt ad vivos, ad veros illos fluvios, ac fornaces inferni. Has mente volvamus, dum tentationis flamma subrepit, ne iis involvamur.

§. III.

Exempla eorum qui vel sola recordatione ignis infernalis, ignem libidinis vicerunt.

CHryfost.hom.10.in Epist.2. ad Cor. *Si libidinis igne flagras, ignem illum appone* (inferni,) *atque hic confestim extinguetur & evanescet.* Ea propter optime Propheta apprecatur, dum optat, a *ut descendant in infernum viventes, ne descendant*, inquit Bernardus, *morientes.* *b* Descendant nunc cogitatione, & in meditatione hic ignis inferni exardescat; quo conspecto Theresa ad Divinum accensa est. *c* Hunc ignem ita vivaciter P. Barradius in meditatione sibi proposuerat, ut de se fateatur, ni destitisset, mortuus concidisset. S. Franciscus ad conspectum ferri candentis horrebat. Descendant in infernum viventes, & illud Hieron.expendant: d *In uno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores*; tantaque vires habet, ut vel eo in distans agente, nullum remedium sit præsentius, ut recte Isidorus Pelusiota lib.1.Epist.433. *Si carnis tuæ cupiditas adversum te furit, & rapido impetu fertur, eamque inertiæ ac desidiæ æstu inflammasti; ignis futuri memoriam ipsi refrica, & extinguetur: si quidem libidinosum hujus vitæ incendium, ad fornacem illam tendit.*

e Iosaphat filius Albenner Regis Indiarum, industria Barlaami anachoretæ ad orthodoxam fidem conversus, meretriculæ cujusdam forma & blanditiis captus fuisset, nisi divina miseratione subito obdormiscens, in spiritu ad stagna sulphuris, & ultrices flammas raptus fuisset: ubi hoc sibi horrendum ingeminari audivit: Hic sceleratorum carcer est, hi cruciatus, qui fœdis voluptatibus seipsos contaminarunt. Ut ad se rediit, in lachrymas effusus, omnes libidinis faces restinctas sensit. Nonne experimento didicit verissimum illud: f *Convertantur peccatores in infernum, & erubescant valde velociter.* Hoc suis assiduo inculcat Ioannes Climacus: g *Importunum cordis incendium, gravioris & nunquam finiendi incendii metu extinguamus.* Si cui obscœna subrepit cogitatio, descendat in infernum; si cui lasciva forma proponitur, descendat in infernum; ne in molli lecto lascivias, subeant animum ignei & ferrei lecti inferorum. *h* Quod saluti fuisse Bernardinus de Busto commemorat. Etenim cum prostitutæ nequitiæ adolescentem, è Dominicana familia Religiosus conveniret, admissus est, sed ea

a Bern. de solit. vita. *b* Bourgesius de æternit. cap.8. *c* Recueil des hommes illustres. d Epist ad Pammach.

e Damasc. in hist.Barl.cap.20. f Psa.9. gGradu.2 hValadier.in Adv. Sabb.2 hebd.

lege

UVA. BHSC. BU 02224

lege ne de Religione aut vita monaſtica mentionem faceret, ſtatuiſſe ſe carnis vinculo obſtrictum in ſæculo vivere. Hoc pacto Religioſus exceptus, unum abiturus pro aculeo injecit, ut decubiturus recordaretur, quo lecto, quibus ſtragulis, quo cubili apud inferos, uſurus eſſet. Atque hic uno veſpere ita inhorruit, ut bene mane ad monaſterium advolarit, omnem Venerem animo excuſſerit, & caſtitatem profeſſus ſit, experimento illud Iſidori conteſtans: a *Sicut clavus clavum expellit, ita ſæpe recordatio* ARDORIS *gehennæ*, ARDOREM *extinguit luxuriæ*. Quare ſi quis ſcelus audeat, Iſaiam audiat: b *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Quis ex vobis, molliculi ac delicatuli adoleſcentuli, habitare poterit cum igne devorante? *Digito ignem modicum tangere horremus*, teſte Caſſiano, *& quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus injici?* Quæ ex vobis, ô comptæ puellulæ, tenellulæ, quæ ne puncturam acus, nec ſcintillam ignis ferre valetis? Quis ex vobis, Clariſſimi, Ampliſſimi, Nobiliſſimi Domini, habitare poterit *cum ardoribus ſempiternis*? ubi, magno teſte Gregorio, c *edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit*. Recogitate quod pinguedo & libido carnis vertetur in picem, & in pabulum flammarum. Intonat hoc Petrus Damianus Epiſt. 6. *Veniit profecto dies, imo nox, quando libido iſta tua vertetur in picem, qua ſe perpetuus ignis in tuis viſceribus inextinguibiliter nutriat.* Quiſquamne libidinis flammas ſenſit. Antverpiæ Petrum Martens picea toga indutum, medio in aëre inter flammas pendulum ſpectavit? Et quid hæc ad inferna, & nunquam finienda incendia? ubi, ut Religioſus Doctor expendit, d *luxurioſi & voluptatum amatores, ardenti pice, & fœtido ſulphure perfundentur.* Idipſum Cyprianus confirmat: e *Immortales miſeri vivent inter incendia, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.* Hunc, vos rogo, aſſiduo animo rogum volvatis, & omnia blandimenta carnis proſpero eventu ſuperaſtis. Fecit hoc celeberrimus Magiſter ſententiarum f Guilielmus Pariſienſis, cujus hæc ſaluberrima doctrina eſt: Dico quod maxime mihi mi-„ netur hoſtis, inferni carcerem,„ mortem, & tormenta: ego ig-„ nem & gladium contra eum„ in armaturas fortiſſimæ prote-„ ctionis, & tutiſſimum refu-„ gium verto; imo arcem inex-„ pugnabilem ipſum infernum„ mihi facio: *Quoties quippe ignea„ tela carnalium concupiſcentia-„ rum, aut ſæcularium deſideriorum„ mittit, ut ne trajiciat, ipſum in-„ fernum ante oculos meos pono, &„ illum velut clypeum jaculis illis„ obtendo, eoque me tueor & prote-„ go.* Quis habens ante oculos„ infernum læditur? in eum„ velut in domum refugii, quo-„ tieſcumque ſemper fugiens„ in tuto ſum. Ex illa velut arce„ fortiſſima, hoſtium tela deſpi-„

a S. Iſid. l. 2. de ſummo bono c. 39.
b Iſa. c. 33. c Greg. 9. Mor.
d Thomas à Kempis lib. 1. c. 24. e Cyprian. ſerm. de Aſcenſ. f Bellarm. lib. de morib.

cio,

UVA. BHSC. BU 02224

„cio, velut armatura impene-
„trabili & ineffabili circumda-
„tus, & munitus, omnia hostium
„tela elido & tundo & quod est
„mirabilius *in illo igne sempiterni*
„*ardores concupiscentiarum mea-*
„*rum extinguo*. Non alio hic quàm D. Prosperi utar testimonio, qui sic ait: a *Exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligne oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: hæc & similia multa cogitare, nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnis refrænare.* Hoc usus fræno Hieronymus in vasta illa eremo, hæc de se ipse fatetur: b *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopiæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressit, nuda humo vix ossa hærentia collidebam.* Et ut noris illum ignem ignibus restinxisse, exclamat: ILLE IGITUR EGO, QUI OB GEHENNÆ METUM *tali me carcere ipse damnaveram.*

Adeo Hieronymus exhausto in corpore, extrema in senectute, in spiranti cadavere, quasi sub cinere sopitos hosce ignes, aliquando excitandos formidabat; tu vero, qui indies oleum addis camino, qui inter incentiva vitiorum, inter ignea tela cupidinis medius volutaris, ab hac flamma te illæsum arbitraris? nunquam effugies, quin totus inardescas, nisi exemplo Hieronymi c *tartaream illam libidinem* (sic eam Augustinus appellat) tartarei incendii recordatione restinguas. Precorque illud Poëtæ:

---- d *Ardoris sit rogus ille tui.*

a S. Prosper lib. 3. de vita contemp. c. 12. b Hieron. ad Eustoch. de Virgin. c Augustl. 3. conf. c. 1. d Ovidius.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXIV.

Gratias agens. Marc. 8.



AGIT GRATES. 3. *Metam.*

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Grates Deo agendæ pro acceptis beneficiis, ſigillatim à menſa poſt refectionem: in hoc gallinam imitantes, quæ poſt quamque refectionem, caput in cælum ſuſtollit, quaſi gratias datori referens.

§. I. *Sacrificium laudis ſeu gratiarum actionis, Deus à nobis jure poſtulat.*
§. II. *Perpetua gratiarum actio Deo tribuenda, ut Apoſtolus monet:* Gratias agentes ſemper. *Epheſ.* 5.
§. III. *Gratiarum actio pro incolumitate tum corporis, tum animi.*
§. IV. *Commendatur religioſiſſimus ritus agendi gratias, poſt refectionem.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Gratias agens. Marc. 8.

MEDICORUM *a* Princeps Galenus, in corpore humano se comperisse asseverat ossa supra ducenta: quorum singula ad quadraginta scopos, seu requisitos usus complectantur; adeo ut facile octies mille scopi, seu operationes perquam diversæ in solis ossibus adducendis, explicandis, commovendis, dimovendis considerari queant. Quid? quod longa rerum experientia docta posteritas, longe plures adinvenit, dum clarissimus Doctor Viringus asserere non dubitavit, quodque ossiculum quantumvis exiguum, functiones octoginta supra ducentas exercere, quæ illius calculo universim ad 56000. id est, quinquaginta sex millia excrescerent.

Musculos vero idem Galenus, longos, breves, latos, angustos, crassos, tenues, rectos, curvos, acutos, obtusos, teretes, planos, angulosos; figura simplici, multiplici, alios super alios, juxta alios, in directum, in obliquum, in transversum, stupendo prorsus artificio dispositos, quorum beneficio singula membra suum motum obtinent, ad 600. enumerat, quorum singuli 10. scopos habeant, ac proinde in nudis musculis, sex millia variarum functionum seu operationum reperire est. Quibus tandem hæc subdit: *Eadem ars circa omnia viscera existit, & omnino circa quamlibet partem; adeo ut si quis structuræ scopos consideret, in aliquot myriades eorum multitudo excrescat.* *b* Quæ omnia ubi expertissimus hic Doctor in anatomia corporis humani attentius contemplatus est, usque eo omnium membrorum symmetriam, ossium compagem, musculorum ac nervorum commissuras, totiusque hujus fabricæ structuram admiratus est, ut attonito similis exclamarit: Laudent alii Deos suos thure & victimis, ego hujus tam stupendi operis auctorem laudabo stupore & admiratione.

a Galen. lib. de format. fœtus. Lessius de providentia lib. 1. c. 2. num. 66.

b Gal. cit.

§. 1.

Ejusmodi sacrificium laudis seu gratiarum actionis, Deus à nobis jure postulat.

ISaiæ 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Minime vero; *sed immola Deo sacrificium laudis.* Nostis quod istud sacrificium? cujusmodi hostia immolanda sit? non alia, teste Augustino, quam gratiarum actionis. *c Quod est sacratius,* inquit, *laudis sacrificium, quam in actione gratiarum?* Et libro de spiritu & littera cap. 11. *Cultus Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde in ipso*

c Aug. lib. 1. contra adversarium Legis & Prophet. c. 18. to. 6.

t *verissi-*

UVA. BHSC. BU 02224

verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur. A quo sacrificio gratiarum, nemo hominum expers, nemo offerendi immunitatem, nemo hostiæ defectum in excusationem adferre potest. Philo ille Alexandr. lib. de Plantatione Noë: *Omnis*, inquit, *virtus sancta est, gratitudo vero sanctissima.* & statim monet eam non in externo apparatu, sed interno affectu exhibendam: *quam non legitime Deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificiis, donariisque sacrificiis: nam ne totus quidem mundus ad templum in honorem ejus suffecerit; sed præstat eum laudibus, hymnisque colere.* Tum subdit quamdam cedro dignissimam (ut *a* Mendoza noster loquitur) relationem: Deum nempe, cum absolutissimum illud orbis universi opus molitus esset, interrogasse quemdam è Prophetis, num deesse quid videretur? eumque solerter respondisse, desiderari *laudatorem*, qui opera à Deo facta vel enarrando sufficienter laudaret: *Ipsam enim enarrationem operum Dei, laudem esse sufficientissimam, nullo egentem auctuario.* Quod per cæleſtes illos choraulas diserte factitatum ex illo Iobi colligere est: b *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, & cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* seu, ut est in Hebræo, *omnes turbæ Angelorum?* quibus Angelorum matutinas psallentium choris, ut ne abesset is qui luctabatur cum Iacob, dixit: c *Dimitte me; jam enim ascendit aurora.* Ut notat Lyranus, *Tempus est ut cantent Dei laudes cum aliis Angelis, & ideo non debes me amplius tenere, & impedire à laude Dei.* Quos hic in turris æmulantur Religiosorum chori, qui in horas singulas plus vice simplici decantant *Deo gratias*, nil aliud corde, nil ore versant quam *Deo gratias.* Hunc sacratissimum ritum cum quosdam fugillare adverteret Augustinus, sic in eos invehitur: d *Vtinam illi milites Christi essent, & non milites diaboli, à quibus plus timetur* DEO GRATIAS, *quam fremitus leonis. Hi etiam nobis insultare audent, quia fratres cum vident homines, dent* DEO GRATIAS. *Quid est, inquiunt,* DEO GRATIAS? *an non debet frater* DEO GRATIAS *agere quando videt fratrem suum? an non est locus gratulationis quando se invicem vident, qui habitant in Christo?* An non debet parens Deo gratias agere, quoties videt uxorem ac liberos charissimos? quoties videt filias naturæ & cæleſtis gratiæ donis locupletatas? quoties videt filios ingenio pollentes, in gymnasiis præcellentes? Ad dignitatis apicem contendentes? an non debent liberi Deo gratias agere, quoties vident parentes, quibus nunquam pro beneficiis acceptis, & quæ indies ex omni eorum cura, labore, sudore percipiunt, solvendo sunt? ut recte Aristoteles dixerit: Deo, parentibus ac præceptoribus, nullæ unquam sufficientes gratiæ reddi possunt. Unde monet D. Basilius: e *Si quando lætius arridet vitæ institutum, illam depromamus Davidis vocem: Quid retribuam Domino? ex nihilo efficit ut essemus, &*

c Mendoza lib. 1. Reg. c. 2. annot 14. sect. 1. b Iob. 38; c Gen. 32.

d August. in Psal. 132. e Basil. hom. 5. in Iulittam martyrem.

pre-

UVA. BHSC. BU 02224

produxit. Quid retribuam Domino? parentibus Christianis nasci fecit. *Quid retribuam Domino?* victui ac vestitui necessaria suppeditavit. *Quid retribuam Domino?* hæredem regni cælestis constituit. *Quid retribuam Domino?* nihil quidquam, inquit Doctor mellifluus, præter actionem gratiarum: a *Verus benevolus amplius non requirit. Danti rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit.* Hoc præ cæteris homine, in quem beneficium contulit, quasi jure naturæ postulare videtur, ut se gratum exhibeat: b *Nos quoque* docet Chrysostomus, *à pauperibus nihil aliud requirimus, quam laudem & gratum animum, & accepti memorem beneficii.* Quod si nos sola gratitudine beneficia vendimus, quanto magis Deus, qui bonorum nostrorum non eget? Quod cum divino Spiritu edoctus esset Regius Psaltes, profusam illam in se Dei munificentiam expendens, anxius hæsit quid pro immensis in se collatis beneficiis, referre posset. Pedum in sceptrum, caulam in aulam, rusticum in Regem converterat, quid retribuet Domino? c *Laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.*

a Bern. epist. 181. b Chrysost. in Ps. 41. b psal. 145.

§. II.

Perpetua gratiarum actio Deo tribuenda, juxta illud Apostoli: d Gratias agentes semper.

PRæclarum illud quod à Religiosis S. Columbani in Luxovienſi monasterio usurpatum fuisse comperio, in quo ea Religiosorum multitudo fuisse perhibetur, ut continuo sibi invicem succederent chori, nullo die noctuque intervallo à divinis laudibus relicto. Excitavit hic Deo laudes continenter decantantium ordo, Albertum & Ernestum Saxoniæ Principes, qui Ecclesiam Misnensem sic instituerunt, ac annuis reditibus dotarunt, ut perpetuus diurno nocturnoque tempore chorus haberetur, cælestium spirituum concentum, qui nunquam à divinis laudibus cessant, proxime referendo. Quod ut quæque Religio præstare par non sit, Ecclesia certe cælestem illam harmoniam jugi gratiarum actione æmulatur, in quod Theresia & Ignatius collimasse videntur, qui dum diem noctemque concinendis Deo laudibus ab aliis Religiosis ordinibus sancte dispartitam intelligerent, hæc horam decimam dumtaxat vespertinam, ille quartam matutinam à nullis occupatam, avide arripuerunt. e Imo in hac minima Societate nostra animadversum est, quod omni hora diei noctisque, Deo sacrificet.

Olim Deus ad Moysen Levit. 6. *Ignis altari semper ardebit.* Quem locum Philo Alexandr. libro de victimas offerentibus expendens, *Merito*, inquit, *ut equidem arbitror: nam quia perennes Dei gratiæ non deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctuque fruendas se præbent nobis hominibus. Gratiarum actionem hæc*

d Ephes 5.

e Ita horologium in imagine 1. Sæcul. pag. 319.

UVA. BHSC. BU 02224

ſacra flamma figurat, ſemper inſtaurandam, ne quando extinguatur; ut quam perennis eſt in homines divinarum gratiarum largitio & profuſio, tam perennis ſit in Deum humanarum gratiarum actio & redhibitio: & ſicut illa nunquam interquieſcit, ita & hæc nunquam intermittatur. Quod in Soliloquiis ſecum expendit divinus Auguſtinus, dicens: a *Sicut nulla eſt hora vel punctus, quo tuo beneficio non utor, ſic nulla debet eſſe hora, qua te non habeam ante oculos*, qua non jugiter cor & lingua tibi grates refundat. Quoties halitum ducimus, toties ad Deum, cujus munere fruimur, reſpirare debemus, b *in omnibus*, ut Paulus hortatur, *gratias agentes*. Dum mane ſalvi & incolumes cum omni familia expergiſcimini, vel cantus avium ad concinnendas Deo laudes vos inſtiget, ut c Ioannes Baptiſta Vitellius Fulginas pie obſervavit: erat is octagenario major, nudo aſſere cubare ſolitus; tanto tamen charitatis ardore æſtuabat, ut lodicem non ferret. Accidit ut aviculam voces humanas conantem audiret in hæc verba: *Laudetur Deus:* hic enimvero exclamavit: *O nos ingratos! alites laudant, homines injuriis afficiunt*. Ejuſmodi ſuaviſſimos monitores indies ſub auroram habemus, ut Ambroſius loquitur: d *Surgente & occidente die, ſuos cantus inſtaurare conſuerunt, ut decurſi vel adoriendi temporis laudes, ſuo referant Creatori.* Dum domus veſtræ penuaria, omnique copia, abundantia luſtratis, *in omnibus gratias agentes.* Solaria hordeo, tritico referta videtis, *in omnibus gratias agentes.* Arcas auro & argento oppletas intuemini, *in omnibus gratias agentes.* Nam ut recte Seneca: e *Si pecuniam tibi aliquis donaverit, in arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleverit, beneficium vocabis. Tot metalla defodit in uſus humanos, quorum tot millia in ſinus tuos effudit*, & nec beneficium agnoſcitis. Atria periſtromatis, aulæis, aliaque pretioſa ſupellectili adornata ingredimini, *in omnibus gratias agentes*. Etenim, ut idem Philoſophus arguit, *Si domus tibi donetur* (aut fundus hæreditate obvenit) *num mediocre munus vocabis? Et cum iſta quæ habes magno æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te judicas. Unde tibi iſtum quem trahis ſpiritum? unde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis atque ordinas, lucem? unde ſanguinem, cujus curſu vitalis continetur calor? unde iſta palatum tuum ſoporibus exquiſitis ultra ſatietatem laceſſentia? unde hæc irritamenta jam laſſæ voluptatis? unde iſta quies, in qua putreſcis & marces? nonne ſi gratus es, dices:*

——f *Deus nobis hæc otia fecit:*
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram.
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Si peregre profecti, prædium ſuburbanum, campos armentis, horrea frumento referta contemplemini, *in omnibus gratias agen-*

a Aug. Soliloq. c. 18. b Ad Coloſſ 3. c P. Rho exempla virtus. l. 1. c. 1, ſect. 3. d Amb. l. 4 hexam. c. 12. V. Fuſe ſerm. 43.

e Seneca l. 4. de benef. cap. 6. f Virg. Ecl. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

agentes. a *In qua referenda* (si modo Tullio credemus) *imitari debemus agros fertiles, qui plus multo adferunt, quam acceperunt.*

Hanc nos in omnibus natura ipsa docet gratitudinem: cælum pluviam & rorem in terram diffundit, quem terra rursus per vapores remittit. Sol amœnissimis viridariis calorem impertit, derepente flores ac herbæ, *soli panduntur amori*. Pastor oves pascit ac tuetur, at ipse ab illis pascitur, & vestitur. Mare omnibus fluviis aquas affluenter suppeditat, & rursus, ut Eccles. ait, b *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum unde exeunt revertuntur flumina ut iterum fluant.* Quo alludens Chrysostomus: c *Deus* inquit, *exigit à nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat; sed ut quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus majoribus subsidiis*; ita boni omnia quæ à Deo exeunt, ad eundem per gratitudinem referre consueverunt. Si è Magistrali cathedra implexa Theologiæ argumenta dilucide explicarint, si è sacro suggestu apte differuerint: si doctrina sua heterodoxos ab errore, improbos in viam virtutis reduxerint, si quid in se ingenii, eloquentiæ, aut gratiæ elucere deprehenderint, id totum ilico in auctorem refundunt; quo fit ut uberius fluenta gratiarum ad eos revertantur, ut expertus, loquitur Bernardus: d *Si copia aquarum secretis & subterraneis recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus, ususque nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales rivi ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, sine intermissione reddantur? ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Qualiter inquis? qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes.* e *Quidquid gratiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ deputa.* Ac tandem concludit: *Felix ille qui ad singula dona gratiæ, redit ad eum, in quo est plenitudo gratiarum.* Hæc hactenus de gratitudine generatim ac universim Deo referenda: nunc de quibus speciatim ac sigillatim grates agendæ sint, videamus.

a Cic. lib. 1. de offic. b Eccl. 1. c Chrysost. hom 8. in epist. ad Coloss. d Bern serm. 13. in Cant.

e V. Nigron. ascetica tract. 7.

§. III.

Gratiarum actio pro incolumitate tum corporis, tum animi.

OPtime *f* Tympius subnotavit, tot in corpore humano membra censeri, quot dies in anno sunt, id est, 365. idque non absque singulari numinis providentia, ut pro singulis, minimum in dies singulos Deo gratias agat, & cum Psalmista exclamet: g *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* Ex Galeno discere potestis stupendam corporis fabricam innumeris venis, arteriis, musculis, ossibus, nervis compactam, in eaque, ut Lessius docet, h *nihil frustra, nihil redundans, nihil minus*

f Tympii alcedonia c. 23. g Psal. 34
h Less. de provident. l. 1. c. 2. n. 65.

UVA. BHSC. BU 02224

quam oporteat, nihil non neceſſarium, vel maxime expediens ad ſuum finem; adeo ut ſi vel minimum huic abeſſe contigerit, tota machina diſturbari ac collabaſcere videatur. Ubi hoc mirandum & indignandum occurrit, quamdiu homines firma corporis valetudine perfruuntur, nihildum ſibi beneficii à Deo impertiri æſtimant, imo ne accepti meminerunt; at vero ſi febri hectica, ſi diuturna quartana; ſi podagræ, calculi, colicæ, capitis doloribus, ſi mortis faucibus eripiantur, mille vota, mille voces in laudes, in gratiarum actionem reſolvunt, quaſi pluris ſit poſt acerrimos eoſque diuturnos morbi dolores, ſanitatem ægro reſtituere, quam eandem integram illibatamque per annos complures conſervare; & non magis innocens ad actionem gratiarum, quam pœnitens teneatur, ut D. Thom. & Leſſ. *de jure lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 2. Fuit qui elegantiſſimum horologium amico ſuo ſingulari dono dedit, à ſe perquam perito artifice adeo concinne elaboratum, ut nuſquam uſquam adhæreſcat, aut in minimo exorbitet: alterum vero alteri familiari ſuo donavit, ſed quod artificio non parum priori concedat: unde hanc ſuam benevolentia plenam operam addixit, ut quoties hærere aut hallucinari contingeret, ſuo ſumptu ac impendio, omninoque gratis ſe correcturum. Hic nunc quæritur, uter horum majus ac præſtantius munus acceperit? indubie prior, cujus horologium omnis vitii & erroris prorſus expers fuiſſe comperitur. Et tu minoris feceris ſi ſummus ille rerum omnium opifex Deus, corpus tibi inſtar horologii tam ſcite effinxerit, ut per omnem vitam omnia in eo ita decurrant ac devolvantur, ut nec in dente, nec in nervo, nec vertebra aut parte minima, vel leviſſime hallucinari deprehendantur; ubi tamen vel levis ſpiritus intercluſus, vel exigua gutta, aut arenula, omnem omnium partium curſum ſufflaminare poſſe in compertо eſt. *a* Sunt tibi triginta duo dentes, nec ullus hactenus corroſus, nullus unquam doluit: manus conſtant officulis vicenis, totidemque pedes, nec ullum hactenus contortum aut contuſum fuiſſe, artifici acceptum referre dedignaris; in uno oculo *b* Galenus centum & duodecim morbos computat, nec unum te uſque antehac incurriſſe, divini muneris eſſe non agnoſcis. Intolerandam hanc mortalium ingratitudinem incuſat Bernardus: c *Si quis*, inquit, *oculorum lumen amiſſum tibi reddidiſſet, ſi uſum aurium, ſi quis manuum reſtituiſſet: ſi quis pedem tibi præpeditum reparaſſet, ſi quis ſopitam in te excitaſſet rationem, quomodo non quicumque tibi vehementiſſime ſuccenſerit, ſi quando forte beneficii hujus immemorem aut benefactori deprehendiſſet ingratum?* Ecquis æſtimet hæc ſibi erepta non eſſe? ecquis grates referat per annos complures nullo corporis membro quemquam in numeroſa familia affici, ne minimo morbo aut dolore conflictari? cum è contra cruciatus graviſſimus ſit,

a Leſſ. de providenr. l. 1. c. 2. n. 65. *b* Galen. in introd. c Bern. ſerm. 14. Pſal. Qui habitat.

filios

UVA. BHSC. BU 02224

filios morbidos, epilepticos, luſcos, fatuos genuiſſe, mortuos in lucem effudiſſe. Sed fit ut Oleaſter queritur: a *Non niſi miraculoſa Deo damus, neque illi accepta ferimus beneficia naturæ.* Si quis odontalgia laborat, in qua medicorum parum valet induſtria, quod votis, & ſacris anathematis D. Apolloniam obteſtatur? opem ejus expertus, quotannis profeſtum jejunio, diem ipſum pietatis exercitiis conſecrat, nec unquam beneficii memoria obliteratur. Si quæ mulier pectus exeſum habeat, & D. Agathæ patrocinio integritati priſtinæ reſtituitur, quanta in animo exultatio, quæ gratulatio, quanta gratitudinis in Virginem ſignificatio? Ita & cætera corporis animique bona, magis carendo quam fruendo æſtimare ſolemus. b *Vt enim oculi,* inquit Baſilius, *quod juſto propius admotum eſt, non vident, ſed opus habent moderata diſtantia; itidem animos minus gratos videmus ſenſu attingi prærepta gratia, dum privatos ſe intelligunt prærogativa bonorum.* Ex his ſanctiſſimi Patriarchæ Franciſci diſcipulus, Frater Ægidius cujuſdam ſæcularis ingratitudinem convicit: Incidi, inquit is, in hominem manibus & pedibus truncum & oculis orbatum, quem benigne percunctatus ſum: Si quis ea tibi reſtitueret, quid tu illi reponas? Servum, inquit, perpetuum me illi conſecrarem. Tum ad hunc divitem converſus: Deus tibi oculos & manus & pedes, cæteraque corporis membra integra ac illæſa tot annis ſervavit, & iis abuteris in contemptum Creatoris. O ingratitudinem non ferendam! ô inhumanitatem barbaram! refert c Seneca de beneficiis, militem quondam Philippo Macedonum Regi per charum ac ſtrenuum, ſed ſordidum, naufragio ejectum in agrum cujuſdam Macedonis, à quo gratias & humaniſſime acceptus eſt homo, cæterum ignotus: miſer peregrinus. Nam Macedo in villam ſuam eum tranſtulit, lectulo ſuo fovit, affectum ſemianimemque recreavit diebus 30. impenſis ſuis curavit, refecit, viatico inſtruxit, ſubinde dicentem ac promittentem: *Gratiam tibi referam, videre mihi tantum Imperatorem meum contingat.* Cum ergo abiiſſet, narravit Philippo naufragium, auxilium tacuit, & protinus petiit prædium hoſpitis ſui; illius, inquam, ipſius, à quo tam benigne habitus fuit, nec petiit ſolum, ſed & impetravit. Tulit injuriam tacitus vir, ſed Philippo per epiſtolam ſuggeſſit, ſe eum eſſe qui naufragum illum militem hoſpitio acceptiſſet. Quo intellecto ira exarſit Rex, & ſtatim Pauſaniæ mandavit, ut bona priori domino reſtituere. Cæterum improbiſſimi militis dorſo ſtigma hoc inſcriberet: *Hic ingratus hoſpes eſt.* Si hodierna die hæc nota ingratitudinis iis omnibus inureretur, qui benigniſſima Dei manu naufragio, igni, morbis, morti erepti, per nova flagitia Servatorem ſuum, quod longe crudelius eſt, in crucem rapere non verentur, profecto complures hoc infami ſtigmate inſignes notarentur. Quam fœdiſſimam notam ne & nos incurramus

a Oleaſt. in Gen. c. 4. v. 1. b Baſil. hom. 5. in Iulittam. Mart.

c Senec. l. 4. de Benef. c. 37.

UVA. BHSC. BU 02224

consilio Bernardi, a *nulla Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Iubemur colligere fragmenta ne pereant: id est, nec minima Dei beneficia oblivisci.* Ad quod conducet ea in brevem elenchum ex Lessio con-
„trahere; qui sic ait: *b* Consi-
„randa sunt Dei dona in seipsis
„quam magna, quam varia,
„quam innumerabilia, sive quæ
„ad animam, sive quæ ad cor-
„pus pertinent: omnes enim
„creaturæ vel conditæ sunt
„propter hominem, vel beni-
„gnitate conditoris serviunt ho-
„mini, ut eum dirigant ad salu-
„tem. Et hæc omnia externa
„sunt. Iam interna omnem æ-
„stimationem superant: præter
„enim integritatem corporis &
„sensuum, quorum nullum vel
„cum regno amplissimo com-
„mutare velis, dedit animam
„immortalem, capacem vitæ æ-
„ternæ; dedit vim intelligendi,
„qua totum mundum & ipsum
„Deum pulcherrime in te de-
„pingas, & vim amandi, qua o-
„mnes virtutes atque adeo Dei
„amicitiam omnis boni super-
„naturalis fontem consequaris,
in filium, in hæredem regni co-aptavit. Adhæc jacentem in peccatis & reum æternæ mortis, gratia sua excitavit & erexit. Hoc autem beneficium remissionis peccatorum tantum est, quantum malum est mors æterna. Eadem gratia ab innumeris peccatis servavit; nam ut recte Augustinus, *non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo. Vt adulterium non committeres, suasor defuit; ut deesset ego feci. Non defuit suasor, sed locus, sed tempus defuit; ut deesset ego feci; ut non consentires ego feci.* Sic non est morbus corporis quo laborat homo, quin & te corripere posset, ni Deus servaret; hoc cogita quories miserum vides. Denique quod omnem vincit admirationem, reliquit nobis SS. corpus & sanguinem cum anima, dotibusque ejus omnibus, cum unione hypostatica, & divinitate, Eucharistiæ Sacramento contenta. *Hæc*, inquit, *si quis attente consideret & expendat, abyssum beneficiorum inveniet*; potissimum ubi hæc omnia præstita indignis, ingratis & supplicio dignis agnoverit. *c* Laudatur in eo gratus animus Alphonsi regis Aragonum, de tribus maxime sibi à Deo collatis incessanter gratias agentis, *quod hominem, quod Christianum, quod inter Christianos regem fecerit.* Et Plato ille gentilis gratias agebat naturæ seu Deo, quod homo, quod mas, quod Græcus, quod Atheniensis, quod tempore Socratis, natus esset. An minoris hoc forte ducendum est, quod te Catholicum, quod Religiosis Magistris tradiderit, peccatorem æterno incendio eripuerit, sacra synaxi toties refecerit, civem Sanctorum, hæredem regni constituerit? & quod instar omnium est, sua morte, te vita donarit? Quare b *memento jam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at vero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ.* Unde idem Bernardus *serm.* 20.

a Bern. serm. 51, in Cant. b Lessius de Jure, l. 2, c. 47, dub. 2.

c Æneas Sylv. de dictis Alphon. d Bern. serm. 11, in Cant.

10-

UVA. BHSC. BU 02224

loquens de opere Redemptionis: *Hoc*, inquit, *est quod nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.* a Hæc enim omnia, ut jure Leſſius concludit, tanta ſunt, ut ſi quis ea diligenter expenderit, infinita quadam obligatione, & immenſo debito ſe obſtringi Deo, tum ad perpetuam & humillimam *gratiarum actionem*, tum ad vitam ſuam divino obſequio penitus conſecrandam, & honorem ipſius omni induſtria promovendum, fateatur neceſſe eſt. Etſi enim tantum laboravit pro gloria Dei, quantum Apoſtolus Paulus, nondum tamen milleſimam divinorum beneficiorum partem exæquavit.

a Leſſ. de jure l. 2, c. 47. V. De perfect. divin. l. 12. c. 18, & 19.

§. IV.

Commendatur Religioſiſſimus ritus agendi gratias, poſt refectionem.

FIda narratione accepi Albertum Belgarum Principem cuidam viro nobili, quem inaudierat Martis infortunio ad extremam penuriam redactum, indies è menſa duas treſve lances optimis eduliis inſtructas, per ſervum peregrinum deferri curaſſe: cui hoc in mandatis, ne unde cibi ſubmitterentur indicaret. Hæſit vir nobilis ad primos miſſus attonitus; at dum die inſequenti, & tertio, & hebdomadis, & menſibus, & annis, quibus vixit, deferrentur, incredibile quale hominem tenuerit deſiderium, munificum illum largiorem cognoſcendi; id unum veritus ne ingratus moreretur: norat ſiquidem probe illud Aurelii Antonini Imp. *Ingratum mori, eſſe mortem maxime infamem.* Quis noſtrum hoc veretur? quis non ingratus in Deum moritur? nullum ferculum menſæ infertur, quod non à regia ejus menſa, & munifica manu ſubmittatur: panis, piſcis, caro, condimenta, quibus veſceris, Dei munus ſunt: cereviſia, vinum, potus omnis quo reficeris, affluenter ab eo ſuppeditantur; quod vel gentilis præclare expendit: b *Neque enim neceſſitatibus noſtris proviſum eſt, uſque in delicias amamur, tot arbuſta non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum per totum annum digeſtæ. Iam animalia omnis generis alia in ſicco ſolidoque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime demiſſa; ut omnis rerum naturæ pars, tributum aliquod nobis conferret.* Pro quibus omnibus unam à nobis gratiarum actionem, jure ſuo Deus poſtulat: ubi ipſi barbari nobis ruborem incutiunt. Turcæ imprimis bene longas orationes cœnis ſuis admiſcent, variis cum geſticulationibus & ritibus. Calacutenſes non prius accumbunt, quam ſacrificuli quaterni precibus fuſis cibos ſacrarint idolo ſuo, ut teſtatur Ludovicus Romanus. De Hebræis res manifeſta eſt, & probata exemplo Samuelis 1. Reg. 9. & alibi. De antiquis Chriſtianis Tertull. c *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. Æque oratio convivium dirimit.* Ad hoc nos exemplo volucrum hortatur:

b Senec. l. 4. de Benef. c. 5. c Tertull. Apolog. c. 39.

t 5 Ambro-

UVA. BHSC. BU 02224

Ambrosius: a *Aves*, inquit, *propter vilissimas escas, gratias agunt, tu pretiosissimis pasceris & ingratus es.* Gallinæ hic nobis & columbæ scitum gratitudinis symbolum referunt: videre enim est ubi granum, guttamve rostro admiserint, ilico caput in cœlum sustollere, quasi largitori grates acturæ, cui quis, ut putavit non incongrue, illud Psalmistæ subnotavit, b *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Cujus rei veritatem Hebronensis Præsul illustravit, expendens illud Cantici, c *Oculi tui columbarum: Columbæ oculi denotant grati animi significationem: velut enim columba* (aut Gallina) *ad singula tritici grana quæ deglutit, oculos in cælum levat: sic nos ad singula Dei beneficia, oculos mentis in Deum attollere debemus, in omnibus*, ut Paulus monet, d *gratias agentes.* Quod & altera dilucida similitudine declarat: Solares radii speculo repercussi, majorem calorem refundunt; ita & nos Dei beneficia in nos collata, in ipsum referamus. Quod quam Deo gratum sit, ex illo Chrysostomi colligere licet: e *Opus est nos & mensam petentes, & desistentes, Deo gratias agere* (fructum attendite:) *mensa namque ab oratione sumens initium, & in orationem desinens, numquam deficiet, sed fonte largius, omnia nobis afferet bona.* Atque hanc unam gratiarum actionis orationem, *Retribuere, dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus vitam æternam*, pro quantumvis opipara refectione, abunde satis pretii esse,

a Amb. serm. 41. b psal. 109. c Cant. 1. Fornerus in Miserc con. 71. d Ad Colos. 2. 1. Thess. 5. e Chrysost. hom. 79. ad popul.

luculento testimonio comprobatum est: *f* accidit enim ut Bernardus Pallius Capuccinæ familiæ columen olim, & præsidium ingens, quum ab hospite meritorio, satis benigne acceptus, quid persolveret, non haberet, precaturum se solenni Ecclesiæ carmine dicebat: *Retribuere, dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus vitam æternam.* Ad has voces nihil de suo jure remittere caupo, sed irasci, furere. Bernardinus ubi accurrere turbam vidit, haud dubio divinitatis instinctu, ipsum precationis carmen descriptum cauponi tradens, jubet cum argento quod poscebat, appendere in bilance, præponderaturum; quod quamvis caupo ut vanum irrideret, multis demum precibus tenuit, ut faceret. Mira fides, depressit lancem brevis chartæ plagula, sublato ultro argento, ac sæpius ad examen suspensa & revocata, idem constanter fecit. Tum caupo sacro quodam perfusus horrore, sancte vovet, se abiis qui eodem carmine à cœna uterentur, hospitii aut epularum mercedem non accepturum. Plusculi abierant dies, nec quisquam tam religiosus eo diverterat, qui hominem voti reum faceret. Cum forte fortuna purpuratorum Patrum unus, cum tota dignitatis suæ mole illac iter habens, apud hospitem meridiari, ac prandere voluit. Enimvero homo qui hæreditatem obvenisse putabat, discurrere, omnia laute atque dapsiliter parare, convivium largiter instruere. At ubi exempta fame Cardinalem

f Rho variæ virtutum historiæ de Religione lib. 3. c. 11. sect 4.

solem-

UVA. BHSC. BU 02224

ſolemni more, notaque precatione cum ſuis *Deo gratias* agentem audivit, tum ſe naufragium feciſſe credidit, damnavitque ſero intempeſtivam lautitiam : ſtetit tamen ſententia voti fidem non frangere ; itaque mox œconomo argentum numerare volenti ; quamquam mœſtus, pretium omne remiſit, neque ullis precibus ut vel obolum acciperet, potuit expugnari. Admonitus Cardinalis, hominem ad ſe accitum diligenter interrogat ; ac paucis totius rei geſtæ ſeriem audit, voti hunc religione, ab accipiendo pretio impediri. Obſtupuit inſolita hominis hujuſmodi pietate ſapientiſſimus princeps, & collaudata conſtantia, neque Deum illi defuturum, neque ſe beneficio velle vinci pollicetur: quod cumulate præſtitit ; nam in Urbem reverſus, optimum hoſpitis filio beneficium curavit, ex quo aliquot centena aureorum annua id illum jure quam optimo redirent. Simile quid & jam vulgatum de S. Antonio legere eſt. Quis nunc ambigat veriſſimum illud Hipponenſis Præſulis pronuntiatum: a *Quid melius animo geramus, & ore promamus & calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audire lætius ; nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.* Hauſerat hoc *b* Patriarcha noſter Ignatius, quidum menſæ benediceret, aut ea ſublata gratias ageret, ita accendebatur interius, ut quodammodo facies ejus igneſceret. Unde mirum non eſt, inquit *c* Lancicius, P. Mutium Generalem an. 1620. 19. Decemb. dediſſe graviſſimas literas ad omnes Societatis Provinciales, quibus eis commendat exſtirpationem quorumdam in Dei cultu defectuum, quos inter ut preces, quæ in benedictione menſæ, & gratiarum actione dicunt, ut attente, diſtincte pieque recitentur.

Interim quid oſcitantium jam, quam grates perſolvuntur? Qui Religioſiores habentur, adhuc inter confabulandum ſigno crucis ſe muniunt, & in promptu has breves formulas quaſi deridiculo proferunt : *Qui ſedet ſupra pinnaculum, benedicat hoc jentaculum. Deo gratias, qui nos ſic ſatias, cras iterum facias. Hæc & plus benedicat Dominus. De tali eſu, laus ſit* IESU. atque hæc de millibus unus ; d *plurimi* enim *de genere mundanorum*, inquit Athanaſius, *ut amentes, & ut bruta animalia pabulum capiunt*; qui à menſa referti ad lectum, velut ſus ad volutabrum ſe recipiunt. In hos inſurgit Chryſoſtomus : e *Tempus poſt menſam, tempus agendi gratias eſt. A menſa* (à cœna) *non ad lectum, ſed ad deprecationem verſamur, ne brutis animantibus ſimus magis bruti.* Similitudinem alibi non ineptam à porcis deſumere videtur, in quibus non ſemel animadverſum eſt, dum ſub quercu glandes colligunt, in paſtorem ſuum ne ſuſpicere, tum ad ſuos converſus: f *Audiant quicumque velut porci ſimpliciter manducantes, cum ebrietate ſurgunt, cum deceret gratias agere, & in hymnum menſam deſinere.* Quam conſue-

a Aug epiſt. 5, b Ribad. in vita lib. 5. c. 8. c Lancicius opuſc 5. c. 7.

d S. Athan. reg. de conſen. vir. e Chryſ. ſerm. 1. de Lazaro. f Chryſ. hom. 63. in Matt.

UVA. BHSC. BU 02224

tudinem gratiarum, quo Ecclesia suaviter induceret, statuit a Concilium Moguntinum, & deinde Honorius Papa, indulgentias iis impertiendas, qui post actionem gratiarum biberent, ut vel sic mos ille rursus in animos hominum influeret. Hinc apud quosdam illud ventilatur: b *Beuvons une fois apres la grace, pour les pardons du Boniface.* quamvis inter Christianos, lex illa supremi legislatioris sufficere deberet, Deut. 13. *Ut cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Protulit S. Paulus 1. ad Corinth. hoc præceptum: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis. omnia in gloriam Dei facite* c Ex quo testimonio Dominicus de Sancto Geminiano, celeberrimus Iurisconsultus infert, *quod non benedicentes mensam, & post prandium gratias non agentes, videntur peccare mortaliter.* Sylvester, Angelus, Navar. ut minimum veniale putant; quos consule: ego, d *ne*, ut Seneca ait, *in aliam disputationem ex obliquo abeam*, unam in documentum tragœdiam induco, & concludo. Exemplum, inquit e Delrio, dabo, quod etsi recenti fere memoria multis notissimum, sine horrore tamen nequit commemorari. Loci nomen taceo. In Flandriæ comitatu, fatalis locus visitur. Tres illis degebant, re ganiones: sua cuique erat: quadam die in seram noctem comportatione protracta, unas cui mica religionis supererat, Sat ait Bacho, ventrique datum, *Deo gratias*, saltem. Ego vero, subinfert alter procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur. Et cum risu mensa relicta, ruitur in cubilia. Singuli cum scorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi janua reserata, dæmon magni & atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli, obambulat & lectos circumspicit torvo vultu; deinde horrenda voce: Ubi qui mihi gratias egit? adsum, referam. lecto abstrahit pavitantem, & ferme præ metu animam efflantem. Traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probe assari. Parent prompte, assatur infelix, emoritur planissime, ceteri fere præ formidine; corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites, sub stragulis trepidantes vix viros, Digni vos etiam ait pari supplicio, nec deest voluntas mihi; vetor vi majori, invitus abeo & moneo resipiscite, aut manent terribiliora. Disparent larvæ, nec tamen his aliis animus rediit vel vox, nisi clara jam luce. Ubi surrexere, collegam inveniunt mortuum, & ne visum inane putes, plene assum. Scio, inquit, locum, sed silentio involvo. Adeo in ingratum, non in alios ganiones, divina nemesis horrende animadvertit.

Hi, ut Isaias queritur, f *ebrietatem sectantur, potant usque vesperam, vino æstuant, & opus Domini non respiciunt, & opera manuum ejus non considerant*, priusquam in

a Lorichius in summa Theolog. V. Benedictio. b P Nicolaus de S. Theres. quæst. curieuses c. 15. q 4 c Nigron. ascet. tract. 7. num. 5. d Seneca l. 4. benef. c. 8. e Delrio disq. Mag. lib. 1. part. 1. q 7s

f Isai. cap. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

manus Domini incidant. Nec Moysen audiunt monentem & dicentem: a *Postquam comederis & satiatus fueris, benedicas Domine Deo tuo.* Quare ne gravissimas ingratitudini debitas pœnas incurramus, assiduo in nos à munifica Dei manu collata beneficia, animo volvamus, quo fiet ut nunquam non ampliſſimas ei grates referamus: cui, ut celeberrimus Theologus *b* Leonardus Lessius docet, nos debemus gratiarum actionem infinitam; nempe infinito tempore in futurum, infinito effectu & significatione gratitudinis, & infinita cum animi demissione; quia beneficia ejus & sempiterna sunt, & infinitæ æstimationis, tum in seipsis, tum ratione modi, quo nobis sunt collata; & nos illis infinite quodammodo indigni. Simili modo debemus illi infinitam laudem & benedictionem, infinitum amorem & obsequium, ob infinitam suam perfectionem; tum quia ipsius beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creaturæ, ea præstari non possit. Infinite itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum. Vt tamen ex parte nostra præstemus quod possumus, animos nostros ad laudes divinas crebro excitemus, & cum Propheta dicamus: c *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius Benedic anima mea Domino & noli obivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum.* Et alibi d *Exaltobo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Tandem concludit, non esse inutilem aut fœmineam devotionem, si desideres ut universa natura tecum & pro te Deū laudet, gratias agat, benedicat, aut ut tu ipse tantum Deum ames & laudes, quantum simul omnes beati in cœlo, vel, si optes tibi mille vitas, mille corpora, quæ in honorem Dei expendas, ut ejus beneficiis aliquo modo respondeas. Sunt enim hujusmodi affectus, etsi, inefficaces, & rei impossibilis, summi meriti & signa summi in Deum amoris ac gratitudinis; quia ex quadam redundantia amoris sequuntur, animo in hujusmodi vota, præ affectus ardore, exæstuante. Sicut enim summæ malitiæ esset tales affectus assumere in malum; ita maximæ charitatis & meriti est, excitare in bonum. Quare valde expedit iis, qui pietati sunt dediti, ut in hujusmodi affectus, & pia vota mentem exerceant. *e* Verum ad hunc non pervenitur nisi attenta divinæ bonitatis, & divinorum beneficiorum consideratione: cui laus & benedictio & gratiarum actio in sæcula sæculorum.

a Deuter. 8 b Lessius de perfect divin. l. 12, c. 19 n. 168. c Psal. 101.

d Ps. 144. e V. Less l. 12 c. 21.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXV.

Non omnis qui dicit *mihi*, *Domine Domine*, *ſed qui* facit. Matth. 7.



NON OPVS EST VERBIS, CREDITE REBVS. *Ovid. 2. Faſt.*

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Non verba requiri, ſed opera, juxta illud Ioan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.*

§. I. *Cujuſque ſolertia non verbo, ſed opere explorari ſolet.*
§. II. Eſtote factores verbi, & non auditores tantum. *Iac. c. 1.*
§. III. *Sacros Eccleſiaſtes, exemplo Chriſti debere prius facere, quam docere.*
§. IV. *Magnanimitas non thraſonicis verbis, ſed factis comprobatur.*
§. V. *Amor in opere: non in verbis conſiſtit.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA SEPTIMA
POST PENTECOSTEN.

Non omnis qui DICIT mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui FACIT voluntatem patris mei. *Matth.* 7.

LYSANDER *a* invictissimus Dux Lacedæmonum, illud non raro usurpare solebat: Duo mihi sunt ruri boves, & ambobus tacentibus bobus, certo perspectum habeo uter eorum ignavus, uter strenuus sit. Haud aliter hominem non ex verbis, sed ex operibus cognosci, an strenuus sit, subindicare volebat. Pervulgatum porro est, ut Doctor Angelicus bos mutus audierit; sed opera illius doctissima, & actus sanctissimi, satis eo tacente, loquuntur.

a Apoph. Lycost.

§. 1.

Cujusque solertia non verbo, sed opere explorari solet.

QVisque domi, filiorum, famulorum, & ancillarum solertiam aut socordiam manifesto deprehendit ex opere, non ex lingua, ut recte Cyprian. b *Habent opera linguam suam, habent facundiam suam, etiam tacente lingua.* Ancillas garrulas, in diverticulis hærentes, obvios appellantes, quis non ignavas duxerit? quid quod cælestis ille paterfamilias, & famulos & ancillas sibi delegerit, non qui verbo, sed qui opere valebant? Mitto Martham & Mariam, quorum hæc internis, externis illa actibus nunquam non distenta fuerit: Ancillam Domini Mariam induxisse sufficiat, de qua dilectus ejus Bernardus: c *In omni textu quatuor Euangeliorum, si bene meminimus, non nisi quater Maria loquens auditur.* 1. ad Angelum, magnum illud *Fiat.* 2. ad Elizabeth, excelsum illud *Magnificat.* 3. ad filium perditum, illud triste quæsitum *Fili quid fecisti nobis sic?* 4. in nuptiis, solicitum illud monitum *Vinum non habent.* Hæc paucis dicta; sed quis facta commemoret? quis demissionis, Religionis, amoris actus numero comprendere posset? qui volet, *d* Suarem consulat, quid etiam dormiendo egerit. Iam vero famulos delegit & dilexit balbos, & prope mutos, ac elingues; inter quos Ieremiam ad functiones sublimes suffecit; *& Prophetam in gentibus dedi te,* ait Dominus. At qualis hic legatus magni Dei? qualis præco? quis orator? non celat infantiam suam, dicens: *A, A, A, Domine Deus, ecce nescio loqui.* parvuli in morem balbutit, nec valet verba formare. Sed facta virum probarunt: *e* Ieremias Sacerdos, Doctor, Propheta & Apostolus, immediate à Deo missus, sub 5. regibus ad annos quin-

b Cypr. bello de dupl. mart.

c Bern. serm. in verba Apocalyp. Signum magnum. *d* Suaren p. 3. in vita Christi disput. 38. sect. 2. Ierem. c. 1. e Cornel. prolog. in Ierem.

que

UVA. BHSC. BU 02224

que & quadraginta prophetavit, à rebellibus Iudæis perpessus probra, alapas, verbera, famem, insuper & vincula & carceres, ac tandem lapidibus obrutus, martyr in purpura triumphavit. Adhæc qualem ducem præfecit Deus electo populo suo, in quo ad sexcenta millia virorum, demptis fœminis & parvulis, censebantur? qualem Imperatorem exercitus contra potentissimos hostes? qualem legatum ad principes & reges terræ? attendite qua facundia præditus Moyses, qui ad Pharaonem à Deo missus, hanc provinciam sic excusat: a *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ego sum.* Audebat Moyses loqui Deo & non regi, quia norat Deum non attendere elegantiam sermonis, sicut homines solent: agebat hic balbus cum Domino familiarissime, b *sicut solet loqui homo ad amicum suum*, eique à secretis intimis esse videbatur. Lingua quidem præpedita, sed manu Moyses expedita erat. Hæc manus mirabilia illa opera patravit in Ægypto: in manu hac forti equum & ascensorem dejecit in mare. Quando hæ manus extensæ, vincebat Israël. Quid multa? hæ manus portentosæ, manus prodigiosæ, manus omnipotentes exstitere. Opera manuum ejus diserte Pentateuchus testatur; ex his, non ex verbis, virum secundum cor Dei fuisse cognoscetis.

c Refert Plinius, dum Rhodi degeret Protogenes, eo Apellem appulisse ut opera ejus perspiceret: qui cum domo abesset, vetula Apellem novum hominem ac sibi ignotum interrogat, à quo quæsitum herum diceret? Ab hoc, inquit Apelles; arreptoque peniculo per tabulam istic conspectam, tenuissimam lineam duxit. Reversus Protogenes, subtilitatem contemplatus, fertur ex opere illico dixisse Apellem advenisse; tum alio colore tenuiorem lineam induxit, præcepitque abiens si hospes rediret, ostenderet hunc esse, quem quæreret. Atque evenit: revisit enim ad eum Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum; at Protogenes victum se fassus, in portum devolavit, hospitem quærens. Mirentur alii pingendi artificium, jactent illud Maronis,

d *In tenui labor est; at tenuis non gloria;*

ego interea demirabor inventum ingeniosissimum, utrique placuisse, se prodere non verbis, aut dato nomine, sed exhibito opere; quo quisque sine errore & certissime cognoscitur: nam, ut verissime Chrys. e *hic syllogismus certissimus, qui per opera efficitur.* Rei testimonium Athenis petamus. Decreverant Athenienses templum Palladi exædificare, cui operi duo primarii artifices adhibiti sunt: quorum alter multis verbis artem ac peritiam suam commendavit: Vidi, inquit, Romæ templum Pantheon, conspexi Ephesi templum Dianæ, lustravi Delphis Fanum Apol-

a Exod. 4. b Exod. 33. c Plin. l. 35. c. 10. d 4. Georg. e Chrys. in 1. ad Cor. ho. 38. lin. 8.

UVA. BHSC. BU 02224

linis, hoc opere Dorico, illud Corynthiaco, aliud Phrygio elaboratum. In talem molem tantum calcis, tantum marmoris, tantum alabaſtri. columnas tantæ altitudinis, ſtriatas, lævigatas, tortas; capitellis ſic cælatis, atque his affinia, plurima congerebat. Quem tandem Domini rogabant, ut opus leviter delinearet, & ſaltem rude ſchediaſma molis exſtruendæ exhiberet. In qua nuda delineatione cum multum hallucinaretur, in proportione, menſura ac ſymmetria digerenda; alter, qui hactenus hominem differentem tacitus audierat, paucis carbone arrepto, rem omnem ſcitiſſime delineavit, hoc unum addens: *Ego faciam quod ille dixit.*

Cuique noſtrum, templum aliquod exſtruendum, artificioſum juxta ac pretioſum, non Dianæ, non Palladi, aut Apollini, ſed vero Deo! a *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Verum complures hodierna reperire eſt; qui hunc primum artificem æmulentur, lingua valeant, non manu; de ſpirituali hoc ædificio copioſe diſſerant, integras conciones referant, quam appoſite hoc à ſacro Eccleſiaſte inductum, quam graphice deſcriptum; hoc vitium quam fervide exaggeratum, injuſtos, adulteros regnum Dei non poſſeſſuros. Cæterum ut reſtituant, ut complicem dimittant, ut manum operi admoveant, nihilo minus agunt. Hos commonet Apoſtolus:

a 1. Cor. 3.

§. 11.

Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum. Iac. 1.

QVam doctrinam hac ſubtili ſimilitudine illuſtrat: b *Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Cornelius hic refert, quod Romæ vir quidam peritus, hanc ſibi quæſtionem moverit: An ſpeculum vim aliquam habeat inducendi oblivionem ſui potius, quam alterius obiecti in eo viſi? Id videri hic ab Apoſtolo innui; at nihil tale ſubeſſe Angelicus Doctor dilucide oſtendit: c *Verbum Dei*, inquit, *comparatur ſpeculo: quia ſicut nihil prodeſt homini vidiſſe in ſpeculo maculam vultus ſui, ſi illam non abſtergat; ſic nihil prodeſt homini audire verbum ſcripturæ vel prædicationis, niſi illud quod audit aure, impleat* OPERE. Illud modo uſitatiſſimum eſt, à concione pro fructu quem opere referre deberent, dicendi ac geſtiendi elegantiam collaudare, quam apte, quam copioſe, quam ornate, quam fervide dixerit; quantæ memoriæ, quantæ eruditionis, facundiæ quantæ deprædicare. Quod tam ſtolidum, tam ſtultum eſt, atque ſi æger poſt medici diſceſſum, cum adſtantibus inciperet admirari Doctoris expertiſſimi prudentiam, peritiam, dexteritatem, facundiam: quod omnia quaſi acuterigerit, naturam morbi vive

b Iac. c. 1. c D. Thom. in c. 1. Iac.

deſcrip-

UVA. BHSC. BU 02224

descripserit, ex Hippocratis & Galeni placitis tam apte differuerit: de cætero, quæ in remedium præscripsisset, de iis ne verbum fieret, nec cura tangeret. An talis convalesceret? non equidem. si omnes medicos orbis sic audierit. Etenim divinos animi medicos, sic indies audimus. Mors & vita pendet à præscripto medici, ut illud opere exequatur, vel non. Quæ si lubet ad animum referamus: Prov. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Quid hoc? lingua concionatoris, manus non habet. Apposite rem exponit Hugo Carensis; *Mors & vita in manibus linguæ*, id est, *in operatione sermonis*: mors & vita animæ in eo, ut opere exequaris quod ad salutem tuam conducere per tot Doctores audivisti. Vbi summus ille paterfam. per concionatorem te admonet, ut reddas rationem villicationis: dic cum villico iniquitatis: a *Quid faciam?* Celebris doctor hic *non dixit, Quid dicam, sed Quid faciam, sciens quia apud Deum plus valent opera virtutis, quam verba facunda, juxta illud Apostoli, Non in sermone est regnum Dei; tum* enim, ut Thomas Kempensis ait, b *plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba*: ut enim terrestris, ita nec cælestis c *replenda est curia verbis.*

Ipsi publicani nos instruant quid facere debeamus. *Lucæ* 3. Publicani quodam die convenerunt Ioannem, & interrogaverunt eum: *Magister quid faciemus?* Hugo Cardinalis apte observat: *Non dicunt Quid dicemus, vel Quid intelligemus, sed Quid faciemus.* Ideo dicit Isaias: d *Discite bene facere. Non dicit: Discite bene dicere, vel bene intelligere; quia licet bonum sit, non tamen sufficit.* Multi porro plures concionies, quinimo Quadragesimas complures à tali Ecclesiaste se audiente factas allegant, cum interim nihil factum probent. e Cujus dicti testem viridicum Davidem induco, qui narrat matremfamilias ex ancilla quæsivisse quo excurrisset? unde veniret? quæ cum reponeret se ex templo venire, concionem factam esse; institit hera, an concio facta esset? illa affirmante, se ei interfuisse, & audivisse, subsumpsit hera: Dicta est, inquit, & auribus excepta, sed nondum facta, nec in opus redacta; superest ut manum operi admoveas: nam verbum Dei fistulæ aut tibiæ simile esse perhibetur, cui non satis est os applicare vel aurem, sed potissimum modulantem & moderantem manum; alias erit quasi *æs sonans & cymbalum tinniens.*

Præclarissime Tertullianus l. 2. c. 4. contra Marcionem notat, sæpe in illo nascentis mundi opificio, à Moyse inculcari: *Dixit Deus: Fiat, & factum est; ut tibi,* inquit, *totus commendaretur Deus, & dicere, & facere.*

a Nyss. Dom. 8 post Pent. 3. disc. b Thomas à Kemp. l. 1, c. 24 c Virg. l. 11, Æneid. d Isa. c. 1. e Veridicus P. David c. 97.

§. III.

Sacros Ecclesiastes exemplo Christi, debere prius facere, quam docere.

FRater f Ægidius rogatus, an præstaret verbum Dei populo prædicare, an reipsa

f Beyerlinck apoph p. 13.

exequi

exequiæ ſubridẽs reſpondit: Dic mihi quem è duobus plus mereri arbitraris, qui vadit Compoſtellam in S. Iacobi, an qui viam alteri demonſtrat? Innuebat tale diſcrimen eſſe inter prædicatorem verbi, & factorem operis. Concionatores reperire eſt, quorum dictio tanquam facula ardens, accendit corda auditorum: eloquium habent ignitum, ſed ipſi frigent, ſpeculis cauſticis conſimiles, quæ in ſe frigidiſſima, objecta incendunt, juxta illud; *Pariunt quoque frigida flammas.* Chryſoſtomus in illa verba, *Cœpit Ieſus facere & docere: Nihil*, inquit, *Doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philoſophatur: qui dicunt & non faciunt.* Campanis, cori, fabricatoribus arcæ ſimillimi, verbis & doctrina prælucent auditoribus, ſed non factis: imitantur famulos & ancillas, quæ lucernam ſeu facem præferunt ſequentibus, cum ipſi in tenebris & in luto ambulent: a *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Pedibus auditoris, ſed non præconis. Qua ſuper re, ſapienter ſtultus quondam Pariſiis interpellans Theologorum confeſſum, ſciſcitatus ab eis palam eſt: b *Quid melius, facere quod quis ſcit, an diſcere quod neſcit?* Multis hinc illinc alter cantibus, concluſum fuit, *Melius eſſe facere quod quis ſcit.* Si enim Cyprianus lib. de patientia aſſerat: *Philoſophi factis, non verbis ſumus.* à fortiori Chriſtiani, *factis, non verbis*, eſſe debemus, ne Oratores apud nos ut apud Ethnicos explodantur. De quibus Lactantius Firmianus: c *Apud Græcos majori in gloria Philoſophi quam Oratores fuerunt: illi enim rectè vivendi Doctores æſtimati ſunt, quod eſt longe præſtantius: quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes.*

Nunc autem perpauci bene vivendi, bene dicendi ſtudium plurimi ſectantur: d *Rari qui boni*, quibus illud Salvatoris competit: Cœpit *facere & docere*, ardere & lucere; lucere enim ſolum, vanum eſt. e De quo Divum Proſperum audiamus:

Non prodeſt cuiquam ſolis bona dicere verbis.,
Vt pia mens habeat, quod bene lingua ſonat.
Nam fari rectè miſerum eſt, & vivere prave:
Damnat nota malum regula juſtitiæ.

f Vnde ex ſumma orbis cathedra ſanctiſſimus Pontifex, ejuſmodi concionatores populum divini verbi pabulo enutrire, ipſos vero inedia conſumi, præclare demonſtrat: exponens quippe illud Iobi: *Seram & alius comedet.* ſic ait: *Prædicatur à ſuis vocibus, moribus diſcrepat: jejunus ſerit, quod alius manducet.* Tum aliam illuſtrem è ſacris paginis intexit figuram, dicens: g *Neque torpenti nobis eſt mente tranſeundum quod apud Salomonem mulier filium, quem vivens lactare conſueverat, dormiens interemit: quia nimirum Magiſtri vigilantes quidem ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per ſomnum corporis occidunt, & negli-*

a Pſ. 118. b Raynaud. Iord. oculus myſt. cap. 6. n. 26.

c Lactan. Firm. l. 1. div. inſtit. c 1. d Iuv. Sat. 13. e L. Epig. num. 7. f S. Gregor. l. 21. mor. c. 8. g 3. Reg 3.

gendo

UVA. BHSC. BU 02224

ligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur.

Quare graviſſimis verbis Eccleſiaſticos monet diſertiſſimus Orator & Doctor Ambrſ.: a *Quod ſumus profeſſione, actione potius quam nomine demonſtremus; ne ſit nomen inane, crimen immane: ne ſit honor ſublimis, & vita deformis: ne ſit deifica profeſſio,* & ILLICITA ACTIO: NE LOCVTIONEM *ſimulemus columbinam, & mentem habeamus caninam:* ne domi in fratres, amara & fellea, è ſuggeſtu placita & mellea propinemus. Ecquis ferat oratorem de jejunio & temperantia prolixam parænefim pertexere, eundem vero per primarum menſas diſcurrere, & nunquam niſi ad potum divertere? in libidinoſos Philippicas, & Catilinarias diras congerere, domi vero ancillam minus honeſtæ famæ alere. In quos apte cadit illud Hieronymi ad Nepotianum: *Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat: accuſare avaritiam & latro poteſt; Sacerdotis Chriſti os, mens,* MANVSQVE *concordent.* b Hæc præclare concordare fecit B. Franciſcus Borgias Dux Gandiæ, qui jam in Societatem adſcitus, dum Eboræ feria 3. cum aliis Patribus collationem inſtitueret, ſententiam ſuam ac ſymbolum rogatus, quid ad perfectionem plurimum conferret? hoc tantum reſpondit: *Opera vobis præſtant.* Enimvero opere præſtitit quod dixit, cum de eo Ribadeneira referre non dubitaret: ubi Ioannes Luſitaniæ Princeps, Borgiam de rebus divinis diſſerentem audiſſet, templo egreſſum dynaſtis ſuis affirmaſſe: c *Talis certe Eccleſiaſtes mihi placet, qui reipſa exequitur, quæ verbis aſſerit.* Hauſerat id fortaſſe ex Ioanne Abbate uno de priſcis aſcetis, ad quem jam moribundum dum ſeniores convenirent, monitum ſupremum ab eo excepturi; id unum cedro dignum pronuntiavit: d *Nunquam alium docui, quod prius ipſe opere non explevi.* Hoc ſimplici candore, & candida ſimplicitate non ita pridem confeſſus eſt Ipris P. Ludovicus Roeffius viro, qui ex ore ejus retulit, *ſe nunquam quid pro concione dixiſſe, quin in ſe practicaſſet.* e Quorum cuique eorum, hoc illuſtre ex Nicolao S. Bernardi Notario competit elogium: *Scio illum eſſe beatum, cui pulchro ſermone vita ſit pulchrior.*

Accedit quod ad animos permovendos nihil potentius, quam vita dicentis: f *Hæc eſt* enim, teſte Chryſoſtomo, *ratiocinatio, cui contradici non poteſt, quæ fit per facta,* adeo efficax ut etiam barbaros convicerit.

g *Certa feram certis auctoribus.* Vbi magnus Indiarum Apoſtolus, cum ſociis ſuis jam menſes aliquot crudum aridumque novale tractaſſet, ac nullo dum fructu, divini verbi ſemina projeciſſet; tandem è proſciſſo ac ſæpius iterato ſolo, Chriſtianæ fidei germen emicuit.

a Ambr. l. de dignit. Sacerdotis c. 3. b Beyerlinck apoph. p. 13.

c Beyerlinck prompt. feria 2. Paſcha. d Ibid. e Ep. 39. f Chryſoſt homil. 3 in c. 1. Cor. g Tibull. l. 4. el. 1.

a Ger-

UVA. BHSC. BU 02224

a Germinis ejus origo fuit ejusmodi: Concionanti ut solebat in publica via P. Ioanni Ferdinando, præteriens b Iaponum unus aliquis cæteris petulantior, attracta præpingui saliva, repente in mediam inspuit faciem. Ille sine perturbatione, sputo ceu nube detersо, sereno animo vultuque, ne verbo quidem reddito, cœptam orationem eodem prorsus tenore prosequitur. Id contemplatus ex auditoribus quidam haud imperitus rerum æstimator (ex quo, inquit Maffeius, facile intelligas ad promovendos ad virtutem animos, *facta dictis quanto antecellant*) cœpit cogitare apud se; profecto nobilissimum atque adeo divinum Philosophiæ genus esse, quod homines ad tantam æquitatem animi, constantiamque perduceret. Dimissa dein concione, domum ad Ferdinandum venit, præcipua Christianæ fidei capita legesque probe cognoscit: postremo certis precationibus, Moysisque decalogo, ac symbolo Apostolorum è Catechismi formulis memoriter haustis, Amangutianorum omnium primus, anteactæ vitæ detestatus peccata, sacro fonte renascitur. Hunc alii deinceps divino impulsu imitati, quorum ad quingentos brevi pervenit numerus, nunc in messem Christianorum maximam, hoc uno dicentis heroico opere excrevit, ut non injuria Zeno Stoicus (si Clementi Alexandrino credimus) olim dixerit, c *Malle se unum Indum videre, qui se sponte flammis absumat, quam omnes de patientia audire & discere probationes*: facta enim dictis immane quantum discrepant: nec quisquam nostrum est, qui hic à Zenone non stet, & pluris faciat concionatorem qui abstinentiæ, demissionis ac obedientiæ heroicis actibus palam exercitus, minus apte de virtutibus differat, quam eum qui leviter ejusmodi virtutum coloribus tinctus, linguæ penicula eas in animis aliorum elegantissime effingere studeat: nam, ut recte Aug d *quantacumque granditate dictionis, majus pondus habet vita dicentis.* In quo argumento, ut vetera taceam, ad id delabor, quod, quia recentioris est memoriæ, lectori benevolo, ut spero, nihil accidet antiquius. e P. Michaël Govierno veteranus jam miles Christi, & eximius concionator, cum semel ad nostros verba facturus esset, tunicam suam (sotanam vocant) diruptam tradiderat resuendam sartori; diu exspectaverat illam: cumque sero jam esset, quodam humano pudore se affectum sentiens, argumento de contemptu ac demissione sui arrepto, quo verbis, opere vim adderet, exiliit in mediam Patrum ac fratrum coronam cum thorace solum & femoralibus; f *Hoc est* (ut inquit Bernardus) *dare voci suæ vocem virtutis, cum quod suades, prius tibi cognoscens persuasisse.* Sed de his satis ad sacros Ecclesiastes.

g *Naviget hinc alia jam mihi linter aqua,*

& externos revisamus.

a Maffeius hist. Ind. l. 4 hist. b Soc. l. 11. n. 104. c Clem. Alexand. l. 2. Strom.

d Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 27. e Nierembergij ascet. l. 3 doct. 2. cap. 24. p. 227. f Bern. serm. 59. in Cant. g Ovid. l. 2. Fast.

Magna-

UVA. BHSC. BU 02224

§. IV.

Magnanimitas non thrasonicis verbis, sed præclaris factis comprobatur.

DIvus *a* Cyrillus apologum non inficetum refert. Leonem socius asinus antecedens, cum de longe luporum turmam aspiceret, eminus cœpit vocem emittere, ut ejus granditate ventosa, grex inimicus discederet perculsus. At vero cum hostes à clamore hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes cœperunt ridere, scientes tantum sonitum pectoris, minime respondere virtuti cordis. Tunc Leo percepto voce statim accurrit, ac dixit: Amice, quid tibi est quod clamasti? Cui ille: Mi frater, grex luporum apparuit, quem grandi voce perterrui, nec se movet, sed mox ad odorem tuum, non sine admiratione mea, disparuit. Ad hæc Leo, prudenter subridens: Si nosti, inquit, nequam lupus est & callidus, clamorem deridet; at virtutem tantum timet; latratum canis subsannat, dummodo mortem effugiat; nimirum expertus miles tubam bellicam non pavescit, sed gladium: & eruditus Philosophus, nubis tonitruum non veretur, sed fulgur: quid enim est clamor, nisi pectoris evacuati, & oris sonus effusus? nempe vacua magis sonant, ventosaque concrepant; quapropter charissime, qui clamoribus utitur, à sapiente minime timetur, quoniam ventosus ac vacuus sine virtutis soliditate fere cognoscitur. Hactenus Cyrillus, viribus, non verbis in hostem sæviendum demonstrans, eosque subobscure cavillans, qui tibicinum more, tubam in ore habent, ut alios ad prælium instigent, at ipsi manum à conflictu continent; canes latrantes, non valentes mordere. Vbi illud apophthegmatis loco serviat. Cleomenes audiens quendam de fortitudine plenis buccis crepantem, interrogabatur ab adstante, quid de eo sentiret? Respondit, b *Ineptum esse quemquam magnifice de fortitudine loqui, qui nihil unquam fortiter ipse gesserit.* Ita multi glorioſi milites, urbem ocreati & chalybe accincti obambulant, de bello, de ignavia militum, de imprudentia ducum copiose differunt, cum ipsi pro campo cubilia terant, pro tubis citharas audiant, pro nidore tormentorum, pastillos redoleant, nunquam nisi cum gallinis & perdicibus decertare sueti; asino illi perquam similes, qui rugitu solo, & ventoso ore, hostes diffiare se posse putabat. De quibus illud vulgo ventilatur: *Kloeck in de kaken, slap in de saken.* Qualem Vlysses pro armis Achillis decertans, se contra Aiacem præbuit, cujus oris jactantiam sic Aiax compescuit:

-----c *Quantum ego Marte feroci*
Inque acie valeo, tantum valet iste loquendo.

Thrasones hos, ut imbelles ac inertes, præclaris factis celeberrimus Imperator Carolus explodere solebat; quin semel accidit, ut in Epitaphium Martini Ianes, Alcantaræ militiæ magistri

a Cyrill. l. 1. Apol. mor. c. 16.

b Beyerinck prompt. feria 2. Paschæ.
c Lib. 13. metam.

UVA. BHSC. BU 02224

magiſtri incidens, qui ſepulchro incidi juſſerat:

a *Hic ſitus eſt Martinus Ianes, in cujus pectore numquam metus intravit.* hæc legens Carolus ridendo dixerit; *Credo equidem, quia numquam candelam ardentem digito attigit.*

Intrepidum enimvero militiæ ducem, quoſvis timores arceſſere ſolitum, quando tot cædis acervos Teucrorum ejus dextera dedit. Alium profecto, alium illuſtriſſimus ille heros comes Antonius deGrobendoncq, factorum, non verborum æſtimator, ſeſe patriæ probavit; cujus illud inter heroica facinora, generoſæ indolis exſtat teſtimonium, dum in conſilium bellicum adſcitus, ut prudentia militari valebat, ea in rem adferebat, quæ nemo ſanus improbare potuiſſet; nihil tamen ſuper his de facto decerneretur, ſed unus dumtaxat hæc calamo annotanda diceret: ille pro animi ſui magnitudine libere pronuntiavit, capulo manum admovens: Hic enſis, inquit, mihi calamus eſt; quæ modo ſuggeſſi, non calamo exaranda, ſed ferro executioni mandanda: comperietis enim à 12. & amplius annis, ejuſmodi plura à me propoſita, ab omnibus probata ſcripto ſimiliter conſignata, nec quidquam effectum. b *Melior mihi dextera lingua eſt.* Hanc provinciam mihi depoſco, & dicta factis comprobabo. Legerat hic forte, qui Romanos animo æquabat; Equitem Thebanum quondam rogatum, quid de Romanis, quid de Græcis ſentiret? hoc reſponſi dediſſe: *Græcos gloriam ſuam in linguis & calamis: Romanos in haſtis & mucronibus collocare conſueviſſe.*

Sed ut tandem ad hoc quod primario hic mihi tractandum deſumpſi, aliquando veniamus, quod militiæ; id domi, id in civilibus ac politicis rebus ſpectatur, plures verba quam opera præſtare.

§. V.

Amor in opere, non in verbis conſiſtit.

1. I Oan. 3. hoc amicum protrepticon ad nos habetur: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Quæ ſic D. Thomas exponit: *Hic monet diligere veraciter. Verbo tantum diligit, qui tantum promittit, & non ſolvit.* Vt Mercatores, cauſidici, conſiliarii quidam, ac ficti amici, tali die ſolutionem faciendam, litem dirimendam, beneficium conferendum. Tum ſubdit idem Doctor: » *Multi autem oſtendunt verbo amorem, ſed opere nihil.* Quam multos Philologos jam reperire eſt, qui tenent ſexcentas formulas offerendi obſequium, per ſe ſuoſque diu noctuque, reipſa nihil dum præſtant; de quibus Petrus Bleſenſis: c *Vox quidem vox Iacob, ſed manus, manus ſunt Eſau.* ejuſmodi ſimulatus amicus, inquit, *bene eis loquitur, ſed vocem nullum ſequitur opus, quia vox ejus, vox Iacob, manus autem, manus Eſau: leviuſque profecto extorques clavam de manu Herculis, quam denarium ex manu ipſius.* Fuit qui familiarem ſuum conſpexit in puteum prolapſum: hunc mul-

a Epidorp. Ens l. 1. b Ovid. 9. Metam.

c Pet. Bleſen. ep. 141.

tis

UVA. BHSC. BU 02224

tis rogare instituit, quomodo in hoc præcipitium decidisset? quam pridem istic hæsisset? quo peregre decrevisset? Ad hæc alter. Non quæsieris quemadmodum hic conciderim, sed quomodo me hinc erepturus sis; funem protende, manum adhibe, hanc deposco, non verba, quia illa nec saccum nec puteum replent: si pro veteri nostra consuetudine te amicum probare volueris, opem & operam elargire. Sic vivitur: amicus propinquus tuus in voraginem miseriarum, inopiæ, morbi, calamitatis extremæ dejectus est, si vere amicus es, illud Gregorii in promptu erit: a *Probatio dilectionis, exhibitio est operis,* non sufficerit afflicto assidere, verbis illi necessaria deferre, sed de facto sic oportet consolari ut prosis: si quid ægrotus cupediarum, electuarii appetat, totum illi penu pandere. Si pernoctandum, si familiæ invigilandum, si medicus invocandus, potio adhibenda, quibus in præsentiarum pecunia desit, de tuo conferas, hic salus, ut te germanum amicum præbeas. Qui naufragio, cessione fori, infortunio, bellis ad inicitas redactus, opem tuam affinis sui, contubernalis, fratris sui supplex implorat; manum porrige, ne verba dederis, ne vanis promissis circumveneris, facessant voces illæ: Libenter tibi præsto essem: sed parum mihi nummorum in arca est; in hac causa operam meam deesse non finerem, sed obruor nunc mole negotiorum, ut meus non sim, rogo habe me excusatum; hoc tamen consilii do, istum convenias, bona illa oppignoras, si talem in partes traxeris, res in vado est. Bonum consilium, sed

b *Quod peto da Cai, non peto consilium.*

Mos salutandi amicum in Germania usitatissimus, manum advenienti porrigere. Eundem hospitio, mensa, haustu, non verbis dumtaxat excipere, hoc germanè, manum dedisse est.

c Talem se, tres hospites excepturus, Abram præbuit, ilico manus præsto ad abluendos pedes, mensam suam verbis extenuat, quasi frugi eos habiturus: *Ponamque*, inquit, *buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis:* Interim ipsemet vitulum occidit, lautamque cœnam apparavit. ubi Oleaster: *Plura justi semper exhibent ex bonis, quam promittant.* Plurimum sinceri amici rebus, parum verbis præstant. Invitant ad merendam, ad lactucas, ad communem, ut aiunt, sui refectionem, & dapsile convivium exstruunt. Hoc diligere est d *non verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Quod ipsum apud Euangelistam expressum legimus, redit prodigus, nil pater auditur dixisse filio, non mille salutationes, non gratissimum adventum verbis gratulari, ut simulati amici peregre adventanti solent, cæterum ne tecto dignantur; at hic paternum animum in filium opere comprobavit, dum in collum involat, stolam novam induit, annulum digito inserit, lautissimas epulas instruit, citharœdos adhibet, omnia quæ ingeniosus amor excogitare poterat, in opus redegit.

a Greg. hom. 30. in Euang.

b Matt. 1, 6. Ep. 9. c Genes. 18. d Luc. 13

Hoc

UVA. BHSC. BU 02224

Hoc ſiquidem ſanctiſſimus [a] Patriarcha noſter Ignatius proverbio Hiſpanico pervulgatum dicebat: *Amor ipſe ab operibus magis quam à verbis pendet.* quod ſcite expreſſit, qui amorem igni comparavit. Etenim ignis ſemper agit, nunquam quieſcit; otioſa erit terra, ſi nulla ei mandes ſemina; otioſus aër, otioſa aqua; at ignis otioſus eſſe nequit, ſemper aliquid comburat neceſſe eſt, aut ignis non eſt. Idem de amore Divus Gregorius ſenſit: [b] *Amor Dei non eſt otioſus; operatur enim magna ſi eſt, quod ſi operari renuit, amor non eſt.* Dilexit Davidem Ionathas, non fuit amor otioſus; non multis verbis alter ad alterum uſus eſt, ſed *expoliavit ſe* (Ionathas Princeps) *tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, uſque ad gladium & arcum ſuum, & uſque ad baltheum.* Quiſquis verum diligit Davidem Chriſtum, amore ejus omnibus ſe reipſa ſpoliat. Dilexit multum Magdalena, ſed amor minime otioſus in pectore, mille præſtitit obſequia, lachrymis pedes rigavit, capillis terſit, unxit, deoſculata eſt. Profudit omnia, expoliavit ſe omnibus, & ad hæc omnia inquit Ambroſius, [d] *non invenio quid dixerit.*

Satis lepidum eſt quod Herodotus ſcriptis ſuis poſterorum memoriæ commendavit. [e] Rex Lacedæmoniorum Ariſtodemus, cum regina gemellos uno partu edidiſſet, & ab ea, nulla arte extorquere poſſet, uter primogenitus eſſet, tandem ut de hærede regni, quid certi ſtatueret, ſenatu coacto, Patrum ſuffragia exquirit: quorum ea fuit ſententia, ut certi ex inſidiis arbitri apponerentur, qui clam obſervarent; uter filiorum à regina primus lactaretur, uter primus ulnis exciperetur, ac oſculis, amplexu, maternis blanditiis præ altero foveretur: affirmabant enim quod regina verbo ſimulabat, alia ratione dignoſci non poſſe, quam luculento geſtorum ac operum teſtimonio. Vt elinguis & infans divinus amor in cunis vagierit, tamen panni & præſepe ſatis clamabant. Verbum patris non otioſum fuit, Filius Dei *operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Nocte illa ſuprema non multa dixit, ſed quid non egit? quid non pertulit? quot vulnera tot ora, amorem loquuntur. In veteri quidem lege (inſtar Magiſtri Matheſeos qui verbis & figuris demonſtrationes exprimit) amorem ſuum per ſcripturas & figuras teſtatus eſt; at tandem demonſtrationem ad experientiam oculis ſubjecit. Quin & *Ioannis* 5. amorem Patris ſui minime otioſum commendavit, dicens: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Et ſi quæ verba protulit, non fuerunt inania, ſed dedit voci ſuæ vocem virtutis, & [f], ut Philo ait, *quæcumque Deus dicit, non verba ſunt, ſed opera.* Vtinam hanc virtutem homines darent verbis ſuis, quam Deum proxime æmularentur! Ad hunc amorem actuoſum in cordibus noſtris inflam-

[a] S. Ignat. in contempl. de amore Dei. [b] Greg. hom. 30. in Evang. [c] 1. Reg. 18. [d] Amb. l. 10. in Luc. [e] Herodot. in Erato. [f] Philo lib. decachord.

UVA. BHSC. BU 02224

mandum, vult nos a S. P. Ignatius considerare Deum in omnibus operantem, ut & nos amorem nostrum opere contestemur; erit enim aliquando ille dies, in quo non quam bene diximus, sed quam religiose viximus, apparebit; ubi, ut Bernardus monet, dicetur: b *Ecce homo, &* OPERA *ejus,* ubi plus valebunt *sancta opera, quam multa pulchra verba.* ubi illud una observandum occurrit. Theologos non secus ac Astrologos vera prædicere; sed è diversis omnino principiis: Astrologi ex operibus & motibus qui fiunt in cœlis, prædicunt futura in terris; contra Theologi ex operibus quæ fiunt in terris, longe certius prædicunt futura in cælis. Aruspices hi manum inspiciunt, ut prospera vel adversa denuntient, & manus & aruspices fallunt; sed opera manuum nostrarum sequentur nos: hinc in æternum prospera vel adversa, felicem aut infelicem exitum, prima Veritas tunc augurabitur, nobisque accidet quod 4. Reg. c. 10. refertur: cum *Iehu* rex Israël ad distruendum Baal ejusque Sacerdotes pergeret, obvium habuit Ionadab, dixitque ei: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Et ait *Ionadab*: *Est. Si est,* inquit (Iehu) *da manum tuam, & rex levavit eum ad se in currum suum.* Pro *Iehu,* Jesus noster est, qui ad judicium veniet, ut perdat peccatores terræ, ubi nos omnes ei obviam ibimus; ipse vero interrogabit quemque nostrum, utrum ex corde dilexerimus eum? sed haudquaquam sola voce contentus erit: quia non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, manus postulabit, opera requiret, quibus amorem, testati sumus. Etiam cœca justitia manus palpabit, molles ac delicatulas rejiciet: callosis ac obduratis reddet Deus mercedem laborum suorum.

a S. Ign. libel. exerc contempl. de amore Dei, b Bern. in med. c. 2.

E M-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXVI.

Quasi signum ad sagittam. Thren. 3.



TELA QVE IN HVNC OMNES VNVM
MITTVNTQVE FERVNTQVE. 12. *Metam.*

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Detractores, maledicæ linguæ jaculis, eos potissimum petere, qui in sublimi honoris apice positi sunt, *quasi signum ad sagittam.* Thren. 3.

§. I. *Tela linguarum in Deum, ac Divos, virulenter emissa.*

§. II. *Quivis in dignitatis & virtutis apice situs, ut signum ad sagittam ponitur.*

§. III. *Sacro Ecclesiastæ, tum cuivis viro gravi, maxime cavendum, ne quem linguæ telo impetat.*

§. IV. *Detractio vulnus prope incurabile, juxta illud:* Telum immedicabile torsit. 12. *Æneid:*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Diffamatus est apud eum. Luc. 16.

EXSTAT eleganti emblemate expressa quorundam insania, qui lippis ac cæcutientibus oculis, Solis radios ferre non valentes, pleno die cum arcu & sagittis in campum progressi, summo nisu Solem petebant, & sagittis configere satagebant; sed quam irrito conatu, subjectum lemma indicat: *Solem nulla sagitta ferit*, quin in proprium caput tela reciderent.

Consimile est quod de Philippo Macedone referunt, qui etiamnum puer, noctu scintillantes stellas sagittis impetebat, è quibus illi quandoque una,

b *Quæ si non cecidit, potuit cecidisse videri.*

Verum has dum incessit, à stella seu Astere milite, altero oculo orbatus est.

a Imago 1. sæculi p. 565. b Ovid. 2. Met.

§. 1.

Tela linguarum in Deum ac Divos virulenter emissa.

EIusmodi phanatici jaculatores complures reperti sunt, & indies reperiuntur, qui non modo viros sanctimonia & doctrina quasi stellas firmamenti scintillantes, sed & Solem ipsum lucidissimum Redemptorem nostrum, linguæ telis lacessere ausi sunt. Quod jam pridem deploravit Psaltes: c *Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Augustin. hic, *immaculatum* intelligit Christum, qui ne tantum habuit maculæ, quantum posset figi à sagitta; & nihilominus quot non tela in hunc Solem justitiæ? nunc seductorem populi, nunc blasphemum, nunc vinolentum, & ut acervatim omnia dicam, malefactorem, energumenum, quinimo omnium dæmonum archistrategum, qui in Beelzebub Principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, compellare non veriti sunt. Quid vero illustrius quam quod Ioann. 9. ubi cæcum sanasset, & divinitatis suæ radio lucem restituisset, hoc virulentum telum in eum ejaculati sunt: *Non est hic homo à Deo qui Sabbathum non custodit.* Adeo ut nil tam sanctum, tam excelsum, quod maledica lingua non impetat; ut manifesto comprobatur Ps. 72. *Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terris.* Amb. legit *in excelsum*, Hieron. *Calumniam de excelso loquentes*, Apollinarius, *Altissimum calumniis feriebant.* August. hic, *Iniquitatem in altum locuti sunt.* Ex quibus sic breviter Lorinus: Contra excelsum &, altissimum Deum blasphe-, mant, neque cælestibus aliis, , superisque parcendo, sed os, , maledicum & venenatum in, , utrosvis linguam exercendo atque ejaculando., ,

Quod autem & stellas noctu sagittis imperant, audi eundem Propheram: d *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagit-*

c Psal. 63. d Psal. 10.

ent

UVA. BHSC. BU 02224

tent in obſcuro rectos corde. Iam divis adſcriptos, vel inter homines degentes, virtutum ac doctrinæ radiis ſtellarum inſtar conſpicuos, dum alios voce, ſtylo, exemplo erudiunt, laceſſere inceſſanter pergunt. Cujuſmodi tela, ſua tempeſtate veritus Hieronymus, hanc cauſam adfert, cur tam invitus libros ſuos luci dederit: *Nam aliquid in publicum dare*, ait, *eſt confodientium linguis ſe prodere, & omnium maledicorum tela in ſe detorquere.* Ea propter dicit Pamphilum numquam induci potuiſſe, ut quidquam ſtylo vulgaret. Nec quiſquam Eccleſiæ Doctor, aut quantumvis celebris Eccleſiaſtes adeo excelſus ſtetit, ut nullum jaculum acceperit. Quod graviſſime queſtus Nazianzenus, exclamat: *O ſtellas cæleſtes, dignitatis ſplendore infelices!* O qui in faſciculum colligeret tela omnia, conviria, inquam, jactataſque primo ſæculo in Societatem contumelias, atque calumnias! nimirum tranſmiſſa ex hoſtili acie tela, ſervantur inter monumenta paternæ fortitudinis, & exornant atria: quanto magis ſi adverſo fuerint excepta pectore, ſi loricam perforarint, ſi galeam ruperint caſſo vulnere? denſius ruente pluvia aut hiberna grandine jacula iſthæc incubuere. Quæ enim rerum noſtrarum pars manſit intacta: exploſa nova hæc Religio tam ſuperbo Ieſu nomine: contempta votorum ſimplicium vincula, quæ ſolvi poſſent: irriſa paupertas, tam ſumptuoſis ſcilicet nixa templorum ædificiis, & tam ſplendido ſacrorum apparatu, *a* Tyrannica dicta eſt cæca obedientia, comparata à Polycarpo Turcicæ Moſcoviticæque parendi neceſſitati: gratuita Sacramentorum aliarumque functionum adminiſtratio, appellata turpiſſimus quæſtus: ſæpius in ſuſpicionem hæreſeos doctrina adducta. Tota regendi ratio dicta polytica, perſimilis Machiavelli inſtituto, atque iſtiuſmodi è fontibus petita. Hæc aliaque id genus ſexcenta acri digna Philippica, & libelli famoſi, & cavilli & paſquilli ad pila, ad diverticula platearum, ad valvas publicas affixi ſatis loquuntur. Accedit quod olim Tertullianus ait in Chriſtianos, idipſum vatiniano odio in Societatis homines, quoſdam comminiſci: *b Chriſtianum hominem*, inquit, *quoties omnium ſcelerum reum: Deorum, Imperatorum, Regum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimarunt? prætexuere ad odii defectionem, illam quoque vanitatem, quod exiſtimarent omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Chriſtianos eſſe cauſam: ſi Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem.* An non ſimilia hoc ſæculo in Ieſuitas jactata? ſi bello arſit Germania, ſi claſſicum inſonuit in Gallia, ſi Regem amiſit Luſitania, ſi afflicta Catholica religio in Tranſſilvania, ſi decreta in Catholicos ſupplicia in Anglia, ſi motus in Scotia, ſi turbæ in Polonia, in Suecia, in noſtro Belgio: nonne ſtatim Ieſuitas in exitium, in ma-

a In hiſtoria Ordinis Ieſuitarum p 44. & 151. apud Stevartium. *b* Tertull in Apol. c. 2. & cap. 40.

UVA. BHSC. BU 02224

lam crucem? hos bellorum omnium incentores, omnium turbarum auctores, incendiorum, populationum, publicarum omnium calamitatum architectos? Eoque progressa dementia, ut Tartarei Cacodæmonis sobolem, magiæ, artiumque damnatarum magistros insimulare non sint veriti, asseruerintque nostros tirones necromanticis imbui disciplinis. Eftne telum quod adhuc pharetra conclusum asservarunt? verum postquam solem ferire attentarunt, quid mirum in stellas collimaria? *Si patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus*. Improborum convitia, ne divina quidem Sapientia evasit: Mira ejus stupendaque facta in præstigias verterunt, virtutes in manifesta probra. *b* Cæsari pendendum vectigal suaserat, & ipse penderat; reus tamen agitur contemptæ Cæsareæ Majestatis. *c* Fuga se subduxerat ne Regem facerent: accusatur nihilominus affectati regni reus. Deum inter & homines, pacis arbiter venerat, ipse Princeps pacis; *d* factiosus tamen, seditiosus, turbulentus dicitur. Ex obsessis corporibus abigebat dæmones: *e* ore blasphemo ipse vocatur dæmonum antesignanus, maleficus, magus occupatus à dæmone. *f* Dicto factoque temperantiam docebat, & frugalitatem; non effugit tamen, quin *g* helluo, & ebriosus, & vini potator haberetur. Et miratur aliquis stellas noctu peti, dum in meridie videt solem tot spiculis obumbrari. Vt Societatem ejusque parentem, sic sanctissimos Religionum fundatores Benedictum, Norbertum, Dominicum, Franciscum, eorumque cœtus Religiosissimos, contumaces linguæ, pro scopo habuere, ut ex D. Thoma ac D. Bonaventura, doctissimo commentario Gretserus noster ostendit.

Refert Plutarchus, dum Leonides exercitum suum in campum duxisset, quendam è Barbaris ei insultasse, dicendo, *tantas esse copias Barbarorum, ut telis suis solem obscuraturi essent*. Ad quem Leonides Laconice respondit: *Ergo sub umbra pugnabimus*. Si quis calumniantium tela attendat, quibus soles Ecclesiæ, viri sanctissimi, Francisci, Dominici, Borromæi, Ignatii, impetiti fuerint, *h* ac sacri Ordines indies impetuntur, facile videbit tam densa telorum nube obscuratos fuisse, ut per lustra & sæcula, sub umbra decertandum fuerit. Sed de his satis alibi.

a Matth. 10. *b* Ioan 6 *c* Ioan. 19. *d* Luc. 23. *e* Matth 12. *f* Luc. 12. *g* Ioan. 7.

h V. Imag. 1. sæculi l. 4.

§. II.

Quivis in dignitatis, & virtutis apice situs, ut signum ad sagittam ponitur.

MVltis locis confraternitas D. Sebastiani viget, in qua adscripti, qui artem jaculatoriam profitentur. Hi quandoque per annum in campum prodeunt, & amœno certamine contendunt. Infigitur altissimæ perticæ psittacus, in quem omnes collimant.

i *Telaque in hunc omnes unum mittuntque feruntque.*

i Ovid. 12. Metam.

Hac

UVA. BHSC. BU 02224

Hac ut honeſta occupatione, etiam primates quique ſeſe exercent. Sed hoc ludicrum eſt, & ligneam avem configunt. Hoc luctuoſum certamen eſt, quo homo hominem vivum, & ſpirantem, verborum jaculis ſæviſſime ſauciat. Hunc ludum (lanienam verius dixero) plerique ludunt; nemo quiſquam in alto honoris faſtigio collocatus, nemo doctrina aut virtute conſpicuus, quin ilico quaſi ſignum ad ſagittam poſitus videatur. Vbi quis in Senatorum numerum adſcribendus, ad ſubſellia prima erigendus, in dignitatem ſæcularem aut Eccleſiaſticam merito extollendus, continuo tanta telorum ſeges exurgit, ut ſolem ipſum obſcurare perhibeantur.

------ a *obumbrant æthera telis.*

Hanc avem omnes laceſſunt, in hanc unam omnes collimant. Hunc ineptum, ſtolidum, ſatis notum, nothum, progenitoribus heterodoxis; iſtum ad talem ordinem ubi nullus ordo, ubi meri templarii.

Qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt: illum ad talem præbendam, ad paſtoratum. O egregium cuſtodem ovium, lupum! ita fit:

Telaque in hunc omnes unum mittuntque feruntque.

Quodque mirandum magis, hæc confraternitas, hæc Gulda, ut dicitur, copioſiſſima eſt, omne genus hominum huic inſcriptum reperies. Teſtatur Chryſoſtom. *Hoc vitio neque ſæculariorum, neque monachorum ullum facile invenies liberum.* Et Hier. ad Cælantiam: *Pauci admodum ſunt, qui huic vitio renuntient: tantaque hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud quaſi in extremum diaboli laqueum incidant;* nec quiſquam adeo probus, ſanctus, ſolitarius, abditus, quin hoc telo impetatur. Deplorat id Ierem. cap. 9. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum.* Quæ verba expendens Scribanius: b Velox, inquit, ſagitta eſt, velocior lingua. Fuge, aſſequetur fugientem: abde te in reconditiſſimas ſpeluncas terræ, penetrabit illas: tranſmitte maria, enavigabit eadem: ſcribe, involabit in libros: doce, tranſcendet cathedras; nec, mortuos patietur immunes, non cælo jam adſcriptos, vulnus illatum perennat: ad mulierculas virus diffundunt, quo celerius per hæc avida detrahentium ingenia, malum ſerpat, vireſque acquirat eundo. Perambulat urbes, tranſvolat etiam Provincias, & jam vulneribus notiſſimus eſt, qui ne capillo notus eſt: neſcimus, vultum, cujus mademus ſanguine. Quoque latius venenum diffundant, virulento camelo famoſas litteras emittunt. Quod inventum Paraſinus in obſidione Rhodi narrat uſurpatum fuiſſe, ubi proditor quidam Andreas de Maraillo, eques Luſitanus, ſimulans ſe excubias luſtrare, litteras in urbem ejaculatus eſt, telo alligatas. Nemo quiſquam extra teli jactum poſitus; terra, marique, cæloque receptus, impetitur. Feſtivum eſt, quod Poëta luſit, uno jaculo piſcem in aquis, hirundinem in aëre, leporem

a Virg. 13. Æneid.

b Scribanius in Ep. MS. de detract.

UVA. BHSC. BU 02224

in campis trajectum fuisse.

Trans amnem visus lepus est, contenditur arcus
Ocyus, & celeri missa sagitta manus.

Forte salit piscis; Progne prætervolat: hærent
Tres uno in telo; piscis, hirundo, lepus.

Ita sæpe unius linguæ telo absentes. qui mari, qui terra, qui cælo degunt, configi videmus. Hæc felleo stylo mellifluus Doctor jure exaggerat:a *Numquid non vipera est lingua ista? ferocissima plane, quæ tam lethaliter tres inficit statu uno? Numquid non lancea est lingua ista? profecto acutissima, utique tres penetrat ictu uno.* Hoc illud Ioabi Imperatoris triplex spiculum est, quo Absolonem à quercu pendulum incurrens, confodit. Hoc triplici spiculo, & detractor & detractoris auditor, & is cui detrahitur mire confodiuntur; hoc tamen discrimine: ille in quem detractio incurrit fere omnium minime læditur: nec enim majus facere potest dispendium quam famæ: sed detractor & auditor detrimentum patiuntur animæ; & quidem maximum.

b *Detrahis? auditor cadit, & cadit hostis, & auctor*
Quod caput est: sic vox tres simul una necat.

E monumentis Lotharingicis rem prorsus miram, ter miram commemorant in hunc modum: Virtutem & fortunam Lotharingicæ familiæ testantur avita gentis insignia, tres nimirum alites fagitta transfixi. c Origo rei hæc est: Laudatissimus ille heros Godefridus Boullionius Dux Lotharingiæ, Hierosolymarum urbem obsidens, in turrim Davidicam ejaculatus est telum, quo tres simul alites confixit.

——d *laudem casusve Deusve.*
Attulerit ——

Quæri poterat: Regii saltem fastigii præsagium fuisse eventus docuit. Et hoc etjamnum tam in monetis, quam in insignibus stirpis Lotharingiæ videre est. Quisquis de altero detrahit, ignitum jaculum emittit, quo tres una configit, seipsum, auditorem, hostem. Imo triplicem committit cædem, cum triplex nobis sit vita: est enim vita velut cælestis, divinæ gratiæ dono; altera corporis, animantibus communis; tertia civilis, famæ præsidio. In hanc triplicem vitam immanissime sævit detractor; illam enim gratiæ cælestem in se, suoque auditore extinguit; civilem in eo cui detrahit. Adeo potens ac omni fulmine trisulco penetrabilior lingua detractoris; hæc ut immania sint, illud tamen longe gravissimum, uno linguæ telo non tres dumtaxat, sed 20. sed 100. sed mille crudelissime configi: dum integra collegia, integri cœtus, magistratus civiles & Ecclesiastici, integræ religiones sacrorum hominum, in convivio, in foro, & quod pessimum est, è suggestu in conferta concione lancinantur.

a Bern. serm. de triplici custodia. b D. A. Burgundia de vitiis ling. p. 187. c Paradin. in symb. Heroi. p. 3.

d Virg. lib. 12. Æneid.

Sacr.

UVA. BHSC. BU 02224

§. III.

Sacro Ecclesiastæ, tum cuivis viro gravi maxime cavendum, ne quem linguæ telo impetat.

SVarez de Religione *l.* 9. *c.* 1. de ministerio prædicandi verbum Dei *nu.* 3. Hieronymus sic Concionatores instruentem inducit: *Neminem speciatim sermo meus pulsavit, generaliter de vitiis disputatio est: qui mihi irasci voluerit, ipse quod talis sit, confitebitur.* D. vero Bonaventura: *Correctioni & ædificationi tantum debet intendere Doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicujus præsentis aut absentis.* Et infra: *Quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & sermonis aculeo vulneras.* At modo quam paucos divini verbi præcones reperire est, qui illud Hieronymi usurpare possint: *Neminem sermo meus pulsavit, generaliter de vitiis disputatio est.* Sagittas in aërem ejaculatus sum, neminem læsi. Quin jam passim ii plerumque frequentantur, qui in dicendo liberrimi sunt, & elegantiam quandam, partheſiam ducunt; dum præsentes perstringunt, absentes configunt, integras Religiones diffamant. Est qui è cathedra (quod ut publicum sit a *non audeo dicere nomen,*) est, inquam, qui dixit Iesuitas Vrbanum PP. in suburbanum suum invitasse, atque adeo genialiter habitum, ut ebrius bullam pro fidelibus defunctis subsignarit. *Parcius ista viris,* potissimum Religiosis, in quos Vaticana fulmina evibrata sunt, Clementina 1. §. 1 de privil. Religiosis omnibus in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ, districtius præcipitur, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant; hic vero Prælatorum capiti & toti Religioni; in Concilio autem Lateranensi sub Leone X. universis Prædicatoribus dicitur: *Pacem ac dilectionem mutuam à redemptore nostro tantopere commendatam ubique foventes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum & Prælatorum ac aliorum superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo & laicis non modo incaute, sed etiam intemperate reprehendunt & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione absterreant.* Has detrahentium linguas extreme oderat Franciscus Assisias, de quo Bonaventura hæc narrat: Audiit Franciscus cum unus è suis multa diceret in alium, eumque varie accusaret: igitur Vicario suo id demandans, Surge, inquit, Pater, surge & rem probe discute: quod si accusatus sit insons, ita serio puni accusatorem, ut is omnibus sit exemplo, sentiatque se puniri. O utinam hæc pœna talionis vigeret, quot insontes respirarent, quot sontes jure ingemiscerent! Imo vero putabat Franciscus vestem Religiosam ei detrahendam, quisquis alteri hoc famæ pallium subtraxisset, ut quod ille aliis, hoc alii facerent illi, eaque ratione detractor ad restituendam famam adigeretur.

a Iuvenal. Sat. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

Verumenimvero ab his graviſſimis cenſuris, & comminationibus ſe indemnes arbitrantur, dum ſub cortice fabulæ vel apologi, virulenta tela recondunt, & hoc præfantur ſe neminem velle ferire. Atque hi verſipelles, ſub fabula de corvo & vulpe ita rem exponunt, ut digito tangantur quos deſignant, ac ut Iuvenalis ait,

a *Nota magis nulli domus eſt ſua.*

Quod ſolerter diſertiſſimus & integerrimus concionator Franciſcus de *b* Sales obſervavit, dum ait: Quidam in eo jaculatorem imitantur, qui quo magis ad ſe adducit, hoc validius ſagittam emittat. Ita ad ſe detractionem attrahunt, profitendo ſe neminem lædere velle, quin vel maxime prævie laudando, ut validius dein feriant. De his Propheta ait: c *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Puella iſta, inquiunt, ſpecioſa, prudens, opulenta, *ſed*. Iſte advocatus vir intelligens, bono ingenio, conſilio, *ſed*. Ille Medicus, Princeps urbis habetur, plures conclamatos ſanitati reſtituit. *ſed*, Ille Dux exercitus animoſus, vigilans, ſtrennus, *ſed*. Ille Monachus, illa Religio erudita, temperans, caſta, integra, *ſed*. De his intelligi poteſt illud Oſeæ: d *Facti ſunt quaſi arcus doloſus*; quos ſcite deſcribit Scribanius: Magnus vir eſt, „inquit, ad quem omnes admi„rentur, ament: ſed quis in „tantam virtutem, prudentiam, arbitretur hæc cadere? ad ſumma plane hic natus, ni„ſi, non audeo totum dicere. „Doleo in tanto viro neſcio„ quæ obſervari. Quantus ex„urgeret niſi illum deprimerent„ non ſatis commodi mores. V„num plerumque alterumque„ in eo obſervant, cætera bo„nus. Doctus & qualem deſi„deres, quantus foret niſi labo„raret hoc nomine. Nihil in eo„ obſervavi quo minus cum „primis provinciæ contendat; „ſunt tamen qui dicunt aliquid„ notari, & niſi hoc haberet, „&c.

Si niſi non eſſet, quam felix quilibet eſſet;
Sunt pauci viſi, qui carnere niſi.

Ejuſmodi linguam doloſam pergit Bern. inſectari: e *Alii autem quodam ſimulato verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur, ab his qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu, quam malitioſe proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem bene compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me numquam innotuiſſet; at quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſunt. Dolens dico, revera ita eſt.* Atque hæc eſt lingua illa doloſa, à qua Propheta petit liberari: hæc ſunt tela quæ à ſe averti maximopere rogat. f *Domine libera animam*

a Iuv. Sat. 1. *b* Sales praxis ſpirit. l. 3. c. 3. *c* Pſ. 54. *d* Oſea c. 7.

e Bern. ſerm. 24. in Cant. *f* Pſ. 119.

UVA. BHSC. BU 02224

animam meam. Quid eſt quod ardenter expoſcit? non ab inſidiis Saulis, ab exercitu Abſolonis, ab hoſtium inſultibus expediri expetit? *Domine*, inquit, *libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Quid reſponſi? *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* qui in aliis rebus dicit ſe exauditum: *Clamavi & exaudiſti me:* hic repulſam patitur. Hic vulnus quaſi immedicabile denuntiatur: *Quid detur tibi,* quid remedii? *aut quid apponatur tibi?* quod emplaſtrum, quod malagma mederi poterit? *Sagittæ potentis acutæ,* quæ plagam inferunt immedicabilem. Puerili manu jaculum emiſſum irritum cadit, a *telumque imbelle ſine ictu* abjicitur, de ſimilibus Propheta canit: *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* at potenti brachio valido niſu, medullam & cordis ſinum penetrat. Tale telum linguarum, ubi potentes, Eccleſiaſtici, Religioſi concionatores, Prælati, Primates, ſacrilego ore in Chriſtum Dominum, calumnias ac probra ejaculantur. b *Hoc validius,* inquit illuſtriſſimus Præſul Genevenſis, *quo pila ferrea emiſſa machinis bellicis, exſuperat pilam laneam manu pueri percuſſam.*

Sed hoc forte rarius ex ore Eccleſiaſtico ferreas glandes emitti, ſuffecerit ſi inani bombo terruerit aut pilas laneas emiſerit. At quid ſi vel has vel leves noxas, vel pueriles calumnias non modo à viro gravi, ſed in virum gravem prolatas, ſagittas potentis acutas, atque adeo lethales eſſe oſtendero. Hæc è Theologorum placitis, Navarri, Reginaldi, Salonii, Aragonii, c Bonacinæ, Leſſii, ſi placet, eruamus, qui docent; ſi quis virum honoratum, Religioſum, Prælatum, dixerit mendacem, inanis gloriæ cupidum, nugis & ſimilibus deditum, mortalis noxæ reum teneri. Hæc enim ſagitta, ut inquit Bernardus, d *leviter volat, leviter penetrat; ſed dico tibi, non leve vulnus infligit,* nec mediocre damnum plerumque inducit. Rem in hac palæſtra verſatiſſimus elucidabat Martinus ab Azpilcueta Doctor Navarrus. e *Novi,* inquit, *virum inſigniter eruditum, & probum, ab adipiſcendo egregio quodam munere impeditum, per culpas veniales vanitatis & iracundiæ falſas.* An quis levius detrimentum duxerit, ſi quis integram Religionem avaritiæ & lautitiæ inſimularit, quo lautiſſimas eleëmoſynas traducat? Quid exiſtimandum de eo qui cytreorum carcheſia, oſtreorum conchilia, perdicum oſcilla, turdorum cerebella, intempeſta nocte ante valvas Domus Religioſæ ejecerit, *ut ſagittet in obſcuro rectos corde.* In quo illud prope noviſſimum eſt quod à R. P. Vivero accepi. Cum legatus unus aliquis pro dignitate à Rege noſtro Hiſpaniarum regia menſa excipiendus eſſet; fuit è Primatibus, apud quem Societas jam pridem laborarat, qui ſuam Catholicam Majeſtatem certiorem fecit potiſſimum ferculum defuturum, perdices omnes fori Madritenſis à Theatinis (ſic no-

a Virg. 2. Æneid. Pſal. 63. b Sales prax. ſpirit. part. 3. c. 29.

c Bonacina Tom. 2. p. 625. d Bern. ſerm. 6. in Pſ. Qui habitat. e Navar. cap. 18. n. 25.

UVA. BHSC. BU 02224

ſtros appellant) coëmptas eſſe. Quod ut peregrinum Regi videbatur, ita pro prudentia mandavit ei, qui à ſecretis ſibi erat, ut una cum hoc accuſatore, ubi ad prandium in collegio ſignum daretur, extemplo Rectorem accederent, & amice ſe ejus hoſpites declararent. Benevole admiſſi, dum frugali menſa Religioſorum, ſe paſci velle dictitarent, in commune triclinium deducti, ubi omnes juſculo tum fruſtro vaccinæ, ac tandem ficu recenti refectos hic animadvertit, à ſocio falſæ calumniæ convictus, ante Rectorem in genua provolutus, culpam faſſus, jamque aula eliminandus erat, niſi hunc interceſſorem nactus fuiſſet. Quaſi vero iſthæc è Chriſtianorum ſcholis & hominum mentibus eliminata doctrina, quam celeberrimus olim in Toletana univerſitate Profeſſor, & Auguſtiſſimæ Imperatricis Mariæ etiamnum concionator. *a* Ioannes de Caſtillo impreſſit, gravitatem peccati detractionis ſumendam ex auctoritate detrahentis, & qualitate perſonæ, cui detrahitur, & dignitate illius apud quem detrahitur; Fœminam, inquit, honeſtam, aut virum gravem veniali laſcivia, ſive ignominioſa levitate *aſpergere, venenatæ linguæ telum lethale eſt.* Valetque hic illud Maronis:

TELVM IMMEDICABILE TORSIT.

a De Caſtillo de iure & juſtitia l. 2, t. 2, diſp. 12. n. 105. *b* Virg. 12. Æneid.

§. IV.

Quiſquis detraxit, plagam prope incurabilem inflixit.

ECquid mirandum? ſagittæ veneno tinctæ ſunt: *Intenderunt*, inquit regius Vates, *arcum rem amaram.* Vbi Paraphraſtes: Vnxerunt ſagittas ſuas veneno mortifero, cum in morem quo venatores, teſte Ambroſio, c *plerique ſagittis venenatis transfigunt cervos, & ejuſmodi velocia animalia*; quæ ſemel ſaucia, vulnus alunt venis, nec ulla medicina malo eſt. Idipſum in flagitio uſuvenit: plagam incurabilem, morbum immedicabilem, peccatum irremiſſibile inducit. Eccleſiaſticum audi: d *Attende ne forte labaris in lingua, & ſit caſus tuus inſanabilis.* Si quis ebrietatem, fornicationem, adulterium, homicidium non unum admiſit, per unum *abſolvo* id omne inducitur: at quantacumque Confeſſarius auctoritate polleat, ne quidem ipſe vicarius Chriſti, ſecundum omnem omnium Doctorum ſententiam, abſolvere valet detrahentem, niſi famam ei reſtituat, quam injurioſe ſuffuratus eſt. Hoc Sapientis pronuntiatum eſt: e *Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat.* Et quod Auguſtin. de furto: f *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*: hoc enimvero hic potiſſimum vim obtinet. Hæc autem reſtitutio quam gravate fiat, & quam impoſſibilis quibuſdam viſa ſit, libet uno alterove ſingulari exemplo declarare.

c Amb. l. de Noe & arca c. 5. *d* Eccli. cap. 28. *e* Prov. 13 *f* Aug. Ep. 54. ad Maced.

UVA. BHSC. BU 02224

rare. Memini, inquit celeberrimus, ille prædicator Ioannes Baptista de *a* Lanuza, dum inciperem studere Salmanticæ in Conventu S.Stephani, me audivisse à Patribus senioribus, virum nobilem Alcalæ convenisse eximium Patrem Magistrum Alphonsum de Castro Franciscanum, eique hunc casum suum, quo lingua præceps ruerat, exposuisse: in consessu scilicet honorato, jactasse se, matronam aulæ Principem, quam nominarat, à se corruptam, idque falso se commentum fuisse. Cui id responsi Magister à Castro dedit: Domine mi, b *casus tuus insanabilis*, nec ullum plagæ remedium; de salute tua conclamatum est. Hic stetit attonito similis, nec plura locutus, isto tam infausto oraculo se interdiu noctuque excauciabat, donec tandem Salmanticam profectus, in P. Franciscum de Victoria Dominicanum, Doctorem egregium incidit, qui hominem cogitabundum ultro aggressus, ilico ulcus tetigit, & detexit, æternæ damnationis sententiam jam in hunc, à celeberrimo Doctore P. Alphonso de Castro, latam, ob peccatum detractionis, quod irremissibile affirmarat. Ad hæc Pater de Victoria, benigne verbis hominem solari, rationibus solidare, ut quis in se omnium flagitia admiserit, viam resipiscendi minime præclusam esse: hic ille respirare, & quasi ex faucibus orci, sibi redditus, Age, inquit, & quam decreveris libens pœnam subibo, quo hoc reatu me exolvam. Non alia, ait P. Victoria, medicinali opus est pœnitentia, quam ut viros illos primates, apud quos perhonestæ illi matronæ detraxisti convenias, ac ingenue fatearis, si opus est, etiam juramento addito, te falso illam tanti flagitii insimulasse. Quod ubi reus se cum gemitu & fremitu numquam facturum affirmaret, idque sibi in dignitate constituto, impossibile esse dictitaret, recte subjecit Victoria: Comperium jam manifeste habeo, verissimum dixisse P. Magistrum de Castro, plagam tuam insanabilem, ac æternæ mortis te reum esse. Quod profecto nemo quisquam demirabitur, qui attenderit, quam homini ingenuo ac honorato moleste accidat, seipsum mendacii ac falsæ criminationis apud alios arcessere, ut complures sint, qui mori mallent, imo æterno incendio seipsos perdere, quam hanc notam inurere, in quo genere, ut cum Iuvenale loquar,

——— c *accipe nostro*,

Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.

d Litteræ R. P. Ioannis Brisselii Roma 6. Iunii 1626. & Pater Ioannes Rho ad Constantinum Cajetanum variis testimoniis rem discussam ac comprobatam sic commemorant: Mirus casus accidit Florentiæ 29. Maii 1626. Adolescens quidam Ioannes Antonius Merlus, id illi nomen, infamaverat magistrum quendam è nostris Belisarium Tassonum turpi suspicione. Res plane falsa erat, agebaturque de honestate cujusdam adolescentis è nobilioribus Florentinis: quare graviter

a Lanuza hom.23.sect.11. b Eccl.28. c Iuven.sat.15. d P.Rho pag.170.

UVA. BHSC. BU 02224

actum fuit cum infamatore. Qui cum adductus esset, ut errorem agnosceret, coëgerunt eum nostri, ut ad collegium veniret, & scripto calumnia revocata, famam nostram restitueret. Venit, sed perinvitus, cum subterfugere honeste non posset; vocatus etiam fuerat parens infamatoris, ut adesset palinodiæ. Qui dum diutius tardat, relictus est infamator in cubiculo quodam solus, ubi nescio quo furore, levius etiam mortem æternam, quam hanc talem notam ducens, pectus sibi duplici vulnere, non procul à corde confodit, & gulam prope secuit: corruit exanimis, & paulo post deprehenditur à nostris in suo sanguine volutans, sine voce, & mortuo quam vivo similior; interim adest pater vulnerati, & filii. misera laniena consternatus, arguit nostros filii percussores. Qui rumor cum per urbem universam increbresceret, tumultuaria plebs collegium irrumpere & diripere parabat, effeciisetque, nisi vim Magistratus submisso satellitio stitisset. In hoc flagranti delicto cum nil consilii humani suppeteret, quo innocentiam suam adversus tam atrocem calumniam, tamque gravibus indiciis nixam tuerentur, visum est filiis ad parentem suum Ignatium recurrere, cui voto facto famam suorum commendant. Mira res, ex templo juveni loquendi usus est restitutus, & cunctis qui aderant, qui erant certe complures, voce satis intelligibili dixit, se sibi vulnera intuliisse, veritus ne patres evocassent satellites, qui vinctum in carcerem ducerent, pœnasque sumerent de crimine. quæ omnia à Notariis publicis, ab Episcopis, Archiepiscopis, Magistratibus juridice discussa invenies loco citato.

Quam merito hic exclamare poterat: Misericordia Domini, quia non sumus consumpti Calumniam revocasse, animam servasse, & ab inferis revocasse fuit. Hanc ipsam restitutionem famæ pro suggestu docuit Vincentius Ferrerius, cujus ardorem dicentis ex eo intelligas, quod Iudæorum viginti quinque millia, totidem Saracenorum Christo, ejus opera conciliata, Christianorum centum viginti millia eidem reconciliata constet. Divini hujus præconis pro viri reverentia, verba fideliter adnumero: a *Sicut enim fur*, inquit, *tenetur ad restitutionem, sic qui furatur famam proximi ex malitia, etiamsi sit verum quod dixit, & erat secretum, tenetur ad restitutionem famæ, alias non poterit intrare paradisum*; quanto magis si falsum, si confictum, si ne cogitatum quidem. Quare admonet & obsecrat magnus ille Apostolus Iacobus: b *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* quia, ut optime Salomon dixit, c *Abominatio hominum detractor.* Nec minus infamæ violatorem, quam in furem, quam in falsarium, in homicidam ab hominibus vel ab ethnicis animadversum fuit. Detractores & delatores falsos flagellis ac fustibus cædi, in exilium pelli Vespasianus imperavit: vivos etiam exuri Augustinus mandavit: nervis cædi Mauritius Imperator jussit: capitali pœna affici M. Antonius

a Vincent. Dom. in Albis serm. 1. prope finem. b Iacob. 4. c Prov. 24.

Pius

UVA. BHSC. BU 02224

Pius voluit; quæ omnia levia, ac infra delictum censenda sunt, si cum iis, quæ divina Nemesis eis intentat, conferantur. Nam a *detractores* non hominibus tantum, sed & *Deo odibiles*, ut non unico eventu, prorsus tragico comprobatum est.

Triennio postquam Patres Societatis Monte-politiano civium injuriis varie vexati, excesserant: *b* quidam civium satis an„tea bene ab re domestica con„stitutus, post ingentem cala„mitatum seriem, eo demum „adductus est, ut complures „dies præter omnem vim natu„ræ, trahens miseriam animam, „nullum inveniret sævissimæ „mortis finem. Quo malo ad „animi sui curam per Dei bo„nitatem conversus, intelli„gensque supplicium id divini„tus sibi immissum, acciri ju„bet multos è civibus, inter „hos Bellarmini patrem alios„que; quibus lecto circumfusis, „moribundus summo cum do„loris sensu, intermortuis sin„gultibus hæc palam profite„tetur: Ego miser ac perditus „is fui, qui habitu hominis Ie„suitæ ementito, ad infamiam „Patribus conflandam, ut co„gerentur Monte politiano ab„ire, quod proh dolor! accidit: „Quasi unus ex iis, furtim no„ctu meretricis domum ingres„sus sum; unde iniqua in Pa„tres dissipata infamia est: & „propter hoc immane facinus „evidenter sentio Deum esse, „qui tanto in agone, uti vide„tis, detinet me, nec finit, mori. „Iam igitur vobis coram omni„bus aperio, & confiteor indi„gnissimum scelus meum: vos „obtestor ut Deum pro me pre„cemini, ut tantam injuriam „mihi condonare velit, dam„numque ac detrimentum re„mittat, quod ego excessu illo„rum Patrum universæ huic ci„vitati peperi. Hæc rite conte„status, non multo post omni„bus admirantibus, tamquam „solutis, quæ ad id tenerent, „vinculis, è vita migravit 15. „Kal. Sept. 1566. hoc uno felix, „quod hic vindicem Dei ma„num expertus, scelus revoca„vit; cæteris fere omnibus, qui „infamiæ Patrum auctores aut „succensores fuerant, misere „pereuntibus. *c* Quibus annu„merandus alter clericorum numero pessimus detractor, qui neminem non maledico dente impetebat. Hic morbo correptus, à socio monebatur rem suam ageret, & vitæ maculas elueret: at surdo fabula canebatur. Saltem, inquit alter, inter nos fœdus ineamus, etiam post mortem duraturum. Si tu me præcesseris moriendo, obsecro, intra triginta dies, te mihi cernendum siste (nisi Deus obsistat) & alterius orbis arcanum edoce. Promisit temerarius se id facturum, in gratiam tam constantis amici. Neque vero id Deus fieri prohibuit. Itaque paucis post mortem diebus, ille ab orco emergens flammis undique opertus, in conspectum se dat superstiti sodali. Hic agnito socio defuncto, ita tremore concussus est, ut nec vocem expedire, nec oculos in flammeam larvam figere potuerit. At umbra illa diserte hominem

a Rom. c. 13, *b* Hist. Societatis Tom. 2 an. 1563. n. 25.

b Ioan. Maior Societ. Iesu Theol. spec. exemp. pag. 264.

com-

UVA. BHSC. BU 02224

compellans : Ego, inquit, ſum ille ſocius tuus, æternum damnatus : nam ipſo mortis momento ad judicem ductus, eos omnes accuſatores habui, quos detractionibus infamavi, & eheu! judex ſententiam tulit, eheu tremendam æternum! in æternum obtrectatores ſagittis igneis configendi, imo telorum faſcibus, quæ acervatim in innocentes ejaculati ſunt, comburendi; ut recte ſubdat Prophera: a *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.*

b In obſidione Chalcedoniæ, ubi ad 50. millia hominum occubuerunt, Turcarum exercitus tantam ſagittarum copiam in urbem immiſit, ut cives eas colligendo, & in faſciculos colligando, ſe ad menſem calefecerint. Illæ ſagittæ dabant carbones quæ frigus ſolabantur; at ſagitræ calumniantium linguarum, dabunt carbones deſolatorios, quibus non ad menſem, ſed in immenſum ævum comburantur. Si tale detractores ſupplicium manet, non injuria cæterum manſuetiſſimus David conſimiles inſectatur : c *Detrahentem*, inquit, *ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.*

Horum hoſtium ſatis eſt ubique, perſequimini, nec deſiſtite dum comprehendatis; ſed, quæſo, & vos ipſos hic comprehendite, neve erubeſcite detrahenti in os obſiſtere, ad hoc egregie adhortante Chryſoſtomo: d *Non ſolum autem maledicentes, ſed & aliis detrahi audientes admoneo aures obſtruere, & Prophetam imitari, dicentem: Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar: dic proximo. Habes aliquem laudes, quem commendes? aures aperio ut unguenta ſuſcipiam. Si vero male velis dicere, verbis ingreſſum obſtruo: non enim ſtercus & cœnum accipere ſuſtineo. Quid mihi lucrum, ſi deſidero quod ille improbus? Maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema jactura. Loquere ad ipſum. Curemus noſtra: Si detractoris os ita retundas* (ut Chryſoſtomus ſuadet) *aut ſilebit detractor, aut laudabit, quem ante carpſerat.* Auguſtinus ille Præſulum gemma, tam non ferre poterat obtrectatores, ut ad proximum menſæ parietem appenderit tabellam, qua omnes illic accubituros moneret, his verſibus :

Quiſquis amat dictis abſentum rodere famam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

En menſæ leges præclariſſimas, quæ utinam obſervarentur, & omnium menſis & mentibus appenderentur, non toties humanas carnes maledici ſuper menſam dilaniarent; à quibus epulis abhorrere monet Sapiens, Prov. 23. *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnem ad veſcendum conferunt. Quid eſt hic, carnes comedere*, quærit peracute Richardus Victorinus, *niſi aliena infirma, maledico dente lacerare? qui enim alienam vitam libenter rodunt, qui derogationibus ſtudioſe ſerviunt, qui proximorum infirmitatem delectabiliter carpunt, quid aliud quam carnes comedunt, ut ille querebatur?*

a Pſal. 119. b Hiſt. Turcarum Perard. teſtro S. Sebaſtiani. c Pſal. 100. d Chryſoſt. hom. 3. ad pop. Antic. c. circa medium.

a Ap-

UVA. BHSC. BU 02224

a *Appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.* De quo & Paulus Galatas monet: *Si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem conſummamini.* Cujuſmodi menſas ut ſtudioſius vitetis, dictum Hipponenſis Præſulis conviviis veſtris proponite. *b* Quod ſi deſit, religioſiſſimi viri Franciſci Suarii exemplum in hoc genere illuſtre æmulamini. Suarium convivio exceperat Ulyſſiponenſis Antiſtes, & forte ſolita convivis hilaritate, jucundi miſcebantur ſermones. Eos inter, eo paulatim dilapſus eſt nonnemo, ut abſentis nomen arroderet. Grave primum ſilentium dejecto vultu habuit Suarius. Mox aſſurgens: Aut iſte præſcindendus eſt ſermo, aut veſtra cum venia, hinc ego abeo. Defixit alios in Principis convivio, magnorumque virorum corona libera privati hoſpitis denuntiatio; verum Archiepiſcopus Chriſtiana candidiſſimi atque ſapientiſſimi ſenis captus libertate, hominem complexus, Macte, inquit, Franciſce, non alium ego amicum pervelim, qui abſentis amici famam adeo libere tuearis. quo meruit ſupra infinitæ ſapientiæ laudem, hoc etiam nomine, ſuæ ætatis alter Auguſtinus nominari.

Ita prorſus alter alterius famam tueamur, & omnem vel umbram detractionis, velut anguem peſtiferum horreamus. Hieronymus hoc ſuadens, b *Si quem* ait, *alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite velut ſerpentem, ut verecundia victus diſcat de aliorum factis ſilere.* Quod ſilentium ſi induxeris aut indixeris, omnem rationem facundiam merito ſuperaſſe cenſendus es.

a Pſal. 26. b P. Rho exempla virtut. pag. 15, & plura ib.

b Hieron. in Reg. Monaſt. c. 22.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXVII.

Eo quod non cognoveris tempus. Luc. 19.



MAGNO STET PRETIO *Horat. sat. 2.*

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Tretium temporis, ſuper omnem lapidem pretioſum, exprimitur per horologium, quod Carolus V. pro adamante annulo inſertum geſtabat.

§. I. Nihil pretioſius tempore. Et heu! nihil hodie vilius *æſtimatur*. Bernard. Declam. *Ecce nos*, &c.

§. II. *Jactura temporis ſero deflctur.*

§. III. *Dum tempus habemus, eo quam ſedulo utendum.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Eo quod non cognoveris tempus. Luc. 19.

PRETIOSUM id omne dicitur, quod exiguum, alterius multum exæquat, seu quod exigua sui mole, passim apud omnes summi momenti, ac magno in pretio est: cujusmodi inter omnia cimelia est Adamas, de quo Plinius: *Non solum inter gemmas; at in rebus humanis maximum pretium habet Adamas;* qui tamen tantillus, ut teste Isidoro lib. 16. c. 13. nullus unquam repertus sit, qui quantitatem nucis avellanæ excederet. *a* Fuit Cardinalis in Galliis, cui gemma, quam ob miriñcum splendorem ad centum millia aureorum æstimabat: hanc dedit asservandam homini fido, è famulitio suo, qui eam nulli arcæ, aut loco fidebat, sed semper secum diu noctuque sub axilla, ad cor suum circumferebat, illamque æque ac cor, & vitam suam custodiebat: pretiosum profecto monile, quod tantillum, tot millibus væniebat, ac merito tanta cura asservabatur. *b* Sed nescio quid in exiguo, his omnibus pretiosius, magnus ille Carolus V. reperit, dum non Achatem, uti Pyrrhus, à natura artifice elaboratum; non gemmam aliquot millium aureorum, sed omni adamante pretiosius, exile horologium cum omnibus suis libramentis, currentibus & recurrentibus rotulis, tempus metientibus, annulo suo inclusit, cui hanc Epigraphem subjicere placuit: *Gemma pretiosius omni.* vel, *Magnum temporis exigui pretium.* Hauserat hoc nempe à *c* Doctore gentium, qui momento *æternum gloriæ pondus comparari* asseverat. Quod Bernard. Serm. ad Scholares expendens, hoc illis pronuntiatum tradere non dubitavit: *Nihil tempore pretiosius.* Iosephus Venetus legatus, missus ad Usuncassenum regem Persarum, narravit regem sibi ostendisse inter cætera monilia carbunculum tantæ pulchritudinis, ut à rege rogatus quanti eum æstimaret? responderit, nullum pretium pecuniæ, isti posse adæquari, integro regno vænire. *Gemma pretiosius omni*, momenti maximi vel unicum momentum est, in quo Petrus veniam, Paulus gratiam, latro regnum ac gloriam comparavit æternam. Quæ scite expressit S. Bernardinus: d *Vide peccator temporis pretiositatem; quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam & gloriam.* Plus dicit idem Ecclesiastes: *Tempus tantum valet, quantum Deus; quippe in tempore bene consumpto, comparatur Deus.* Ut non injuria horologia aureis litreris horas signent, cujus vel momentum in pretio habendum est. Sed ó perversum mortalium judicium! cum gemitu Bernardus ingeminat:

a Chresol. antolog. par. 2, pag. 204.
b Caussinus in symb. l. 12, sect. 68.

c Ad Gal. 6. *d* Feria 4. post Domin. 1. Quad. c. 4.

Nihil

UVA. BHSC. BU 02224

§. I.

a *Nihil pretioſius tempore, ſed heu! nihil hodie vilius æſtimatur.*

HOc unicum mortalium ſtudium, diem comburere, horas fallere, otio aut certe nullo negotio tempus perdere. *b* Domitianus Imperator quotidie horas aliquot in cubiculum ſe abdebat, quaſi de rebus magnis conſulturus: cum vero miniſtri aliquando perrimam, quid intus ageret, curioſius indagarent; viderunt Imperatorem muſcas acuto ſtilo configentem. Hinc percunctantibus, num quis intus eſſet cum Imperatore? *Ne muſca quidem*, reſpondebant. Hartabus Hircaniæ Rex talpas capiebat: Eropus Macedoniæ Rex laternis conficiendis capiebatur: Bias Rex Lydiæ, filo ranas colligabat: Ptolemæus omnium artificum tabernas obambulabat: Valentinianus Imperator picturæ & cælaturæ deditus, totus erat in fictis & pictis lineamentis corporis: ſic interim dies & annos traducebat, queis non lineam animæ duceret. Fuit qui quadrigas cælabat, quæ ſub muſcæ ala abſcondebantur, in quem merito Ælianus exclamat: c *Quid hoc aliud, quam temporis vana perditio?* Alexander ille, re & nomine magnus, ſuccenſuit ei potius, quam ut ſperatum præmium largiretur, qui grana ciceris per ocellum acus, quoties vellet eminus trajiceret; quod nimirum non tam laudandam hominis induſtriam, quam damnandum inutilem pretioſi temporis jacturam cenſeret. *d* His accenſeri poſſunt prima orbis ingenia, quæ in deſcribendo paſſere, cane, fele, rana, muſca, culice, pulice, pediculo, elaborato opere deſudarunt. *e* Otioſi hominis & illa occupatio cenſeri poteſt, qui calculum inivit quot vicibus ſex convivæ, vario ſemper ordine accumbere poſſent. Invitarat quiſpiam ſex convivas variæ dignitatis: hinc cum accumbendum, lis ingens, & delitiæ ac cæremoniæ plurimæ: alter alteri principem locum cedere, ille non accipere: hic urgere, ille denuo tergiverſari: iſte iterum blandiri, & rogare, & priorem accubitum deferre: hic paterfamilias & modimperator partes ſuas interponere: & Quæſo, inquit, num hodie ſtantes prandebimus? proximum quiſque locum occupet. aut ego vos toties adhibebo menſæ, quoties ſeſſioni locus poterit inter vos mutari. Otioſe hoc prorſus, & temere dixit; nam ſi leges arithmeticæ ſpectemus, poſſunt ſex convivæ ſeptingenties vicies diſcumbendi ordinem commutare. Si jam anno uni trecentos ſexaginta quinque dies aſſignemus, debuit paterfamilias ille ſex convivas duos totos annos quotidie ad menſam vocare, exceptis quinque ultimis diebus hebdomæ ſanctæ. In quo ad longum numero ſupputando, quantum temporis expenderit, lector otioſus ex adjecta tabula facile colliget, in qua literas pro convivis, nunquam eodem ordine collocatas reperiet.

a Bern. declam. Ecce nos reliquimus omnia. *b* Epulum Philo Gaſp. Ens p. 102. c Lib. 1, c. 17. Variæ Hiſt.

d Raderius in Mart. p. 89, e Drex. Phaeton de otioſa lingua c. 41 ſect 5

UVA. BHSC. BU 02224

abcdef	acbdef	adbcef	aebcdf	afbcde	bacdef	bcadef	bdacef
abcdfe	acbdfe	adbcfe	aebcfd	afbced	bacdfe	bcadfe	bdacfe
abcedf	acbedf	adbecf	aebdcf	af bdce	bacedf	bcaedf	bdaecf
abcef d	acbefd	adbefc	aebdfc	af bdec	bacefd	bcaefd	bdaefc
abcf de	acbfde	adbf ce	aebfcd	afbecd	bacfde	bcafde	bdafce
abcfed	acbfed	adb fec	aebfdc	af bedc	bacfed	bcaf ed	bdafec
abdcef	acdbef	adcbef	aecbdf	afcbed	badcef	bcdaef	bdcaef
abdcfe	acdbfe	adcbfe	aecbfd	afcdbe	badcfe	bcdaf e	bdcafe
abdecf	acdebf	adcebf	aecdbf	afcbde	badecf	bcdeaf	bdceaf
abdefc	acdefb	adcef b	aecdf b	afcdeb	badefc	bcdefa	bdcefa
abdfce	acdfbe	adcfbe	aecfbd	afcebd	badfce	bcdfae	bdcfae
abedfc	acdfeb	adcfeb	aecfdb	afcedb	badfec	bcdfea	bdcfea
abecdf	acebdf	adebcf	aedbcf	a fdbce	baecdf	bceadf	bdeacf
abecf d	acebfd	adebfc	aedbfc	afdbec	baecfd	bceafd	bdeafc
abedcf	acedbf	adecbf	aedcbf	afdcbe	baedcf	bcedaf	bdecaf
abedfc	acedfb	adecfb	aedcf b	afdceb	baedfc	bcedfa	bdecfa
abefcd	acefbd	adefbc	aedfbc	afde bc	baefcd	bcefad	bdefac
abefdc	acefdb	adefcb	aedfcb	afdecb	baefdc	bcefda	bdefca
abfcde	acfbde	adf bce	aefbcd	afebcd	bafcde	bcfade	bdface
abfced	acfbed	adfbec	aefbdc	afebdc	bafced	bcfaed	bdfaec
abf dce	acfdbe	adfcbe	aefcbd	afecbd	bafdce	bcfdae	bdfcae
abfdec	acfdeb	adfceb	aefcdb	afecdb	bafdec	bcfdea	bdfcea
abfecd	acfebd	adfebc	aefdbc	afedbc	bafecd	bcfead	bdfeac
abfedc	acfedb	adfecb	aefdcb	afedcb	bafedc	bcfeda	bdfeca beacdf

UVA. BHSC. BU 02224

beacdf	bfacde	cabdef	cbadef	cdabef	ceabdf	cfabed	dabcfe
beacfd	bfaced	cabdfe	cbadfe	cdabfe	ceabfd	cfadbe	dabecf
beadcf	bfadce	cabedf	cbaedf	cdaebf	ceadbf	cfadeb	dabefc
beadfc	bfadec	cabe fd	cbaefd	cdaef b	ceadf b	cfaebd	dabfce
beafcd	bfaecd	cabfde	cbafde	cdaf be	ceaf bd	cfaedb	dabfec
beafdc	bfaedc	cabfed	cbafed	cdafeb	ceafdb	cf bade	dacbef
becadf	bfcade	cadbef	cbdaef	cdbaef	cebadf	cf baed	dacbfe
becafd	bfcaed	cadbfe	cbdafe	cdbafe	cebaf d	cf bdae	dacebf
becdaf	bfcdae	cadebf	cbdeaf	cdbeaf	cebdaf	cf bdea	dacef b
becdfa	bfcdea	cadefb	cbdefa	cdbefa	cebdfa	cf bead	dacf be
becfad	bfcead	cadf be	cbdfae	cdbfae	cebfad	cf beda	dacfeb
becfda	bfceda	cadfeb	cbdfea	cdbfea	cebfda	cfdabe	daebcf
bedacf	bfdace	caebdf	cbeadf	cdeabf	cedabf	cfdaeb	daebfc
bedafc	bfdaec	caebfd	cbeafd	cdeaf b	cedaf b	cfdbae	daecbf
bedcaf	bfdcae	caedbf	cbedaf	cdebaf	cedbaf	cfdbea	daecfb
bedcfa	bf dcea	caedfb	cbedfa	cdebfa	cedbfa	cfdeab	daef bc
bedfac	bfdeac	caef bd	cbefad	cdefab	cedfab	cfdeba	daefcb
bedfca	bfdeca	caefdb	cbefda	cdef ba	cedf ba	cfeabd	daf bce
befacd	bfeacd	caf bde	cbfade	cdfabe	cefabd	cfeadb	daf bec
befadc	b eadc	caf bed	cbfaed	cdfaeb	cefadb	cfebad	dafcbe
befcad	bfecad	cafdbe	cbfdae	cdf bae	cefbad	cfebda	dafceb
befcda	bfecda	cafdeb	cbfdea	cdf bea	cefdab	cfedab	dafebc
befdac	bfedac	cafebd	cbfead	cdfeab	cefdba	cfedba	dafecb
befdca	bfedca	cafedb	cbfeda	cdfeba	cfabde	dabcef	dba cef dbacfe

UVA. BHSC. BU 02224

dbacfe	dcabfe	deabfc	dfabec	eabcfd	ebacfd	ecabfd	edabfc
dbaecf	dcaebf	deacbf	dfacbe	eabdcf	ebadcf	ecadbf	edacbf
dbaefc	dcaefb	deacfb	dfaceb	eabdfc	ebadfc	ecadfb	edacfb
dbafce	dcafbe	deafbc	dfaebc	eabfcd	ebafcd	ecafbd	edafbc
dbafec	dcafeb	deafcb	dfaecb	eabfdc	ebafdc	ecafdb	edafcb
dbcaef	dcbaef	debacf	dfbace	eacbdf	ebcadf	ecbadf	edbacf
dbcafe	dcbafe	debafc	dfbaec	eacbfd	ebcafd	ecbafd	edbafc
dbceaf	dcbeaf	debcaf	dfbcae	eacdbf	ebcdaf	ecbdaf	edbcaf
dbcefa	dcbefa	debcfa	dfbcea	eacdfb	ebcdfa	ecbdfa	edbcfa
dbcfae	dcbfae	debfac	dfbeac	eacfbd	ebcfad	ecbfad	edbfac
dbcfea	dcbfea	debfca	dfbeca	eacfdb	ebcfda	ecbfda	edbfca
dbeacf	dceabf	decabf	dfcabe	eadbcf	ebdacf	ecdabf	edcabf
dbeafc	dceafb	decafb	dfcaeb	eadbfc	ebdafc	ecdafb	edcafb
dbecaf	dcebaf	decbaf	dfcbae	eadcbf	ebdcaf	ecdbaf	edcbaf
dbecfa	dcebfa	decbfa	dfcbea	eadcfb	ebdcfa	ecdbfa	edcbfa
dbefac	dcefab	decfab	dfceab	eadfbc	ebdfac	ecdfab	edcfab
dbefca	dcefba	decfba	dfceba	eadfcb	ebdfca	ecdfba	edcfba
dbface	dcfabe	defabc	dfeabc	eafbcd	ebfacd	ecfabd	edfabc
dbfaec	dcfaeb	defacb	dfeacb	aefbdc	ebfadc	ecfadb	edfacb
dbfcae	dcfbae	defbac	dfebac	eafcbd	ebfcad	ecfbad	edfbac
dbfcea	dcfbea	defbca	dfebca	eafcdb	ebfcda	ecfbda	edfbca
dbfeac	dcfeab	defcab	dfecab	eafdbc	ebfdac	ecfdab	edfcab
dbfeca	dcfeba	defcba	dfecba	eafdcb	ebfdca	ecfdba	edfcba
dcabef	deabcf	dfabce	eabcdf	ebacdf	ecabdf	edabcf	efabcd efabdc

UVA. BHSC. BU 02224

efabdc	efdacb	fadbec	fbcaed	fcabed	fceabd	fdcaeb	febcad
efacbd	efdbac	fadcbe	fbcdae	fcadbe	fcebad	fdcbae	febcda
efacdb	efdbca	fadceb	fbcdea	fcadeb	fcebda	fdcbea	febdac
efadbc	efdcab	fadebc	fbcead	fcaebd	fcebad	fdceab	febdca
efadcb	efdcba	fadecb	fbceda	fcaedb	fcedba	fdceba	fecabd
efbacd	fabcde	faebcd	fbdace	fcbade	fdabce	fdeabc	fecadb
efbadc	fabced	faebdc	fbdaec	fcbaed	fdabec	fdeacb	fecbad
efbcad	fabdce	faecbd	fbdcae	fcbdae	fdacbe	fdebca	fecbda
efbcda	fabdec	faecdb	fbdcea	fcbdea	fdaceb	fdecab	fecdab
efbdac	fabecd	faedbc	fbdeac	fcbead	fdaebc	fdecba	fecdba
efbdca	fabedc	faedcb	fbdeca	fcbeda	fdaecb	feabcd	fedabc
efcabd	facbde	fbacde	fbeacd	fcdabe	fdbace	feabdc	fedacb
efcadb	facbed	fbaced	fbeadc	fcdaeb	fdbaec	feacbd	fedbac
efcbad	facdbe	fbadce	fbecad	fcdbae	fdbcae	feacdb	fedbca
efcbda	facdeb	fbadec	fbecda	fcdbea	fdbcea	feadcb	fedcab
efcdab	facebd	fbaecd	fbedac	fcdeab	fdbeac	feadbc	fedcba
efcdba	facedb	fbaedc	fbedca	fcdeba	fdbeca	febdca	
efdabc	fadbce	fbcade	fcabde	fceadb	fdcabe	febacd	

Horum omnium ſtudia miramur, cum nihilo ſecius, imo nequius tempus tranſigamus. Rationem quiſque vitæ ſuæ diligentius reſpiciat è 30.50.80. ann. quos vixit, quot horas ludo, quot inani ſtudio, quot prandio, quot ſomno? quantulum animæ ac Deo per pias occupationes inſumpſerit? in his quid non evagationis? [a] Recens Poëta cum ſolem aliquando in Theatrum induxiſſet ſublimi quadriga ſplendentem, fecit eum à 12. horis trahi; horas autem velut Nymphas perquam eleganter adornavit alis & ſagittis: in ſignum celeritatis inſignes. Cæterum diſſimili habitu, moleque corporis; quaſdam enim proceriſſimas,

[a] Stengelius in labyrintho, c. 13. n. 23.

alias

UVA. BHSC. BU 02224

alias breviuſculas, nonnullas minima ſtature exhibuit. Hanc varietatem cum obvius Mercurius vidiſſet, ex ſingulis intelligere voluit, quænam eſſent? Breviſſimæ igitur Nymphæ dixerunt ſe eſſe horas orationis; mediocres vero, ſe eſſe horas negotiorum; at longiſſimæ reſponderunt ſe horas ſomni eſſe, prandiorum, ludorum, compotationum. Qua re Poëta ingenioſus ſignificare voluit, ab hominibus horas plerumque contrahi divinis rebus deſtinatas; extendi autem liberius ac liberalius, quæ impenduntur faciendo lucro, alendæ familiæ, ſuſtentationi comparandæ: illas demum prolixiſſimas eſſe, quas ſympoſia, ſpectacula, otia, ſcelera abſumunt. Ut nihil dicam de ſupervacuis vaniſque colloquiis, dum

a *Garrula cum blandis ducitur hora jocis*,

Bernardum audite. *Nemo veſtrum*, inquit, *parvi æſtimet tempus, quod in verbis ſumitur otioſis; volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile; nec advertit inſipiens quid amittat. Licet fabulari (dicunt) donec hora prætereat. O! donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miſericordiæ Conditoris indulget. Donec tranſeat tempus quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Quod ſi tam grande piaculum eſt, unam horam alteramve inter officioſas ridiculaſque confabulationes perdere; quantum crimen erit, dies, menſes, annos, maximam totius vitæ portionem, in popinis inter pocula, inter libidines, & iniqua lucra comburere: aut cum nummis & arcula, aut cum ventre & cuticula negotium eſt. Ii vero honeſti ac probi habentur, qui ad abacum volvendis teſſeris, vel luſoriis paginis tempus & curas fallunt, imo & ſeipſos, nunquam magis ſerii quam in hiſce illuſoriis nugis. Quos ludiones ſeveriori ſupercilio perſtringit Seneca Philoſophus: b *Nullum temporis pretium eſt; re omnium pretioſiſſima luditur.* c Alexander Dux Lithuaniæ, ex illuſtri Iagellonidum familia, ludens cum margarito ſeu pretioſo unione, eundem ſæpe auriculæ immiſerat & exemerat: altius tandem inſerens, extrahere non valuit, & paulo poſt ulcere exorto interiit. Re tam pretioſa dum lüdit, luditur, & vitam amittit. Plures dum re omnium pretioſiſſima, id eſt, cum tempore ludunt, animam perdunt. dum tempus, quod vitæ meliori, imo æternæ impendere poſſunt, luſibus ſi non inhoneſtis, damnoſis certe dilapidare contendunt, quaſi tam ubere illius copia opprimantur, ut perditos ſe exiſtiment niſi tempus perdant; cum tamen Cittæus ille Zeno olim dicere ſit ſolitus, nullius rei penuria magis homines laborare quam temporis. Cui Democritus, Theophraſtes & Varro conſonant, dum ajunt, nihil temporis impendio pretioſius, nihil jactura

a Tibull. l. 3. El. 22. ſer. de triplici cuſtodia.

b Seneca de brevitate vitæ cap. 8. c Michael Picart. to. 3. deo. 7. s. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

ejus gravius reperiri. Fuit qui quadragenis H. S. in punctum luderet, id est, uno jactu ducentorum quinquaginta millium florenorum jacturam faceret: hac tamen gravior jactura temporis. Suffragatur his auctoritas, qua major non est in terris: variis enim de rerum suarum jactura apud sanctissimum Patrem nostrum Clementem VIII. conquerentibus, respondisse fertur, a *eam jacturam rei gravissimam esse, quæ semel amissa recuperari non potest.* Si vestis scissa est, reparari potest: domus incensa est, reædificari potest: exercitus cæsus est, novis copiis instaurari potest: civitas perdita est, recuperari potest; at tempus perditum recuperari non potest, ut eleganter in re seria lusit Poëta:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Hoc scilicet expendunt comptuli adolescentes, sponsi Penelopes, Veneris proci, qui quot horas in periscelide explicanda insumunt? Hæc nempe cura, sive temporis jactura puellas sollicitat, quæ quot horas ad crystallum idolum suum venerantur; nec quidquam teste *b* Hieronymo illis antiquius est, quam *polire faciem purpurisso, & cerussa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere.* Hæc & ejusmodi *c* Bernardum gravissime lamentantem audiamus: *Considera quam multi* moriantur (quot hoc momento agonizent) *quibus si hæc hora* (dum tu ad speculum, tu ad abacum lusorium) *ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria, & quam festinantes currerent? & ibi flexis genibus, vel certe toto corpore in terram prostrato, tamdiu suspirant, plorarent & orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Deo consequerentur. Tu vero comedendo, bibendo, jocando & ridendo tempus otiose perdis, quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam quot animæ in inferno nunc cruciantur, sine spe veniæ ac misericordiæ.*

a Beyerlinck in apopht. tit. Tempus. b Hieron. ad Demet. de virg. c. 5. c Bernard. de interiori domo c. 63.

§. 11.

Jactura temporis sero defletur.

NIhil quidquam damnatos gravius affligit, quam pauculos vitæ annos, breve merendi spatium, non totum in lucrum æternæ beatitatis insumpsisse. Docet illud *d* Humbertus è sacra D. Dominici familia vir undequaque magnus. Homo quidam Religiosus piis aliquando precibus occupatus, seria futuri ævi consideratione distinebatur: cum ecce tibi, vocem lugubrem plenamque mœsto ejulatu accepit. Ignarus unde adlaberetur, quæsiit quid gemeret, quid etiam ploraret? Ad quem tristis iterum sonus: Sum unus ex conclamata apud inferos turba. Quid vero, inquit ille, tam luctuose suspiras? Noveris, ait damnatus, me, ceterosque averni incolas, nihil acerbius lugere, nihil amarius deplorare, quam inter vanitates sæculi, brevesque illece-

d Humbertus de 7. donis.

UVA. BHSC. BU 02224

bras, dilapidati temporis jacturam. sic evanuit. Quid putamus, ô mortales! si quis institor vendendi temporis à Deo potestatem accepisset, atque ad portas inferorum consistens, damnatis omnibus copiam faceret emendi; quam caro putatis vel horam redimerent? Damnatos interroga, ipsi tibi pretium temporis statuent. Prodeat in ignea sua purpura unus Epulo, quid daturus pro anno uno, pro die, pro hora hujus temporis? Darem, inquit, mundum universum, darem mille mundos si haberem. Quid tu ô Herodes sanguisuga? Darem delitias omnes, divitias omnes, tormenta omnia subirem. Quid tu proditor Iuda? O si daretur vel momentum resipiscendi, pœnitendi, veniam emerendi, illud emerem omnibus laboribus, doloribus, afflictionibus, quas unquam homines tolerarunt, aut etiam tolerant in purgatorio vel in inferno, etiamsi illa, etiam centum millia, imo mille milliones annorum durent. Hæ voces Diocletiani, Neronis, Maxentii. Sic Arrius, Nestorius, Lutherus, Calvinus, turpes Ecclesiæ abortus loquerentur: mille mortibus, mille suppliciis protractis in mille milliones annorum, redimerent breviſſimam horulam, vel momentum, quo iterum per sincerum contritionis actum, cum immensa illa bonitate in gratiam redire, orcum cælo permutare liceret. Appositè B. Laurentius Iustinianus: a *Quis mente assequatur ut pretiosum est tempus? aut quis lingua charitatem ejus explicet? norunt qui amiserunt: hi enim grato animo erogarent opes, honores, delicias ac quidquid est voluptatis pro una horula; nam exiguo illo tempore possent iram ac furorem divinæ justitiæ sedare, Angelos exhilarare, flammis æternis se eripere & cæleste regnum adipisci.* b Ipse mendacii pater quandoque hanc veritatem confirmare coactus, in corpore obsessæ adjuratus, dixit: Si Deus post diem judicii vellet sibi punctum temporis concedere ad promerendum cælum, plus esset ipse solus pro Deo facturus, quam omnes homines simul. Alter interrogatus quodnam esset summum tormentum, quod apud inferos sustinerent? Hoc, inquit, summe me cruciat, quod tam parvam curam habuerim temporis, quod mihi datum ad amandum Deum; & tamen secundum communem sensum Theologorum, Angeli tantum unum quadrantem, vel ut alii, momentum, fuere in statu merendi: *Quæ lingua caritatem ejus explicet? norunt qui amiserunt. O magnum temporis exigui pretium!* Interroga animas in Purgatorio, quanti temporis jacturam redimerent? dicent illæ: Si possemus redire ad tempus merendi & satisfaciendi, emeremus illud non auro, non gemmis totius mundi, sed sanguine & vita & mille mortibus; ac tum reipsa verum illud Augustini, eorum quisque comprobaret, c *Caro mihi valent stillæ temporum.*

Interroga Beatos, dicent illi: O mortales si sciretis quæ merita, quæ lucra gloriæ quot

a Iustin. de vita solit. c. 10.

b P. Barry solitude pag. 256. c Aug. lib 1, conf. c. 21.

UVA. BHSC. BU 02224

momentis comparare poſſitis, ea emeritis omni ſudore & labore. Meritum momento acquiſitum, æternum eſt. Id unum vobis invidemus: O ſi ad vos reviſere liceret! emeremus vel horam omnibus equuleis, ignibus, beſtiis, martyriis; cuderemus illa pati quæ unquam ſancti paſſi ſunt, uſque ad diem judicii. O ſi redire liceret, quam aliter tempus expenderemus: verſamur hic inter Angelos, hoc ageremus ut inter Seraphinos, Cherubinos inter, adſcribi mereremur, quo ſummo bono arctius conjungeremur. O momentum pretioſum, ex quo pendet æternum gloriæ pondus! minima portio gratiæ, (ut D. Franciſco revelatum proditur) pluris eſt toto hoc mundo aſpectabili, etſi tota terra in aurum, lapides in gemmas, aquæ omnes in balſamum verterentur. Quot hic momenta in otio deperdis, tot æternitates gloriæ, tot gradus gloriæ tota æternitate duraturos, quos laborando, patiendo, animas convertendo acquirere poteras, perdis, & irrevocabiliter perdis, ut ſi in cælo pœnitere poſſes, non alterius rei quam temporis deperditi, aut minus ſtrenue impenſi te pœniteret. Quare jam dum tempus habemus, ejus nos quam maxime avaros præbeamus. *a* In ſilva non ignota Mercator quidam pro ſumma non adeo notabili, emit quercus, ea lege, ut tot ſibi proſterneret, ſuaſque faceret, quot uno die ab aurora ad veſperam uſque poſſet ſignare ſylveſtri malleo. Contractus initus eſt. Obſervavit in primis emptor præſtantiſſimas quaſque cum otio, locaque deſignavit, quibus adeundis compendioſe ordinem ſervaret; expectavit dies longiſſimos, & ab aurora ad veſperam uſque aſcitis aliquot ſociis, quorum nonnullus panem vinique lagenam conferebat, pene totam ſilvam, quæ longitudine duo milliaria ſuperabat, latitudine non omnino æquali, quercubus ſpoliavit, incredibili domini damno. Ecquis noſtrum adeo temporis avarus exiſtit? ecquis ita bene mane conſurgit, ut ad veſperam uſque, altas quercus ſuperbiæ, avaritiæ, iræ, luxuriæ, pervicaciæ decutiat atque proſternat? nullius vero damno, at noſtro ſummo emolumento, cæleſtes ſibi divitias conquirat, quas modo dum tempus habemus, quiſque ſibi comparare ſtudeat.

a Crombet. de ſtudio perf. l. 1. c. 38. p. 293.

§. III.

Dum tempus habemus, ea quam ſedulo utendum.

OPtime *b* S. Gregorius Nazianz. *Vita noſtra eſt quaſi mercatus, cujus dies cum abierit, tempus non erit emendi quæ velis.* Apud mortales in hoc orbe ſolemne eſt, non niſi certos dies nundinis præfigere. Quicumque igitur cogitat pecunia res neceſſarias ſibi comparare, tempore debet accedere; finitis nundinis, emptionis commoda occaſio non ſupereſt. Eandem cælo mercando legem ponit Deus, ſpatium præſentiæ vitæ; ubi hæc abierit, actum eſt; mercari, nundinari, emere, redimere nulli amplius conceditur.

b Greg. Naz. in ſent.

Quid

UVA. BHSC. BU 02224

Quid tu de eo negotiatore pronunties, qui unis nundinis centum & amplius millium ducatorum fœnus comparare posset; eas interim ridendo & jocando male contereret? ac ut exemplo res planior fiat: fac esse Madriti negotiatorem, cui hæc à Rege Hispaniæ lex præfigitur, ut proximo die nundinario, quidquid tota vita sibi deinceps comparatum velit, necessario comparare debeat, ita ut eo die elapso, non obolum, non panis frustum, aut prece aut pretio impetrare possit; ea tamen conditione ut toto ejus diei spatio (modo suis non desit partibus) Rege ita suppeditante, ad centum & plura Ducatorum millia lucranda, non desit occasio. Quid amabo die tam quæstuosa, ejusmodi negotiatorem facturum existimes? nonne à summo mane in seram vesperam omnibus corporis & animi viribus, tam opulentæ negotiationi insudaret? nonne genium defraudaret, ut totus lucro incumberet? aut si imprudens, aliquam diei partem ludo aut jocis perderet, quantocyus Sapientis hortatu ad mentem rediret, & neglecti lucri jacturam æstimare inciperet? Quid si totum diem sic otio ac ludo abreptus prodigeret? nonne jacturam illam gravissimam ac summe dolendam duceret? Nundinæ æternitatis vita nostra stant, quæ dies tantum nundinaria est: diem interim hanc nox excipit, a *nox* heu! *in qua nemo potest operari*, nemo sibi teruncium, at ne guttam quidem aquæ unicam in æternitate comparare potest.

a Ioan. c. 8.

b *Titus Vespasiani filius*, ut Hieron. refert, *cum quadam nocte sero recordaretur, in cœna, se nihil boni eo die fecisse, dixit amicis: Hodie, diem perdidi. Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, dum otiosum verbum loquimur, de quo reddituri rationem.* Dum calumniis, dicteriis, detractionibus, mendaciis vitam terimus, non cum Tito exclamamus: *Amici, diem perdidimus!* Quid aliud clamant, dolent, queruntur inferi, quam illud: Amici, diem perdidimus, imo dies omnes, annos, vitam, regnum, beatam æternitatem, omnia? Quapropter sapienter omnino Dorotheus inculcat: c *Videmus quotidie fratres nostros de medio tolli, rapi, & mori; nec tamen ob id vigilamus, nec aliquam salutis nostræ curam & diligentiam habemus: nec intelligimus stupidi, quod sensim & in horas morti appropinquamus. Ecce! ex quo dudum huc convenimus, & ad loquendum consedimus, duas aut tres horas nostri temporis consumpsimus, & morti viciniores sumus quam antea. Videmus certe tempus frustra consumi & labi, nec formidamus. Cur, quæso, memorandæ senis illius sententiæ non sumus memores, qui dicere solebat: Aurum & argentum si perdiderit homo, poterit tantundem invenire & reponere; si vero tempus amiserit, nequaquam illud unquam invenire vel acquirere poterit, neque aliud pro eo aliquando reficere aut resarcire. Sane futurum est omnino, ut horam hujusce temporis quæramus, desideremusque, nec eam habere, vel ullis precibus impetrare possimus.*

Ludovicus XI. Galliarum rex,

b S. Hieron. in Epist. ad Gal. c. 6. v. 10.
c Doroth. serm. 11.

UVA. BHSC. BU 02224

extremo morbo conflictans, in dies singulos medico suo quingentos aureos donabat, ut arte sua vitæ tempus protraheret; sed tanto auri impendio pauxillum temporis ne regi quidem impendere valebat.

Nec potuit pretio vel breve tempus emi.

Ut nec Crysaorius ille, qui inducias usque mane ne quidquam deposcebat, ut Gregor. memorat.

Non potuit pretio tam breve tempus emi.

[a] Lubet hic in exemplum adducere quod refert R. P. Paulus Barry: Adfui, inquit ille, novitio Societatis morienti, quem dum superior jam animam agentem percunctaretur: Alexander dic si qua in re tibi præsto esse possim, si quid à me desideres? Vitam, inquit, Pater mihi. Vitam Alexander instanter rogabat, quam in vere ætatis deponere, & dum Deo vivere cœperat, se mori incipere graviter dolebat, sed heu! nec Superior, nec ullus mortalium vel momentum vitæ elargiri poterat.

Non potuit pretio tam breve tempus emi.

[b] Atque longe illud præclarissimum, & hactenus inauditum, Aulici illius Carolo V. invictissimo perfamiliaris, etiam ac intimi: ad quem cum lethali invaletudine ad extrema jam deductum visendi & consolandi gratia forte Carolus adisset, rogasseque peramice, numquid à se ea hora sibi suisque præstari cuperet? Unam, inquit Aulicus, unam te Cæsar pro omnibus obsequiis Cæsareæ tuæ Majestati à me, in omni vita impense præstitis, mihi à te gratiam referri postulem. Ecquam, inquit Imperator, edisse re. An est forte muneris aut dignitatis quidpiam, quod liberis conferri cupias? Non liberis, inquit Aulicus; non liberis, inquit, meis quidquam postulo: neque vero ipsi te obsequiis obstrinxerunt suis; unicam, inquit, *mihi* gratiam, ô Cæsar. Et quam? instat rursus Carolus. Ut, inquit, mihi vitam ad duas tresve horas proroges. cumque subjecisset Imperator sua id in potestate situm non esse, rogaret quidpiam quod in manu esset; tunc plorans atque ejulans Aulicus, vultu ab Imperatore ad parietem obverso, Heu me, exclamat, miserum! heu insanum! qui tot annos, illius obsequio perdiderim, qui unam alteramve vitæ meæ horam non possit adjicere, & in magni illius Domini obsequiis tam remissus fuerim, qui vitam hanc momentaneam, non pauculis horis, sed æternitatis acceßione se cumulaturum promisit. Hæc fero lamentabatur.

Nec potuit pretio tam breve tempus emi,

nec tot obsequiis per tot annos in servitio tam magnifici, tam munifici Imperatoris tantillum impetrare. Quæ cum ita sint, conclusionem infert infallibilem Doctor gentium ad Galat. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Quæ verba ita cordibus vestris velim inhærere, quemadmodum tristis olim species, eadem [c] Con-

[a] Barry olitudo pag. 248. [b] Libell. de stultitia mundi per Patrem Soc. Duaci imp. c. 6. in fine.

[c] Cantipr. apum. l. 1, c. 3.

rado

UVA. BHSC. BU 02224

rado Hildemenſi Epiſcopo inſculpſit nunquam obliteranda. Hic aliquando ſecundum noctis quietem cum ſe ad libros contulit, ſequenti die dicturus ad populum, alienata jam à ſenſibus mente, videre ſibi viſus eſt Præſulem mitra inſignem, ad judicis Dei tribunal rapi. Examinatur continuo cauſa ab aſſidentibus & velut à Patribus conſcriptis; mox lata mortis ſententia: lictores damnatum reum, inſula, annulo, cæteriſque Pontificiis ornamentis exuunt, carnifici in manus tradunt. Tum deinde qui judicio aderant, loco ſurgentes, cum hoc epiphonemate ſeu relicto aculeo recedunt: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Interim vagus extra ſe animus Epiſcopo rediit, & dum ſolicite indagat, quem triſte hoc ſomnium peteret, adeſt ſervulus qui dominum ſuum veſpere proximo elapſo ſubita morte extinctum nunciat. Porro hic ipſius erat è mitratorum Patrum, Principum quoque Germanorum ſanguine, cæterum degener vita & moribus; præſertim vero rapinis & libidinibus infamis. Indoluit nimirum Conradus tam lamentabili fato amici; quin & adjectæ clauſulæ memor, ſemper illud in corde tacitus repetebat. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Hoc agamus mortales, dum tempus habemus, operemur bonum, & illud aureum Chryſologi documentum ſequamur: a *Vivamus Deo paulum, qui ſæculo vixímus totum: dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus eſt ut aliquando domi tuæ provideas.*

Tempus quod vitæ ſupereſt 10. 12, 20. annorum, Deo, animæ ac æternitati beatæ impendamus, qui optimam & maximam vitæ partem corpori, commodis & voluptatibus ac rebus fluxis & caducis impendimus. *Vivamus paulum Deo*; paululum, quia intra paucos annos, imo menſes, multi ex hoc conſortio bivium illud diſparis æternitatis ingreſſi fuerint, & nox illos occuparit, in qua non poterunt operari.

Ergo dum tempus eſt, operemur bonum.

Præcipitant hic rapidiſſimi temporis momenta, evaneſcunt horæ, occidunt ſoles, tranſeunt dies, effluunt menſes, dilabuntur anni, evolant luſtra, volvitur vita, exſpirat totius vitæ tempus, & ecce poſt primum momentum, quo egreditur, & in domum æternitatis ingreditur ſpiritus, mox audis: b *Tempus non erit amplius.* O tempus ubi es? nulla ſpes amplius obtinendi bravii, decurſum eſt ſtadium: nec referendæ coronæ, confectum eſt bellum: nec comparandi merces, finitæ ſunt nundinæ: nec intrandi cælum, clauſa eſt janua, *tempus non erit amplius.* Nunquam mihi poſthac ſol orietur, ut pro ſalute negotier: nulla deinceps mihi eluceſcet dies, qua pro æternitate laborem: nullum indulgebitur momentum, quo ſalutem operari queam: *tempus non erit amplius.* Fuit tempus quando unico orisverbo, cordis gemitu, manus planctu, pedis greſſu, oculi ſtillici-

a Chryſol. ſerm. 12.

b Apoc. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

dio operari poteram æternum gloriæ pondus; sed tunc *tempus non erit amplius* : nullum amplius tempus, quo possim expiare conscientiam, deflere scelera, solvere debita, propitiare Dei justitiam, placare iram, agere pœnitentiam, augere gratiam, mereri gloriam. *Tempus non erit amplius* Iubilei, pietatis, misericordiæ, gratiæ, favoris, amicitiæ cum Deo. Si modo sub nostris pedibus terra decederet, ingentique hiatu, ac voragine ad ipsos usque illætabiles inferorum recessus sese aperiret, sic ut ipsorum ejulatus auribus possemus haurire; ecquænam voces ex illo cavernoso specu, & horrifico æternitatis antro resonarent? non alias perciperemus querelas, quam illas ipsas, quas Ieremias hoc suo oraculo expressit: a *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus:* Iam nefas est seminare, non licet occare, non arare, non metere. *Transiit messis*, nulli licet in æstate facere messem, nisi in vere fecerit sementem; messis tum verò transierit, finita est æstas: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Prô quanti momenti est, quodlibet temporis momentum! ut tota messis latet in virtute seminis, sic tota æternitas in quovis momento temporis. Possumus jam emere momenti paupertate, æternum gloriæ pondus, dolore gaudium, labore quietem, vilitate gloriam, morte vitam. Ergo dum tempus est operemur bonum, illudque vel momento, æternum.

a Ierem. c. 8.

EMBLE

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXVIII.

Sicut ceteri, Luc. 18.



OMNES EODEM COGIMUR. *Hor. 2. car. Ode 3.*

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Omnis ſuperbus ſtultus: & hic, & ille, ſe jactat non eſſe *ſicut ceteri hominum*. Quare helleborum illis ſit mortis meditatio, quæ omnes reddit, ut ſint *ſicut ceteri hominum*. Quod in luſu latrunculorum videre eſt, ubi rex & morio, eques & pedes ſacculum a *in unum, dives & pauper*, conjiciuntur.

§. I. *Omnem ſuperbum ſtultum, & omnem ſtultum ſuperbum eſſe.*

§. II. *Hujus maniæ præſens remedium, ex calvariis mortuorum petitur.*

§. III. *Æquat mors omnia.*

§. IV. Monumentum ſic dictum, quaſi moneat mentem. b *Auguſt.*

§. V. *Mortui ad vivos perorant, ut ſtultam ſuperbiam deponant.*

a Pſal. 48. b Aug. tom. 4. de cura pro mortuis c. 4.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Sicut ceteri. Luc. 18.

PARADOXUM fortaſſe cuipiam illud Principis Oratorum pronuntiatum videri poſſet: *Stultorum plena ſunt omnia.* quaſi ubi-ubi oculi inciderent, nil niſi ſtultos & amentes contemplarentur: domos, plateas, forum, curiam, templa, monaſteria, urbes, regiones, orbem univerſum ſtultorum plenum eſſe; ſtultos opifices, ſtultos mercatores, ſtultos Philoſophos, ſtultos mathematicos, ſtultos medicos, ſtultos cauſidicos, ſtultos Senatores, ſtultos Theologos, ſtultos Religioſos & Eccleſiaſticos, ſtultorum plena omnia. Quod ipſum vivis coloribus expreſſiſſe perhibetur expertiſſimus quidam *a* Doctor in celebri quadam Academia Germaniæ, medicinam profeſſus. Hic cum ædes ſuas aliquando foris incruſtandas, & expoliendas curaſſet, pictori negotium dedit, ut in exterioribus parietibus & frontiſpicio domus, omnis generis atque ordinis homines, Theologos, jurisperitos, medicos, poëtas, morionum habitu depingeret; at ne quis eo nomine fatui expoſtularet, ipſe quoque medius inter fatuos illos pingi voluit; ſic quidem ut rubro thorace, quem geſtare ſolebat, eſſet conſpicuus, ac dextra urinale teneret, quod contemplaretur: juxta adſtante Guilielmo Gratarolo Italo, cui parum benevolus (figulus enim figulum odit) exiſtimabatur; idque etiam Italus ægerrime tuliſſe fertur. Has ædes plerique non ſine admiratione, imo multo cum riſu præteribant; cum autem aliquando vir nobili loco natus eaſdem ædes prætervehereretur, cum equo conſiſtens pauliſper, Pol, inquit, quàm multi fatui ſunt his in ædibus! Id medicus è ſuperiori parte audiens; Verum, inquit, dicis, ſed multo & plures & majores tam prætereunt quam prætervehuntur. quo certe indicare voluit veriſſimum illud Tullii: *Stultorum plena ſunt omnia.* quod lemmatis loco, hiſce omnis generis morionibus appoſite ſubjici poterat. Nullos ergo doctrina, litteris, prudentia, rerum agendarum experientia peritiſſimos reperire eſt? An non opifices artis ſuæ gnari, monumentis longè exquiſitiſſimis, & quam affabre expolitis, celebres exſtitere? an non mercatores in negotiis pertractandis induſtrii & maxime circumſpecti? an non Philoſophi rationum pondere ac ſolido diſcurſu Theſim ſuam comprobantes? an non in hoc conſeſſu complures viri docti, prudentes, ſapientes, ingenio acri, judicio maturo, plurimis laudabiliter perfuncti muniis conſpiciuntur? nonne urbs Sichemienſis hanc laudem tulit, ut præ cæteris tria jactaret. I. Securitatem, quod nunquam portas

a Epidorp. Ens lib. 4. ſub finem.

UVA. BHSC. BU 02224

portas clauderet, cum nullæ sint. 2. Divitias; quod ne teruncium debitorum haberet. 3. Sapientiam; quia dum ludi exhibendi, Morio è vicino oppido petendus fuit, quod nullus illic stultus reperiretur. *a* Quid ergo Tullius omnia stultorum plena asseruit? Parisiis quidem domus fuisse legitur, ubi omnes liberi stulti nascebantur. Accedit nationes quasdam esse, apud quas omnes infantes fatui gignuntur, atque adeo totas urbes stultorum ac fatuorum plenas esse; sed hi pauci, & in Insulis quasi Anticyris, ab orbe discreti. Sic quondam nationem quandam infamiæ taxavit, more suo facete Henricus IV. Galliarum Rex, quem dicere solitum ferunt, quosdam videri prudentes & esse stultos, quosdam videri stultos & esse prudentes, quosdam videri stultos & esse stultos, quosdam videri prudentes & esse prudentes; atque adeo non omnes, sed quosdam stultitiæ aura afflari; ast nullum non in orbe fatuum, ac stultum esse, quis credat? nisi ipsa infallibilis Veritas comprobaret, quæ sic de stultis per Sapientiam differit: b *Stultorum infinitus est numerus.* quod profecto nemo quisquam mirabitur, si omnes fastu turgidos, spiritu inflatos, animo superbos, stultos ac fatuos esse demonstraro. Chrysostomum audite: c *Magnum est elationis malum, stultum esse, melius est quam insolentem. Non potest esse superbus, qui fatuus non sit, stultitia vero plenus est superbus.* Expende Illud, *Non potest esse superbus, qui fatuus non sit*; quasi diceret; quot superbos, qui non sunt sicut ceteri hominum, tot stultos reperire licet. Quod quo manifestius fiat,

a Binet consol. ægrot. c. 9. sect. 4.
b Eccl. c. 1. c Chrysost. hom. 39. ad Pop.

§. 1.

Omnem superbum stultum esse, & omnem stultum superbum comprobabo.

QVis umquam Morotrophium adiit, aut cum stultis se oblectavit, qui vel unum aliquem Morionem, demisse de se sentientem audiit? hic se è prosapia Farnesiana Cardinalem, Ducem de Medina: alter è priscis Cetechis, è primis Patriciis, parentem exercitum duxisse contra Otthomannum, se de facto ad ducenta millia sub signis habere: alius persuasum habet se Papam esse, & ideo omnibus grandi crucis signo bene precatur, & Iubileum ampliſſimum elargitur: alius se Cæsarem dictat, sancit leges, diplomata mandat observari, quæ si risu excipias, baculo pro sceptro ferit. Graviſſime indignatur Vasallos non debitam reverentiam suæ Cæsareæ Majestati exhibere: nec hisce limitibus contenti: sunt qui se Archangelos, qui se Deos deprædicarunt: quisque hoc suo sibi cerebro infixum habet: *Non sum sicut ceteri hominum.* Fuit Antverpiæ qui se Ioannem Baptistam dictitabat, in ergastulum conclusum, quia prædicarat Baptismum pœnitentiæ. Vultis hujus rei aliud ludicrum exemplum, luculento tamen testimonio comprobatum? Accidit ut celeberri-

UVA. BHSC. BU 02224

mus Theologus *a* Gabriel Vasquez Romam venerit, ubi orbem in urbe miratus, ac quidquid sacræ ac profanæ religionis, aut antiquitatis spectabile lustrasset, ductus tandem fuerit, ut ad Pazzarellos stultos viseret. Ædes ingressus, incidit in venerabilem senem, natione Hispanum: qui, ut advertit P. Vasquez extraneum esse, omni humanitate Patrem salutat; utque Hispanum esse comperit, officiosissime per omnia deducit, exponendo singula: hunc, inquit, nimiæ literæ ad insaniam redegerunt: hic astrorum cursus, & vertigines cælorum dum attentius contemplatur, cerebrum sibi inverti sensit: ille repulsam passus à puella, in rabiem incidit: iste pangendis versibus mentem vertit. Inde illud Epitaphium manet:

Hic sibi condendo versus, cerecomminuit brum.

Audi, audi, ut Odas cantet à se conditas. Prosequitur Angelicus noster.

b *Qui media in aula regio incedit gradu*
Sceptrumque gestat ligneum, is rex est sibi,
Et se ipse jactat imperare Canada:
Eoque naves nauticumque militem
Mittere quotannis, maximo Europæ lucro.
Vt cerebri inanis fieret, fecit ambitus,
Dum Prætor esse urbeculæ sperat suæ,
Vbi spe misellus excidit, mente excidit.

Illa referebat Gaspari vir prudens & catus, canis venerandus: sic ut è discursu, & modo agendi quam maturo, Vasquez hunc dominum domus, cui cura incumberet, hos fatuos asservandi, crederet; dum sub discessum, juvenis venusta facie, media area è fonte hausturus aquam occurrit. Quem senex conspicatus, En, inquit, Patermi, hic omnium stultissimus est: hic sibi imaginatur se esse Michaëlem Archangelum, aitque nuntiasse magnæ Virgini, fausta quondam; sed merum delirium est.

Namque ipse juro, crede juranti mihi
Per alta cæli solia, me Deum Patrem
Esse, & fuisse id temporis; sat hinc scio
An missus à me juvenis imberbis siet.
Nec missus umquam ab aliis cælestibus,
Nec visus illic uspiam, aut unquam fuit.
Ni me juventæ tangeret miseratio,
Næ mox in atrum destinarem Tartarum.
Vale hospes, abiit Gaspar attonitus senem,
Quem prius amica & sana fari viderat,
Tam derepente, juvene conspecto,
Exorbitasse mentis à lyra suæ.

Nunc si lubet in superbo, consimilis amentiæ specimen videamus. Abhinc paucis annis Prælatus fuit, qui se Dei filium firmiter asseverabat, nec quidquam hominem compescere, aut quidquam imperare poterat, donec peritus medicus adhibitus, qui se Deum patrem esse affirmabat. Cui in omnibus morem gessit, & ad sa-

niorem

a Garassus doct. cur. l. 1. sect. 8. b Pia hilaria Aug. Gazai l. 1. p. 242.

UVA. BHSC. BU 02224

niorem mentem rediit. An non hæc insania & longe major superbissimum Luciferum afflavit? qui se omnes supra creaturas erigebat: *Non sum sicut ceteri*, Isa. 14. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Volebat se Deum Filium facere, credebat se Deo Patri parem esse; verum, a *arrogantia tua decepit te.* Vbi recte Chaldæus vertit, *Insipientia tua seduxit te.* Nonne verissime Chrysostomus: *Non potest esse superbus qui fatuus non sit?* De ejusmodi stultis Sapiens pronuntiavit: b *Stultorum infinitus est numerus.* Cyrill. Alexand. libr. 1. de Adorat. loquens de Lucifero: *Adeo puerili stultitia laboravit, ut Deus esse vellet, & quæ supra naturam suam erant, demens animo fingeret.* Quam multi, potissimum qui è vili conditione emersérunt, quia opulentius induti, sæpe quam Comites & Barones, seipsos ignorant, & hoc animo versant: *Non sum sicut cæteri hominum*; dedignantur vicinos salutare, imo & Ecclesiasticos, nescii an capite an pedibus ambulent. Quid stultius? nam ut recte mellifluus Doctor lib. 2. de Consid. *Fortuna quos nimium fovet, stultos facit.* Si non Amplissimo, Eximio, Illustrissimo, alioque titulo compellantur, non dignantur responso. *Ne manquez à mes Tiltres.* Accidit in quadam famila ut vir honestus marito absente, cum fœmina agens, subinde illam, domicellam, vulgo *Iouffrouvv* compellaret. Aderat forte puellula, quæ vix fari poterat, quæ statim: Audi ma-ma, audi; ipse dicit *Iouffrouvv.* Quid stultius? non alius sermo quam de nobilitate avita, ille comes contingit ex parte proavi, ille Marchio ratione uxoris, ille Baro cognatus germanus, filia nupta est nobili tali, parens ducit originem ex tam illustri familia, nulli cedere debeo, *non sum sicut ceteri hominum.* Quid stultius? nonne hi discursus optime quadrant cum iis, quos supra commemoravi? c *Si singula verba*, ait Chrysostomus, *arrogantium in medium adduxero, cognosci non poterit verbane sint stulti, an arrogantis; ita unum atque idem in utroque vitium est.* Sunt qui putant se solos sapere, se præ ceteris omnia nosse, ceteri omnes syndici, causidici, consiliarii, fungi, stolidi, bardi, blenni: quid stultius? d *Qui sibi placet*, inquit Augustinus, *stulto homini placet.* Numquid proverbio ventilatur, quod experientia verissimum comprobavit; e *stultos seipsos laudare.* Suffragatur Doctor Gentium: f *Dicentes se sapientes, stulti facti sunt.* Quare dum se ex justa causa Paulus deprædicare cogeretur, sic loquitur: *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*, id est, laudis propriæ, aut quæ ad gloriam meam dicturus sum. Et subdit: *Velut insipientem accipite me, ut ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* Anselmus, Chrysostomus, & D. Thomas sic ajunt, insurrexisse quosdam Pseudo-Apostolos Corinthi, qui honor Pauli multum detrahebant.

a Jerem. 49. b Eccles. 1.

c Chrysost. homil. 20. ad Rom d Aug. in Psal. 122. e Ad Rom 1. f 2. Cor. 11.

UVA. BHSC. BU 02224

ex quo neceſſitas illi fuit, pro ſuo honore reſpondere: hinc dicit, 2. Cor. 12. a *Factus ſum inſipiens; vos me coëgiſtis.* Adeo ſollicite Apoſtolus, qui omnem ſuperbiam, inſipientiam noverat, laudes proprias refugiebat. Appoſite *b* Chryſoſtomus: *Attende & videbis nihil humilitate altius, nihil arrogantia depreſſius, nihil ſtultius, quam cum Phariſæo ſe laudare.* Et paſſim dum quis ſeipſum laudat, circumſtantes dicunt, Morionem è manica proſpicere. Dum ſe omnibus præferunt, merito ab omnibus ut ſtulti exploduntur; ut ſi homo gregarius in convivio honeſtorum, ſe in capite menſæ collocet. Hinc merito Iudas exploditur, qui ſe Petro ac ceteris Apoſtolis præferebat. Chryſoſtomus homilia 69. in Ioannem: *Credibile eſt proditorem ſtultum exiſtentem, ante Petrum recubuiſſe, quod Euangeliſta ſignificavit, cum dixit: Cœpit lavare, deinde venit ad Petrum.* Quid mirum, ſi mulieres inſaniant, & lis olim fuerit inter duas Matronas, quæ (ut fœminæ gloriæ appetentiores ſunt) inter ſe arrogantia decertabant, utra nobilitate præcelleret, utra in conſeſſu præcederet. Multum altercatæ, tandem ad Carolum Quintum appellarunt, qui ut ſtatum quæſtionis probe intellexit, Salomonico ſane judicio, litem decidit, dicens: Quæ ex vobis duabus ſtultior, illa præcedat. hic ambæ hærere, donec ira in riſum verſa, pacem inierunt, ſapere cœperunt, & contendere deſtiterunt. Ejuſmodi igitur ſtultarum & ſtultorum plena ſunt omnia, talium ut videtis infinitus eſt numerus, hac mania cujuſvis generis ac ſtatus homines laborant.

a V. Lanuza tract. 2. pag. 2. b Hom. 66. in Matth.

§. II.

Huic maniæ præſens remedium ex calvariis mortuorum petitur, quæ faciunt ut omnes ſint, ſicut ceteri hominum.

Aſſerunt Medici epilepticos curari pulvere cranii humani. Mattiolus ait mumia mederi hemicranio, calculo, gangrænæ, carcinomati & potiſſimum vertigini; hoc certum, calvarias mortuorum & oſſa cadaverum ſeria contemplatione, velut commolere, omnes molas inſaniæ prorſus ſiſtere, aut evertere eſt. Accedit huc recentior Doctor *c* Schenkius, qui docet oſſa humana contrita, cum potu ſumpta, ſalubre medium contra podagram, eoque plures curatos, ait Galenus. Pes ſuperbiæ hoc pulvere facile curabitur; ſed quod potiſſimum ac periculoſiſſimum, morbum ſuum omnes ignorant, nec emendare curant. Chriſtus omne genus morborum curavit, quoſvis infirmos ſanavit, at nullos ſtultos aut inſanos, quia ſe ſanos æſtimant: atque hinc ut Medicorum placitum eſt, nullus morbus difficilius curatur, omnia hic communia medicamenta deficiunt, nec ulla proſunt, niſi unum fortaſſe, quod captum Hippocratis & Galeni longe exſuperat, à Sophocle inventum, dum

c Iuſtinian. in Tob. de ſuperb. remed. cap. 11.

UVA. BHSC. BU 02224

afferit, *Mors ultimus morborum medicus*, hac sola mederi potest. Hæc manifesto radicem morbi tollit, quæ in eo consistit, quod sibi persuadeant illud Pharisæi, *Non sum sicut ceteri hominum*, cum mors omnes assimilet, & faciat quales quales fuerint, ut sint sicut ceteri hominum. Iam sana est, si mens hæc semel intro sumpserit, plebeios, Principes, divites, & pauperes, mendicos, Reges, stultos, sapientes, insignes, & inos mortem æquare, cujus unius defectu omnes stultescunt, juxta illud Psal. 71. *Non est respectus morti eorum: ideo tenuit eos superbia.* Mathematici, ut recte circulum definiant, dicunt: Circulus est, cujus lineæ omnes ductæ à puncto ad circumferentiam sunt æquales. Hunc circulum in pulvere humano pulcherrime expressit Deus, dum dixit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hic omnes lineæ æquales, nemo dicere potest: *Non sum sicut ceteri hominum.* Sapiente cap. 7. attestante: *Vnus est omnibus introitus ad vitam, & similis exitus.* Nudi & pares omnes nascimur, nudi & pares in cinerem redimus. Hic perfectus circulus est. Quo spectat illud Petri Blesensis serm. 36. in Dedic. *Finis est memoria circuitus humani; vita enim nostra quasi linea circumducta, rediens ad idem punctum. A pulvere incipiens, & per defectus naturales, quasi circulariter progrediens, ad pulverem revertitur, juxta illud: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* a Iustinianus in Tobiam de superbiæ remediis, refert ex Philosophis quemdam rogatum, in extremis, ut præclarum aliquod documentum ac salutare monitum, monumenti loco posteris relinqueret: cum loqui non posset, calamo arrepto expressit duo magna OO. variis post mortem super his duobus characteribus altercantibus, uno affirmante mortem esse omnium oblivionem, ac illud significare voluisse; alio aliud asserente, quidam rem acu tetigit: Ego, inquit, existimem per hoc duplex OO, illum significare voluisse, corpus & animam suum cursum jam persolvisse: corpus in cineres redire, animam in cœlum, unde originem duxit, reverti, juxta illud Eccles. 12. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Hic circulus omnibus conficiendus, atque utinam omnes, qui circuitum cum rhedis suis faciunt, vulgo *Tour à la mode*, huius circuitus quandoque recordarentur: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* non tot insaniæ ac superbæ stultitiæ committerentur. Meminerat id probe Philippus Rex Macedo, qui in hippodromo, ubi equi in gyrum aguntur, equo excussus; solo adsurgens, vidit in pulvere vestigium corporis expressum, & pulveris, in quem resolvendus, memor exclamavit: Ecce quam exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium stulte affectavi. *Hæc tanto mensura viro*, hic exiguus locus Philippum admonuit loculi, qui sic dictus quasi parvus locus, qui etiam

a Justinian. in Tob. de superb. remed. cap. 11.

sex.

UVA. BHSC. BU 02224

ſex pedum magnati ac monarchæ orbis maximo ſat capax erit, nec plus dives quam pauper terræ occupabit. Hoc ſi ditiſſimi mercatores, hoc ſi ornatiſſimi ſcabini, hoc ſi ampliſſimi conſiliarii, qui hic in pulvinis ſedent, recogitarent, non ſic pauperes, orphanos, deſertas viduas deſpicerent. Si cogitarent ſe omnes brevi pares futuros, in cinerem paritèr redigendos, omnes lineas, ad hanc circumferentiam eſſe æquales, quam accurate hanc legem Deuter. 1. ſervarent: *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ac magnum.* a Seneca aliquam diſtantiam, diſcrimen aliquod aſſignare velle videtur: aliqui enim naſcuntur ex patre nobili, potente Rege; alii ex ruſtico, mechanico, mendico: hic in palatio, alter in mapalibus: hic in ſplendidiſſimo cubili, in molliſſimo ſtrato, alter in caſa, in ſtramine. *Impares*, inquit, *naſcimur*, ideo tamen non cogitandum: *Non ſumus ſicut ceteri hominum.* Subdit enim, *pares morimur, ſicut ceteri hominum: (onditor*, inquit ille, *juris humani, nos natalium & nominum claritate diſtinxit, niſi dum ſumus*, dum vivimus. Fieri mihi in hoc orbe cum hominibus videtur, velut in ludo ſcaccorum aut latrunculorum, ubi varii varias partes agunt: hi equitum, illi peditum, alii ſtultorum, ille Reginæ, iſte Regis, & quiſque pro ſuo modo tractandus, quiſque ſua via graditur. Regi omnia cedunt, idque dum luſus durat; at luſu abſoluto, omnes promiſcue ſuſque deque, in ſaccum b *ſimul in unum dives & pauper*, ubi Rex & Regina inter ſtultos, equites cum peditibus commiſcentur. Hoc Propheta indicavit, dum dixit: c *Parvus & magnus ubi ſunt, & ſervus liber à domino.* Hic quis magnus eſt, quia annua aliquot millia in cenſu annuo, quia præclarum officium, pingue beneficium, quia ex nobili & illuſtri familia; ideo ſibi perſuadent quod non ſint ſicut ceteri hominum, ſed ceteris majores, excelſiores, & ſublimiores, cum ut ait Seneca, in hoc ſimiles ſtatuis ſint, quæ non ideo majores, eo quod altæ baſi inſiſtant, nec nanus ideo major eſt, quia in monte conſiſtit. Mors nos alia ulna metitur, hæc 1. nobis exuit cothurnos dignitatis & honoris, baſim auream opum & divitiarum; atque his exutos omnes calceat eodem modulo ac muſtricula, omnes tondet ſuper eundem pectinem, ad calvariam uſque, & omnes metitur eadem ulna 5. aut 8. pedum, quæ omnibus conveniens; atque adeo, ut Philoſophus ait, d *Mors ubi res fortuna male diviſit, exæquat omnia.* Hic fortuna partes ſuas egit, & multis male diviſit: divitias avaris, formam luxurioſis, honores ſuperbis & faſtuoſis, plurima bona natura peſſimis, dignitates ſtolidiſſimis elargitur; & luſu illo latrunculorum abſoluto exæquat omnia, & ut Poëta recens ait,

Ludente fato ſidit omnis
In cumulum tumulumque faſtus.

a Sen. ep. 91. b Pſal. 48. c Job c. 3. d Sen. Conſol ad Marciam cap. 20.

Æquat

UVA. BHSC. BU 02224

§. III.

Æquat mors omnia.

COnſimili ludo placuit Philoſopho Cynico Alexandri faſtum ludere; illo enim prætereunte fanum aliquod divotum, Diogenes in cœmiterio inter calvarias mortuorum volutabatur, & nunc unam, nunc alteram contemplabatur, nunc hanc arreptam abjiciebat, nunc alteram arripiebat: hunc Alexander intuitus percunctatus eſt, quid illic inter mortuos vivus degeret? reſpondit ſe quærere calvariam Philippi Macedonis parentis ejus, ſed hactenus reperire non potuiſſe, quia nullum, inter eas diſcrimen. *a* Qui volet tres pyramides conſulat, quas exciſa urbe Damaſci Tamburlanus ex craniis mortuorum erexit, ac iſtic inquirat cujus calvaria ſummo, cujus infimo loco jaceat, ita æqua omnia. Quiſquis ergo apud ſe ſtatuit, ſe non eſſe ſicut ceteri hominum, cum Diogene cœmiterium adeat, illic inquirat, quæ diſtinctio inter cranium ruſtici & nobilis, ſecernat caput Platonis & Morionis, aut Crœſi & Iri, Narciſſi & Therſitis. Ad hoc quemque veſtrum exhortatur magnus Baſilius: b *Contemplare ſepulchra, vide num poſſis diſcernere quis ſervus, quis dominus, pauper quis locuples.* Edoctus hoc à Barbaro Conſtantinus Imperator, qui Romam ingreſſus, Hormiſdæ Perſæ magnificentiam urbis oſtendit, petiitque quid ſibi de ea videretur. Cui ille, Romæ æque ac alibi homines mori, & plura funera in aula, quam in cauſa eſſe. Conſimile Alphonſi Aragonum Regis reſponſum fuit: rogatus enim quæ res, Reges ac privatos, divites ac pauperes, claros & obſcuros, omnes denique æquaret? reſpondit laconice: *Cinis.* *c* Ad hanc arenam ſiſtunt omnes potentes ſæculi, tumentes fluctus ſuos. Mors pauperem & divitem, dominum & ſervum, iiſdem inſignibus, vili linteo condecorat, Regem & mendicum tunica lignea ejuſdem formæ induit; qua omnes varii & multiplices veſtium modi ad antiquum modum rediguntur; hic fiunt *ſicut ceteri*, quicumque in toga aut purpura præ ceteris excelluere. Refert in hanc rem hiſtoriam peramœnam *d* Radzivilius. Cayri in Ægypto templum Turcicum, Moſcheam vocant, hac ratione ædificatum eſt: Aſſanus Baſſa vir tam vafri quam avari ingenii, nomen ſuum in orbem vulgaturus, rarum aliquod & magnificum opus excogitavit; nullis tamen ſuis ſumptibus. Ad quod conſilium cepit plenum ſceleris & amentiæ: ubivis locorum proclamari juſſit, conſtituiſſe ſe ingens Deo templum condere, quod quo felicius exurgeret, omnibus undecumque adventantibus liberaliſſimam ſtipem erogatum iri edixit, dictuſque eſt certus dies ac locus partiendæ eleëmoſynæ. Evocavit hæc res immenſum populum ex Ægypto univerſa, ſed & aliis

a Adrichom. in theat. terræ pag. 84.
b Baſil. ſerm. de morte.

c V. Corn. in cap. 14. Act. d Radzivilius Epiſt. 3. in fin. in Palæſt.

UVA. BHSC. BU 02224

ex regnis Cayrum plurimi confluxere. In adventum horum Assanus maximum numerum indusiorum & tunicarum ejusdem generis ac coloris parari jussit. Eos autem, qui stipem accepturi venerant, ex amplissimo atrio, in aliud æque amplum per varia ostiola, & nonnisi singulos transire voluit. In hoc transitu singulis suæ vestes ademptæ, & indusium tunicaque nova, vi obtrusa. Hoc eo astu factum est, ut quidquid à tot millibus hominum, in viaticum fuisset assumptum, id omne dicto loco relinqueretur: solent enim illic locorum pecuniam, quam itineri destinarunt, indusiis aut pileis insuere: & quamvis nemo non maluisset suum indusium, & tunicam aut longe pretiosiorem, aut etiam viliorem asservare, cogebantur tamen eodem modo omnes indui; atque ita per posticum dimissi stabant, velut in valle Iosaphat. Ploratus tandem populi ac ululatus coortus, veteres ab Assano vestes postulantis, quas ille exstructo rogo omnes in ignem conjecit. Sed norat qualis Phœnix nasceretur ex istis cineribus; tanta enim vis pecuniæ ex isto busto sublata, ut ea ædificio tam nobili sufficeret. Simillime nobiscum mors agit: vestem vilem, pretiosam, vel invitis eripit, & novam sepulchralem ejusdem formæ ac coloris obtrudit; nos quidem, ut Paulus loquitur, a *ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri*. Verum frustra reniti mur: velimus nolimus, omnibus exuendi, uniformiter omnes induendi.

2. Cor. 5.

Sed audite quomodo vanissimi hominis crudelitas sit vindicata. Imperator Turcicus Imbraimum Bassam ad eum misit cum literis, quibus Assano serio præcepit, quam primum ab Imbraimo literas accepisset, ipse suum caput Constantinopolim mox mitteret. Fatales ejusmodi literas Turcarum Imperator, ipse sua manu solet scribere, & holoserico nigro obvolvere. Harum epistolarum summarium semper est: *Mitte mihi caput tuum*. Quisquis es, Rex an Cæsar, quando Imperator cœli, nigras ejusmodi literas miserit, resistere non potes, excusare non licet, deprecari nil juvat; effugere non vales, non auro, non pecunia corrumpere, actum est. Quicumque in roga aut purpura se circumspiciunt, viri, fœminæ, puellæ, circumornatæ ut similitudo templi, recordentur unam tunicam semel induendam ligneam, sine plicis, *moribus antiquis*, & derepente uti pavones dimittent plumas, longumque firma. Nuperum est quod interfero: Accidit ut quædam apud sartorem multis ageret, quemadmodum vestem confici vellet, tot limbis, tot striis, tot sciffuris, tot plicis: cumque illi varias exhiberet formas, nec ulla placeret, quidam hæc curiose observans, vidit in vicinia fabrum lignarium præ foribus exposuisse varia sarcophaga; hic ille ad puellam, Isthæc, inquit, tibi tunica optime conveniet, semel induenda est, optimæ mensuræ est, ac forma antiqua. Hæc secum mente volutans quærit & queritur David Psal. 93. *Vsque-*

quo

UVA. BHSC. BU 02224

quo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Noſtis quouſque, quamdiu? *donec fodiatur peccatori fovea*, donec videat ſepulchrum. Rem confirmat Divus Petrus Damianus: a *Superbiæ ſpiritus inflat? ſepulchrum ad mentem redeat. Neceſſario illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio cineremque penſamus. Quid ſuperbis terra & cinis?* Sepulchrum ad mentem redeat; nam ut Auguſtinus,

a Damian. opuſc. 15. cap. 22.

§. IV.

Monumentum ſic dictum, quaſi moneat mentem.

QVod b terra & pulvis ſimus, quare,

Cum fæx, cum limus, cum res viliſſima ſimus,
Vnde ſuperbimus? in terram terra redimus.

Ipſe diabolus ſpiritus ſuperbiæ, qui ipſum Deum aggredi auſus eſt, & ſe adorare præcepit, unde poſtea tam humilis ac demiſſus? Marci 5. in energumeno, *Videns Ieſum à longe, clamavit & adoravit eum.*

Chryſologus ſerm. 17. miratur tantam ſubmiſſionem in ſuperbiſſimo dæmone: *Quid eſt*, inquit diabole, *quid eſt, quem trina tentatione provocabas ad lapſum, quem promiſſione regni ut te adoraret ſubdolus ambiebas, nunc tremens & miſerandus prolaberis & adoras?* Cauſam noſtis? ex Euangeliſta diſce: *Semper die ac nocte in monumentis erat.*

Ecce, inquit Chryſologus, *qui honores omnes regni promittebat &*

b Aug. to. 4. de cura pro mortuis gend a. c. 4.

gloriæ, habitare fœtidis corruptione cadaverum reperitur in tumulis. Sit homo ſimilis ſuperbiſſimo dæmoni, ſi habitet dumtaxat mente in monumento, humiliabitur. Omnia comparata erant, ut Paulo & Barnabæ tamquam Diis ſacrificaretur; ſed quid Paulus? *Mortales ſumus, ſimiles vobis homines*, non Dii immortales. 2. Machab. 9. Antiochus exclamat: c *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Ita & optimi & peſſimi à morte ſapere diſcunt. Vnde recte Chryſoſtomus: *Sepulchrum*, inquit, *eſt ſchola humilitatis*, in hac quiſquis ſe exercuit, ſapere didicit, cum faſtu omnem mundi ſtultitiam exuit.

Alexander, cui parvitas orbis, magni nomen dedit, poſt ingentes victorias, uſque ad ultimos fines terræ d *exaltatum eſt & elevatum cor ejus.* Sed ſubito omnis faſtus reſedit: *nam poſt hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur, & vocavit pueros ſuos nobiles; qui ſecum erant nutriti à juventute, & diviſit illis regnum ſuum, cum adhuc viveret.* Quis credat etiamnum viventem, dum ſpes reſurgendi ſupereſt, adeo animum ab omni honore & divitiis avocare potuiſſe? Et ne vetera dumtaxat ſectemur, quid exiſtimatis alterum illum orbis Chriſtiani Alexandrum, Carolum V. impuliſſe, ut ſe ultro in vivis Imperio abdicaret, & poſt tot triumphos orbi notiſſimus, ſoli Deo notus viveret, & mundo ſpreto ſecederet? noſtis ubi hæc omnia ſpernere didicerit? hic inter regiam ſupelle-

c Actor. 14. d 1. Mach. 1.

ctilem

UVA. BHSC. BU 02224

ctilem ſuam, ingentem ciſtam ſemper circumferri curabat, cujus ipſe ſolus clavem geſtabat, & ſub veſperam quacumque diverterat, ſemper ad cubile deferri volebat. Erant qui theſaurum illic detineri, alii ſingulares libros, raros hiſtoricos hic abdi arbitrabantur, ad quos Cæſar quandoque ſubridens dicebat, rem ſibi cariſſimam & in uſum maxime neceſſariam illic abditam latere; ſarcophagus enim incluſus erat, quem veſperi dimiſſis aulicis Carolus metiri ſolebat, num tantum Cæſarem caperet, atque hanc ſcholam quinquennio ſic frequentavit, ut tandem humilitatis doctor evaſerit, & ſtultitias mundi riſerit; quoque tenacius hæc lectio inhæreret, in ſeceſſu Hieronymiano, ſibi exequias celebrari curavit: quibus vivus omnium lachrymis interfuit, & de ſtultitia mundi triumphavit. Etenim, ut recte Hieronymus ad Paulinum, *facile contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum.*

Hinc credo morem illum inoleviſſe, ut ubi quis Pontifex & caput orbis creatus eſt, adſit qui incenſa ſtuppa exclamet: a *Pater ſancte, hominem memento te: ſic tranſit gloria mundi.* Quod diſertis verbis Bernardus Eugenium Pontificem docuit, dum dixit. *Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis perſpexiſti, quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.* Non infulas, non faſces, non ſceptra, mors veretur aut reveretur:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,

Regumque turres. ——

—— *& ſceptra ligonibus æquat.*

Hinc illud ſymbolum omnibus magnatibus impreſſum vellem, quod Gisbertus Maſius ann. 1594. Bruxellis in ſacello palatii coram Erneſto Archiduce Epiſcopali mytra inauguratus ſibi ſumpſit: *Mors omnia æquat.* Hoc alte in animum dimiſerat Carolus, qui vel hoc ſolo immortalis fuit, quod ſe mortalem cognovit; ut ex eo manifeſtum eſt, quod poſtquam Franciſcum I. Galliæ regem è Ticinenſi prælio captivum abduxiſſet, atque Madriti in pariete celeberrimum Caroli ſymbolum legiſſet, *Plus ultra*, appoſito per ludibrium cancro, ſubſcripſit *Plus ultra, hodie mihi, cras tibi.* Non captivo ſuccenſuit ſuperbe victor, ſed ſubmiſſe prorſus ac vere de ſe ipſo ſentiens, ſubjungi juſſit: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Math. 8. cum Chriſtus veniſſet Capharnaum, *acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo mea paralyticus, & male torquetur.*

Vnde iſta cura & ſolicitudo prolixa de calone, ut nobilis decurio ipſe excurrat ad medicum? quin imo ubi Chriſtus dixit: *Ego veniam & curabo eum.* omni humanitate ac humilitate reſpondit: *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

Vnde iſta humanitas, iſta urbanitas, iſta benignitas erga vilem famulum in barbaro milite? quæ enim vita magis inurbana quam militaris, qui omnia vaſtant,

a Bern. Ep. 237.

UVA. BHSC. BU 02224

vaſtant, omnia diripiunt, incendunt, mactant, omnia jura humana ac divina violant, ut inter militiam & malitiam, teſte Bernardo, ſumma affinitas ſit. Vbi tota mundi machina conſternabatur, omnia elementa conjurabant, univerſa terra contremiſcebat, cœlum inhorreſcebat: milites ſub cruce aleis ſuper veſtem ejus ſortem mittebant.

Vnde hæc igitur in milite benignitas, clementia, humanitas? Rationem manifeſtam ipſemet allegabat: *Nam & ego homo ſum.* Nam & ego ejuſdem maſſæ ſum, morbis obnoxius; nam & ego mortalis ſum ſicut ceteri. Finio & omnibus præſentem medicinam adhibuero, ſi unum mortuum perorantem inducere valuero: hic enim immotus & elinguis omnem Tullianam longe excedit facundiam, Auguſtino atteſtante: a *Verè ſi ipſa oſſa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt, & dicere: O miſer quid ſuperbis? attende ad me: hoc quod tu es, ego fui, & quod ego ſum modo, tu eris.*

a Auguſt. ad frat. in Erem. ſer. 66.

§. V.

Mortui ad vivos perorant, ut ſtultam ſuperbiam deponant.

SAul ſibi perſuadebat ſe non eſſe ſicut ceteri hominum, ſemel autem brevem concionem audiit mortui Samuelis, qui cana & promiſſa barba è ſepulchro quaſi in ſuggeſtum aſcendens, hæc pauca ad Saulem verba habuit: b *Cras autem tu, & filii tui mecum eritis.* Et ilico omnes illi alti ſpiritus occiderunt, *ſtatimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo; conturbatus enim erat valde.*

b 1. Reg. 8.

Non caret myſterio quod Paulus de Abele mortuo ad Hebr. 11. pronuntiavit: *Defunctus adhuc loquitur*, adhuc concionatur, melius quam vivus. Iam quinque millibus annorum mortuus, & defunctus adhuc loquitur: ille conſiliarius jam tot annis mortuus, ille Præſes, ille nobilis, ille Rex, tot annis mortuus, tot Imperatores, tot Pontifices mortui, ſed quique eorum *defunctus adhuc loquitur.* Multi diſerti & eloquentes concionatores in luxum & ſuperbiam invecti, ſed nemo ut defunctus loquitur: hic pro themate ſibi ſumit; c *Memor eſto judicii mei, ſic erit & tuum: mihi heri, tibi hodie.*

Aureæ eloquentiæ flumen Chryſoſtomus, plurimas eaſque præclariſſimas ad populum Antiochiæ conciones habuit; ſed noſtis quæ ex omnibus efficaciſſima exſtiterit, quæ maximos animorum motus concitavit, ad quam frequentiſſimi, ut numquam alias concurrerint? Illa fuit, quam mortuus & paucis verbis habuit: ferunt enim Hiſtorici *d* Theodoſium Imperatorem ſacrum corpus D. Chryſoſtomi defuncti, theca argentea incluſum Conſtantinopolim delatum, ad ſummum templum, collocaſſe in cathedra, in qua ad populum ſacer Antiſtes verba habere conſueverat; at jam mutum &

c Eccli. 38. d Baron. Rader. aula S. cap. 13.

elingu

elingue illud os aureum, corpore erecto, numquam diſertius peroravit, numquam frequentiori auditorio dixit: omnes fluentibus ubertim lachrymis, à mortui ore pendebant.

Exiſtimem auditores, ſi hodierna die in hoc ſuggeſtu aliquem vita functum adſpicere-tis, me ſilente fatille loquere-tur; quaſi vero non tot ſuggeſtus quot tumuli, non tot roſtra quot funera, non tot oratorum ora quot mortuorum crania & oſſa? Luc. 16. rogat epulo è flammis talem concionatorem mitti ad fratres ſuos: *Si quis ex mortuis ierit ad eos, agent pœnitentiam.* Si quis, vel unus, & ecce tot millia concionatorum habemus quot funera; ſed ſi unum ob oculos ponatis, indubie agetis pœnitentiam, abjicietis illico omnes inſanias, & vanitates falſas. Hos quandoque adite, & ſepulchra mortuorum contemplamini, illic ſapere diſcetis.

Refert Cæſarius de Liffardo viro nobili, qui diu in Religione ſancte vixerat, ad omnia infima officia ſe ſubmiſerat. Dum tandem à ſuperbiæ dæmone poſſeſſus, hæc ſecum: Liffarde quid agis? abſit à te tuiſque tantum dedecus, ut pecudes paſcas; macte animo Liffarde, ad ea quæ tuo genere digna ſunt enitere; eripe hoc te ergaſtulo aſcerico, in priſtinam libertatem nobilitatemque vindica. Dixit, firmeque conſtituit cucullum excutere, & aſceterio profugere; ſed jam-jam abiturum præoccupavit nox, quam cum duceret inſomnem, ecce tibi ſeſe oculis ejus obtulit vir auguſtæ Majeſtatis, quem ſequi juſſus, præeuntem ſecutus eſt: januis omnibus ultro apertis, ventum ad cœmiterium, in quo cum omnia ſepulchra ſubito vaſto hiatu aperirentur, Liffardus ad tumulum ductus eſt, in quo putridum & undique ſcatens vermibus cadaver, haud ita pridem humatum erat, audiitque hanc brevem exhortationem: *Miſer quo vadis? ſi tibi vis parci, noli ſuperbia elatus, religioſæ vitæ ſtatum deſerere.* Dixit: at Liffardus omnis generis ac nobilitatis ſuæ immemor, mortis memor, cum ſumma vitæ ſanctitate & animi demiſſione in Religione perſeveravit. Veriſſime dictum & juſtiſſime à ſummo Iuriſta Baldo leg. 3. Cod. de Manumiſſ. *Rex mortuus, aperit oculos viventis.* Quot ſunt qui propriam ſtultitiam videre non potuerunt, ſibi perſuadentes ſe Deos eſſe, non eſſe *ſicut cæteri hominum*, donec mortuus aperuit oculos ſtultorum.

[a] Auguſtinus Romæ obambulans cum matre ſua ad oſtia Tyberina, opportunitatem & ventos opperiens redeundi in Africam, incidit in Pontianum Præfectum, virum clariſſimum, qui urbe egreſſus fuerat ad Auguſtinum videndum ac viſendum, à quo humaniter & perquam officioſe deductus, *ad intuendum diligentius magnifica ædificia, & opera paganorum. Et ductus ſum*, inquit Auguſtinus, *cum ceteris ad videndum cadaver Cæſaris in ſepulchro, & vidi quod omnino eſſet colore livido ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, & vermium per illum tranſeuntes catervas proſpexi, duoque famelici in foveis ocu-*

[a] Aug. ſerm. 48. ad frat. in Erem.

lorum

UVA. BHSC. BU 02224

lorum pascebantur: crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, & intuens matrem Christianam, dixi: Vbinam est Cæsaris corpus præclarum? ubi capilli solares? ubi facies decora? te namque venerabantur homines, timebant Principes. Et respondit mater peitate plena: Fili omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, reliquerunt eum captivum in sepulchro trium brachiorum, plenum fœtore & putredine. a *Eia ergo,* inquit, *fideles Christi, considerate quid sumus,* Et ad stultos sæculi: *Quid ergo inflaris ô dives! cur non attendis quæ audis? cur turbaris cum prospicis? cur non converteris cum hæc quotidie experiris?* Profecto magnus ille Dux Franciscus Borgia, visa Isabella mortua, aperuit oculos, quamque paulo ante viderat adeo speciosam in gloria, exclamavit: Hæccine est illa Isabel! uti olim dixerunt: *Hæccine est illa Iesabel?* ecce illa orbis domina! nil aliud supereſt, nil venustatis, nil majestatis, nil gloriæ? hæc attendite, & pro Epilogo hoc breve, sed nervosum magni illius Cancellarii Angliæ Epitaphium cordi insculpite:

HIC NIHIL EST MORI.

b Hic nihil de tanto viro qui caput Angliæ audiebat, hic nihil prudentiæ, consilii, officii, dignitatis, nil illius magni Mori: quia mors nihil illi erat, hie nihil est mori, id est, stulti.

a Aug. serm. 48. ad frat. in Erem.

b Velasquez c. 1. ad Philip. c. 24. n. 5.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XXXIX.

Omnia bene facit. Marc. 7.



QVI NON VIOLAVERIT VNAM.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Vt eum, qui OMNIA BENE FECIT, proxime æmulemur, neceſſum eſt, omnes animi intendi nervos in hoc unum, ut omnes ſanctitatis numeros, quæ in myſtico decachordo decem mandatorum Dei conſiſtit, expleamus: ne qua chorda rupta, virtutum pulcherrimus ille concentus interrumpatur.

§. I. Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. *Iac. cap.* 2.

§. II. *Bonum ex una, integraque cauſa exiſtit; malum autem ex ſingulis, ſingularibuſque defectibus.* D. Thom. 1, 2. quæſt. 18. art. 4. ad 3.

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Omnia bene fecit. Marc. 7.

STRABO refert Eunomium Citharedum Locrensem, cum Aristone musico Rhegino, & voce, & fidibus certasse: dum ecce pernici argutoque pollice hla terens, medio in certamine, chorda abrumpitur, & de palma ipso sub plausu conclamatur. At ut forte subter arborem consederant, cicada eo convolans felici casu, in Eunomii cithara requievit, & fractæ chordæ sonum, vocali gutturis nervo supplevit. Hinc Locris in Italia statua visitur Eunomii, quæ cicadam cytharæ insidentem exhibet. Liceat hæc ad primum humani generis parentem referre, qui in loco deliciarum collocatus, concentum virtutum longe suavissimum resonabat, quo Adam velut alter Orpheus, omnes animantes ad nutum, quo ludebat, agebat. Dum ecce medio in plausu, chorda rumpitur, gula distenditur, fides frangitur, totius mundi harmonia disturbatur: jamque conclamatum erat, nisi cœlitus cicada delapsa defectum instauraret; nisi, inquam, Redemptor noster in crucem distentus, citharam novis nervis reparasset.

Mirari quispiam posset, si legem Dei citharæ, ac mandata ejus fidibus musicis comparavero, nisi me irrefragabilis Doctoris commoveret auctoritas. Ps. 32. hortatur nos Propheta: *Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite ei.* In quæ verba August. *Psalle,* inquit, *in psalterio decem chordarum: præcepta enim legis decem sunt. In decem præceptis legis, habes psalterium. Perfecta res est* (nulla chorda deest) *habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in septem.* Summus ille, qui cœlitum choris præest phonascus, nos omnes citharœdos esse voluit: citharam in manus dedit, decem chordis mandatorum concinne instructam. In hac cithara si vel una fides rupta est, omnis concentus tollitur, omnis ars & industria frustra desudat; ut recte observat Hieronymus, in illud Isaiæ c. 16. *a* QUASI CITHARA SONABIT. *Benedic,* inquit, *anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus; quomodo enim cithara non emittit vocalem sonum, atque compositum, si saltem una chorda rupta fuerit: sic si una virtutum chordæ defuerit, non poterit melos dulce resonare.* Quid enim prodest aliquem castitate, justitia, pietate in pauperes præcellentem esse, si temperantia defuerit, & homo ebriosus sit? quid prodest temperantem, jejuniis, orationibus addictum, si scortator aut adulter sit? quid si omnia præcepta observet, sed quandoque in res alienas manum injiciat? hac una chorda disrupta, perit omnis concentus virtutum, quo nihil est suavius.

a Hieron. l. 6. in Isa. c. 16.

UVA. BHSC. BU 02224

§. I.

Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Iac. c. 2.

HIc locus Apoſtoli, quibuſdam obſcurus viſus eſt, & intellectu difficilis, quomodo quis peccando in uno, factus ſit omnium reus: nam qui furatur, hoc actu non ſcortatur, non occidit: quique unum flagitium committit, non continuo omnia admiſit. aQuare S. Auguſt. ſuper hac ſententia ut implexa, populo tamen profutura, Hieronymum conſulit: *Quæro, & per Deum obſecro ut exponas mihi, quod multis exiſtimo profuturum, quomodo accipiendum quod in Epiſtola Iacobi ſcriptum eſt: Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus?* ac primo quidem ſuum ſenſum exponit: *Factus eſt omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia.* Quo ſpectat illud Gregorii hom. 27. in Euangel. *Præcepta Domini multa ſunt & unum: multa per diverſitatem operis, unum in radice charitatis.* Porro charitas per omne mortale excidit, & habitum juſtitiæ diſcindit; Iob. 29. *Iuſtitia indutus ſum, veſtivi me ſicut veſtimento.* Vbi appoſite Gregorius: b *Veſtimento utique cum veſtimur, omni ex parte circumdamur: Ille ergo juſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe ubique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit.* Fit enim in hoc animæ veſtimento, quemadmodum in veſtibus Sacerdotum, ac vaſis ſacris, in quibus ſi notabilis pars deſit, totum profanatur.

c Aliam ſimilitudinem ex habitu militari, ſeu panoplia, adducit auctor operis imperfecti in Matth. c. 25. Sicut, inquit, miles ſi toto corpore fuerit armis veſtitus, & unam partem habuerit nudam, nihil ei prodeſt, quod toto reliquo corpore fuerit ferro veſtitus: ſic Chriſtianus ſi juſtitiam fecerit, & in uno peccaverit, ſimiliter peccator ſtatuitur & lethali ictu ſauciatur. Qui *alta nomina* habent, ſemper uno loco ſauciari poſſunt. d Achilles toto corpore invulnerabilis, excepta pedis planta, in qua telo Paridis læſus eſt: Aiax vero Thelamonius toto corpore invulnerabilis, axillam ſi exceperis: quia Hercules cetera corporis membra leonina pelle involverat, axilla intecta, ubi pharetram geſtabat; & ecce hæc pars à vulnere intacta non fuit. Quot reperire eſt toto corpore & animo invulnerabiles, qui dumtaxat unico in membro ſauciari poſſunt: alii in oculo, alii in pede, alii in auribus, alii in lingua.

1. Reg. 17. Goliath cetera armatus: *Caſſis ærea ſuper caput ejus, & lorica ſquammea induebatur, & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æneus tegebat humeros*; fronte ſola nudus, vulneri locum præbuit. Ita multi armati oculis, nil inverecundi aſpiciunt: armati lingua, nil in-

a Aug. epiſt. 29. ad Hieron. b Greg. l. 9. mor. cap. 12.

c V. Paez hic in Ep. Iacob. c. 2. d Homerus Iliad. 4.

jurioſi

UVA. BHSC. BU 02224

jurioſi effutiunt : armati manibus, nil alieni ſurripiunt ; ſed ſola fronte inermes, in capite vulnerabiles, vindictam ſpirant & ſanguinem.

Sunt (quis credat?) qui ſolo corde ſauciari poſſunt. Refert [a] Novarinus Spadiatem hanc à Deo gratiam conſecutum, ut nulla parte corporis in bello vulnerari poſſet, excepto ſolo corde, quod ſingulari armatura præmunire conſuerat. Hoc indubitatum, complures ad ebrietatem, ad fornicationem, ad furtum, ad calumniam invulnerabiles eſſe, qui nec oculis, nec auribus, nec lingua, ſed ſolo corde ſauciari queunt. De quibus Propheta ait; [b] *Mala autem in cordibus eorum.* Quot ſolitarii, è ſeptis ſuis ſolo corde evaganturſ quot ab omni occaſione remoti, ad actus externos ſubverecundi, in corde ſuo flagitium meditantur, & corde mactantur? quos non magis juvat cetero corpore virtutem ſpirare, quam ſi quis omnibus membris valeat, ac in uno graviter ac lethaliter ſaucius ſit.

S. Dionyſius, [c] Richardus Victorinus, aliique, aliter hunc locum exponunt, peccantem in uno, fieri omnium reum, quod omne meritum amittat, ac ſi totam legem violaſſet, juxta illud Eccleſiaſtes : [d] *Qui in uno offenderit, multa bona perdet.* Quod S. Dorotheus confirmat: *Si decies cuique bene operari contigerit, & ſemel tantum ex habitu malo facere malum, id unicum tanta illa bona perdit ac deſtruit.*

[a] Novarin. Schediaſm. p. 261. [b] Pſ. 27. [c] Rich. Victorin. l. de incarn. p. 1. cap. 14. [d] Eccle. c. 9.

Lyranus & alii docent omnium fieri reum, quia eandem pœnam damni, ſcilicet privationem gratiæ & gloriæ incurrit, ac ſi omnia præcepta violaſſet : ubi enim amittitur charitas, ſeu gratia juſtificans, quæ eſt forma omnium virtutum, ceteræ omnes ſquallent, & anima monſtroſa redditur. Monſtrum definitur, individuum habens defectum notabilem toti ſpeciei alienum. Sit quis omnibus membris eleganter efformatus, colore vivido, ore venuſto:

e *Spectandus nigris oculis, nigroque capillo;*

ſi ſtrabo ſit, ſi claudus, ſi balbus, ſi gibboſus, is monſtris annumeratur. [f] Nactus quis ſit hanc aptam corporis ſymmetriam, ut longitudo ad latitudinem ſit ſextupla, ad craſſitiem decupla, ad cubitum quadrupla, ad extenſionem utriuſque brachii æqualis, ad pedem exporrectum ſextupla, omnia denique ad unguem expolita ſint; ſic tamen ut oculum dumtaxat in fronte habeat, lunatas habeat plantas, binos tantummodo digitos, collum anſerinum, jam ab [f] Auguſtino & [g] Damiano hi inter monſtra merito recenſentur; uti & ille, cui naſum anteſignanum, tam ampla porrectum mole [h] Strada deſcribit, ut eum emungere nequiret; quippe major multo erat, quam ut ad eum manus poſſet pertingere; tantumque ab auribus diſtabat, ut dum ſternueret, non niſi dudum poſt ſonus ad aures perveniret.

c Horat. [f] Leſſ. de provid numinis l. 1. n. 36. [g] Aug. l. 16. de civit. c. 8. h. Damian. libell. de miracul. i Strada proluſ. Acad. piſtor. ſuburr. p. 464.

UVA. BHSC. BU 02224

Quin & illi monſtroſi habendi ſunt, quos *a* Chreſolius & Nierembergius teſtantur caudatos in lucem prodire, quod Auguſtinum virum ſanctiſſimum appenſis ad illius togam neſcio quorum animalium caudis, fœde illuſiſſent. Pulchre Lucas Abbas: b *Hæc eſt decem membrorum totius corporis mirabilis pulchritudo, quæ in pleno decem præceptorum catalogo, nullam in ſe partem membrorum fœdam relinquit.*

Idem in ſtatua aut ſimulachro quopiam videre eſt, quod ut perfectum ſit, omne vitium, omnis exceſſus & defectus abſit neceſſe eſt, cum juxta Ariſtotelem l. 4. Phyſicorum, *perfectum & totum ſit id cui nihil deeſt.* Quod egregie ad mores Socrates tranſtulit, dum dixit, c *in vita perinde ut in ſimulachro, omnes partes pulchras eſſe oportere.* Talis debet eſſe anima, quæ ſponſo ſuo placere ſtudet, quam laudat Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Monet recte Eccli. 33. *Ne dederis maculam in gloria tua.* Sicut Salomon, qui de ſe ipſe fatetur: d *Puer autem eram ingenioſus, & nactus animam bonam.* Et Nehemiæ 13. *In gentibus multis non erat Rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus Regem ſuper omnem Iſrael, & ipſum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.* Et hinc c. 47. *Dediſti maculam in gloria tua.* Petrus, qui, teſte e Gregorio, *primus fuit in humilitate,* quem Hilarius *primum Chriſti Confeſſorem*; Chryſoſt. omnium, f *Apoſtolorum fideliſſimum* nuncupavit, *dedit maculam in gloria ſua.* David pius, manſuetus, vir ſecundum cor Dei, adulterio *dedit maculam in gloria ſua.* Quæ omnia dilucide confirmat gentilis Seneca, quem cum ſæpius nomino, juvat de eo Lactantii audire teſtimonium, qui ſic ait: g *Qui volet ſcire omnia, Senecæ libros in manu ſumat, qui morum vitiorumque publicorum deſcriptor veriſſimus, & accuſator acerrimus.* Hunc igitur audiamus. Cum Calliſthenes Philoſophus Alexandro perfamiliaris, eundem à bello Perſico reducem, audiviſſet omni populo imperaſſe, ut ſibi divinos honores haberent, & pro Deo venerarentur; modeſte Alexandrum commonuit, illos honores homini mortali non deberi: Quo ira Regis animum commovit, ut Calliſthenem auribus, naribus, labiiſque truncatum, cum cane cavea incluſum circumferri, ac tandem necari juſſerit. Quo barbaro facto, qualem maculam nomini ac gloriæ ſuæ inuſſerit, quamque hoc unum omnes heroïcas virtutes obſcurarit, præclare oſtendit Seneca: g *Hoc eſt,* inquit, *Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: Occidit Perſarum multa millia. opponetur: & Calliſthenem. Quoties dictum erit: Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat. opponetur: & Calliſthenem. Quoties dictum erit: Omnia Oceano tenus*

a Chreſolij antrolog. cap. 3. ſec 2. p. 84. Nieremb. hiſt. nat. b Nyſſ. ſerm. Dom. 5. poſt Epiph diſc 3. c Socrates apud Stobæum ſerm. 1 de virtute d Sap. 8. e Greg. in Ezech. hom. 18.

f Chryſoſt. ſerm. de SS. Petro & Paulo g Lactant. Divin. inſtit. l. 5. c. 9. h Seneca quæſt. nat. l. 6. cap. 23.

UVA. BHSC. BU 02224

vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ, usque ad Orientis terminos protulit, dicetur: Sed Callisthenem occidit, Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis. Ita quisque penes se statuat, si grave quodvis crimen vel semel admiserit, hic adolescens, ille mercator, causidicus, Senator, nulla ingenii vel naturæ talenta eluent, omnia recte facta hoc unum non tollent: nam *quoties quis dixerit:* Adolescens ille perhumanus est, adolescens ille indolis benignæ est, *opponetur:* Et virginem violavit. *Quoties dictum erit,* Adolescens ille in cœtu Mariano assiduus est, *dicetur:* Sed & virginem violavit, &c. *Quoties quis dixerit:* Mercator ille, iste causidicus, quotidie sacris interest. *opponetur:* Et perjurium admisit. *Quoties dictum erit:* Quotannis aliquot millia in pauperes effundit, *dicetur:* Sed & perjurium admisit. *Quoties quis dixerit:* Vir ille Senatorius pupillos & orphanos tuetur, *opponetur;* Et alienam corrupit. Quoties quis dixerit: In patriæ tumultu hic non semel pro civibus animam posuit; *dicetur,* Sed & alienam corrupit. Sit vir doctrina celeberrimus, prudentia in paucis eximius, corporis afflictatione singularis, charitate proximi insignis, si uno interro flagitio vel semel deprehensus, de fama, de integritate, de probitate actum, & hunc quoties virum conspexeris, sive orationi intentum, sive proximo juvando distentum, occurret semper animo: Sed & tale flagitium admisit. Quo fiet, ut omnia quæ fecit, quantumvis illustria, unum hoc crimen obscuret, ac fœdis tenebris obvolvat. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3. ex Dionysio Areopagita docet:

§. II.

a *Bonum ex una integraque causa existit, malum autem ex singulis singularibusque defectibus.*

QVod axioma in scholis receptissimum, & perspicuum est in corpore humano, cujus temperamentum facilius conservare, quam disturbare aut instaurare est; quoniam multa eaque simul ad sanitatem requiruntur: at ut quis ægrotet, sufficit unus defectus, cibus minus salubris, potus immoderatus, cruditas in stomacho, frigus insolitum, calor vehementior, unius membri affectio, spiritus unius interceptio, unius ossis contritio, unius nervi contractio hominem insanum reddit. Vero non absimile est, Dionysium Athenis ab Aristotelis disciplina suum axioma hausisse, qui l. 2. Ethicorum cap. 6. sic docet: *Peccare multis possumus, recte agere uno vero modo tantum licet,* atque idcirco illud facile, hoc difficile. Declarat rem Princeps Philosophorum exemplo sagittarii, cui difficillimū est scopum attingere jáculando, quia una recta linea tantum in scopum dirigatur; facillimum & sexcentis modis aberrare; sicut rectam lineam ducere difficile, quia nihil curvitatis habet; curvam facere facillimum, quia

a S. Thom. cit.

UVA. BHSC. BU 02224

infinitæ à rectitudine deflectere possunt. Apte Tullius in paradoxis, Virum probum debere esse similem versui, seu metro poëtico, cui vel syllaba desit aut exerret, totum vitiosum est, & publico sibilo ac convitio excipitur. Hoc est quod Theologi docent, plus requiri ad virtutem, & ut actus bonus sit, quam ad peccatum. Vt quis bene oret, non sufficit hominem genibus nixum, volvere rosarium, oculos in crucem defixos habere, si mens alio evagetur: ad misericordiam in pauperes, non sufficit dare lautas eleëmosynas, sed debent esse ex proprio, non ut videantur ab hominibus, &c. Hæc doctissimi viri doctrina est: *Plura necesse est ad virtutem concurrere, quam ad vitium; imo per defectum unius eorum quæ requiruntur necessario ad virtutem, transitur in vitium.*

a Pharisæus ille, qui in templum oraturus ascenderat, quãtarum virtutum laude præclarus? *Non sum*, inquit, *sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo*; & tamen unius jactantiæ noxa, totam justitiam delevit. Vive hunc stylo suo depinxit Gregorius lib. 19. mor. cap. 12. *Pharisæus namque ille, qui in templum oraturus ascendit, civitatem mentis suæ, quanta munitione vallaverit, audiamus, Jejuno:* inquit, *bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo. Qui præmisit, Gratias tibi ago, magna certe munimina adhibuit. Sed videamus ubi insidianti hosti immunitum foramen reliquit:*

a Gersun. tract. 2. de tribus ad peccatum concur. sect. de intens.

quia non sum sicut Publicanus iste. Ecce civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium & eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo servavit; victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluvies: superata est largitate tenacia, avaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores uno vitio percussi ceciderunt? quanta bona unius culpæ gladio sunt perempta? Incassum civitas mœnibus cincta, vallis inaccessa, propugnaculis & arce munita, si unus occultus aditus viam hosti viritim in civitatem sternat: incassum quis sub noctem omnes fenestras obstruit, triplici sera fores occludit, pessulis ac vecte ferreo præmunit, si in cellam furi foramen pateat: incassum quis contra impetum aquarum densum aggerem exstruxerit, si vel rimam habeat, dabit illa ruinam: ita & incassum cæteras sensuum portas firma custodia muniri, si vel per aures detractio irrepat, aut per oculos fœdum spectaculum se insinuet, &c. Chrysost. hom. 19. ad pop. *Nisi totum emendasti, nondum te quidquam feciss e puta: hoc enim exiguum neglectum, & omne reliquum destruit: sæpius namque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt.* Ædificium quantumvis amplum, aptissima symmetria ad amussim perfectum & absolutum sit, modo tegula desit ut sensim stillicidiis trabes compu-

UVA. BHSC. BU 02224

computrescant, inopinato ruinam dabit. Adeo in ædificio spiritali non sat est, si paupertatis murus, humilitatis fundamentum, obedientiæ tectum, sartum integrumque servetur, si pro tegula, regula vel una desideretur. Longum esset vel recensere quot munitissimæ civitates, annona in plures annos copiosissimæ, omni bellico apparatu instructissimæ, præsidio militari confertissimæ, paucis mensibus, imo diebus, in hostium potestatem venerunt, unius rei defectu: vel quia pulvis, vel glandes, vel fomites, vel medicamenta, vel sal, vel aqua, vel aliud quidpiam, ubi cætera abunde suppetebant, desiderabatur. Testis Bethulia, de qua sacræ paginæ testantur, tantam in ea fuisse aquæ penuriam, a *ut non esset intra civitatem unde satiarentur vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie*; quare nemo quisquam mirabitur, si hujus unius defectu de civitate tradenda in manus Holofernis, actum sit. Stratagemata denique non pauca momenti maximi unius sæpe levissimæ rei defectu, felicissimo successu caruere. Ex quibus omnibus quis non concludat verissimum illud axioma: *Bonum constat ex integra causa, malum ex singulis singularibusque defectibus?* Confirmat idipsum S. Thom. 2.2.q. 5.ar. 3. *Sicut peccatum mortale contrariatur Charitati, ita discredere unum articulum, contrariatur Fidei. Sed Charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale: Ergo nec fides, postquam discredit unum articulum Fidei.* sic ut nulli dubium esse possit, quin formalis hæreticus censendus sit, & omnium reus, qui vel uni articulo Fidei, vel uni apici in sacris paginis veritatem derogarit. Tales exstitere Nicolaitæ, qui Psalmos Davidicos habuere ut profana cantica, poëticos æstus ac deliria. Castalion repudiavit Canticum Canticorum, quasi œstro quodam impotentis libidinis conscripta: Porphyrius Danielem impugnavit: Ebion & ipse impius hæreticus solum Matthæum ex Euangelistis probavit: Cherintus solum Marcum: Marcion Lucam, eumque unum. Denique Valentinus Ioannem tantum admisit: Ebionitæ D. Pauli Epistolas damnarunt: Calvinus libros Machabæorum erasit: Lutherus epistolam D. Iacobi, & Iudæ, in sacris admittere renuit, quia iis vidit se suaque dogmata exanimari. Qui omnes perperam jactant in cæteris irrefragabili sacrarum literarum auctoritati sese adhærescere, si vel in uno ab infallibili regula deflectant. Quo solo efficitur ut anathemate percussi, tanquam hæretici & schismatici fugiendi ac execrandi sint. Quare sicut qui discredit uni articulo fidei, perdit totam fidem, & vere hæreticus est; ita qui transgreditur unam legem, perdit charitatem & vere peccator est; in utroque enim, ut docet D. Thomas, destruitur totaliter objectum formale: *Manifestum est*, inquit, *qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet; alioqui si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult, tenet, & quæ non vult, non tenet; non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ tanquam*

a Iudith c.7.

UVA. BHSC. BU 02224

infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati. Ex quo patet hæreticum habere aliud objectum formale, & tendendi modum fallibilem: quia eodem modo credit vera myſteria, ſicut ſuos errores. Sed errores non credit ob idem objectum formale, ob quod fidelis: Ergo. Nec obeſt quod aliis firmiter adhæreat; id enim fit ex imperio voluntatis, quo etiam pertinaciter adhæret erroribus. Haud aliter, qui unam legem tranſgreditur, quæ eſt violativa amicitiæ Dei, nequit ex eodem motivo ullam aliam velle ſervare; qui enim deteſtatur vinum Rhenanum præciſe quia veneno mixtum, & præſentiſſimæ mortis cauſa eſt; debet ſimul averſari Creticum, Maſſicum, Phalernum, Chium, & quodvis aliud, quod eodem veneno tinctum eſt.

Chriſtus Matth. 28. hoc ſuis inculcat: *Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Baſilius ad hæc in prolog. Regul. *Non hæc quidem obſervare, illa autem negligere; ſed omnia ſervare, quæcumque præcepi vobis. Quid prodeſt alicui data à pleriſque libertas, ſi is vel uni modo ſerviat: qui enim peccatum facit, ſervus eſt peccati.* Quid confert captivo ſi primam, ſecundam, tertiam cuſtodiam tranſgreſſus, portas ac feras perfregerit, ſi ad ultimam portam ferream hæreat? quid juvat reliquo corpore liberum eſſe, ſi pes vel manus in vinculis ſit? Quam doctrinam elegantiſſimilitudine confirmat S. Dorotheus: a *Si Aquila, quæ reliquo corpore à laqueo omnino libera eſt; unica autem ungula detenta fuerit, omnem vim ſuam ex ea modica particula, qua præpeditur, amittit. Idpſum,* inquit, *in anima eſt: quæ ſi unicam paſſionem tantum habituatam habuerit, ex ea ſubjecta jam hoſti, hora etiam minima in captivitatem ducetur.* Eſt qui à calumniis & blaſphemiis abſtinet, ſed avaritiæ vinculis adſtrictus eſt: alius juſtitiæ tenax eſt, ſed fœdo adulterii nexu colligatur: alter ad cætera Religioſus, niſi quod rei alienæ picea manus adhæreſcat. Vt ergo quis liber ſit, omnia vincula diſſolvat, neceſſe eſt. Iſque modus excogitandus eſt, quo apte & ſecure ſe expediat; alioqui ſi unum alterumve fefellerit, ubi ſe explicatum ibi confidit, ſe novis vinculis implicatum ſero ingemiſcet.*b* Dictum in rem conferam. Montignius frater Philippi Comitis Hornani anno 1566. in Hiſpaniam profectus eſt, ſuam comprobaturus Regi innocentiam; verum cum aures regias æmulorum voces penitus obſediſſent, cuſtodiæ mancipatur; quo nuntio accepto, uxor hanc rationem mariti liberandi, ut novam, ſic ingenioſiſſimam excogitavit. Quatuor ablegantur Belgæ, linguarum periti, qui peregrinationis Compoſtellanæ prætextu in Hiſpaniam proficiſcantur, ſtipis emendicandæ ſpecie, chelym quiſque ſeu violam ſecum ferentes, in quorum inſtrumentorum maximo, quod baſſum vocant, omnis generis ferramenta ad perfringendos carceres opportuna, affabre concluſa erant. Vbi ad arcem ventum eſt, in ſubje-

a V Nyſſ. ſer. Dom. 5. poſt Epip. diſc. 3.

b Beyerlinck theat. tit. prud. p. 805.

&to

UVA. BHSC. BU 02224

cto vico ſpecimen artis edunt. Admirantur omnes peregrinorum ingenium. Præfectus arcis eos advocari jubet, dominum Montignium muſices amantem, exhilarandi cauſa. Vocati parent, nec modo fidibus, ſed & voce, Gallice, Italice, Hiſpanice ſuaviſſime modulantur: ad extremum etiam linguaBelgica, quam,ut exploratum habebant, nemo cuſtodum intelligebat. Hac autem cantilena Belgica decantant cujus rei cauſa advenerint, modum exponunt,quo è carcere ſe expedire queat, emeret nempe hæc artis muſicæ inſtrumenta quovis pretio, ipſis diſſimulanter reluctantibus,in baſſo repertarum fabrilia, quibus carceris clathros perfringat. Hactenus omnia feliciter, nec ſurdo canebant; at unum defuit,neſcio quo errore factum ſit, ut verſum illum,quo baſſum citra læſionem, arcano ſtylo aut clavo exempto aperire & claudere poſſent, ne perfracto eo fraus deprehenderetur, concinere omiſerint. Montignius ad voces has animum advertens,ſed vultu probe diſſimulans,ad Præfectum arcis converſus:Egregios mehercle muſicos, inquit:contendere tamen auſim,vel te judice,cantionis Belgicæ harmoniam,præ ceteris longe ſuaviſſimam fuiſſe. Adſtipulante itaque Præfecto, cantilenam de induſtria repeti juſſit. Sed idem error,qui prius contigit.Dimiſſis peregrinis artem illorum laudare, inſtrumenta muſica imprimis extollere cœpit:ejuſque adeo precibus motus Præfectus, ea tandem à peregrinis, diu multumque reluctantibus obtinnit.Peregrini jam digreſſi erroris memores, novo aſtu eum emendare ſtudent, obſervant puerum à vicino piſtore in Comitis uſum panes petere, ſchedam cum verſu illo inſerunt. Incommodum autem accidit, tum temporis Præfectum cum Montignio prandere, in cujus manus hic fatalis panis incidit, ac dolo detecto ſpes omnis libertatis Montignio inciſa eſt. Quid autem evenerit,loquuntur Hiſtorici. Vide quam paulo è momento maxima rerum pondera pendeant, quam omnibus ad libertatem comparatis, uno deficiente, homo in exitium & exitum fatalem prolabatur. Ita & levi impendio,qui libere ſubvolare poſſet, adſtricta hæret anima.Cui veritati adſtruendæ utinam teſtes prodirent, qui ceterum probi, ad captivitatem illam diabolicam damnati ſunt,&quantumvis temperantia, caſtimonia, aliaque virtute eximii exſtiterint,uno ſcelere admiſſo,audire meruerunt,*Clauſa eſt janua*.Quę aureo *a* Chryſ.concludam elogquio. Expendens hic illudMatt. *Neſcio vos*,ſic ait: *Quoniam igitur & magna res erat* (virginitas) *ac de ea apud multos magna erat exiſtimatio, ne quis ea perfecta, ſe totum perfeciſſe putaret ac cetera negligeret, hanc parabolam propoſuit, ut oſtenderet virginitatem, quamvis cetera habeat,ſimiſericordiæ bonis caruerit* (*quæ per oleum deſignatur*,) *cum fornicatoribus ejici*.Et ſubdit:*Ideo etiam fatuas appellavit,quoniam majori certamine ſuperato, in faciliore totum perdiderunt*.Ad ſudorem quis& ſanguinem, in vitiorum hydram

a Chryſoſt hom. 79.in Matth.

UVA. BHSC. BU 02224

decertarit, nisi omnia capita demessuerit, vel unum perniciem mortemque adferet: quemadmodum vir nobilis documento reliquit, *a* dum in gentilitiam refferam, sibi lernæam hydram adlegit, in cujus septem virulenta capita verissime lusit, hoc brevi lemmate subjecto: *Aut omnia, aut nullum.* Hoc sibi quisque salutis symbolum adlegat hortor & moneo, ne uno neglecto, quod plurimi apud inferos fero ingemiscunt, æternum animæ exitium incurramus. Vnicam mortalem noxam subiisse, æternum periisse est. b *Numquid enim,* ut Basilius ait, *ex omnibus rectè factis, si unum aliquod alicui tantum obfuerit, is propterea salutem non adipiscatur?* Et respondet: *Cum multa sint tam in veteri, quam in novo testamento, ex quibus planissime quæstionis hujus veritatem possimus intelligere, satis esse arbitror homini fideli vel illud unum de Petro judicium: qui cum ei talium ac tantorum rectè factorum testimonium à Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, ac beatus laudatus, ubi una tantum in re, ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia, superbiave, sed ex reverentia, honoreque adversus Dominum suum; propter hoc ipsum tantum, ei dicitur. Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* hoc est, salvus non eris. adeo ut in unius lethiferæ noxæ piaculo, infelicis æternitatis cardo verfetur, & omnis optatæ felicitatis spes evertatur.

a V. Nyss. Serm. Dom. 5. Quadrag. disc. 3. b Basil. in reg. brevi interrog. 233.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XL.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.



IN HOC SIGNO VINCES.

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN.

Deus cordis noſtri hoc unum ſuo ſibi iure poſtulat: a *Præbe fili mi cor tuum.* Quo fit quemadmodum in luſu chartarum accidere conſuevit, ut cordis teſſera *Herten aes*, rapiat hoc unum ſibi; *Herten heer.*

§. I. *Deus cordis hoc unum ſibi cor noſtrum vendicat.*
§. II. *Quid ſit ex toto corde Deum diligere.*
§. III. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. *Matth. 6.*
§. IV. *Quorum cor longe eſt à Deo.*

a Prov. 23.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10.

PHILIPPVS Rex Macedo in ſolemni convivio, ad quod inter viros Principes, complures Philoſophi ingenio & doctrina præcellentes adhibiti, quo animum ſuum oblectaret, eorumque ſcientiam exploraret, hanc illis quæſtionem ſeu problema diſceptandum & diſcutiendum propoſuit: *Quid in rerum natura maximum eſſet?* Hic omnes arrectis auribus & animis; quidam montem Olympum, qui, teſte Plutarcho decem ſtadiis altus eſt, & de quo Poëta canit: a *Nubes excedit Olympus.* Quem, inquit, alter ſi de montium ſublimitate controverſia eſt, longe Atlas exſuperat, qui non modo primam regionem aëris, ſed hoc b *toto vertice ſupra,* Solino teſte, in viciniam lunaris circuli educitur, & cælum ipſum firmamenti fulcire dicitur:

——— c *ubi maximus Atlas*
Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Tertius, quid maius excogitavit tota terra, nempe aquam, quæ terram omnem primo circumdedit & ambivit. Tandem quartus ſe lucem allaturum ratus, omnium rerum maximum ſolem declaravit, utpote qui 166. orbem univerſum magnitudine excedit. Sed quintus propius ad veritatem acceſſit, dum *cor* hominis omnium rerum maximum, & capaciſſimum pronuntiavit: quod in Alexandro Philippi filio comprobatum eſt. d Etenim cum aliquando Ariſtarchum dicentem audiſſet, plures mundos eſſe, à lachrymis temperare non potuit, quod nondum unum occupaſſet, adeo ut neceſſe fuerit, Magiſtrum ejus Ariſtotelem librum conſcribere de uno mundo; quo tamen, jam ſubacto, cor ejus univerſo capacius, pluribus mundis inhiabat.

e *Vnus Pellæo iuveni non ſufficit orbis.*

Nec mille mundi cor humanum exſaturare poſſunt; capacitatis quippe hoc infinitæ eſt. Diſerte Hugo Vict. f *Cor parvum eſt, & magna cupit: vix ad unius milvi refectionem ſufficere poſſet, & totus mundus ei non ſufficit.* Et paulo poſt: *Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere poſſent uno anno;* nullæ divitiæ, nullæ deliciæ, nullæ res creatæ valent, capacitatem ejus explere. Rationem dat Aug. g *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt* COR *noſtrum, donec requieſcat in te.* Feciſti *cor* noſtrum triangulare, capax immenſæ illius Triados, quid mirum ſi orbis triangulum complere nequeat? Inquietum eſt cor noſtrum. Avarum interroga, an quieſcat & ſatietur pecuniis? libidinoſum percunctare, an expleatur brutis volup-

a Lucan. l. 2. de Pharſ. b Virg. 7. Æneid. c Virg. 4. Æneid.

d Lipſij exempla pol. de magnitudine animi in fine. e Iuven. ſat. 10. f Hugo Vict. l. 3. de anima. g Aug. l. 1, conf. c. 1.

tati-

UVA. BHSC. BU 02224

tatibus? ebriosum sciscitare, an tot cantaris ac diotis exsiccatis acquiescat? Quisque si libere profiteri voluerit, cum Augustino dicet; *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; sicut acus nautica, quæ in assiduo motu est, nec quiescit nisi polarem respiciat. Quo spectat illud Bernardi: a *Ad imagnem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit.* Quid hoc est, *Occupari potest, repleri non potest?* Quandoque homo voluptatibus & deliciis humanis totus occupatus, & immersus videtur, ebriosus dum vino oppletus est, avarus dum lautam hæreditatem adit; sed repleri non potest. Similes sunt ollæ ferventi, quæ superabundare & effluere videtur; at ubi calor resedit & deferbuit, vix ad dimidium plena est. Quare cum cor nostrum imago sit SS. Triados. & capax sit boni infiniti ad quod creatum est, quid ni illud totum sibi vindicet, qui creavit illud ad se? quid ni omnem affectum, omnem amorem, totum cor nostrum, in nobilissimum anathema, b *in monumentum & pignus amoris* appendamus: *in omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur* (inquit c Hugo Victorinus) *nihil humano* COR *sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur; quapropter nihil aliud quærit à te, nisi* COR *tuum.*

a Bern. Declam. Ecce nos reliquimus omnia. b Virg. 5. Æneid. c S. Hugo Vict. l. 1. de anima.

§. 1.

DEUS CORDIS, *hoc unum sibi cor nostrum vendicat.*

SEneca lib. 1. de beneficiis refert: Dum Socrati multi multa munera deferrent, & Æschines pauper auditor, Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio; itaque dono tibi quod unum habeo, meipsum: hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum dederint, plus tamen sibi reservasse. Cui Socrates: Quid ni tu magnum munus dederis, nisi forte parvo te æstimes; curabo ego ut te meliorem tibi reddam, quam acceperim. Tu te Deo munus acceptissimum consecra, & meliorem longe te tibi restituet, hoc est, cor tuum ei totum deferas, qui unus tibi cordi esse debet.

David post innumera à Deo in se collata beneficia, ne ingratus moreretur, secum expendit: d *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Tu magne Deus è campo ad regnum, è casa ad solium, ex caula in aulam vocasti, pedum in sceptrum, petasum in diadema, sagum in purpuram commutasti: *quid retribuam Domino?* tu mihi vires dedisti in urios & leones, auspiciis tuis gigantem immanem prostravi, *quid retribuam Domino?* tu me toties ex hostium insidiis, è Saulis manibus liberasti, *quid retribuam Domino?* An victimas arietum? an divitias regni mei? non, quia bonorum meorum non eges, tuus est enim orbis terræ. Ille tamen

d Ps. 115.

UVA. BHSC. BU 02224

qui nullius eget, unum à nobis poſtulat, nempe cor noſtrum: a *Præbe fili mi cor tuum mihi*, præbe mihi amorem tuum, hoc præcipio, b *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo*. Hoc præceptum David ſervavit, & cor ſuum ita Deo tradidit, ut omne dominum cordis ſui in eum contulerit; hinc eum alloquitur Pſal. 72. *Deus cordis mei*; non divitiarum, non regni, non exercituum, ſed *cordis mei*. Hoc David duxit donum egregium, & regium.

c An. 1599. Philippus II. miſit Regi Nangaſaci *cor aureum*, ut ſuum erga illum amorem declararet, illumque ad orthodoxam fidem pertraheret; quod munus adeo acceptum fuit Regi barbaro, ut cor illud cordi ſuo apprimens, idiomate ſuo exclamarit: *Maha ſanto ſcam! maha ſanto ſcam!* id eſt, O quam gaudeo! Ad hoc munus totus raptus eſt, hoc corde Philippus totum ſibi Regem Nangaſaci vicit, & devinxit; non quod auro ineſcari poſſet, quoniam bonorum eorum iſtic non egent, ſed quia cor *monumentum & pignus amoris eſſe*, probe teneret. Hoc & Rex regum, & Deus cordis noſtri rapit. Inter chartas quippe luſorias Dominus cordis eſt, *Herten heer*, qui ut omnia ad ſe trahat, eum tamen unum cor rapit *Herten aes*, vincit & trahit ad ſe, *in hoc ſigno vincit*. d Ita dilectus cum dilecta ſua Lutgarde luſit ut perdendo vinceret: dederat illi gratiam curationum, quam omnibus undique ad ſe concurrentibus deprecata, commutare maluit cum ſcientia & interpretatione Pſalmorum, quo ut ſpiritum interpeſcere ſenſit, dixit Domino: Quorſum attinet me idiotam & rudem monialem ſcripturæ arcana noſſe? Ait illi Dominus: Quid igitur vis? Volo, inquit, cor tuum. & Dominus: Quin ego potius cor tuum. Facta eſt autem ab eo die quædam permutatio cordium, ut Dominus cordis, ab ejus corde raptus ſit, & ad Lutgardem tranſierit. Quare ſi & tu Deum cordis in amorem tui rapere deſideres, totum cor tuum in eum jacias; hoc unum is qui omnia donavit, à te poſtulat.

Paulus Iovius refert non longe à Neapoli in Campania, legiſſe ſe hanc inſcriptionem ænigmaticam:

Dimidium Sphæræ, Sphæram
cum Principe Roma,
Poſtulat à nobis divinus conditor
orbis.

Quod Iovio interprete, nil aliud ſignificat, quam Deum cor noſtrum ſibi depoſcere. e Conſimile ænigma olim diabolus magno Antonio propoſuit: cum enim in Mauri ſpecie laqueis onuſtus, ac retibus ad venationem feſtinaret, ſanctus hic Abbas eum percunctatus eſt, quo renderet? Ad venationem, inquit: Dum ulterius ſciſcitaretur prædam quem indagaret? Reſpondit: Lunam dimidiam, ſolem (vel ut alii, bovis oculum) & rotæ quartam partem. Quæ manifeſto *cor* indicabant. Hoc *cor* humanum diſpares omnino venatores ſectantur, caro & ſpiritus, diabolus &

a Prov. 23. b Luc. 10. c Perard. Dom. 16. poſt Pent. d Surius in vita 16. Iun.

e Fonſeca theat. amoris c. 19.

Deus

UVA. BHSC. BU 02224

Deus. Quando hanc arcem dius amor occupavit, ſtatim dæmon claſſicum ſonat, mundus & caro ad arma proſiliunt; ubi dæmon occupavit, cælum, terram, morbos, bella, omnia Deus movet, ut ſibi cor ſubdat, & ad has voces peccatorem compellat: a *Cor meum conturbatum eſt in me.* Ut quid hoc? ut revertatur ad Dominum *in toto corde.* Quo facto dius amor triumphat, vexilla explicat, ponendo *ſignaculum ſuper cor*, vel ut alii, vexillum. Hanc arcem cordis, legitimus Dominus cordis, ſibi tradi poſtulat: *Fili præbe mihi cor tuum*; quia Pater dedit nobis ſuum cor, id eſt, Filium & Spiritum S. b *Dedit*, inquit D. Thomas, *Spiritum ſanctum, id eſt*, COR *& amorem ſuum; dedit Filium, qui erat in ejus ſinu, in viſceribus Patris.* Tot inſuper divini amoris tela quot in nos contulit beneficia: tot jacula, quot vulnera; tot ſagittas, quot ſpinas, quas è cruce quaſi arcu jaculatur. Lorinus Pſal. 44. *Chriſtus dici poteſt ſimilis imagini Cupidinis: nudus eſt denudans eximium amorem erga nos. Pro velamine oculorum, ipſimet ſunt oculi excavati inedia, lachrymis, verberibus, præterea ſanguine, ex corona & ſpinea & ſputis; quæ omnia demonſtrant nimium, ſed ſine amentia, amorem. Arcus ipſa crux eſt vel humana natura, cujus ut arcus æreus brachia. In cruce autem quot tormenta, tot ſagittas concipe charitatis.* Hiſce telis ſaucius exclamat Auguſt. c *Sagittaveras tu* COR *noſtrum charitate tua.* His ſaucia Thereſa, cor ſuum ab amato & ſibi raptum gaudebat: etenim ſi beneficia ſint furta, quæ *corda rapiunt*, ut olim quidam accepto munere ab Ageſilao teſtatus eſt, dicens: *Furtum illud Ageſilai eſt.* cauſam rogatus: Ita plane, inquit, quia munera *corda rapiunt.* Profecto *cor* noſtrum jampridem ſuo ille ſibi jure rapuit, cujus *cor* amore noſtri transfixum eſt. Non erat opus, Deum optimum eſſe ut amaretur, ſufficiunt quæ contulit, abſque eo quod ipſe eſt. d Si veriſſimum fuiſſet mendacium omnium maximum, delirium Marchioniſticum blaſphemans Deum malum, adhuc diligendus eſſet: ſua de nobis benefacta merentur benevolentiam & gratiam, torque telis amoris cor percuſſum, etiam ſiliceum ſcintillas abſiſtere faciet; imo totum exardeſcet, ubi viderit quod omnia dederit & ſe: e Servo Dei ferventiſſimo Antonio Martinio apparuit cupidineo habitu puer IESUS, arcu & pharetra armatus, inque ſuum cor jaculatus ſagittas, negotians amorem plagis. Parum hoc, ſed ut ficte apud Anacreontem, ita hic vere conſumptis miſſilibus, ſeipſo pro ſagitta uſus, in amatum conjecit, ut ſic cominus arcem cordis noſtri expugnaret, omne obſequium & amorem in eum conferamus.

a Pſal. 37. b V. Cornel. Prov. 23. verſ. 26. c Aug. l. 9. conf. c. 2.

d Nieremb. de arte volunt. pag. 339. e Nieremb. cit.

§. II.

Quid ſit ex toto corde Deum diligere.

S. Bernardus in Epiſtola reſponſoria ad quemdam percunctantem, quid à nobis Deus requi-

UVA. BHSC. BU 02224

requirat ? respondet, *Cor* nostrum; nihil dignius producere potest, quam ut ei restituat, à quo factum est. Hoc ardentissimum sui desiderium Christus declaravit, dum dixit : a *Ideo dedi homini cor, ut in eo me Deum suum, qui ubique sum, & incomprehensibilis concluderet, & ut cogitando, in me esset delectatio sua.* Tum si quidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat, & circumflectitur super eum, & nihil vult penitus possidere præter eum. Nec aliud dixerim *cor* dono dare, quam ipsum captivare in obsequium ejus, & ita voluntati ejus ex toto supponere, ut nihil aliud velit. Qui sic cor suum Domino dederit, cantabit melodice, & dicet cum Propheta: b *Paratum cor meum Deus*, in prosperis & adversis. Hæ aliquando voces auditæ sunt B. Henrici Susonis Ordinis Prædicatorum, qui cum arderet amore divinæ Sapientiæ, illa seipsam spectandam exhibuit, illique arridens dixit: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Ille humi prostratus in has voces prorupit: Ego toto corde, sensibus & animo, te inexhaustam omnium desiderabilium abyssum, *ardentis cordis mei sinu complector.* Sed amabo, quid Deum toto corde complecti, quid ex toto corde diligere, quid totum cor nostrum ei deferri est? Praxim modumque duæ germanæ sorores non solum carne, sed & Religione SS. Gertrudis & Mechtildis tradiderunt. Audierat aliquando Mechtildis inter divinas laudes concini illud Davidis, *Reges munera offerent*, & sic paucis Sponsum suum compellat: Ecquid est, ô dilecte cordis mei, quod tibi munus offeram, cum nihil suppetat dignum Majestate tua ? Respondit Christus: Quinque modis præbebis mihi cor tuum, & longè gratissimum munus obtuleris. 1. Illud mihi offeres velut arrham desponsationis, cum omni fidelitate, incessanter me deprecans, ut igne amoris mei consumam quidquid per infidelitatem deliqueris; cujus olim hic typus fuit. Levit. 16. *Ignis autem in altari semper ardebit.* ubi c Gregor. *Altare Dei* COR NOSTRUM *est, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo ad Dominum, charitatis flammam indesinenter ascendere.* 2. Offeres velut murenulam aut monile amatorium, cum abnegatione omnium terrarum voluptatum, quæ cor tuum occupare possent. 3. Offeres mihi cor tuum velut regium diadema, cum abnegatione omnis honoris, quem in hoc, vel etiam in futuro sæculo obtinere posses. 4. Offeres mihi cor tuum instar phialæ, ex qua ipse bibam meam dulcedinem. 5. Ut vas electum, in quo omne meum oblectamentum. Ita Mechtildim suam erudivit Dominus, in cujus corde inscriptum fuisse legitur, d *Mallem mori, quam minima noxa à te, ô bone Jesu, separari.* Quod, quid est aliud, quam illum præ omnibus voluptatibus, honoribus, divitiis, solum Dominum cordis habere? quod est ex toto corde diligere.

Hanc methodum callens

a L. 5. revel. Brigitt. interr. 3. resp. 5.
b Bial. 107.
c Greg. l. 21. mor. c 7. d L. 3. gratiæ. c. 7.

Ger-

UVA. BHSC. BU 02224

Gertrudis, Ecce, inquit, Domine, *cor* meum abstractum ab omni creatura, integra voluntate tibi offero, orans ut abluas illud aqua sacratissima lateris tui, & exornes illud purpura sanguinis, dulcissimi *cordis tui*; ac tibi per amorem coaptes, & unum tecum efficias, ut sim tecum *cor unum*, & anima una, uti cera liquescens una fit cum alia liquefacta, ut cum Propheta dicere queam: a *Factum est* COR *meum tanquam cera liquescens*. Haud aliter præoptabat *b* S. Luthgardis animam liquescere instar ceræ ante conspectum Domini. Quorum hoc? aptam rationem reddit *c* Richard. à S. Laur. *Anima mea liquefacta est per incendium charitatis, parata videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis*; ut fiat conformis sigillo aut imagini illius *qui finxit sigillatim corda eorum*. *d* Ita Bonaventura refert S. Franciscum in se Christi imaginem expressisse: *Tanquam si ad ignis liquefactivam virtutem præambulam, sigillativa quædam esset impressio subsecuta*. ut qui hoc sigillum super cor suum gestant, aut corda sua effuderint in formam illam dilecti sui, jam toti in eum transformati, exclamare possint: e *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus*. *Quid* enim, inquit Bernardus, *tam cordium vita, quam Dominus meus Iesus Christus?* Verissime dictum est, cor & animus plus est ubi amat, quam ubi animat. Scire vis ubi cor tuum est? vide ubi amor tuus est.

a Psal. 21. *b* Pennequin amour div. p. 169. *c* Rich. à S. Laur. l. 4. *d* S. Bonav. in vita S. Franc. c. 12. *e* Gal. 2. Bern. serm. 75. in Cant.

§. III.

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6.

REcte Eusebius Emiss. *f* COR *quod amat, in eo se figere solet.* Gulosi cor suum habent in patinis, ebriosi in poculis: *Vinum* quippe *& ebrietas auferunt cor*. avari in loculis, lascivi in scortis, ut diserte Hieron. *Gulosus*, inquit, *cor habet in ventre, lascivus in lumbis, superbus in capite, avarus in pecunia*. Hujus rei veritas prodigio non semel stabilita. Antonius de Padua dicturus orationem funebrem in morte usurarii, pro themate sibi delegit: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Matt. 6. Demortui tandem panegyrim hac terrifica peroratione conclusit: *Mortuus est hic dives, & sepultus est in inferno*. Feralis hujus sententiæ veritatem quæritis? arcam effringite, thesaurum ejus lustrate, illic cor ejus, corpore jam humato, reperietis. Abierunt ergo parentes & propinqui, & cor palpitans in medio nummorum conspexerunt.

Affine refert Gabriel Inchimo *conc. de munditia cordis*, avarum quendam repentina morte exstinctum, cujus cadaver cum amici secari jussissent, ut constaret quo malo tam subito oppressus fuisset, medici cor ejus minime reperire potuerunt; amici interim ad arcam, in qua thesauri ejus asservabantur, confugientes, cor illius illic repererunt inter ungues diaboli, qui in specie

f V. Cornel. c. 4. Prov. vers. 23. Osee 5.

dra-

UVA. BHSC. BU 02224

draconis illud miſere diſcerpebat. Avari cor diabolus poſſidebat. Quod præclare de quovis ſcelerato docuit Gregorius, dicens: a *Reprobi corda ſua non habent, quia ea diabolus poſſidet. Quotieſcumque ergo graviter delinquimus, cor noſtrum nos non habemus.* b *Quare & Hieremias Iudaïco populo graviter delinquenti improperans, ait: Audi populе ſtulte, & non habens cor.* O viri opulenti! ô potentes ſæculi! *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Ubi Auguſtinus admonet: *Certe vel hoc time, divitiæ ſi fluant, non vides quia ibi cor poſueris, & tu flues?* ut hinc à terrenis, quibus cor in puncto inſiſtit, & totum cælo patet, avocemus: ut ſurſum corda habeamus, atque illic fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia, veræ divitiæ, verus theſaurus; ubi fur non appropiat. Religioſiſſimus vir Ioannes de Zumarraga Minorita, primus Archiepiſcopus Mexicanæ urbis, in Epiſtola ad ſui Ordinis congregationem habitam Tholoſæ ann. 1532. refert quod in ſola illa civitate Mexicana, cum diabolus illic à gentilibus coleretur, quotannis pluſquam viginti millia cordium puerorum & puellarum ſolita erant ipſi offerri. Quis hic non ingemiſcat, quis non exclamet cum Propheta: c *Poſt idola enim cor eorum gradiebatur.* Sed hoc magis deplorandum, inter Chriſtianos etiamnum tot millia reperiri puerorum ac puellarum, virorum & mulierum, qui cor ſuum dæmoni conſecrare non verentur. Quot excordes ſine corde ambulant, quorum cor ad amaſias avolavit, quorum cor reperietur inter centones, *onder de vodden.* Quid amantibus familiarius quam amatam cor ſuum vocitare, *Mon cœur:* illic cor laſcivi habitat in fœrido ſcorto, in putida carne quam amat: cor ſuum cum amatæ corde unire ſatagit, ut ſit cor unum & anima una. d Audiſtis Guiſcardum Palatinum à Tancredo Principe Salernitano deprehenſum in flagitio cum Sigiſmunda filia ſua, obtruncatum fuiſſe, & exſectum pene adhuc ſpiranti cor, in aurea phiala filiæ ſubmiſſum; quo illa conſpecto quaſi munere læta: Sapienter, inquit, *cor aureum* aureo pater tumulo donat. Et mox in lachrymas ſoluta, velut unionibus hoc cor perpluebat. Interim venenum hauſit, & ſe in lectum reclinans, cor cordi apprimens, in hoc animam ſuam exhalabat. Sero accurrente ac ſolante Tancredo, quem hoc unum rogavit, ut amaſius & cor ejus, uno tumulo, ubi theſaurus ejus erat, ſecum componeretur. O amentes amantes! alio nobis tumulo cor noſtrum condendum eſt, nobiliori longè cordi cor noſtrum jungendum eſt. Noſtis ubi theſaurus integerrimæ cæli Reginæ fuerit? hunc illa quondam Brigittæ revelavit, quam ſic affata eſt: e *Vere dicere poſſum, quod ſepulto filio meo, quaſi duo corda in uno ſepulchro fuerint. Numquid non dicitur: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum? ſic in ſepulchro filii mei ſemper cogitatio, & cor meum verſabatur.* Pudo-

a Greg. l. 2. in c. 2. l. 1. Reg. b Ieuem. c. 5. c Ezech. 20.

d Beyerlinck theat. c. 592. e L. 2. Revelat. c. 21.

rem

UVA. BHSC. BU 02224

rem nobis incutit cordate amantium insania, quam Gallia Narbonensis spectavit. *a* Sallianus potens dynasta, ægre ferens alterum virum nobilem, Cabellanum dictum, uxorem suam deperire, statuit Cabellanum è medio tollere, sed atroci supplicio; hominem enim clam trucidat; & execto corde, eoque in frusta conciso, illud assatum protexit uxori suæ; quæ facinoris ignara, eo edulio avide se refecit. Cui Sallianus: O mulier sapuitne paiato cibus ille, quem tam avide devorasti? Ita sane, inquit illa, nunquam lautius epulata sum. Ad hæc maritus, è vicino conclavi Cabellani caput delatum, ad pedes ejus abjecit: En, inquit, cujus cor intra viscera tua ingessisti, satiare adhuc si lubet sanguine, & carne ejus. Ad quod immane spectaculum hæc vociferatione ædes complevit: Periisti amoris mei causa Cabellane! non morieris inultus, cor vivum pro mortuo reddo, ut cum tecum vivere nequeam, una moriar. atque inter has voces prolapsa, præ insano amore expiravit. Non minorem tragœdiam Iulietta nobilis puella Veronensis excitavit, quæ amore Romæi sibi cor confixit, ut videre est in Morosophia, id est, stulta sapientia Gasparis Ens. Nonne hi omnes excordes, & in amantum corpora, corda migrarant? Quid mirum eos esse ut Propheta queritur: b *Sicut columba seducta; non habens* COR? Narrat Appianus Alexandrinus, Iulium Cæsarem eo die quo in Curia occisus fuit, de more feciſſe, & aperta victima, cor desideratum esse. Augure super ea re de obitu Cæsaris vaticinante, irrisit Iulius, & aliam victimam admoveri jussit; sed & hæc corde caruit. *c* Feliciori certe remigio avolarat cor illius Sacerdotis, qui ante aliquot annos Romæ obiit, tanta teneritudine in Christum passum ferri solitus, ut oculi & cor ejus, cruci jugiter inhærerent: à morte, dum nescio qua de causa cadaver à medicis apertum, sine corde repertum fuit. Ad hoc cunctis stupore defixis ac respectantibus, unus eorum videt cor ad pedes Crucifixi, quod in Oratorio defuncti erat: exclamantque omnes, Miraculum! miraculum! nempe eò convolarat, ubi thesaurus erat. Compello vos, si omnium pectora scrutari contingerer, quot sine corde reperirentur? quorum corda avolassent ad popinas, ad pecunias, ad puellas; uti aliquando avolavit cor Davidis ad Bethsabeam: tunc jure illud usurpare poterat: COR *meum dereliquit me.* In quæ verba D. Gregor. *d* COR *nostrum derelinquit nos, quando sic à concupiscentiis carnalibus vincimur, ut intentionem cordis in terrenis & spiritualibus ponamus.* Quisquis is est, cum regio Propheta clamet: *e* COR *mundum crea in me Deus: fiat cor meum immaculatum,* quod Sponso Virginum, qui pascitur inter lilia, dignum sit. *f* Quale fuit illud quod Ludovico XI. Galliarum Regi oblatum est: qui cum prævalidas regni sui arces

a In hist. Gall. Narb. an. 1207. *b* Oseæ 7. *c* Barry l'annee S. par 1. *d* Greg. l. 4. in c. 9. l. 1. Reg. *e* Psal. 50. Psal. 118. *f* Piso tom. 2. in festo S. Iosephi pag. 279.

Iu-

UVA. BHSC. BU 02224

lustraret, & tandem Tornacum divertereret, effusa est urbs in occursum Regis, interque alia amoris ac venerationis testimonia, virginem obviam habuit specie præcellentem, ac regia pompi stiparam, agglomerante ex ordine civium agmine: hæsit Ludovicus in virginem defixus: cui puella, semota pectorali fascia, protulit *cor aureum*, quo aperto lilium promicabat, ac tum tandem sic Regem affata, illibatum se suum virginitatis florem Regi Galliarum, cui Lilium regalis tessera est, in perpetuum devovere. Hujus unius virginis exemplo nos omnes *cor charitate aureum*, virginitatis lilio, quasi illibati amoris flore redimitum, Regi nostro offeramus.

§. IV.

Quorum cor longe à Deo.

DEnique cor nostrum derelinquit nos, dum orationi intentos, evagando destituit, & ad exteriora longius avolat. Hoc sanctissimi viri aliquando questi sunt, hoc moniales inter clathros conclusæ, cor suum longissime avolasse queruntur; quod olim de se Bernardus: a *Nihil est in me corde meo fugacius. Cor meum, cor vanum, vagum & instabile: sicut enim molendinum velociter volvitur, & nihil respuit, sed quidquid imponitur molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit, sic cor meum semper est in motu; & sicut molendinum, arena si imponitur exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Per multa dispergitur, & huc illucque quærit ubi requiescere possit, & nihil invenit, quod ei sufficiat, donec ad Deum revertatur; à cogitatione in cogitationem ducitur, & per varias occupationes & affectiones variatur, ut saltem varietate ipsarum rerum impleatur, quarum qualitate satiari non potest; cumque ad se revertitur, & discutis quod cogitavit, nil reperit, quia importuna fuit cogitatio, qua componit multa de nihilo. Sic denique decipit imaginatio, quam damonum format illusio. Imperat mihi Deus ut præbeam illi cor meum, & quia imperanti Deo non sum obediens & subditus, mihi sum rebellis & contrarius.* Ac tandem concludit: *Idcirco plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere possent uno anno. Cum Deo non sum vinctus, & ideo in meipso sum divisus.* Cor enim, corpore in cella quieto, lustrat exercitus hostium, pervagatur amœnitates nemorum, perambulata tria Regum, & per spatia imaginaria quaqua patent, liberrime exspatiatur: atque ut S. Thomas ait, b *corpore in choro, corde in foro.* In quos illud recte convenit, *Cor autem eorum longè est à me.* Quoties accidit unum aliquem sacris interesse, etiam operari, divinis laudibus concinendisoccupari, genibusnixum in cella, in æde sacra consedere; de quo tamen merito Christus queratur: c *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Quod non minus ingeniose, quam artificiose, pictor quidam ita oculis subjecit: Christum è cruce pendentem expresserat, & ut fit, parerga quædam, hinc nemora, illinc

a Bern. lib. Med. c. 9.

b S. Thom. opusc. 59, c. 8. c Matt. 15.

prædia

UVA. BHSC. BU 02224

prædia, inferne civitatem aliaque appinxerat, propter crucem duo ſubmiſſo poplite precabantur. Ex corde primi unica linea recta in Chriſti latus ducebatur: ex corde alterius plures lineæ protendebantur, una quidem in campos ubi meſſis, venatus, agricultura occurrebat; altera in prædium; tertia in cellam vinariam deſcendebat; alia in culinam, Una etiam in muſæum producebatur ad ſyngraphas, codicillos, nummarias teſſeras, aliaſque literas luſtrandas. Hoc admiratus non modo Africani, ſed totius orbis lumen & Eccleſiæ columen Auguſt. exclamat: a *Tolerat Deus tot* CORDA *precantis, & diverſas res cogitantium; omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perverſas, & inimicas Deo.* Occurrat tritum illud,

Ante Deum ſtantes, ne ſitis CORDE *vagantes,*
Si COR *non orat, incaſſum lingua laborat.*

Quare monet nos ſanctiſſimus Antiſtes, ut cum Propheta cor noſtrum quæramus: *Attendat unuſquiſque & videat quanta agantur in corde humano; quemadmodum ipſa plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix ſtet cor ad Deum ſuum, & vult ſe tenere ut ſtet, & quodammodo fugit à ſe, nec invenit cancellos, quibus ſe includat, aut obices quoſdam, quibus retineat avolationes ſuas, & vagos quoſdam motus. Vnde ajebat David:* b QUONIAM INVENI DOMINE COR MEUM, *ut orarem ad te. Invenire ſe dicit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum, & non poſſet comprehendere, & clamare ad Dominum, quoniam cor meum de-*

a Auguſt. in Pſal. 85, b 2. Reg. 7.

reliquit me. In quo certe Davide major videri poſſet, beatiſſimus noſter Aloyſius, qui ſuperiori, inter cetera interiorem hominem ſpectantia percunctanti, ecquid inter orandum, cogitatione interdum, ad alias res abſtraheretur? Reſpondit ingenue; Si cordis evagationes omnes alienæ, quæ ſex illis menſibus unquam precantis, meditantis, conſcientiam diſcurrentis, mentem remoratæ eſſent, in unum cogerentur, eam omnem moram, ſpatium quo ſalutatio Angelica recitari poſſet, non æquaturam. Unde quod fieri conſuevit, ſingulorum conclavia indies luſtrentur, ut exploratum ſit omnesne ſtatis horis, precibus vacent: Aloyſius quamdiu in religione vixit, numquam ad ſe quemquam inſpiciendi gratia, veniſſe ſenſit. Quid mirum ſi cor non longe avolarit, cum ſibi orationis tempore evenire dictitaret, quod homini pro obſeratis foribus ſtanti, qui neque ingredi poſſit, neque alio digredi velit; hoc vel tacite inſinuando, omnem cordis evagationem præcludi, externis ſenſuum portis, in quo ſolertiſſimus erat, probe obſeratis. Hoc tibi ſolicite agendum, c *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ab ipſo vita procedit.* Optime cordi proſpexit provida rerum natura; nam teſte d Plinio, firmo opertum eſt membranæ involucro, munitum coſtarum & pectoris muro, ut pateat præcipuam vitæ cauſam & originem eſſe. Sed quantumvis à natura munitum ſit, nimis multis undique telis impetitur & fauciatur, hac cauſa tot eſſe *mortuos à corde*; imo qui ceteris membris ca-

c Prov 4. d Plin. l. 12. c. 37.

taphractis

UVA. BHSC. BU 02224

taphracti & armati sunt, solo corde inermes & vulnerabiles comprobantur. *a* Talis Spadiates ille, de quo supra memini: is hanc à Deo gratiam acceperat, ut vulnerari in bello nullum ejus membrum posset, solo corde excepto, quod eapropter singulari custodia in prælio obarmabat. Multi toto corpore cataphracti, inter septa religionis degunt, nulla objecta oculorum, aurium: linguam silentii claustro vallant, solum cor vulneri patet, & quandoque telis invidiæ, iræ, luxuriæ impetitur. Sed cor Deo fidum, cor sincerum omnia hæc tela ignea stygii tyranni retundit, in eum unum dumtaxat intentum, cui infinitis benevolentiæ illiciis obstrictum est. Ut quod olim Orangio factum est, dum anno 1577. 29. Decemb. *b* Bruxellis Gandavum cum fratre suo Nassovio ingressus, atque incredibili pompa exceptus esset, inter alia corde aureo adaperto, cum inscriptione c *Sinceritas*, donatus est; ita & nos Deum cordis nostri, sincero corde diligamus, ut ~~dum~~ *spiritus hos reget artus*, nemo cor nostrum à charitate Christi valeat separare. Hunc sinceriſſimum amorem etiam post fata, in corde & corde locutus est inclytus è Societate IESU Martyr, P. Rochus Gonzalez: *d* excoluerat ille summa cum opinione sanctitatis, & labore indefesso barbaras illas nationes, à quibus tandem totis cervicibus ferrum hausit, & vitam pro dilecto posuit; sed quod in eo mireris, *fortis ut mors dilectio*, imo fortior: resecto quippe jam capite, per ipsum cor eloqui auditus est, & clara expeditaque voce, abire in Dei laudes: truncum erat corpus, ab eoque revulsum caput illud, quod fuerat officina altissimarum de Deo cogitationum, muta atque emortua conticescebat lingua; at cor ipsum minime mutum & silens, dilectum suum Iesum diserte loquebatur, & ignes amoris, quos olim sincero pectore foverat, etiam post fata immittebat, imitatus illius amorem, cujus cor usque in finem dilexit nos. Cujus cor ubi Dominus expirasset, apertum amorem satis declaravit, cui hoc unum inscriptum pius commentator legit:

A morte superstes amorem cor-
de loquor.

Nec tibi cor tali respondet amori? quod e *splendidum cor & bonum*; est siquidem id omnia argento purius, omni auro carius, omni adamante rarius. f *Ideo viri cordati audite.* Celebratur illud regii amoris pignus, quod Elisabetha Regina Angliæ, Mariæ Reginæ Scotiæ missitavit: Adamas erat in duas partes æquales divisus, cum promisso, quamprimum, quacumque circumventa necessitate semissem ad se missura esset, statim se ea visa auxilio ipsi advolaturam. *g* Cui muneri ut quid condignum referret Maria, Adamantem cordis effigie sculptum, annuloque insertum Elisabethæ dono misit, adjunctis hisce Georgii Buchanani versibus,

Non me materies facit superbum,

a Novarini schediasm. pag. 261. b Haræus to. 3. pag. 272. c Psal. 32. *d* Lobbet. de fortitud. Christ. pag. 185.

e Eccl. 30. f Iob. 34, g Florimond. Remond. de orig. hæres. l. 6 c. 16.

Quod

UVA. BHSC. BU 02224

Quod ferro insuperabilis, quod igni.
Non candor macula carent, nitoris
Non lux perspicue, nec ars magistri
Qui formam dedit hanc, datam loquaci
Circumvestiit eleganter auro:
Sed quod cor Dominæ meæ figura
Tam certa exprimo, pectore ut recluso,
Cor si luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderent.
Sic constantia firma cordi utrique,
Sic candor macula carens, nitoris
Sic lux perspicui, nihil doli intus
Celans: omnia denique æqua præter
Vnam duritiem. Dein secundus
Hic gradus mihi sortis est faventis,
Talem Heroida quod videre sperem,
Qualem spes mihi nulla erat videndi,
Antiqua Domina semel relicta.
O si fors mihi faxit, utriusque
Nectam ut corda adamantina catena,
Quam nec suspicio, æmulatiove,
Livorve aut odium, aut senecta solvat!
Tam beatior omnibus lapillis,
Tam sim clarior omnibus lapillis,
Tam sim carior omnibus lapillis,
Quam sim durior omnibus lapillis.

Quis neget amantissime Iesu, cor tuum veri esse Adamantis, quod omnes omnium amantium amores, vel me solum amando, infinito antecellit intervallo? unde recens Poëta lusit:

Qui nos sic Adamas, cor adamantis habes.

a Experta hujus amores & favores, contestatur B. Mechtildis, quæ mentis oculis abrepto spiritu, pretiosissimum thesaurum conspexit ex lignis cedrinis, intus miro candore argenteis laminis inductum, in cujus medio cælestis sponsus conquiescebat. Aureo hic pessulo pandebatur. In hoc contemplando dum hæret defixa, cælitus edocta est, hunc pretiosissimum thesaurum esse, cor Domini Iesu. *b* De quo ut non semel audita est referre, tanta cælestium bonorum copia in se profluxit, ut si vel enumerare vellet, in volumen orbis maximum excresceret. *c* Perspexerat illud pridem Doctor mellifluus, unde exclamare, nosque ad amorem hujus præstantissimi cordis, inflammare non dubitat: *Bonus thesaurus*, inquit, *bona margarita cor tuum, bone Iesu, quam fosso ægro corporis tui inveniemus. Quis hanc margaritam abjiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitationem in cor Domini mei Iesu,* *d* in quo securus dormiam & requiescam.

a L. 2. gratiæ c. 29. Barry la faveur de Iesus c. 5. devot. 8. *b* L. 2. gratiæ c. 16. *c* Bern. serm. 3. de Pass. *d* V. Domin. Quinq. sect. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLI.

A longè. Luc. 17.



TETIGISSE, PERISSE EST.

DOMINICA DECIMA-TERTIA POST PENTECOSTEN.

Longe peccandi occasio fugienda est; ne culicum in morem lucernam circumvolitantium, præsens periculum incurramus.

§. I. Qui amat periculum, in illo peribit. *Eccli.* 3.
§. II. *Longe à periculis recedendum.*
§. III. *Peccandi occasiones rescindendæ.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Steterunt à longè. Luc. 17.

AUDISTIS quandoque Carolum Navarræ Regem ad morbum, quo miſere conflictabatur, pellendum, linteo inſutum, quod vino aduſto omnino intinctum erat: cui dum candela, ut filum abrumpatur; propius admovetur, flammam concipit, & Rex penitus uſtulatur. Præſentiori multo in diſcrimine omnes verſamur: etenim cujuſque animus corporis, hujuſmodi velut linteo inſertus, concupiſcentiæ fomitem quaquaverſum diffuſum circumfert, ut vel levi manus, vel articuli attactu, ignem concipiat: quo non unus deflagravit, a *Rapuitque in fomite flammam*, dum imprudens ad eam nimium appropinquat. *b* De Maria Stuarta Scotiæ Regina referri ſolet, quod & ad ſpeciem illuſtre, & ad exemplum efficax: Eduxerat illa ſecum, & in aula ſua foverat adoleſcentem nobilem, quem propter eximia naturæ dona, carum habebat in paucis. Is ſibi conſcius de Reginæ gratia ac favore, nocte quadam illius cubiculum ſubiit, ſuſpenſo gradu tacitoque pede, ne forte evigilaret illa. Dum lecto regio ſit propinquior, advertit ex eo pendere Reginæ manum, brachiumque aliqua parte nudum; & modeſte accedens, manumque prenſans, eam ſemel oſculatus eſt. Hic excuſſo ſopore, ſeu ſolo tactu, ſeu etiam horrore tam impudentis audaciæ, exclamavit illico Regina, irrepſiſſe in cubile unum aliquem. Ad regias voces excitivigiles irruunt in conclave, & ſubito impetu miſellum adoleſcentem transfodiunt, ſolo exanimem inſternunt; & nudam manum *tetigiſſe, periſſe fuit.* Quot juvenes, quot proci puellarum manum tangunt, & mentem perdunt, culicibus perſimiles, qui circum candelam volitant, & ſplendorem ejus admirantes, dum propius ac propius accedunt, tandem alas, ſeque ipſi comburunt: nam flammam *tetigiſſe, periſſe eſt.* Haud aliter adoleſcentes, qui nictus, nutus, occurſationes, colloquia cum ea habere conſuevere, cujus formam ambiunt, ii profecto ardentem cereum circumvolitant, & ut Poëta canit,

c *Cupiuntque ſuum reperire periclum.*

a Virg. l. 1. Æneid. b Gaufrid. Zula S. tom. 4.

c Ovid. Metam. lib. 8.

§. 1.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3.

FRanciſcus de *d* Sales Genevenſis antiſtes, elegantem ſimilitudinem adducit, inter hominem peccata quidem averſantem, ſed non ſatis pericula declinantem: ait enim quoſdam abſtinere à peccatis, quemadmodum ægri à melonibus, aliiſ-

d Sales prax. ſpirit. part. 1. c. 7.

UVA. BHSC. BU 02224

que crudioribus fructibus, quos ut medicus sub certa morte interdixerit; nequeunt tamen sibi temperare, quin eos manu teneant & odorentur; quo fit, ut dum saliva movetur, ab odore nonnumquam ad saporem procedant.

Genesis 2. posuit Deus *lignum in medio paradisi*, cujus fructum sub mortis interminatione delibare nefas; utque omnem occasionem præscinderet, posuit eam in medio Paradisi aliis arboribus abditam, ne, ut recte Procopius, a *dum frequenter eam cernerent, quasi quibusdam irritamentis illecti, in datam legem committerent*, & manifestum exitium incurrerent. Quod ut induceret, suggerebat malignus spiritus, arborem hanc Eva attentius contemplaretur, fructum videre minime vetitum esse. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad viscendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Tum persuasit, non morituram, si legeret fructum, ac manu gestaret, odorem exploraret. *Tulit de fructu illius.* O Eva! tetigisse, perisse est. Mox enim sequitur, *comedit*, & ecce omnes morimur. Ita dum suo temere appropinquat periculo, & se & suos perdidit. Ejusmodi suggestiones cacodæmonis, complures in certam perniciem, quasi culices, in ardentem cereum quotidie inducere solent: dum, ut indubitatum habetur, in familiari consuetudine, primum nil periculi, honesto cuipiam juveni imminere, si in ingenuam puellam oculos conjiciat, si perhumaniter salutet, si iterum iterumque eam conveniat, prolixiores cum ea sermones misceat: tum prensare manum, quid ibi mali? osculum figere, quid ibi peccati? & tandem, *tulit de fructu illius*, tulit fructum virginitatis & periit. Unde scite recens Poëta:

Post visum, risum: post risum venit ad usum;
Post usum, tactum; post tactum venit ad actum,
Post actum, factum: post factum pœnitet actum.

Ita scintilla quæ in fomitem decidit, ilico in favillam erumpit. Testis Ambrosius, qui *lib. 2. de Pœnit. cap. 8.* causam perquirens, qui fieri potuerit ut innocens anima fœdissime lapsa sit, occurrit: *Forte adolescentula capta sit occasionibus, quæ delictorum* FOMITES *sunt.* Hinc castam feminam flammas incurrisse, turpis Poëta decantat:

b *Casta, nec antiquis cedens Lavina Sabinis,*
Et quamvis tetrico tristior illa viro:
Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis,
Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

c *Scintilla*, inquit Hieronymus, *res parva est, & pene dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui, quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit.* d Paruit in primaria urbe Cypri Nicosia, à

a Nyss. Dom. 12. post Pent. dist. 1.

b Matt. l. 1. c Hieron. l 3. in epist. ad Galat. d Strada prolusion. Acad. lib. 2. prolus. 3.

Musta-

UVA. BHSC. BU 02224

Mustapho expugnata: ubi tota classis, fomite à puella pulveri bellico admoto, omnibus gazis ac hominibus haustis, fœde lacerata est, ut refert Famianus noster. Quis turrim aut caveam pulvere nitrico instructam, quis officinas stuppa, quis horrea stramine aut fœno oppleta, cum candela, aut fomite incenso, tuto ingrediatur? Hæc perhorrescimus, & incendium animæ, cælestium opum deflagrationem non formidamus. Caute Iob a *stipulam siccam* hominem vocitavit, talemque se Martinianus dictitavit, qui per mare feminam fugit, ut supra diximus, hoc unum inclamando:

b *Nec tantum est stipulam rapidæ committere flammæ,*
Nec bene cum solo clauditur agna lupo.

c Stuppam se Iacobus ille fero agnovit, qui postquam anachoretam quadraginta omnino annos egisset, à femina triumphatur, è qua cacodæmona ejecerat: huic infelix primo pudorem, mox vitam extorsit. Quare quantumvis sanctus ac solidus tibi videare, quantumvis cilico pro lorica munitus, ab his edoctus, flammas fuge; alias d *erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumque simul, & non erit qui exstinguat.* Talis fortitudo Sampsonis, cujus exitium graphice depinxit Ambrosius: *Sampson validus & fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit, vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, & unius ipse mulieris accensus iniculo, messes suæ virtutis amisit.* De quo ille:

Lenam non potuit, potuit superare leenam:
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Quantumvis invictum & infractum, femina enervat. Milo Crotoniates tanti roboris, ut nemo pomum pugno extorquere valeret. Tentavit id quoque imbellis, quam deperibat, muliercula, quæ facili negotio id effecit. e Ex quo concludit Ælianus: Perspicuum est Milonem corpore plusquam virum, animo plusquam feminam exstitisse, talesque redduntur viri, ubi feminis appropinquant. f Talis fortitudo Davidis, talis soliditas Salomonis fuit. Ferreus sis, cum *mulier magnes* sit, flecteris, attraheris. Sic Simon Magus ab Helena, sic Montanus à Prisca, Donatus à Lucilia, g Elpidius ab Agapia, alius ab alia, nescio quo magnetico lenocinio attractus, à soliditate virtutum, à rectitudine fidei turpissime descivit, ostenditque eventus verissimum illud Sapientis: h *Mulieres apostatare faciunt sapientes.* In quo genere viri fortissimi casum acerbissimum S. Macarius commemorat, qui tempore persecutionis, corpus suum tyranno excarnificandum tradidit, in equuleo distentus, inter ardentes faces infractum animum servavit. Inde in carcerem retruso, Christianæ pietatis officium mulier ultro impendit; quicum familia-

a Iob c. 3. Surius 13. Febr. b Nasianz. c Surius in vita 28 Iun. d Ambr. l. 2. de pœnit.

e Ælian. l. 2. variar hist. f Sales praxi spirit. p. 3. cap. 6. g Aretin. part. 6. pag. 588. h Eccl. 19.

UVA. BHSC. BU 02224

ri jam consuetudine contracta, rigor omnis in eam mollitiem degeneravit, ut stuprum inferre non dubitarit. Ejusmodi plures fortissimos Christi athletas feminæ succubuisse, diserte queritur Cyprianus: qui a *post confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia, noscuntur in his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare.* Ac tandem Epiphonematis loco subjungit: *Quantos leones domuit una infirmitas delicata?* Exemplo sit lapsus ille, viri magni, quem, ut alios omittam, ætate sua accidisse refert *b* Thomas Cantipratanus magni Thomæ condiscipulus. Is cum canonicatum præpinguem, in curam animarum convertisset, ut eas Deo lucrifaceret, septuagenariam virginem, quæ cilicium ejus lavare solebat, deperire cœpit, & opportunitate pellectus, vitiavit. Quo scelere admisso, illa quidem pœnitens resipuit, at ille infixus limo profundi, misere periit. Et erit qui rigori, qui virtuti suæ, qui animi roburi confidat? D. Augustinus sic omnes terret: c *Experto crede, coram Deo non mentior: cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi: de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi vel Ambrosii.* Hæc dum audimus, nihil nobis ab hac peste periculi, nihil discriminis impendere existimabimus? si fragili aut ruinosa cymba turbidum mare trajicere tentemus? d *Nimium præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse.* Profecto ut duces gregum prudentia, cedros Libani constantia, ut invictissimos Martyres Christiana fortitudine, Doctores Ecclesiæ scientia antecellas, si igni appropinques, dissolveris. Hæc S. Isidori doctrina est: e *Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris: proximus periculo, diu tutus non erit.* Tu vero adolescens *cereus in vitium flecti*, vosque amatores mundi, quos *f* Paulus *molles* appellat, *sicut fluit cera à facie ignis*, ita diffluere ac colliquescere posse non existimatis?

g Marius Regulus Dux Romanorum, victor ac triumphabundus urbem ingressus, voluit effigiem sui ex cera effingi, & ad faces, undique collucentes propius collocari, quarum ardore, cerea hæc statua sensim colliquata est. Quo propius ac propius ceram igni admoveris, hoc ocyus colliquescit. Est qui ex candida cera elegantem virgunculam efformatam igni applicavit, & derepente imago virginis in nihilum redacta est. Ad eum plane modum Angelici juvenes, integerrimæ virgines occasioni expositæ, quasi igni admotæ, in teterrima monstra resoluti sunt.

a Cypr. de sing. cleri *b* Cantip. l. 2. apum c. 30, sect. 47. c Cit. Cant. d Cypr. de sing. cler.

e S. Isid lib. 2. solit. *f* 1. Cor. 6. Psa. 67.

g Barry i'annee S. part. 4. pag. 92.

§. II.

Longe à periculis recedendum.

SI lepra, si calida febris, si pestis ædes invaserit, quam studiose domum, cubiculum, hominem correptum devitamus, quam longè, quam procul à contagione abesse conamur?

UVA. BHSC. BU 02224

mur? Doctores Ecclesiæ, animarum medici, alios nobis morbos, calidissimas febres multo cautius declinandas describunt. a Bernardus imprimis peccatum fœdissimam lepram compellare non dubitavit. Idem Doctor de interiori domo cap. 29. *Hæc pestis*, libidinis, *eo ad nocendum proclivior, quo ad repellendum difficilior. Subtiliter intrat & mentem occupat, & nisi subito repellatur, allicit & incendit.* Quantumvis maritus uxorem, proles parentem, frater sororem, procus sponsam perdite amet & depereat, si quempiam eorum pestilens virus invaserit, ni una perire velit, longe fugiat necessum est. Quod pessimus Poëta optime monuit in remedio amoris *lib.* 2.

Si quis amas, nec vis: facito contagia vites,
Hæc etiam pecori sæpe nocere solent.

Facito commercia vites, facito consortia vites, & colloquia cum iis, qui fœtentem ac pestilentem animam afflant. Quod ad vitia mentis recte traduci voluit Seneca: b *Sumuntur* enim *à conversationibus mores: & ut quædam in contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.* Aliter inter spirituales medicos, clarissimus Doctor Ambrosius, varias animi febres omnino calidas ac malignas recenset, dicens: *Febris nostra libido est, eo quod ignita sunt cupiditates: febris nostra luxuria est; febris nostra ambitio est: febris nostra invidia est, &c.* Hisce calidissimis febribus non unus aut una, lecto tenetur:

a Bern. ser. de Resurr. b Sen. l. 3. de irac. 8.

cujus consortium, colloquium, consuetudinem omnem, studiose devitabis, si animæ perniciem, si integritatis lanienam incurrere reformides.

Leo senio confectus, cum sibi cibum venari nequiret, statuit penes se, dolo victum quærere. Itaque in antrum quoddam se recepit, ibique morbum simulans, decubuit. Animantes vero, cum in eum locum officii gratia se conferrent, correptas ilico ille devorabat. Has technas vulpes edocta, ad eum se quoque contulit, ne inhumana Regi suo videretur; sed foris à longè stans, sciscitabatur; qui se haberet? Leoni respondenti, male omnino secum agi, causamque roganti cur pedem non inferret, graviter se audire, propius accederet, nil contagionis verendum; subjecit vulpes. Unum me terret, quod omnia vestigia antrorsum, & nulla retrorsum aspiciam. Quo sane apologo docuit nos, loca ac consuetudinem eorum cavendam, qui in periculum præsens, in discrimen & crimen suos inducunt. Unde recte monet parœmia, Procul à Iove, procul à fulmine, easque orbis plagas fugiendas, ubi plagæ cadunt. Rem breviter describit Horatius:

Olim quod vulpes ægroto cautæ leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent,
Omnia se adversum spectantia, nulla retrorsum.

O quot hodierna die leones ac lupæ decumbunt? quorum febris, teste Ambrosio, libido est. c Talis illa lupa exstitit quæ

c P. Rho exempla virtutum. pag. 738.

UVA. BHSC. BU 02224

Andream Moguerium Dominicanum, simulata corporis ægritudine, sed vera animi, observantibus ex insidiis inimicis, ad flagitium pellexit. Is, cum se expediendi viam non inveniret, dixit se reliquiarum religione teneri, velle se eas socio tradere; quem dum advocari permittit, ejus præsentia jam securus, pellici valedixit.

4. Talis illa quæ Claudii Aquavivæ; talis illa, quæ Oliverii Manaræi & famam, & integritatem dilaniare satagebat. *b* Utque alias omittam, talis illa nobilis adolescentula, quæ dum nostrum arderet, corporis ad extremam valetudinem simulans, hominem per speciem arcanæ confessionis excipiendæ jubet advocari. Præsentem, interminata est, ni pareat, sublato clamore ut violatorem se accusaturam. Quid faceret? fitim causatur, & comiter, quasi se ad scelus componens, ab hausta auspicari placuit, dum famuli, dum una mater subinrat, blande sermonem cum illis miscet, & filiam meliuscule constitutam, & confessioni, ut in hoc tanto æstu laborioſæ, supersedendum esse; itaque decessit. Quis jam miretur, ut omnis peccandi occasio tollatur, severam adeo societatem, ne suos solos cum sola destituat.

Sanciverat Ignatius ne nostri matronas incomitati, aut adire aut alloqui auderent, eam legem, cum bonus senex supina violasset simplicitate, sanctus *c* Ignatius coactis in unum septem aut octo Patribus, hominem productum in medium, tamdiu flagellis in se animadvertere jussit, donec à quinquagesimo singuli unum Psalmum recitassent. Nec sine causa ea cautio adhibetur, quæ si ubique vigeret, non tot hoc ferali igne corriperentur; nam, ut recte Philosophus, d *omnia nobis mala solitudo persuadet.* Luculentius hic Angelici Doctoris testimonium est, qui consuetudinem Religiosorum de socio secum retinendo adeo collaudavit; ut eum dicere solitum ferunt, e *Monachum solum, esse dæmonem solitarium.* Quod ejusdem venerabilis Ordinis beatus Antistes, verissimum comprobavit, dum hæc palam fassus est: *f* Quam vera sit hæc sententia *væ soli* Eccl. 4. ego novi, qui 30. annis & eo amplius vices Episcopi in diversis Provinciis & diœcesibus habui, qui in hoc articulo quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrenda pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. *g* Plura in hanc rem Nigron. reg. 43. nu. 15. & 26. *Nam magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Compello vos conjugatos, si soli cum aliena, an quandoque non occasio ad flagitium invitet. Uxor Potiphari, infamis lupa, speciosum, sed & integerrimum Iosephum deperibat, & nisi hic fugam cogitasset, actum erat. Quam historiam dum pictor in tabula expressit, hoc morale documentum subjecit:

a Pag. 744. *b* Pag. 743. *c* Rho pag. 410.

d Seneca ep. 25. e Nigron. reg. 43. num. 21. *f* Cantip. l. 2. Apum sect. 1. *g* Senec. ep. 11.

Pli-

UVA. BHSC. BU 02224

Plures est invenire tales Dominas, quàm tales servos. Quoties accidit, ut ancillam cum famulo, solam cum solo, domi relinquas? quoties materfam. se cubitum recipit, & ancillam filium potum, concubia nocte reducem operiri jubet; quoties finis filiam clauso ostio cum proco confabulari, toties columbam accipitri, ovem lupo committis.

Cyprianus de singularitate cleri: *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra eandem caveam habitans cum lupo, tutus est agnus.* Ligata sit aut libera, ancilla sit aut hera, dives an paupercula, occasio furem facit, adulterium facit, sacrilegium facit. Ex omni ligno etiam curvo Diabolus telum facit. Abbas quidam omnes ancillas & lotrices, monasterii septis amoverat, non sine incommodo Monachorum, ut illi querebantur, dictitantes ut si quæ ab his sinistra suspicio oriri potuisset, vetulas substitueret, à quibus nil timendum. Abbas quo & in his contagionis malum serpere posse suis demonstraret, hoc stratagemate usus est: in cœnam, carnem probe salitam apposuit, potu utcumque modico adhibito, atque ita ii cubitum concessere. Dum noctu forte à matutinis decantatis, siti urgente, nec usquam quidem frigida reperta, è limoso stagno turbidam potare coacti sunt. Quod ut Abbas ex insidiis observarat, postero mane hæc pauca ad suos verba habuit: Dum sitis urget, etiam turbida bibitur. Ita nec à vetulis satis cautum fore; quare omnem occasionem longe semovendam statuit.

Sed erunt qui in hac parte nos nimium Religiosos rati, opponere audeant, quid mali sit agere cum fœmina? quid periculi pedissequam ancillam soli cohabitare? viros sanctos hic ansam præbuisse, nec has ut occasiones vicinas declinasse. Hoc olim sibi [a] Cyprianus objectum scribit: *Sed ajunt, si de hac conjunctione* (cum altero sexu) *Clerici donotantur, notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum. Sicut Helias qui mansit apud viduam: sive Apostoli, qui mulieres secum comites circumducebant; ut Ioannes: qui matrem Domini assumpsit, eodem Domino delegante, aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabant aliquæ mulieres Religiosæ, cui etiam Martha ministrabat ad mensam.* [b] Maria vero assiduo ab ore ejus pendebat. Athanasius in persecutione Arriana se abdidit in ædes cujusdam filiæ devotæ, quæ miraculum pulchritudinis habebatur: Chrysostomus summam consuetudinem inierat cum Olympia, S. Paulum cum Tecla, Petrus cum Petronilla, spiritali ejus filia, ut Baronius ait; Hieronymus cum Paula, Eustochio aliisque matronis Romanis, ad quas non unas literas destinavit; uti Ioannes ad Electam nobilem filiam, Franciscus de Sales plurimas & quam familiares ad varias. Hæc illi. Audite nunc responsum Carthaginiensis Præsulis: [c] *Callidi argumentatores, & jurisperiti fallaces. Revera magni homines, qui se comparant Sanctis, & eximia conver-*

[a] Cypr. de sing. cleric. [b] Sosomenus l. 5. c. 6. [c] Cyp. ibid.

UVA. BHSC. BU 02224

satio nostra, quæ Prophetis vel Apostolis videatur æqualis. Video plane sic apud vos calcari avaritiam, sicut Apostoli propria cuncta dimiserunt; video crapulam & ebrietatem sic vestris convivis abesse, &c. ac tandem concludit: *Qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es, qui te vis Heliæ de commoratione viduæ vocari discipulum, prius solitudinis afflictiones, & quadraginta dierum tolera jejunii exitum.* Vos vero cupediis distenti, vino madidi, deliciis enutriti, certissimum illud Bernardi pronunciatum accipite: a *Habitare cum fœmina, & non cognoscere fœminam, plus est, quam mortuum ad vitam suscitare. Quod minus est, non potes; quod majus est, vis credam tibi?* Ollam ignitis carbonibus impositam non effervescere, non ebullire, non humanæ, sed altioris potentiæ est. *b* Sic Chrysostomus divinæ virtuti adscribit, juvenem inter illecebras carnis inviolatum transire: *Non tam admirabile*, inquit, *tres pueros in fornace Babylonis manere illæsos, ut admirabile & rarum, quod admirabilis ille juvenis retineretur vestimentis à polluta illa & lasciva, nec illi cedit.* Quæ admiranda cum nemo sibi præsumere audeat, hæc naturalis via suppetit: si olla ferveat, si ebulliat, ab igne longius remove, aut ligna subtrahe, id est, occasiones rescinde.

a Bern. serm. 65. in Cant. *b* Chrysost. hom. 44. in Gen.

§. III.

Peccandi occasiones rescindendæ.

GUilielmus Dux Normandiæ, dum in Angliam cum suis trajecisset, omnibus navibus ignem injici jussit, ne qua ansa redeundi esset. *c* Idem stratagema secutus Ferdinandus Cortesius, cum suos exposuisset in nova Hispania. Ita nobis remoræ à portu salutis resecandæ, occasio omnis remeandi ad vetera flagitia generose præscindenda est. *d* Hoc Servator noster præcepisse videtur: *Si oculus, aut pes, aut manus, scandalizet te, abscinde eam & projice abs te.* *e* Ubi Chrysostomus imprimis, per dexterum oculum, & manum, accipit mulierem amicam, quæ aspectu, vel voce, vel gestu, ad libidinem instigat. *f* Augustinus intelligit amicum vel necessarium; Hilarius, Athanasius, & alii accipiunt parentes & propinquos, quorum consuetudo & consortium resecandum, si ad peccatum invitent, ut multis hic Cornel.

Ancillam in officina habes industriam, gnaram, in omnibus tibi ad manum est, & quasi dextera tua; famulo, filio, imo hero familiarior esse animadvertitur, *abscinde eam, ejice ancillam.* *g* Imitare hic Reverendissimum Antistitem Groppe-rum, qui cum Bonnæ per diem comperisset ancillam, in cubili lectum suum sternentem, ancillam cubiculo, & una lectum per fenestram in plateam deturbavit. Ejice & tu ancillam, ejice pedissequam, omnem peccandi occasionem rescinde; ne pereas: h *Quid* enim, ut recte monet Hieronymus, *tibi necesse*

c Boteri polit. l. 9. c. 17. *d* Mat. 5. & Marc. 9. *e* Chry. hom. 17. *f* Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte. *g* Raderus in vita Canisis l. 1 Tylingen parad. pag. 184. h Hieronym. ep. 47.

est

UVA. BHSC. BU 02224

est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam mortalium apud viperam securus somnos capit? quæ etsi non percutiat, certe solicitat. Hac quotidiana lucta ut se expediret, procul urbem ac omnes matronas Romanas fugiens, inter feras ac lustra, vitam egit. Unde à Vigilantio reprehensus, quasi iners miles stationem desereret, quærenti cur in eremum confugisset? respondit: *Vt te non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar. Ne me capiat oculus meretricis. Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.*

Christus zelo accensus pro domo Dei, templum ingressus, mensas nummulariorum evertit, columbas vero & oves è templo asportari jussit; quæ tamen servire poterant sacrificiis, dicens: *Auferte ista hinc.* Cardinalis Toletus hanc rationem adducit: *Prudenter Christus hominibus ejectis, oves eorum & boves etiam ejecit, ne redeundi relicta videretur occasio: tunc enim malo subvenitur perfecte, quando etiam mali occasio amputatur.* Accedat quis millies ad confessionem, cum dolore, cum lachrymis, si occasionem non rescindat, si domi malum foveat, si ancillam, si concubinam non ejiciat, si nudas picturas, si libros impuros ex oculis tollere, & auferre illa hinc detrectet, si à colloquio cum tali, cui consuevit, non desistat, omnis absolutionis incapax est, nec talis sincere dolet, aut resipiscere statuit.

Præcipuum argumentum, quod adfert Tostatus, Salomonem damnatum, nec vere pœnituisse, ex 4. Reg. 23. desumit: *Excelsa quoque destruxit.* Rex Iosias, quæ erexerat Salomon, quem si pœnituisset, inquit, deleviset omnia templa, & altaria, quæ exstruxerat. Unde concludit: *Non pœnitet aliquem vere, cum permanet in peccato, nec aliquis vere dolet de fornicatione, dum tenet concubinam in domo.* Quare hæc communis Doctorum sententia est, facile 100. auctorum, inquit Sanchez, non absolvendum, qui occasionem proximam vitare neglexerit. Nam, ut ait D. Thomas, a *qui vult causam ex qua necessario vel regulariter sequitur effectus, cupit virtualiter effectum.* Constat ex cap. *Legatus*, 24. quæst. 2. ubi Gelasius Papa admonet Faustum, *absolvendos non esse, qui in errore & occasione peccandi, sua culpa immersi sunt.* Quod ipsum confirmat August. b *Satisfactio pœnitentia est peccatorum causas exscindere.* Quod quamdiu facere detrectant, tamdiu manifesto in scelere versantur, & animæ suæ ruinam incurrunt. Eo ipso enim quo quis se periculo propinquo peccandi exponit, etsi actu exteriori peccatum non compleat, jam peccatum mortale admisit, quod manifesto periculo se exposuerit, Dei amicitiam, ejusque gratiam amittendi. Unde ex communi, peccat mortaliter: uti enim qui se exponit periculo amittendi vitam, temere & sine ratione ædes infectas adeundo, tenuem glaciem scandendo, cum leonibus

a D. Thom. 1. 2. q. 6. b Aug. l. de dogmate Eccl. c. 54.

UVA. BHSC. BU 02224

ludendo,&c. is vitam ſuam vilipendere dicitur, ita & Deum & animam is vilipendit, ac contemnit.

Sed avidos hic omnes cognoſcendi video, quandonam, & quod periculum, aut occaſio propinqua cenſenda ſit, quam ſub mortali quiſque vitare teneatur? an ſub mortali teneatur quis abſtinere à legendis impuris auctoribus, aut etiam heterodoxis, à contuendis nudis tabulis? &c. Lud. Lopez hanc *quæſtionem perplexam appellat*. Navarrus in ſumma c. 3. n. 10. dicit, *ſe malle ab aliis hanc reſolutionem audire, quia nemo quem vidi, id pro dignitate definit, & ſufficiens ejus determinatio eſt difficilis.*

a Cardinalis Lugo ſic ſtatuit: Periculum propinquum ex ſuo genere tale eſt, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad mortale inducat, vel experientia conſtat, in hoc homine talem effectum habere, ſic ut fere ſemper in novum peccatum inducat; qui ipſius magni *b* Gregorii ſenſus fuiſſe videtur, qui occaſionem proximam ſic definit, *Qua non poſſumus, vel certe non poſſumus ſine difficultate uti, abſque peccato.* Occaſio remota, quæ talis non eſt, ſic dicta, quod non ita videatur conjuncta cum peccato, ſed major libertas mediet. Sic periculum remotum cenſeri poſſet, transire per plateam in qua ædes aliquot infectæ; propinquum ædes, cubiculum ingredi, ubi æger decumbit: remotum, parva febris; propinquum, aſſidua. Quibus poſitis ut tandem finem imponam, illud Senecæ alte imbibamus: *c Quantum poſſumus nos à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum fortiter ſtamus.*

a Lugo de poenit. diſp. 14. ſec. 10.

b Greg in c. negotium de poenit. diſt. 5.

c Seneca ep. 116.

EMBLE

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLII.

Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? Matth. 6.



——UNICE
SECURUS. *Horat. l. 1. carm. ode 26.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

De fiducia in Deum: omnem ſolicitudinem conjicientes in eum, quia ipſi eſt cura de nobis, argumento ſumpto à volatilibus quorum implumes pullos, etiam nido ſubductos, mater non deſtituit.

§. I. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit ea.

§. II. *Variis ſacrarum literarum teſtimoniis, Dei providentia comprobatur.*

§. III. Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus?

§. IV. *Exempla eorum, in quibus ſingularis Dei providentia, in ſumma rerum humanarum penuria eluxit.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA-QUARTA POST PENTECOSTEN.

Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus? Matth. 6.

EXERCITUM sexcentorum millium virorum, in locum desertum, in sterile ericetum, deductum, illicque per totos quadraginta annos, castra metatos, omni bellico apparatu, omni militari annona, omni commeatu destitutos, nec quidquam tam numerosis militum copiis, in summa humani omnis subsidii inopia defuisse, a *à sæculo non est auditum*: ac prima fronte commenta censeri possent, quæ sacris literis consignata sunt. Etenim Numerorum 1. Moyses ait: *Fueruntque omnis numerus filiorum Israel, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quinquaginta*; quibus si mulieres cum parvulis annumeres, conficiet populus Hebraicus, ut b Salianus supputat, facile tricies centena millia hominum. Quis tantæ hominum multitudini, per annos complures de commeatu prospiciet? *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Psal. 77. Quo regius Psaltes profusa Dei in Israelitas beneficia complexus, apposite ab hoc verbo, *Attendite*, auspicatus est. *Attendite* porro hic mecum divinam in mortales providentiam, & verissimum illud comprobabitis, quia c *Dominus solicitus est* nostri. Hæc argumento esse possunt: *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Quis unquam, aut uspiam panes pluisse accepit? quod Exodi 16. factitatum legimus. d *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo*; qua via nullus hostium incursus, commeatum valeat intercipere. At cum flumina desiderarentur & fontes, unde potus suffecit? Hebræi apud Genebrardum, dicunt hunc panem offæ instar, una potui serviisse; quod non simile vero, cum diserte Propheta asserat: *Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.* Tenuis hic videri posset commeatus, milites sustentari solo pane & frigida, nullo alio condimento adhibito. Sed rursus *attendite*, cujusmodi hic panis fuisse tradatur: e *Angelorum esca nutriviisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.*

Quod si in hoc uno edulio, cujusvis obsonii sapor, pro voto respondit palato, certe nec his aquis, mellis dulcedinem abfuisse, credendum est. *f* Quid? cum jam cupedias cælestes nauseantes, carnes exposcerent, ait Moyses, coturnices, non solum demissas in castra, fatigatas, ne longius auferrentur, sed undequaque in circuitu castrorum, itinere unius diei, diffusas, adeo ut quacumque ex parte castrorum, quis iter facere vellet, spatio diei unius, conferta coturnicum agmina,

a Ioan. 9. b Salian. an. mundi 2545. n. 165. c Psal. 39. d Psal. 77. e Sap. 16. *f* Salian. an. mundi 2545. nu. 165.

repe-

UVA. BHSC. BU 02224

„reperiret: quarum immensam „multitudinem expressit David, „cum has aviculas pluviæ gut„tis, & pulveri terræ, & arenæ „maris comparavit: a *Pluit su„per eos sicut pulverem carnes, & „sicut arenam maris volatilia pen„nata: & ceciderunt in medio ca„strorum eorum, circa tabernacu„la eorum*; adeo ut si singulis „familiis attribuas decem co„ros, in unius mensis cibum, „evadet summa ad quatuor „millia millionum coturnicum.

Attendite hic præter illam copiam, testem divinæ liberalitatis & potestatis, multiplicem Dei benignitatem in populum querulum, & pervicacem; non dedit pisces, sed carnes quas petierant: *non* (enim) *sunt fraudati à desiderio suo*. Nec dedit oves aut boves, ut Moyses suspicabatur, sed aves pingues, & deliciis idoneas, saporis novi ac jucundissimi: nec in unum diem, ad unicam cœnam, ut in deserto Sin; sed ad integrum mensem, donec veterentur ingurgitatis in nauseam: boni autem iis affatim delectarentur. Denique aucupium dedit non laboriosum, sed facile ac jucundum: volabant enim in aëre duobus cubitis altitudine super terram, ut pueruli hac venatione recrearentur. Ita Salianus.

Sed parum hoc, de victu abunde prospectum fuisse; insuper omnia necessaria suppeditavit. Non opus, ut per familias hic fieri assolet, in longas hyemes prospicere de candelis, aut fascibus: b *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte illuminatione ignis*. Ad cælestem hanc facem noctu incedere, legere, scribere valebant. Nulla secum hic copiosissimus exercitus impedimenta trahebat: non currus, non pontes, non cymbas, aliave adminicula, quibus fossas aut flumina trajicere possent; at ubi eo ventum esset, *interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre*; sicco pede omnes transierunt.

Si quis militares copias lustret, quæ ad 40. annos in campo, sub dio nunquam vestes ponendo, pernoctarunt, vix dum centone: aut lacinia tectos, nudos humeris, capite, pedibus, Adamitas dixerit; aliter benignissimus parens filiis suis prospexit, quorum non vestimenta modo, sed ne pilus consumptus est. Deuter. 39. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt*. Quid? quod amplius est, accrescebant vestes & calcei cum illis, & cum parvulis eorum. Addit Hieronymus, capillos & barbam in deserto non crevisse, lib. 2. ad Iovin. *Gomor*, inquit, *manna universis atatibus, una in cibo mensura est. Vestitus pariter non deteruntur: capilli simul non augentur, barba in commune non crescit*. Vnde nullis opus tonsoribus, imo nec chirurgis aut medicis aut medicamentis, quia *non erat in tribubus eorum infirmus*. Vbi hæc tanta, tamque luculenta divinæ providentiæ ac munificientiæ in contumacem populum testimonia spectamus, etiamnum anxii hærebimus, quibus vitam & sangui-

a Psal. 77. b Psal. 77.

UVA. BHSC. BU 02224

nem dedit, quos corpore suo pascit, tot sacros gratiarum fontes aperuit, ne forte aliquid deesse patiatur? post hæc tam larga inexhaustæ bonitatis in nos flumina, nonne jure meritissimo commonet: a *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis: neque corpori vestro, quid induamini; omnem solicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis?* Etenim si argumentum à minori recte concludat, cum de bobus, de corvis & passeribus, cura sit ei; quomodo eos, quibus hæc omnia serviunt, quosque vita sua chariores habet, destituere velle formidamus? *Si volatilia* (inquit Hieronymus hic) *Dei providentia aluntur, quæ hodie sunt, & cras non erunt; quanto magis homines, quibus æternitas promittitur?* Quibus anima immortalis est, quos ad imaginem suam condidit, quos capaces fecit gloriæ suæ, quos tam caro redemit. Cujus vim argumenti expendamus.

a Matth. 6. 1. Pet. 5.

§. I.

Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa.

P. Balthazar b Alvarez, non obscura beatissimæ Theresæ declaratione, omnium mortalium, qui tum in terris degebant, sanctimonia vitæ præcellentissimus: hic vir, hic est qui omnem solicitudinem in Deum conjecerat, divina hac nixus ratiocinatione: Si quem fidum nactus esses necessarium, qui eo te amore complecteretur, ut tuos omnes famulos ac familiares, byssо & holoserico pretiose convestiret; non modo de necessariis prospiceret, sed splendide, indulgenterque eos haberet, idque in tui gratiam, quia tui sunt. Etiamnum aliqua suboriri posset dubitatio, quin majora benevolentiæ argumenta, amicus ille ubi potuerit, potissimum necessitate quapiam urgente, tibi exhibiturus esset. Deus non modo integerrimus amicus, sed & benignissimus pater, in nostri gratiam candore suo vestit lilia, hortos floribus, arbores fructibus, feras pellibus, volucres plumis: quæ omnia in servitium nostrum condita sunt: & dubitamus adhuc de paterna Dei cura in nos, ne forte destituamur? ipsa Sapientia æterna hoc quemvis, nisi à ratione alienum, argumento convincit: a *Respicite volatilia cœli.* Quæ auree illustrat Antiochenus Antistes: *Si illorum, quæ propter nos crescunt, tantam Deus curam gerit, quanto potius nostri, quos dominos fecit?* Quoque manifestus fiat, juvat singularem in ipsas volucres cœli, Dei providentiam penitus rimari, & admirari. Nidulos suos in deserto, in silvis, in cava arbore, in exesis rupibus, loco ut maxime arcano, & ab omni hominum cœtu remoto, defigere consuevere: quis illic nudo palumbi, aut implumi passerculo ita prospectum arbitretur, ut nihil angoris aut solicitudinis eos teneat? pluit,

b In vita P. Alvarez. cap. 11.

c Chrysost. hic.

gran-

UVA. BHSC. BU 02224

grandinat, tonat, fulminat; pulli tuti sunt. Nulla solis siccitas, nulla soli sterilitas, nulla frumenti calamitas, volatilia cœli suo alimento destituit, *quia Pater vester cœlestis pascit ea.* unde nec famem, nec ullam temporum iniquitatem queri norunt. Et populum electum ac prædilectum, in deserto velut volatilia, à paterna Dei manu educatum fuisse, demirabimur? Elias fugiens persecutionem Iesabelis, errabat per desertum, longe à civitatibus & conspectu hominum: quis illi de victu prospexit? Quæro & ego cum Propheta: a *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibum?* b Peculiare quid est in pullis corvorum, quod à parentibus suis destituantur. S. Thomas docet, *septem diebus negligi à parentibus.* Ex mente Chrysostomi *dicitur corvus propter ingluviem suos non alere filios; illos vero penuria oppressos, naturali quadam apud Deum voce uti.* Aliam causam adlegat Gregorius, quod ovo excluſos, cum nigredine careant, eos pro suis non agnoscant: *Editis pullis*, inquit, *escam plene præbere dissimulant, priusquam plumescendo nigrescant.* Quis ergo desertos à parentibus pascit pullos corvorum? aut unde vivunt? S. Hieronymus: *Philosophi dicunt, quod rore vivant pulli corvorum.* S. Chrysostomus dicit, *parvis quibusdam, quæ intra nidum procreantur, bestiolis nutriri.* Vel ut alibi: *Expositis ad aërem pullis, obvolitant animalcula quædam, divina providentia suppeditata, quæ captantes illi, crescunt & aluntur.* Vt-ut sit, constat eos nutriri, crescere, plumescere, non alia, quam munifica Dei providentia, c *qui dat escam pullis corvorum, invocantibus eum.* Vnde hanc D. Lucas conclusionem infert: d *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt: quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos; quanto magis vos?* Quare nemo quisquam demirabitur, si Eliæ in deserto existenti, dixerit Deus: e *Præcepi corvis ut pascant te.* Cujus imperio *corvi* quoque deferebant ei panem, & carnes mane: similiter panem & carnes vesperi. Hæ rapacissimæ aves omnem hunc commeatum dubio procul absumpsissent in via, nisi illi esset cura de nobis.

Parum hoc, per volucres hominem pasci; adjiciam & majora: ipsos cælites ad ministerium nostrum destinavit: etenim dum Elias egestatem suam securo somno solaretur, adfuit Angelus è cælo dapifer, panem & fontem adferens. Nunc è silvis in urbem principem Babylonem, pedem referamus, ibique Danielem in lacu ferocium ac famelicorum leonum revisamus, quorum ut potens Dei manus ora frænarit, potuisset vel solo metu, vel etiam inedia emori, nisi omnem solicitudinem suam conjeciſſet in eum, cui Daniel curæ ac cordi erat, ut cælites administrum miserit, qui Abacuc portantem cibos messoribus, arrepto vertice f Danieli stitit; quod divinæ munificentiæ

a Iob 38. b V. Pinedam hic,

c Psal. 146. d Luc. 12. e 3. Reg. 17. f Ex musæo Octavii Stradæ.

pro-

UVA. BHSC. BU 02224

prodigium, ne animo excideret, Philippus Boncompagnus Bononienſis, Cardinalis S. Xiſti, pro ſymbolo adlegit, hoc lemmate adjecto: a *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* Vnde S. Cyprianus hoc divinæ providentiæ ſingulari prodigio ſic incredulos confirmat: *Quando factum eſt ut juſto poſſent deeſſe ſubſidia vitæ, cum ſcriptum ſit: Non occidet Dominus fame animam juſti. Elias in ſolitudine corvis miniſtrantibus paſcitur, & Danieli in lacu ad leonum prædam juſſu Regis incluſo prandium divinitus apparatur; & tu metuis ne operanti tibi & Dominum promerenti deſit alimentum? unde hæc incredula cogitatio?*

Libro judicum capite 15. ubi Sampſon mandibula aſini mille viros trucidaſſet, defeſſus, *ſitiensque valde, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam; en ſiti morior.* Vnde illi, ubi *ſitis, ardor, arenæ,* hauſtum frigidæ ad manum fuiſſe arbitramini? *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Quibus hauſtis, refocillavit ſpiritum, & vires recepit.* Vnde & loco nomen fontis, ſtupendo ſane prodigio, opportune ſalientis, inditum eſt.

Hæc dum in Iſraëlitis, in Sampſone, in Elia, in Daniele obſtupeſcimus, occurrat animo, quia non eſt abbreviata manus Domini; non pauciora, nec minus illuſtria, in lege nova Redemptor noſter providentiæ ſuæ ſigna monſtravit. Marci 8. *Cum turba multa,* quinque millium hominum, citra parvulos, *nec haberent quid manducarent,* procul ab urbibus, *in deſerto,* ubi nihil ſuppetebat; *nec habent quod manducent hi:* jamque ad extremam famem redacti, *quia ecce jam triduo ſuſtinent me, & ſi dimiſero eos jejunos, deficient in via.* Quin ut olim Iſraëlitæ: *Nunquid poterit nobis parare menſam in diſerto?* Ita in præſenti: *Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Et Philippus Ioannis 6. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Ejuſmodi anxia ſolicitudo, hodierna die complurium animos ſubit, quorum hac miſera bellorum tempeſtate, familiares querelæ ſunt: Quid confert me talis loci toparcham, tot prædiorum dominum nuncupati, tot jugera terræ numerare, cum ex iis nullus, aut certe exiguus cenſus redundet: cum ex viginti, ex quadraginta millibus annuis, vix centum recipiam? & quid hæc inter tantos? inter tot liberos? inter tot famulos? inter familiam adeo copioſam? ſi cives, ſi mercatores audieris, hi miſeriarum Iliadem pertexunt: commercia ultro citroque intercidi, aut certe merces militum direptioni proſtitui: debita in annos plurimos produci, à paucis perſolvi, jacturam maximam, emolumentum minimum: numeroſam prolem, parum in ſpe, nihil in te, nihil in penu, nihil in ſolario, nihil in cavea, niſi forte lecythus olei, pauxillum farinæ: & quid hæc inter tantos? ita anxie exagitentur, qui ignorant, quam prodige, quam prodigialiter Redemptor noſter miſer-

a S. Cyprian. l. de oper. & eleem.

UVA. BHSC. BU 02224

miſertus ſuper turbam, in deſerto omnes affatim refecerit, paverit ad ſaturitatem. Hinc recte Chryſoſtomus commonet: a *Niſi voluiſſet conſervare, quod erat, non creaſſet; quod autem ſic creavit, ut per eſcam ſervetur, neceſſe eſt, ut det ei eſcam, quamdiu vult eſſe, quod fecit.*

Maria illa Ægyptiaca poſt admirabilem converſionem, cum vocem hanc cæleſtem obaudiviſſet: *Si tranſieris Iordanem, invenies requiem*: quinque panesſecum in deſertum aſportavit, ubi quadraginta ſeptem annis, hoc exiguo pabulo, ut Abbati Zoſimæ ipſa ingenue faſſa eſt, vitam toleravit; non tam guiæ illecebris, quam animæ deliciis. Quid mirum? inquit Hugo: *Qui dedit animam quæ magis eſt, dabit eſcam quæ minus eſt Anima enim plus eſt, quam eſca.* Qui volet, rariſſimi portenti inſtar habeat, Eliam olim à voraci volucri paſtum, quaſi non talia ac uberiora in lege gratiæ beneficia Paulo præſtita: ad quem dum corvus 60. annos dimidium panem attuliſſet, ubi Antonius Paulum conveniſſet, integrum attulit, & ut Hieronymus, *militibus ſuis Deus duplicavit annonam.* Iam vero quis divinæ providentiæ diffidat, qui Ioannem præcurſorem Domini locuſtis & melle ſilveſtri: qui alterum Ioannem ſolitudinis inquilinum, quatuordecim omnino annos, à nemine mortalium viſum, cervæ lacte (quod & Ægidio accidit) educatum, S. Rochum quotidie à cane panem excepiſſe, attendat. Hæc & ſimilia expendens Theophylactus: Chriſtus *potuiſſet afferre in exemplum Eliam, & Ioannem, & meminit avium; ut admoneret nos etiam illis magis brutos eſſe,* ſi adhuc de providentia Dei erga nos, anxii ſuſpicari velimus; qui fide, eaque divina qua nulla certior, aſſeverat, quia ſolicitus eſt noſtri. Et irrefragibili veritati fidem denegamus; cujus rei indignitatem ut Deo injuriam, hiſce verbis exaggerat Salvianus: b *O perverſitas! homini ab homine creditur, & non creditur Deo; omnia in rebus humanis ſpes futurorum agunt: ideo terris frumenta credimus, &c. ſolus Deus eſt, de quo deſperatur.* Homo committit litem ſuam cauſidico, ſanitatem & vitam medico, munus obtinendum potenti aulico; cœcus ſe finit regi à puero, à catello, & homo non fidit, nec finit ſe regi à Deo: enimvero dubitabit an recte dirigatur, an decipiatur, an à benigniſſimo patre deſtituatur. Valet hic illud Petri Chryſologi: c *Homo homini exiguæ chartulæ obligatione conſtringitur: Deus tot ac tantis voluminibus* (ſacrarum litterarum) *cavet, & tamen debitor non tenebitur?* ne quis authenticas ejus ſyngraphas requirat:

a Salvianus lib. 2. de Eccl. e Chryſolog. ſerm. 25.

§. II.

Variis ſacrarum literarum teſtimoniis comprobatur.

COngerit hæc d D. Auguſtinus, expendens illud, *Panem noſtrum quotidianum: Non poteſt*, inquit, *quotidianus*

a V. Deaponte in Matth. cap. 6. v. 25.

d Auguſt. de orat. Dom.

citus

UVA. BHSC. BU 02224

cibus deesse justo, cum scriptum sit: a *Non occidet Dominus fame animam justi.* Et iterum: b *Iunior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Et iterum: c quærentibus regnum Dei & justitiam ejus, omnia promittit apponi; & cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Et Christus ipse veritatis testimonium à discipulis suis perhiberi vult, dum eos percunctatur: d *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calce amentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* In his vos ad interpretes remitto. Vni Isaiæ loco paululum inhærebo: e *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisca tui.* Arctissimum naturæ vinculum, quo proli parentes adstringuntur, quod summa illa Dei benignitas sæpius in captis etiamnum avium pullis ostendit: experientia enim non semel deprehensum est, passerculos nido subductos, vimineæ caveæ inclusos, à parentibus escam accipere & enutriri, nec in vinculis derelinqui. f *Multis passeribus pluris estis vos.* Et quoniam vult nos Redemptor noster volatilia cæli respicere, inauditum matris in prolem, amoris exemplum capite: g An. 1580. Francofurti cum incendium ortum esset, flamma afflavit nidum ciconiæ: mater cum esca reversa, ut nidum ardere conspexit, ilico ad flumen vicinum se proripuit: rostrum aqua oppletum in flammas evomit; sed cum nil efficeret, supervolitare, unguibus ac rostro ligna decerpere, tandem alis super expensis, ut vel sic flammas suffocaret, se illo & amoris igne, una cum pullis tumulavit. Is animus, is amor brutis animantibus, eo affectu suis succurrere proprio suæ vitæ dispendio saragunt; temerarius sit qui ab his benignissimum Redemptorem nostrum, qui animam pro nobis posuit, ullo modo vinci posse in animum inducat. Incendium paupertas est, incendium omnium bonorum vastatio est, & dubitabimus fonti misericordiæ aquas deesse, quibus illud largissime restinguat? i Fuit non ita pridem unus aliquis captivus inter Angliæ Martyres, qui ardentissima siti urebatur, jamque exstinguendus erat, ni qua potus subveniret. Humana spe omni recisa, pater misericordiarum, qui dat omnibus affluenter, in vinculis non dereliquit eum: sed derepente usque eo densus cœlo imber ingruit, ut eum per clathros, galero excipiens, abunde sitim levarit. Certe viscera parentum commoventur, ut necessitati filiorum subveniant, & ut mali sint, k *norunt bona data dare filiis suis; quanto magis pater vester cæleslis?* l Vnde solerter observat Chrysost. *Scit enim pater noster, quia his omnibus indigetis; non autem dixit, Scit Deus, sed, Scit pater vester, ut eos in majorem spem ducat: si enim pater est, non poterit despicere filios, cum nec homines patres hoc sustineant. Dicit autem:*

a Prov. 10. b Psal. 36. c Luc. 2 d Luc. 22. e Isaiæ 49. f Matth. 10. g Camerarius hist. c. 66. cent. 3. h Sainct Iure l. des Eluc cap. 13.

i Fabri auctar. Dom. Sexages. pag. 58. k Luc. 12. l Chrys. hom. 13. in Matth.

quo-

UVA. BHSC. BU 02224

quoniam his omnibus indigetis: qualis enim est pater, qui sustinet etiam necessaria filiis deesse? Hanc paternam in se misericordiam expertus regius Psaltes, exclamat: a *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Tandem ut pater, imo & mater, in quibus affectus tenerior, oblivisci possit infantem suum, *ego tamen*, inquit Dominus, *tui non oblivisear.* In parentibus hoc accidere posse, Prophera testatur, dicens: b *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Et manifesto patet in Agar, quæ puerum in deserto deseruit: c *Cumque consumpta esset aqua,* omni humano auxilio Ismaël destitutus videbatur, sed minime divino; *exaudivit autem Deus vocem pueri;* quam assumens Chrysostomus: *Nullam,* inquit, *salutis spem jam habenti, suam misericordiam exhibuit, pueri curam gerens.* Quid puero à parentibus inter lustra ac feras depositio, subsidii sperandum erat? nisi forte patris fidem hic profuisse, & promisso suo Deum teneri velimus. d Sed quid de subulco illo sentietis, de quo mirum illud exstat prodigium. Comates opilio in Sicilia pecora pascens, ab hero cavæ arbori includitur; qui exacto jam anno reversus, arborem rimatur, Comatem vivum ac validum reperit, atque una advertit ex arbore favum mellis superne stillare, quo ille id temporis victitarat.

Eo necessitatis nemo quisquam vestrum redactus est; ut tamen alicui obtingeret, nec sic de Dei bonitate diffidere, sed recte sentire deberet: in omni penuria opulentissimum divinæ providentiæ penu ñducia pandit; quantum speramus, tantum tenemus, ut recte eBernardus in illa verba: Omnem locum quem calcaverit pes vester, vester erit. sic ait: *Pes vester, spes vestra est: quantum illa processerit, obtinebit.* Quin imo contra spem in spem, & si non habet quod speret, desperet nihil. f Illud Maximiliani II. Imp. symbolum sibi usurpet: *Dominus providebit,* qui non deserit sperantem in se. Quare *jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Sed dicet aliquis, Quomodo hoc verum, cum multi è fidissimis Dei amicis, quos inter Paulus, fame & siti misere divexati sint? Objectioni occurrit August. in illa verba: g *Quærite primum regnum Dei,* ipsum audite: *cum autem legamus in fame & siti Apostolum laborasse, non existimemus hic Domini promissa titubasse; quandoquidem ista sunt adjutoria, medicus ille cui nos totos commisimus, novit quando apponat, & quando detrahat, sicut nobis judicat expedire.* Quod D. Thomas confirmat: *Sicut medicus abstrahit ab infirmo cibum & potum, ut curet eum, sic Dominus, qui habet providere, permittit hominem pati, ut curetur.* Quam rerum humanarum inopiam, quis non videat uberrimam cælestium donorum copiam? Quæ cum ita sint, recte concluditur:

a Psal. 102. b Ps. 26 c Gen. 21. d Gasp. Ens Moros. l. 1. c. 13.

e Bern. serm. 15. in Psal. Qui habitat. f Drexel. to. 1 p. 565. Psal. 54. g Aug. de serm. Dom.

Nolite

UVA. BHSC. BU 02224

§. 151.

Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus?

QVæ cum perperam à quibusdam intelligantur, errorem paucis evolvam. Ergone, inquiunt, in otio desidendum? an mercator non solicitus de negotiis? famulus & ancilla non soliciti de ministeriis? opifices absque solicitudine complicatis manibus, omnia de cœlo, à munifica Dei manu operiri debent? quemadmodum Anabaptistæ, qui desides, à solo *a* Deo sibi omnia in os ingerenda arbitrantur, ut apud Cornelium videre est. Quem errorem ab Euchitis mutuati videntur. b *Dicuntur enim Euchitæ quidam hæretici, opinantes monacho non licere sustentandæ vitæ suæ causa, aliquid operari* (quod tamen Apostolum fecisse legimus) *atque ita seipsos profiteri, ut omnino ab operibus vacent*; hoc supremi magistri monito perverse aburentes: c *Respicite volatilia cæli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant en horrea*. Quæ verba Hipponensis Præsul sane exponit: d *Quidam se dicunt propterea operari non debere, quia nec volucres cœli seminant, neque metunt; cur ergo non attendunt quod sequitur, neque congregant in horrea? cur ergo illi manus otiosas, & plena repositoria volunt habere? cur denique molunt & coquunt? hæc enim aves non faciunt.* Ad quæstionem vero respondet: *Servis Dei valentibus manibus suis victum transigere, si ex Euangelio moveris quæstionem de volatilibus cæli, quæ non seminant, neque metunt; facile respondebimus: Si nos per aliquem infirmitatem, vel occupationem non possumus operari, ille nos pascet, sicut aves, quæ nihil operantur.* Imo, ut Cardinalis Cajetanus, volatilia pascuntur à Deo, faciendo quod in se est: scilicet eundo ad locum, ubi cibus est, & omittendo officia excedentia vires suas, ut est ferere, & metere. Ita homini facienti quod in se est, nihil quidquam deerit. Adnectit Doctor Angelicus in catena sua vere aurea hanc Augustini sententiam: *Cavendum ne cum viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis, quorum cura sibi commissa est; judicemus eum contra Domini præcepta facere, & de crastino esse solicitum* (dum vides aliquem de ligno, caseo, butyro, frumento sibi in copia prospicientem;) *nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, propter exemplum loculos habere dignatus est. Et in actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. Non ergo hoc Dominus improbat, si quis humano more ista procuret sed si quis propter ista non militet Deo.* Si quis propterea ad fraudes & dolos, ad injusta lucra se convertat: si quis propterea in iram excandescat; in diras & blasphemias exsurgat: in pusillanimitatem aut desperationem deveniat. Eadem maximeque ad mores congrua D. Thomæ doctrina est: e *Cum*

a Corn. 1. Pet. 5. b August de hæresibus c 57. tom. 6 c Matth. 6. d Aug. de operib. Monachi c 23. tom. 3. S. Thom. in Catena cap. 6 Matth.

e D. Thom. in Cant.

Domi-

UVA. BHSC. BU 02224

Dominus ait: Nolite soliciti esse, non hoc dicit, ut ista non procurent, quantum necessitatis est, unde honeste poterunt vivere; sed ne cura temporali retrahamini ab æternis. ut Glossa habet. Ne ita soliciti pro divitiis fluxis, ut amittamus æternas: ne mercatores ita in officinis, negotiis tractandis: nobiles prædiis ac suburbanis excolendis inhæreant, ut Festis ac Dominicis ne sesqui horam Sacrificio tribuant: nihil concioni, nihil frequentationiSacramentorum temporis suppetat: ne opifices ita pro familia alenda soliciti, ut servilia opera, iis etiam diebus exerceant. Hi autem non sperant in Domino, sed in opere manuum suarum: hi non jactant super Dominum curam suam, sed super divitias & fundos suos, & ideo confunduntur & pereunt. Vtinam hi aureo illo Hieronymi monito edocti, omnem spem, omnem cogitationem, omnem solicitudinem in Dominum conjiciant: a *Sic ut in promissis veritatis nemo dubitet. Sit homo quî esse debet, & mox addentur ei omnia propter quem facta sunt omnia.* Quod ne gratis consuluisse videamur, verba factis commonstramus.

a Hieron. in cap. 6. Matth.

§. IV.

Exempla in quibus singularis Dei providentia, in summa rerum humanarum penuria, eluxit.

PAuca è pluribus delibabo, ac imprimis illustre divinæ providentiæ monumentum in b S. Francisco ostensum est, tum alias sæpe, tum maxime in generali conventu Fratrum, quem is primum Assisii habuit: quo cum ad quinque millia confluxissent, severe omnibus interminatus est, ne de rebus ad corpus pertinentibus soliciti essent, illud Psalmi, quod identidem in ore habebat, suis ingerens: c *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Aderat Francisco hæc dicenti S. Dominicus, eique hoc nimio plus visum est, cum vereretur, ne quodammodo Deus tentari videretur, si non tantæ multitudini alimenta pararentur. Nec multo post, ecce ex omnibus finitimis urbibus & pagis concursus hominum, & jumentorum, omnis generis commeatum, supellectilem, & vasa deferentium. d Quis nunc miretur Seraphicum Patrem dum suos peregrinatum mitteret, non alio viatico instruxisse, quam illo Davidis versiculo: e *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet?* f Nonne hic merito Pontifici scisciranti, qui suos aleret, fiducia plenus respondit: *Matrem quidem habemus paupe-rem* (Religionem.) sed patrem *divitem in cælis*, qui ita horum, fratrum dicam an filiorum, curam gerit, ut Cornelius noster observarit per universum orbē facile centum myriades, sive millionem capitum utriusque sexus ex ordine Seraphico censeri; quorum singulis sive in alimenta & vestes, sive in ædifi-

b Platus de bono status Relig. l. 1 cap. 33. c Ptal 54. d Platus l. 3. c. 27. e Psal. 54. f Drexelius tom. 1. pag. 568. Platus l. 1. c. 33. Cornel. in c. 5. Matth v. 3.

cia;

UVA. BHSC. BU 02224

cia, eorumque saltem aream & hortos, minimum ducentos vel trecentos florenos annuos assignari debere. Qui ad calculum revocati, conficient ducentos, trecentosve, in annos singulos, florenorum milliones, quibus ubere de cælo, pleno, longe opulentius quam mamilla regum lactentur.

Simile quid Dominico accidisse legimus: dum Romæ duo stipem emendicassent, nec micam retulissent, jussit nihilominus omnes ad mensam vacuam convocari: cui ut accubuere, duo juvenes, panes miri candoris singulis apposuere, incipiendo ab eo qui infimo loco consederat, & vacuo è dolio jussit vinum promi.

a *Itaque dilectissime* (hortor & te cui res angusta domi est, verbis Damiani) *noli diversorum casuum muliebriter infortunia formidare, sed spera in Domino & fac bonitatem. Sæpe nimirum, ubi magis ex humana ratione diffiditur, illic propensius superna clementia subvenitur, & ubi solatium desperamus humanum, divinum plerumque cernimus adesse præsidium.* b Hac in Deum fiducia adeo fretus erat SS. Patriarcha noster Ignatius, ut cum nonnemo ei diceret, miraculum esse, quod tantis temporum angustiis, tot socii alerentur: hominem incusavit Ignatius, dicens: Hoccine miraculum tu appellas? miraculum esset, si res se aliter haberet. Ab eodem fonte, tanti parentis filii quosdam sibi rivos arcessere non dubitarunt; ac primus quidem in Italia sub Bernardino Realino emanavit, vir qui ita de Dei bonitate securus acquiescebat, ut cum Lupiense Collegium regeret, monente non semel Ministro, nihil esse domi, quod sociis cœnaturis apponeret; subridens, consueta hora signum dari jussit, numquam falsus; nam in ipso rei articulo, quod satis esset ad religiosam refectionem ex insperato submittebatur.

c Alterum in Belgium rivulum derivavit Scribanius: Hic, dum venditor rei frumentariæ pretium violentius à Scribanio extorqueri vellet, & Heribertus diceret, actum de fide nostra esse, si solutio differatur: dixit Heriberto: Tu abi & Deum ora, ego itidem ad preces abeo, Deum exorabimus. Falsus spe sua non est. Paulo post, oblatum ab amico argentum, quantum Creditori compescendo satis erat. Et adhuc reperire est pusillanimem, qui in domo Dei, sibi aliquid defore subveretur? Hunc modicæ fidei salubriter incitat Augustinus: d *Tu*, inquit, *Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro, aliquid existimas defuturum? an putas terrena deerunt, quibus cælestia & divina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio? quid faciet in domo Dei perfidum pectus?* Quod tanta, tamque luculenta, ac tot divinæ in nos liberalitatis non convincunt testimonia: quæ si singula vel recensere voluero, infinitus sim. Ne quid tamen intactum reliquero. Deum non tantum necessitatibus suorum prospicere, sed & quod matris ardentissime amantis

a Damian. l. 7. ep. 17. b P. Rho exempla l. 2. cap. 3.

c Ibidem. d Aug. l. de Eleem.

est.

UVA. BHSC. BU 02224

est, delicias ac cupedias studiose suis subministrasse, ex uno alterove colligite.

Israëlitis cælitus volatilia pennata, coturnices in abundantia immissas, suspicimus, nec recordamur simile quid Christianis in persecutione Maximini contigisse: qui, ut scite refert a Gregorius Nazianzenus, dum ad solitudinem Ponti confugissent, ac ibidem septennio sub dio degentes, algoribus pluviisque divexarentur, longe ab amicis, à consuetudine hominum: cum eos inter, non pauci generis nobilitate clari, numeroso famulitio stipati, omni commodo ac honore frui consuevissent, jam herbis & radicibus victitabant; non tamen in querimoniam Israëlitarum prorupere, sed fiducia pleni dicebant: Si Deus populo peregrino, & fugitivo, adeo copiose in diserto opitulatus est, & aves sapidissimas suppeditavit, idem & nos quoque pietatis, ac veræ Religionis indefessos athletas, lautioribus obsoniis pascere potest: multæ feræ, quibus olim venando fruebamur, in his montibus delitescunt: innumeræ aves supra nos volitant, quarum omnium te Dominum agnoscimus. Hæc eorum in Deum, orationis jacula, quibus non exiguam prædam consecuti sunt: èvestigio enim cervi summa in copia ultro se sistebant: nemine cogente, ac insectante, in militum manus sese ingerebant. Quæ amœnissima venatio, non equis, non canibus, non cornuum clangore aut juvenum clamore, sed orationis fiducia plenæ admiculo, confecta est. *Quis*, inquit Gregorius, *vel nostra, vel omnium quæ umquam fuerunt memoria, talem venationem ad prædam cognovit? O rem admirandam! ipsi prædæ sui arbitri erant. Quantum dumtaxat voluntas ferebat, detentum est; quod supererat, ad silvas, in secundam mensam relegatum. Coci extemporales, cœna parata, convivæ grati,* &c.

Apposite Rabanus: Quis rex devotis militibus debitam non procurat annonam? quis Dominus servis non ministrat cibaria? quæ mater filiis non porrigit electuaria? noli homo exacerbare Deum, pro te aliter cogitando: dabit regnum, suspiras panem: induet immortalitatis gloriam, plangis corporis indumentum. b Denique quid non reservat in patria, si hic in exilio, vel gentili teste, *usque in delicias amamur*.

Ita Thomæ Aquinati recentes pisces suppeditavit: P. Canisio jam decumbenti aviculam in cubile immisit, quæ se ultro capi, ut palato ejus inservire posset, permisit: Israëlitis milliones coturnicum è cælo dimisit. Hæc benignissimus pater dilectis filiis, suspiciendum magis, exquisitissimas cupedias gravissimis peccatoribus, à munifica ejus manu indies erogari. Quæ cum ita sint, quis adhuc diffidat, ne sibi necessaria defutura sint? Quis paupertatem spe non prægestiat, si in eum virum incidit, cujus neque liberalitas mendicitate fatigari, neque donando divitiæ queant exhauriri, eamque certissimam impetrandi quidvis causam

a Naz. orat. 20. in funere Basilii.

b Sen. l. 4. de Benef. cap. 5.

UVA. BHSC. BU 02224

causam ducat, quidvis sperare? a *Hæc una*, inquit Bernardus, *mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejunare bis in sabbatho dicat, postremo non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Denique quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiose monet in se sperari? plene non derelinquit sperantes in se. Adjuvabit eos, ait, & eruet à peccatoribus, & salvabit eos. Quare? quibus meritis? Audi quod sequitur: Quia sperarunt in eo, Dulcis causa, attamen efficax, tamen irrefragibilis. Ecce numera tribulationes* pauperiem, famem, infamiam) *secundum multitudinem earum, consolationes ejus lætificabunt animam tuam: dummodo clames ad eum, dummodo speres in eum; nec humile aliquid, vel terrenum, sed Altissimum ponas refugium tuum. Quis speravit in eo, & confusus est?*

a Bernard. ser. 9. in Psal. Qui habitat.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLIII.

Ecce defunctus. Luc. 7.



FALLIT IMAGO. *Lib.* 3. *Metam.*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Mors animæ è mortifero peccato, quasi è fulmine, illæso corpore, existit, quo perstrictius putatur vivere, & mortuus est.

§. I. *Peccatum inferre mortem animæ, luculentis argumentis convincitur.*
§. II. *Peccator etsi vivere videatur, quovis lethifero peccato admisso, vere mortuus est.*
§. III. *Mors animæ flenda, præ morte corporis.*

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA-QVINTA POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus. Luc. 7.

STUPENDOS fulminis effectus, sagaces rerum naturalium indagatores tum curiose, tum studiose observarunt: in quorum classe L. Annæus Seneca facile primas obtinere visus; utpote quem magnus ille Plinius *Principem Eruditionis*, invidendo elogio appellavit. Hic in quæstionibus naturalibus, a *Miræ*, inquit, *fulminis si intueri velis, opera sunt: nec quidquam dubii, quin divina insit illis, & subtilis potentia. Loculis integris ac illæsis, conflatur argentum.* b Experientiæ, Plutarchi accedit auctoritas, asserentis suo tempore accidisse militi Romano excubias agenti, ut omni argento colliquefacto, bursa integra remanserit.

Alterum huic affine idem Philosophus Romanus subnectit: *Manente vagina, gladius liquescit.* quod à se Romanæ conspectum c M. Antonius Muretus commemorat. Mihi hoc contigit, inquit, ut Fulmen in palatium Hippolyti Cardinalis Ferrariensis decidens, ad mea usque cubicula pervenerit: ibi gladii, qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorsus illæsa. Plinius in hac materia nulli secundus, dolia fulmine exhauriri tradit, vase omnino intacto, ne afflato. Vnde Lucret.

d *Curat item ut vasis integris, vina repente diffugiant.*

In quibus omnibus advertere est, extimis illæsis, intima penitus consumpta fuisse. e Cujus rei rationem Conimbricenses ex Theophrasto & Damasceno allegant: quia in iis quæ resistunt, dum eorum contumaciam fulmen vincat, aliquam in iis moram facit, atque adeo vim suam exerit, cum rara ac tenuia, subtili igni per poros viam præbeant, nec resistant. Sed hæc fulminis in res prorsus inanimatas potentia; nunc ea quæ nos propius tangunt, & quid in homines valeat videamus. f Titelmanni in naturali historia hæc doctrina est: Fulmen *intacta veste, hominem consumit, & carnibus illæsis, sæpe ossa adurit.* Illud vero longe admirabilius, quod Cardanus l. 8. c. 43. variarum historiarum adducit. Messores in Lemno insula, sub quercu cœnantes, fulmine percussi, eadem imagine qua discubuerant, exanimati reperti sunt: ut unus comedere, alter poculum prensare, tertius canere videretur; cum interim omnes fulmine intus consumpti, extus vivorum imagines repræsentarent.

Hæc qui volet ebrioso, lascivo, avaro, aliisque sceleratis peccati mortalis fulmine con-

a Seneca qu. nat. l. 2. c. 31. b Plut. l. 4. Symp. q. 2. Sen. cit. c Muret. id notis ad l. 2. Senec. cap. 31.

d Lucret. lib. 6. e Conimb. in Meteor. tract. 1. c. 6 f Titelm. l. 7. nat. hist. c. 10.

tactis,

UVA. BHSC. BU 02224

tactis, conferat: facile reperiet, peccatum ut fulmen intacto corpore mortem inferre animæ: ubi enim Luc.10. habetur: a *Videbam Satanam, sicut fulgur è cælo cadentem.* divinus ille Tullius ad rem nostram hæc traducit, dum ait: *Quod fulmen in gladium illæsa vagina, hoc dæmon per peccatum in anima illæso corpore*; cum haud absimiles effectus sortiatur, nisi forte hoc efficacius, quod fulmen metalla, medullam, ossa consumat; peccatum vero robur animi, meritum, gratiam, vitam ipsam tollat, ipsumque peccatorem interitus sui ignarum, quasi in nihilum redigat; quemadmodum de se Propheta percussus queritur: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*, haud aliter

——— b *quam qui Jovis ignibus ictus,*
Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.

Vbi ignea libidinis tela, ubi inane ambitionis fulgur, ubi *ira* quasi *fulmen*, ut cum c Chrysostomo loquar, animam afflarit, merito quisquis ille est, illud Davidis usurparit: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* illudque Poëtæ aptius invertero:

Mortuus est, mortis nescius ipse suæ.

Quemadmodum enim plerosque in admirationem, imo in stuporem raperet, videre hominem peregrinum, crassum, obesum, optime indutum, sub arbore cantharum manu tenentem, & tamen fulmine percussum, corpore & vestibus intactis mortuum considere; ita & Augustinus de peccatore: d *Quia pedibus ambulat, quia manibus contractat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis ceteris membrorum talis utitur, viventem putas: vivit, sed corpus ejus; mortua est autem anima ejus, mortuus est quod melius est: vivit habitaculum; mortuus est habitator.* Vbi totius hujus quæstionis cardinem vellit: *Quomodo, inquies, cum vivat corpus, mortua est anima, cum corpus non viveret nisi vivificatum ab anima? quomodo ergo mortua est anima, de qua vivit corpus.* Docte & dilucide clarissimus Doctor: *Audi ergo & disce: De anima Deus vivificat carnem, ipsam item animam vivificat de seipso, non de seipsa. Vita ergo corporis anima est, vita animæ Deus est. Moritur corpus cum recedit anima: moritur ergo anima si recedit Deus*, quod cum fiat per omne peccatum,

a Hieron. Lanuza hom. 29. sect. 5. b Ovid. l. 1. Trist. eleg. 3. c Chrys. hom. 5. de man suet. d Aug serm. 28. de verbis Apost.

§. I.

Peccatum inferre mortem animæ luculentis argumentis convincitur.

PEccatum mortale inde nomen sortitur, quod mortem animæ adfert, ut sacræ paginæ testantur. Ezechiel cap. 8. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* & Sap. 16. *Homo per peccatum occidit animam suam.* Illud vero Genes. 2. *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; intelligi de morte animæ, ex illo patet, quod post esum illius arboris, triginta & nongentos annos Adam vixerit. e Vnde multi, inquit Pere-

e Pererius hic.

UVA. BHSC. BU 02224

rius, & imprimis nobiles ſcriptores, cenſuerunt mortem animæ tunc illum incurriſſe: ut Philo docet, quem propter admirabilem eloquentiam, Platonem Iudæorum veteres appellarunt. *a* Eandem ſententiam confirmat Eucherius, Eugubinus, & ut alios mittam, fidem & auctoritatem adſtruit vel unus Gregor. Magnus, cujus „hæc doctrina eſt: Si Adæ qui „primus peccavit anima in „peccato mortua non eſt, quo„modo de ligno vetito ei di„ctum eſt: In quacumque die „comederitis ex eo, morte mo„riemini? & ecce comedit A„dam & Eva de ligno vetito, „& tamen in carne ſua ultra „nongentos annos poſtmodum „vixerunt. Conſtat itaque quia „in carne non eſt mortuus. „Si ergo in anima mortuus non „eſt, quod dici nefas eſt, fal„ſamque ſententiam de illo „protulit Deus, qui dixit, quia „quâ die comederet, morere„tur. Sed abſit hic error, abſit „à vera fide: nos enim primum „hominem qua die peccavit, „anima mortuum dicimus. Quocumque die comedendo, jejunii præceptum violas, te *mortuum dicimus*. Quocumque die perjurium profers, te *mortuum dicimus*. Quocumque die gravem calumniam in proximum jacis, te *mortuum dicimus*. Quocumque die furaris, mœchâris, te *b* *mortuum dicimus*. Sicut rectiſſime ſenſerit, qui omne peccatum mortale, Semiramidi perſimile eſſe dixit, quæ cum delectum formoſiſſimum quemque invitaret ad flagitium nulli copiam ſui fecit, quem non ſubito necandum traderet. Quare *c* Tertullianus peccatum egregie vocat *Devoratorium ſalutis*, & David Pſal. 139. *Virum injuſtum mala capient in interitum*. Quod ſe expertum jam pœnitens ipſe fatetur: *Poſuerunt me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi*. *d* Præclare „ Chryſoſtomus: In peccatis mi„ſeram vitam agentes, nihil à„mortuis differunt, cum ſint il„lis multo deteriores. Nec enim „mihi dices clauſiſſe hunc o„culos, nec ſepulchro jacere, „nec inſtitis ligatum detineri; „nec poſtremo vermibus eſſe „projectum, cum multo pejo„ribus hic, quam qui obierunt, „vexetur. Non devorant ſcele„ratum hominem vermes, ſed „perturbationes animi, omni„feroci bellua truculentius ex„agitant atque dilacerant. „Quod ſi aperti ſint oculi, id „multo deterius eſt, quam ſi „clauſi eſſent: clauſi enim mor„tuorum oculi nihil mali vi„dent: hic vero mille ſibi mor„bos, oculis cernendo quotidie „contrahit. Ille jacet in monu„mento ad peccandum jam im„mobilis, hic in ſepulchro ma„li, à ſeipſo intruſus, ingenti„peccatorum mole obruitur. „Sed corpus, dicet quiſpiam, „hujus pingue ac floridum, non „tabe corruptum videmus. Ma„gna vero res, corpore inte„gro, jam pridem anima cor„rupta atque deperdita, ac „multa putredine oppleta. „Quodque decentius eſt, nemo „putreſcentem cernit; ſed tegi„tur urna diſſolutum corpus; „

a Greger. ad Eulog. *b* Chryſ. antol. p. 1. pag. 86.

c Tert. lib. de Idol. c. 1. *d* Chryſ. hom. 28. in Matth.

hic

UVA. BHSC. BU 02224

„hic autem fœtentem animam, „quasi in sepulchro circuma- „git. *a* Cujus fœtorem super omnem cloacam ac putens cadaver, graviorem esse, cælestis genius Anachoretam edocuit: accidit enim, ut S. Antoninus refert, Angelum, assumpta specie humana, una cum Anachoreta profectum, pertransisse locum, in quo horrendum in modum fœtens cadaver projectum erat. Ubi hic advertit Anachoretam nares obturare, causam scisciranti respondit, se fœtorem ferre non posse. Subticuit Angelus & perrexit. Non ita multo post, lascivus juvenis superbe & splendide indutus, pastillos olens, *b & musco mure fragans*, gratissimum longe lateque spirans odorem, in via occurrit, ad cujus præsentiam Angelus vultum avertit, & nares occlusit, hanc pio ascetæ rationem subjiciens: Juvenis iste lascivus & superbus, incomparabiliter plus fœtet coram Deo & Angelis, quam quodvis putidissimum cadaver coram hominibus. Hinc nemo mirabitur *c* D. Ambrosium in misero illo homine à dæmone oppresso, & in sepulchris commorante, typum agnoscere animæ peccantis, corporis tumulo inclusæ: *Siquidem talium*, inquit, *animæ in quibusdam habitare videntur sepulchris peccatorum: quid enim sunt corpora perfidorum, nisi quadam defunctorum sepulchra*, è quibus mephitis intolerabilis exhalet?

Mezentius Tyrannus, tormenti genus inusitatum & prorsus barbarum excogitavit, vivos homines mortuis ac fœtidissimis cadaveribus colligando; tu minus fortasse ac mitius duxeris, corpus vivum mortuæ animæ intime devinciri? Horresco dumtaxat recolens, quod scribit *d* Augustinus de iis, qui quondam inciderunt in manus Hetruscorum prædonum, quorum sævissima immanitas referri sine animi commotione non potest: etenim viatores quos expoliarant, tollebant è medio, & ad exsaturandam crudelitatis rabiem, viva corpora mortuis colligabant, in hunc modum ut singula viventis membra cadaveri congruerent. Quid tam durum aut dirum? quid tam immane aut inhumanum? tam belluinum ac barbarum? nihil sane nisi quod peccatoribus contingit, quorum mortuæ animæ vivis corporibus infelicissimo nexu copulantur. Quod quo potentius peccatorem terreat, historiam in hanc rem maxime tragicam, & hactenus forte inauditam attexam. *e* Vir illustris Pedemontanus, ubi uxorem in quodam castro suo, cum adultero in flagranti delicto deprehendisset, ita exarsit, ut equorum loris infami mœcho manus & crura constringi præceperit, & quoniam juxta sacram parœmiam, *f Zelus & furor viri, non parcet in die vindicta*, quam mox claves trabales adferri, eosque posti polluti cubilis infigi jubet: tum scalis applicitis, carnificis vices conjugem suam subire,

a Antonin. 4 part. sum. tit. 14. cap. 6. ex vitis Patrum. *b* Hieron. ad Principiam. c Ambr. l. 6. in Luc.

d Aug. l. 5. contra Petilian. cap. 15. e P. Balinghen triomphe de chastete Journée 4. c. 7. *f* Prov. 6.

UVA. BHSC. BU 02224

& collo amasii, quod paulo ante amicis brachiis constrinxerat, fatalem funem injicere cogit. Cui adeo tristi ministerio cum sola non sufficeret, pedissequam pellicem præsto esse, c obsecundare voluit; atque ambæ pariter sceleratum procum in sublimem raptum, suspendio necarunt. Quo supplicio peracto, nobilis hic lectum, stragula, vestes, quidquid denique adulteros attigerat, aut attinebat, flammis absumi, reliquam vero omnem supellectilem è cubiculo transferri alio fecit, nihil in eo relicto, nisi tantillo straminis, quod canino nido sufficeret, continuoque omnes fenestras cæmentario adhibito, lapide & calce una cum ostio occludi, infamem conjugem suam, cum pellice socia istic vivas apud mortuum destituens, panem & aquam per angustam rimam suppeditabat, donec putrescentis cadaveris intolerabili fœtore, post dies aliquot morte sæviissima ambæ extinctæ sunt. Ad hæc audita perhorrescimus, nec perpendimus vivo corpori mortuam animam per menses, per annos longe fœdius colligatam teneri. a *Responde, quæso,* ait Chrysostomus, *si quis cadaver putridum circumferens per civitatem vagaretur, nonne omnes eum fugerent? Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam atque mortuam circumducis.* Mentis oculos in hunc miserrimum peccatoris statum conjice, & mortem animæ, præ omni morte corporis, per quosvis cruciatus inferenda, detestare. In quo integerrimam matronam, ac fortissimam heroinam Susannam sequi non pudeat, cui inter prostitutæ nequitiæ senes constitutæ, aut peccandum, aut moriendum erat. Quid agat? *Angustiæ,* inquit, *sunt mihi undique:* si peccatum admittam, *si hoc faciam, mors mihi est.* Quid hoc? si scelus admittat, mortem effugiet, sed corporis; subit vero animum, peccatum mortem animæ esse, quam ne incurreret, mortem corporis minime reformidabat: quam ducem tot millia purpuratorum Martyrum secuta sunt, qui illud Christi alte imbiberant: b *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* quantum enim vita corporea & brutalis, à vita animæ supernaturali distat, tantum mors animæ differt à morte corporis; attamen, ut gravissime queritur Augustinus, mortem corporis summa cura ac solicitudine, quisque devitare, & à se propulsare satagit; in mortem vero animæ pronus, ac sponte proruit. c *Mortem carnis,* ait, *omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat; inde est quod laborant. Laborat ne moriatur homo morituras, & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis.*

a Chrys. hom. 74. in Matth.

b Matth. 10. c Aug. tract. 49. in Ioan.

Pecca-

§. II.

Peccator etsi vivere videatur, quovis peccato mortali admisso, vere mortuus est.

AMbrosius, quem *a* Augustinus veneratur ut patrem, & suæ regenerationis cognoscit auctorem, quosdam mortuos vivos commixtos, ac consepultos asseveravit, dum *l.* 2. *de Cain & Abel c.* 9. sic avaros perstringit:

b *Impii etiamsi videantur vivere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam; quid enim aliud est quam sepulta, quæ intra humum volvitur, & terrenæ avaritiæ cupiditatibus, ceterisque vitiis includitur, ut gratiæ cælestis auram spirare non possit?* Infelix prorsus anima, quæ non secus ac cadaver quod loculo inclusum à vermibus corroditur, ita eorum animus loculis sepultus, non uno verme conscientiæ corroditur; hoc solum discrimine, quod hic vermis amarissimo sensu peccatorem, illi insensibiliter cadaver configant. Graviter nec minus graphice Seneca, quoties per villam Servuli Vacciæ sordidissimi hominis transibat, eam vivi hominis sepulchrum nuncupabat: sic enim epistola ad Lucilium suum scribit: c *In hac ille prætorius dives, nulla alia re, quam otio notus consenuit, & ob unum felix habebatur. Exclamabant homines: O Vaccia solus scis vivere: at ille latere sciebat, non vivere. Nunquam aliter hanc villam Vaccia vivo præteribam, quam ut dicerem:* VACCIA HIC SITVS EST. Hoc funebre, quasi vivo sepulto Annæus Epitaphium condidit. Ita velim sentias, dum ædes, officinas, prædia, ac villas avari nobilis, mercatoris, Euclionis præteris, hic hominem divitiis ac vitiis abditum vivum sepultum esse, & hoc Senecæ adjicias: *Hic situs est* vivus sepultus. Quod mortis genus quam acerbum sit, ex his colligere est, qui vivi tumulis illati sunt. Quod *d* Avenione accidisse legimus in illustri familia de Rhodes, ubi ipsa materfamilias habita pro mortua, delata est ad ædem Patrum Minimorum in monumentum majorum suorum; cum ecce nocte intempesta Religiosis ad Matutinum convenientibus, horribilem vociferationem exaudierunt: accurrunt ad monumentum, recludunt & etiamnum spirantem ac viventem luci reddunt. At nemo quisquam angores, ac dolores, quos istic concluſa perpessa sit, effari poterit. e Subtilis Doctor Scotus hos universo orbi solus declaravit, qui, ut auctores ferunt, apoplexia correptus, nimis festinato funere, pro mortuo tumulatus, frustra ad implorandam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque sepulchri lapide, ambesis manibus, elisoque tandem capite periit. Cui ferale hoc epitaphium recte inscriptum quis neget? *Hic situs est vivus sepultus.* Ejusmodi funera, ejusmodi è sepulchris tumula-

a Aug. contra Iulian. c. 7. b Avaritia mors anima. c Sen. Epist. 55.

d Valadier Advent. pag. 362. V. Vitam Camilli de Lellis l. 2. cap. 1. e Beyerlinck Theat. M. p 651. Valadier. cit.

UVA. BHSC. BU 02224

torum ululatus ab avaris, ab usurariis, à fœneratoribus indies exaudiri, discе ex Ambrosio: a *Nihil interest inter funus & fœnus: nihil inter mortem distat & sortem: personat funebrem ululatum, fœnoris usura.* Cui Leo Magnus, quem ex ungue nosse potes, subscribit, dicens: *Fœnus pecuniæ, funus est animæ.*

Quare illud Christi te exstimulet monitum. b *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, quos Augustinus peccatis mortuos apud Maldonatum exponit, & marmoreis palatiis ac auratis laquearibus, sub quibus latius quam lætius degunt, consepultos: c *Nam quanti indies diu vivendo* (inquit Hieron. byssо & purpura induti) *portant funera sua, & quasi sepulchra dealbata, plena sunt ossibus mortuorum.* unde ad hæc verba Petrus Chrysologus? d *Quomodo mortui sepeliant mortuos suos? Fratres, ipse dixit: Ego sum vita,* Ioan. 14. *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo, & fit in corporis sepulchro vivo, funus animæ jam sepultum.* At illud paradoxum multis videbitur, homines lucro inhiantes, divites hujus sæculi, indutos splendide, mortuos dicere, usurarios eorumque filias in Damascena cyclade quasi columbas, aut psittacos, aut pavones ad fenestras in atriis domus consistentes, mortuas dicere. Verissime tamen mortuas esse, in simili videre est. Moris hic in patria, præ officinis eorum qui artocreas ac placentas pinsunt, picas, columbas, psittacos, pavones, exponant, eo membrorum totiusque corporis situ, ac plumarum nitore, ut nihil à vivis differre videantur, cum interim omni vita prorsus destitutæ sint. Ita & de quibus hactenus egimus: e *Vivere quidem videntur in corpore, sed mortui probantur in corde.* Ita de purpurato illo divite sentit Doctor Angelicus, dum illud Luc. 16. f *Mortuus est dives.* sic exponit: *Mortuus quidem est tunc corpore, sed erat illi ante anima mortua: nihil enim agebat ex operibus animæ: nam totus fervor ejus, qui provenit ex dilectione proximi, expiravit, & erat corpore defuncto defunctior.* Ejusmodi hodierna die complures reperire est, qui corpore quidem vivunt, sed mortui sunt animo, nullasque viventis animæ functiones exercent: aures enim ad preces pauperum occlusas habent; manus quasi institis colligatas, ne eleemosynas erogent; pedes similiter constrictos, ne templa adeant; quemadmodum unum aliquem avarum nihil à mortuo differre, Chrysost. ait: *Consideremus potentem hominem, & imprimis hujus caput, quasi ebriosi opertoriis pluribus, atque vinculis alligatum, sic undique obrutum, ut sensibus extinctis nihil audiat, nihil prorsus sentiat.* g *Deinde manus inspicite, videte ventri annexas sicut morturum, non quidem institis, verum quod turpius est, durissimis avaritiæ vinculis. Vultus & pedes humiliter irretitos videte. Videto eos variis curis alligatos, ac idcirco non posse Dei Ecclesiam adire.*

a Ambr. l. de Tobia c. 10. S. Leo serm. 6. de jejunio septimi mensis. b Matth. 8. c Hieron. Ep. 13. d Chrysolog. serm. 19. e Aug. l. de decem plagis. f S. Thomas in Luc. cap. 16. g Ebrietas mors animæ.

Et

UVA. BHSC. BU 02224

Et hæc de morte animæ, quæ per avaritiam infertur. Hinc si ad aliud non minus vulgare mortis animæ genus procedamus, occurrent undatim ebriosi, quos qui mortuos negat, is mersos vivere affirmare poterit. Quid? quod quidam nostrorum Poëtarum, de his rectissime judicarunt, dum Polyphemus ebrius,

a *dapibus vinoque* SEPULTUS,
excubitores Troiani

——— *somno vinoque sepulti,*

ab iis decantantur. Paccuvius Tiberii Cæsaris procurator in Syria, b *cum vino & illis funereis epulis se sepelisset, quasi parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur:* c *Vixit, vixit; nullo non se die extulit.* Sed his longe plus ponderis, sacri Ecclesiæ Præsules, Augustinus, & Chrysostomus addere consueverunt, quorum prior: *Ebrietas*, ait, *est quædam vivi hominis sepultura.* alter vero: *Ebrius, dæmon est voluntarius, mortuus animatus.* Cujus terribilissimæ mortis vel nuda umbra, insignem potatorem ad sobriam mentem reduxit. Rem narrat Angelinus Gazæus in piis hilaribus, mulierem Belgicam stratagema adornasse, quo maritum vino sepultum, in mortui speciem postridie tumulandi, super stramen deponit:

Sensim illa vinclis ebrias manus stringit,
Corpus & amicit linteo sepulchrali:
Lenteque nudum volvit in pavimentum,

Et huc & inde stare funebris lampas.

Tum illa, vicinia omni concita, in lamenta & muliebres ejulatus prorupit:

Heu mi marite, mi marite! vitales
Nec opinus auras morte tam cito linquis?

Hic experrectus, ut se conspexit tali situ inter quatuor cereos, affusam flentium liberorum turbam,

Quid cogitasse cogitatis hoc vivum Cadaver? ———

At illa: *Papæ reclamat ô marite mi vivis?*
Vivo inquit, atri è faucibus reduxlethi.
Reduxne lethi faucibus, redux orco?
O mi anime, pergit illa, redditus vitæ,
Qui modo fuisti mortuissimus, purum
Putum cadaver, moxque humo dandum!
Per ille rimas linteas, sono cœco,
Bona uxor, inquit, expedi, expedi vincla.
Ad astra palmas ille subrigens, votum
Ter & ter altum vovit: omne per vitam
Instar mephitis execrarier vinum,
Instarque mortis ostium tabernarum;
Morique timidus vixit, & stetit voto.

Hoc quæ volent feminæ in viris ebriis usurpent; at ego pervelim ut nemo non ebrius, ubi ad sobriam mentem rediit, luctuosam mortem ac miserum statum animæ vivacius secum

a Virg. 3. Æneid. 9. Æneid. b Sen. epist. 12. c V. Cornel. in Prov. p. 2. p. 254.

UVA. BHSC. BU 02224

expenderet, atque ita inhorresceret, ut ebrietatem omni morte corporis, concepto etiam voto, deteſtabiliorem duceret. Etenim ſi tragicum omnino ſit, quod antecineralibus diebus in ſcenam dari conſpexi, *a* Zenonem Imperatorem temulentum, ab Areadna uxore ſua, ſarcophago incluſum, vivum tumulari, jamque experrectum tumultuari, horrendum mugire, ac tandem tumulo recluſo, ſuos ipſe lacertos devoraſſe, & fame enectum compertum fuiſſe: b *certe*, inquit, Chryſoſt. *ſi poſſes animam hominis, peccatis* (gulæ & ebrietatis) *involutam, oculis cernere, non dubitares multo melius in ſepulchro jacere,* vivum corpus, quam jacere animam in vivo corpore ebrietate ſepultam. Hæc pro ludo à pueris tragœdia populo propoſita, ingentes animorum motus concitabat, & quos indies dapibus vinoque ſepultos, animoque mortuos videmus, ridemus. *Certe ſi poſſes animam hominis* (ebrii) *cernere*, ſi ſpeciès animæ temulentæ vel momento oculis obverſaretur, eum mentibus veſtris hujus mortalis ſceleris horrorem incuteret, ut longe gravius ebrietatis potum, quam venenatum poculum quiſque veſtrum averſaretur. Mitto hic mortis genus longe atrociſſimum, & maxime infame eſſe, ſibi deliberato animo, veneno vitam auferre, aquis præfocare, gulam ſibi præcidere, aliove violentæ mortis ſupplicio ſibi manus inferre, quam barbariem peccator omnis in animam ſuam exercere conſuevit, juxta illud: c *Homo per peccatum occidit animam ſuam.* Sed ad alteram mortem luxuriantis animæ, ex olla ebrietatis paſſim prodeuntem feſtino. *d* Hanc incurrerat filius ille prodigus, ubi in lupanar pedem intulerat; e *tunc enim*, ait glorioſus Doctor, erat *pejus mortuus luxurioſe vivens, quam moriendo luxuriam finiens.* Quod & proprii parentis convincitur teſtimonio, qui ad natu maximum: *Frater tuus mortuus erat & revixit. Mortuus erat*, dum inter puellarum greges, choreas duceret: *mortuus erat*, dum inter pocula laſcivos ſermones commiſceret: *mortuus erat*, dum omnem ſubſtantiam abliguriebat: *mortuus erat*, dum ad incitas redactus, diras in Deum, & blaſphemias evomebat: *mortuus erat*, dum inter ſcorta computreſcebat. Vnde aptiſſime quiſquis ille eſt vir magnus, hunc juvenem in flore ætatis vegetum, vividum, bibentem, laſcivientem, & animo mortuum, arbori majali comparavit, quæ tota virens, frondens, florens, coronis redimita, anteprætoris ædes collocatur: ſed ut à radice, ſimul à vita præciſa eſt. *f* Quod & iis omnibus competit, qui *in charitate radicati* non ſunt. Vt non injuria laudandus ſit, qui non ita pridem, ut olim filium prodigum parens mortuum dixit, *g* ſic ille maturo judicio filiam ſuam cum juvene in ſcelere præoccupatam, vere ut mortuam luxit & duxit: omnia enim domus atria, quaſi ad pom-

a Zonaras Cedren. Baron. b Chryſoſt. hom. 28. in Matth.

c Sapient. 16. d Luxuria mors animæ. e Auguſt. in Pſ. 27. f Epheſ. 3. g I. C. Traurinck ofte proefsteen p. 420.

pam

pam funebrem instrui jussit, ac in ipso domus vestibulo, sandapilam pullaveste instraram collocari: tum amicis ad exequias adhibitis, super morte filiæ, quam unicam habuerat, tristes sermones inseruit, mensisque remotis affines suos hæredes instituit, omnemque portionem ac dotem filiæ inter illos dispertit. Hoc corruptissimo sæculo, si parentes filias ac filios tales pro mortuis lugerent, exequias iis instituerent, quot in privatis, familiis funera, quot in hac urbe mortuos numerare contingeret? & tamen, ô lascive adolescens! magnus ille è cœlo spiritus intonat Apocalypsis 3. *Novi opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Hoc est, ad speciem externam vivens probus ac pius appares, reapte occultum peccatum foves, quod mortem animæ adfert. Rupertus de vitio carnis occulto, intelligit, dicens: *Datur autem conjici quod mortui hujus mors, fuerit peccatum carnis*; ejusmodi enim homines vel ipsis confessariis vivere videntur, cum fœtidissimum funus circumferant, cui Cacodæmones etiamnum in vivis, exequias apparasse compertum est. Dictis fidem facio: *a* Adolescens insaniens amore virginis Deo consecratæ, eo jam pellexerat, ut nocturnum tempus & fugæ & libidini implendæ decerneret. Ad horam condictam nocturnus hic Veneris miles ad monasterium pergit; & ecce templum apertum reperit: ingreditur, omnia lugubri cantu resonare, in ipso templi umbilico funus consistere, circum funalibus collucentibus advertit. Hinc illinc protensis super faciem cucullis consedebant monachi, officium defunctorum terrifico vocis sono persolventes. Anxius & sollicitus hic spectator, unum aliquem de his ignotis Religiosis trahit, & cujus hæ tam intempestivæ exequiæ sint percunctatus? Talis Domini, respondit alter, ipsum suo nomine compellando. Attonitus, alterum vellicat, qui idem illi respondit. Hic ad nomen suum, & feralem pompam totus tremore perculsus, se ex templo ilico proripuit. Quo vix pedem extulerat, duo ingentes, iique nigerrimi molossi in eum insiliunt, & moniali opportune è muro spectante miserrime discerpunt. Nonne hic se mortuum jam dudum ignorabat, & populo passim vivere videbatur, cujus animæ jam infernales larvæ parentabant? ut in hunc hominem jam è vivis sublatum apte quadret illud, quod olim de Claudio Imperatore jam vita functo acute dixit Seneca: b *Desiit videri vivere.* quasi diceret, ut notat Velasques, jam diu mortuus reipsa fuerat, cujus vita ob peccata & turpitudinem mors erat, unde non tam vita, quam specie vitæ fructus est. Omnis ergo anima, *quæ in deliciis est*, ut Apostoli verbis utar, c *vivens, mortua est.* Quod quo manifestius fiat, forte quispiam cum magno Augustino sic secum ratiocinatur: d *Interrogo corpus an vivit?*

a Antonio de Torquemado en su jardin des flores curiosus colloque tercero. Balingem triomphe de Chastete p. 233. ournee 2. cap. 13.

b Seneca in morte Claudii. c 1. ad Tim. 5. d August. serm. 13. de Mart. in fine ser. tom. 10. & ser. 28. de verbis Apostoli.

UVA. BHSC. BU 02224

vivit? Respondet mihi : Vides ambulantem, vides operantem , audis loquentem , cernis appetentem & fugientem , & non intelligis corpus vivere ? per hæc opera animæ intus constitutæ intelligo corpus vivere. Quæro utrum animæ vivat ? pedes isti ambulant, ecce de uno motu, de vita interrogo , & corpus & animam. Hic precor summi Præsulis doctrinam attende : *Ambulant,* inquit , *pedes, intelligo corpus vivere; sed quo ambulant?* a *Ad adulterium,* inquit : *ergo mortua est anima: si enim veracissima scriptura dixit: Mortua est vidua quæ in deliciis vivit , cum multum interfit inter delicias, & adulterium, quomodo potest anima , quæ in deliciis mortua dicitur ; in adulterio vivere?* Vides virum cum aliena uxore in campo spatiantem, *ambulant pedes.* Vides alterum sub vesperum ad ædes lascivæ puellæ properantem , *ambulant pedes.* Vides juvenem prostibuli intrantem , *ambulant pedes,* intelligo *corpus vivere. Sed quo ambulant? ad adulterium,* ad fornicatoinem: *ergo mortua est anima.* Pergit porro idem sanctissimus Præsul: b *Loquentem audio, vivit corpus : non enim lingua in ore moveretur & percuteret quibusque locis articulares sonos , nisi intus habitator esset, & quasi ad hoc organum musicus , qui lingua sua uteretur ; prorsus intelligo hoc modo corpus loquitur , corpus vivit; sed interrogo utrum & anima vivat? ecce loquitur corpus , vivit. Quid loquitur? mendacium loquitur: ergo mortua est anima. Vnde & hoc probamus? ipsam veritatem interrogemus , quæ ait:* c *Os quod mentitur , occidit animam.* Os quod pejerat , os quod calumniatur, os quod blasphemat, occidit animam.

Quæ cum ita sint , si omne peccatum , ut jam vidimus, mors animæ est , si omnis peccator vere mortuus censendus est, quotiesque peccamus , toties moriamur, d *animamque sepulchro condimus* , profecto , tot inter mortes ac mortuos quotidie vivere posse, artis est maximæ & cautelæ singularis Quod scite Bernardus observavit. e *Putas,* inquit, *parva res est scire vivere? magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit qui superbia inflatur , qui luxuria sordidatur , qui ceteris inficitur pestibus, quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis.* Si quæ filia vana ac garrula est, hoc *scire vivere est.* Si quis juvenis levis, puellæ gratiam captare novit, hoc *scire vivere est,* Si quis politicus, intus Nero , foris Cato, hoc *scire vivere est.* Si quis caute, si non caste ancillæ consuescere, hoc *scire vivere est.* Si quis fastu vel astu pupillos opprimere , hoc *scire vivere est.* Si quis læsus vindictam sumere , hostem pessumdare aut perimere novit , hoc *scire vivere est.* Itane vero, cum hoc non sit vivere , sed *vitam confundere & appropinquare usque ad portas mortis* ? Vbi hoc maxime indolendum succurrit , ejusmodi homines passim catos, prudentes, agiles , gratiosos , vividos audire , cum vita animæ destituti, multo acerbiori luctu , uberioribus lachrymis digni sint, quam si morte naturali , carnis vinculis soluti forent.

a 1. Tim. 5. b Aug. ibid. c Sapient. 1. V. Aug. ser. 28. de verbis Apost.

d Virgil. 3. Æneid. e Bern. serm. 1. in Festo Petri & Pauli.

Mori-

UVA. BHSC. BU 02224

§. III.

Mors animæ flenda, præ morte corporis.

HAc super re, Auguſtinum ad ſuos perorantem induco: a *Audite me fratres: Chriſtiani ſumus, & tamen plerumque ſi filius cujuſquam moriatur, plangit illum: ſi peccet, non illum plangit; tunc erat plangendus, tunc pejus mortuus luxurioſe vivens, quam moriendo luxuriam finiens. Tunc quando faciebat illa in domo tua, non ſolum mortuus erat, ſed & putebat. hæc dolenda ſunt.* Si gentiles, ſi Athei, ſi Epicurei, hominem peccato mortuum non plangant, tolerabile videri poſſet, cum mortem animæ, privationem gratiæ & gloriæ, mortem in cruciatibus æternam non apprehendant. At nos *Chriſtiani ſumus*, vitam gratiæ, vitam gloriæ, vitam animæ æternam, ſummum bonum eſſe, quo unico mortali deſtituimur, fide certa tenemus, nec plangimus. Filius aquis ſubmerſus plangitur, & homo vino ſepultus ridetur; frater cruenta cæde trucidatus plangitur, & b *frater qui odit fratrem*, cum homicida ſit, quia teſte D. Thoma, *occidit animam ſuam*, non plangitur. Filia calida febri modo defuncta plangitur, & Veneris incendio unica anima exſtincta non plangitur. Plorat Iephte & omnis populus non uno die, ſed multis annis mortem filiæ unigenitæ, & mortem animæ non ploras? Hoc quam indignum ſit, digne exaggerat Cyprianus *lib. de lapſis*, ubi feminam è caſtitatis faſtigio prolapſam alloquitur: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres: facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes: animam tuam miſera perdidiſti, & ſpiritualiter mortua funus tuum portare cœpiſti* (ad barathrum inferni) *& non acriter plangis, & non jugiter ingemiſcis?* hæc gemitibus inenarrabilibus, hæc perpetuis digniſſima lachrymis. Ubi inſaniam ſuam vere miſerandam incuſat Auguſtinus, dum ait nihil ſtultius eſſe quam *plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem, cum inter meipſum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus; quid enim miſerius miſero, non miſerante ſeipſum? & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam; non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat non amando te Deus, lumen cordis mei?* Hac inſania hodierna die plures laborant, qui plus plorant mortem amaſiæ, quam animæ, quæ amanda unice. Quare licet Deus ſumme glorietur, & toto orbe maxime extollat ſacrificium Abrahæ ſervi fidelis, qui unicum filium ſuum immolare paratus fuit, cum alterum filium gignere, aut cogitare poterat, ut Paulus ait, d *quia ex mortuis ſuſcitare eſt potens Deus*; potiori tamen jure, ut ita dicam, gloriari poteſt dæmon, qui tot ſibi ſervos fideles reperit, comparatos pro filio unigenito, unicam animam Diabolo immolare, in uno montium, quem monſtraverit illis. Unum immolant

a Aug. in Pſal. 37. b S. Thom. in 1. Ioan.

c Aug. lib. 1. conf. c. 13. d Ad Hebr. 11.

UVA. BHSC. BU 02224

in monte ambitionis, alterum in monte perfidiæ, tertium in monte luxuriæ, & cum de morte peccatorum peſſima dæmon exultet, a *non eſt reſpectus morti eorum*, nec eſt qui de ſempiterno interitu eorum vel ingemiſcat. Aliter profecto regius Pſaltes mortali ruina obrutam luxit unicam ſuam, dum fontes lachrymarum, & exitus aquarum deduxerunt oculi ejus. Aliter luxit mortem non corporis, ſed animæ, inceſtuoſi filii ſui Ammon, quia, magno teſte Ambroſio, b *luxit ergo 'David filium mortuum cunctis diebus, ut ſcias verum eſſe quod aſſero, inceſtuoſum filium Ammon flevit occiſum.* At illud quibuſdam mirum videbitur Davidem multis lachrymis Deum rogaſſe pro incolumitate parvuli, quem ex adulterio conceptum perdite amabat; mortuo tamen puero, ſtatim ſumpſiſſe cibum, & lachrymas ſtitiſſe, ~~imo~~ ut Auguſtinus loquitur, c *pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus eſt.* At inaudita morte Abſalonis, extremo dolore confectus, à lachrymis temperare non potuit, nec quidquam conſolationis admiſit, quin vita ſua mortem filii millies redimere præoptabat, aſſiduo ingeminando illud; d *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi! quis mihi tribuat ut ego moriar pro te? Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* Quis hic non obſtupeſcat parvulum, delicium parentum, qui nullam offenſæ cauſam præbuerat, ſiccis oculis efferri, hunc vero contumacem, rebellem, fratricidam, parricidam mille lachrymis defleri? quiſquis hujus luctus pernitiorem cauſam inveſtigarit, facile reperiet mortem Abſalonis paternis lachrymis digniſſimam fuiſſe, utpote qui mortem animæ æternam incurrerat; & hæc lachrymarum cauſa, inquit Gregorius: e *Iuſte flevit filium parricidam, qui alium parvulum, quia ſciebat non peccaſſe, non flevit.* Hoc à Davide hauſit Eccleſiaſticus, ac cuique noſtrum documento reliquit: f *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit; at peccatorem ſemper luge.* Ita regium Pſaltem in vetteri, ita Petrum in nova lege mortem animæ ſemper luxiſſe leges; ſeque, ac alios Paulum fleviſſe, Baſilius aſſerit, dicens: g *Flet ſuper peccato, peccatum animæ eſt ægritudo, peccatum mors eſt animæ, alioqui immortalis, peccatum & implacabilibus lamentis dignum.* Hoc non loquendo, ſed flendo liquidiſſime teſtatus eſt Origines ille Adamantius, de quo id fertur, multis forte incredibile, niſi divi Epiphanii accederet auctoritas. *h* Narrat hic l. 2. hæreſi 64. cum Idololatræ Alexandriæ Originem cogerent, vel thus idolo offerre, aut per ſcortum libidini exponendum; ut caſtitatem ſervaret, fidem perdidit, & diis thura adolevit. Chriſtianis exoſus, ludibrio ac odio habitus, deceſſit in Palæſtinam ad terram ſanctam, terram miſericordiæ, adhuc rubentem Chriſti ſanguine, ut mortem animæ ſuæ ſolus plangeret. At dum Iero-

a Pſalm. 72. b V. Lanuza homil. 20. ſect. 15. 17. c Aug. l. 3. de doct. Chriſt. c. 21. d 2. Reg. 18.

e Lanuza cit. f Eccli. 22. g Baſil. hom. de Mart. Iulitt. h V. Binet. Origine ſauve c. 11.

ſolymam

UVA. BHSC. BU 02224

solymam advenit, tota urbs, & potissimum illi de clero, fama viri jam pridem divulgata, obviam processere, & obnixe rogarunt, è suggestu paucis ad populum diceret, non permissuros se talem concionatorem elinguem abire: sufficere si vel spectandum se in cathedra exhiberet, de quo tanta inaudierant, aliquod doctrinæ suæ vestigium ad salutare monitum filiis Sion relinquendo. Ascendit cathedram, tota Ierosolyma confluente; silentium ingens, exspectatio mira. Promit Biblia, aperit, sive consilio sive casu, incidit in illud Psalmi 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Ad hæc subito obmutuit, nimirum vocem intercluſit dolor, & clauso codice, nihil præter crebros anhelitus, alta suspiria fatiscentis animi, & ingentem lachrymarum imbrem, qui in genas, in ora depluebat, cernebatur: nemo sic mortuum, ut iste se omnino luxit, quia, ut coævus ejus dixit, a *mortuus est, qui non est Christianus.* Ingens erat auditorum turba, quæ ad flumen ipsius eloquentiæ confluxerat, sed cum præter rivos lachrymarum nihildum cernerent, & ipsi toti in lachrymas effusi sunt, adeo

b *Interdum lachrymæ pondera vocis habent.*

Consisi plures nubem dissipandam, avide viri eloquentiam præstolabantur. Sed cum è lachrymis, in singultus proruet, finem non dicendi, sed flendi fecit, aut ut verius dicam, nullum flendi finem fecit. O homo! qui mortuam habes animam unicam tuam, plora sicut plorari solet in morte unigeniti. Timanti artes & colores defecerunt, quibus dolorem exprimeret in morte Iphigeniæ; quid ni verba & voces Origeni, in morte animæ? c *quam* (ut cum Hieronymo loquar) *si totus vertar in fletum, & non guttæ sint lachrymarum, sed abundantia fluminis, non satis flevero.* Iure mirabatur Doctor Aquinas quomodo posset aliquis lætari, & non potius deduceret fontes lachrymarum in peccato mortali existens, cum in funere charorum non pauci (ut Valerius, aliique commemorant) mortui conciderint. Quare, ô peccator, flere juvat, si beatus esse desideras: salutares tibi lachrymas flens ipse Augustinus excutiat: d *Tu quidem*, inquit, *Rex gloriæ & omnium virtutum magister, docuisti nos verbo & exemplo, gemere ac flere, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu flevisti defunctum amicum, & lachrymatus es valde super perituram civitatem. Rogote, bone Jesu, per illas pretiosissimas lachrymas tuas, da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat & appetit animæ mea, ut plangam me in omni vitæ mea*, ut plangam mortem animæ meæ, ut tibi vivat in æternum.

a Tertull. lib. de carne Christ. c. 2.
b Ovid.

c Hieron. in c. 9. Hier. d Aug. medit. c. 36.

E M-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLIV.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.



——TOLLUNTUR IN ALTUM;
VT LAPSV GRAVIORE RVANT. *Claudian.*

DOMINICA DECIMA-SEXTA, POST PENTECOSTEN.

Quisquis altum sapit, hoc divino eruditus oraculo sapiat: *Qui se exaltat, humiliabitur.* ac proinde prospiciat, dum ad summa rerum fastigia enititur, ne reorum exemplo, qui trochleis in sublime attolluntur, ilico graviori lapsu se collidat.

§. I. *Sacrarum literarum testimoniis Thesis comprobatur.*

§. II. *Profanis historiis propositum stabilitur.*

§. III. *Quinam ab altitudine diei timuerunt.*

D O-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.

CHILO *a* Philosophus ille Lacedæmonius, unus de septem Græciæ Sapientibus, olim arcanam hanc quæstionem rogatus: Quid summus ille Deorum Iupiter, dies totos ageret, quibus sese occuparet ac oblectaret? Laconice respondisse fertur: *Humilia exaltat, excelsa humiliat.* Verissimum illud è Tripode oraculum, sacra juxta ac profana historiarum satis superque monumenta testantur. Si lubet ab ipsis mundi nascentis incunabulis, & altius rem repetamus.

a Herodes lib. 7.

§. 1.

Sacrarum literarum testimoniis Thesis comprobatur.

LUciferum primo in lucem suis profert *b* Basilius, qui expendens, quemadmodum summa illa intelligentia, instar fulguris è cælo corruit, illustri hoc exemplo, ceu fulgure suos terret, dicens: *Si semetipsum pietatis color in altum extulerit, habet qui graviter ac potenter illum affligat, & ad inferos usque possit deprimere. Exemplum habemus illius superbi, qui dum exaltari voluit, humiliatus ad inferos est.* Poëtæ doctas fabulas, ab hac prima veritate, commenti sunt, dum gigantomachiam inducunt, quam veris coloribus, nec usitata penna Ioannes Aquila depingit: *c Factum est prælium magnum in cælo*, & contra superbos Deus ipse armatus in arenam descendit, teste Ambrosio: d *Scriptura dicit: Dominus superbis resistit, tanquam suæ contumeliæ propulsator; veluti quoddam susceptit adversus superbiam speciale certamen.* e *Vide*, inquit Hieronymus, *quale malum sit, quod adversarium habet Deum.* In ipso mundi exordio, primus humani generis parens, à Conditore suo in loco voluptatis, summo in honore, ac dominus omnium constituitur: f *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, &c.* Sed qui sub nonam matutinam, si sancto Ephrem credimus, à Deo formatus, terrestris Deus existebat, ad tertiam pomeridianam paradiso expulsus, è principatu suo, in omnium miseriarum abyssum repente præcipitatus est. In promptu causa est, ait Ambrosius. g *Maximum peccatum in homine superbia est: nam nisi homo serpentis persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset*, numquam à dignitate dejectus, innocentiæ veste exutus, ferarum pellibus amictus, quasi in belluam degeneraret. Quo spectat illud Psalmi 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Videtis, ut opinor, quam Deus excelsa humiliando

b Basil. in const. monast. c. 29.

c Apoc. 12. d Ambros. in Psal 118. e Hieronym. Epist. 45. ad Ant. f Genes. 1. g Ambros. in Psal. 118.

UVA. BHSC. BU 02224

liando occupetur. Sed pergo porro: a *Eadem hora*, qua Nabuchodonosor spiritu elatus, in hæc verba prorupit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi? &c.* sibi gloriam conditæ urbis arrogando, *cumque sermo adhuc esset in ore Regis*, non solum solio, sed fama & forma exutus, ad bestias, bestiam ipse indutus, projectus est. *Eadem hora*, quam subito omnis ille regius splendor evanuit! quam repente ex summo ad imum dejectus est! b *Dejecisti eos*, inquit David, *dum allevarentur*. Ubi acute observat Gregorius, non dixisse Psalmistam; Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed dum allevarentur c: *Quia hoc ipsum*, inquit, *sit superbis interitus dejici, quod eis à falsa contigit gloria exterius elevari.*

Actorum 12. *Statuto die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos*, qui convenerant ex Tyro & Sidone: erat dies perquam festivæ solemnitatis, quem Syrus *percelebrem* vocat; Josephus *lib.* 19. *Antiq. cap.* 7. ait fuisse diem ludorum, pro Cæsaris incolumitate. Herodes vero vestem regiam induit, totam, ut Josephus scribit, ex auro & argento, mirabili opere contextam, quæ adversis Solis radiis percussa, divinum quendam fulgorem & venerationem cum sacro horrore spectantibus incutiebat; d *Populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis*, id est, cœperunt ei divinos honores, nec non apotheosim, quæ id temporis in more erat, decernere, & Deum inclamare; ipso vero loquente, adstantes verba pro oraculis avidissime excipiebant.

Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus vermibus exspiravit. A tam parvo milite, inflatus ille Deus consumitur, & in terram confestim dejicitur.

Sol in Auge momento stat, continuo declinat: potentes sæculi in solio, in apice honoris, solstitii instar, momento consistunt, & ilico decidunt. Præclaram hinc apostrophen desumit Bernardus: e *Age ergo, festina multiplicare præbendas; inde ad Archidiaconatum evola: demum aspira ad Episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus; quoniam sic itur ad astra.* Hæc ubi ironice insultavit, ita hominem aculeata voce melleus Doctor perstringit ac pungit: *Quo progrederis miser? an ut ab altiori sit casus gravior? neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter satanas,* SUBITO *dejicieris?* Facilis descensus averni. Ut fulgur disrupto nubis sinu, in terras dissilit, sic illi scissa tandem, disruptaque corporis nube, in ima terræ, in abyssum inferni præcipites descendunt, nihilque mortalium oculis, nisi inanem fulgoris ac fulguris imaginem relinquunt. Affinem flammæ similitudinem, à fumo Propheta adducit: f *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Ubi Gregorius: *Fumus ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit; sic videlicet fit cum peccatoris vitam præsens felicitas co-*

a Daniel. 4. b Psal. 71. c Greg. 31. Mor. c. 7. d Cornel. hic. e Bern. in declam. Ecce nos. f Psal. 26. Greg. l. 1. Regist.

mitatur,

UVA. BHSC. BU 02224

mitatur, quia unde oſtenditur ut altus ſit, inde agitur ut non ſit. Egregie nonnulla fortunæ ſimulachra cum novacula efficta cernuntur, quæ velociſſima ſectione utatur, nec tantum tondeat, ſed radat. Celerrime Amani gloria ſublata eſt, & omnis proles ac familia eraſa, ut ne pilus fuerit reliquus. Sic argutus Poëta in re feria ludit:

a *Ludente cælo ſidit omnis*
In cumulum, tumulumque factus.

Sic exitus magnorum exitium eſt, & ut ſcite Stoicus: *Hujus eminentis vitæ exitus, cadere eſt.* Bernardus ille in humili, ac proinde clara in valle conſiſtens, humilitatis ſemitam Eugenium calcare docet, & idipſum identidem inculcat: b *Conſidero gradum, & caſum vereor; conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum; attendo celſitudinem [illegible] & à vicino periculum reformido.* Quibus verbis non obſcure inſinuat, quantis caſibus exponantur, qui ad altiores honoris vertices efferuntur. Et paulo poſt: *Aſcendiſti in altum, noli altum ſapere, ſed time, ne forte contingat miſerabilem illam emittere vocem: A facie iræ indignationis tuæ, elevans alliſiſti me. Altiorem quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem; terribilis prorſus, terribilis eſt locus ille*, quo nemo ſecurus, aut diu ſterit. Per gradus honorum ſcanditur, arduus aſcenſus eſt, ſed compendio deſcenditur, c *& eminentis vitæ exitus cadere eſt.* Sed noſtraria videamus.

a Nieremb. Stromate 14. lib. 2. cap. 24. Sen. Ep. 8. b Bern. Epiſt. 237. c Senec. cit.

§. II.

Profanis hiſtoriis propoſitum ſtabilitur.

SOlet aquila ſolertia innata teſtudinem forte humi deſpectam, in altum ſecum ſuſtollere, ac tandem ad ſubjectam rupem allidere. Fatalem hunc caſum experientia comprobavit Æſchylus, ad cujus incaute calvariam, velut ad cautem alliſa, & ipſa & ipſe contritus obiit. Complures certe exemplo teſtudinis *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* In quos illud Pſalmi apte cadit, d *elevans alliſiſti me.* Multos ex imo ſublimes fortuna extulit, qui ex caula in aulam, ab aratro ad clavum Reipublicæ, à ligone ad ſceptra, à ſago ad purpuram, à raſtris quaſi ad aſtra evolarunt; quos ſublatos graviſſime ad terram collifit. Recentia adhuc ob oculos verſantur, & altius animo inhærent.

Comitem Eſſexium Eliſabetha Angliæ regina, ob nimiam familiaritatem, primum aulicis formidabilem, inde in carcerem perduellionis titulo conjectum, an. 16[illegible]1. ſupplicio affecit, ejuſque calvariam illa in pretio habuit, & Duci Bironio ad ſe è Galliis miſſo, inter aliam regiæ ſupellectilis gazam, ceu monile pretioſum exhibuit hoc eum dicto compellans: *En hominis, quem ad tantum honoris faſtigium evexeram, cranium; quo tandem devenit!* diſcant familiares ſummorum principum, fortunam ſuam moderate ferre, & expendant,

d Pſal. 101.

a noſtris

UVA. BHSC. BU 02224

——a *non unquam tulit,*
Documenta ſors majora, quam
fragili loco ſtarent ſuperbi!

Dicitur Bironius ad ferale hoc ſpectaculum exhorruiſſe, capiti ſuo timuiſſe, ac ocyus in Galliam conceſſiſſe. Ceterum fatalis illa monitio Bironio fuit, ut cui proximus deinde annus mortem intulit, non diſſimilem Effexio: quippe conſpirationis in regem (cui intimus fuerat) accuſatus, & per literas, quas ad Fineum quendam arcani Conſilii ſocium, mox delatorem dederat, convictus, ſenatus Pariſienſis calculo, capitis condemnatus fuit ultima Iulii, ut ait Beyerlinck in opere chron. ad annum 1601.

In eodem regno, *b* Garaſſus curioſe obſervat, per quos gradus Thomas Volſæus, filius lanionis, ad dignitatis apicem conſcenderit, ac è veſtigio deturbatus ſit, ut ſupra vidimus. *c* Quid hic Berneveltios, Ancræos aliaſque ſexcentos commemorem, qui quod caput altius extuliſſent, eo imminuti ſunt? Ioannes quidem Berneveltius conſilio ſuo 40. annos fœderatorum Hollandiæ Ordinum rem firmaverat, eamque molem, ut alter Athlas ſuſtinuerat; tandem aſtu Mauritii circumventus in palatio Hagienſi, capite plexus, altum verticem depoſuit. Ancræus vero, cui regina mater innixa, dum ſemel velum capitis vento evolaſſet, perquam familiariter ludebat Ancræus, dicens: *Non eget velo, firmata anchora.* Sed ipſa anchora minus firma, adverſis fluctibus jactata, dominum perdidit. Ipſa autem integerrima Regina, trium regum mater, quo deciderit, plures Mercurii divulgarunt.

Carnificinæ quoddam genus eſt, quo reus per trochleam in altum attractus, cælo pendulus, laxato repente fune, compendio deſcendit, &

--- d *vacuos dat in aëre ſaltus.*

ut vel lapſu ſuo lumbifragium, ac oſſium luxationem patiatur. Hoc tormenti genus fortunæ ludus eſt:

e *Quidquid in altum fortuna tulit,*
Ruitura levat,

& quidem ſtruit ut ruat; luſibus aptus orbis eſt,

Pax nulla folli, nulla potentibus:
Pompejus, orbis cui fuerat pila,
Hic ſortis eſt pila: in duello
Carnifici data præda ferro.
Vento replevit gloria Cæſarem:
Cæſar replevit ſanguine curiam.
Quot bellicis notus trophæis,
Tot celeber Marius ruinis.
Fortuna Crœſum turgida ſpudait,
Victorque Crœſi Cyrus: & ultimis
Formido, deinde riſus oris,
Femineas ſatiavit iras.
O mœſta diræ ſcena tragœdiæ!
Tot clara regum nomina, tot ducum,
Dum ſorte ventoſa tumeſcunt,
Sanguineo periere ludo.

In hoc ludo, tragœdiæ ducem ſpectavit Francia Guiſium; hic Primas aulæ Gallicæ, imo regnum ipſum regere, jamque in honoris apice conſiſtere videbatur, cum feſta S. Dagoberti luce, in aulam vocatus, dum animum exomologeſi & ſacra Synaxi refeciſſet, ad regem con-

a Seneca Troas. *b* Garaſſus Doct. cur. l. 4. Max. 4. ſec. 7. *c* V. Dom. 4. poſt Pent. d Ovid. l. 1. Metam. e Nieremb. Stromata pag. 398.

UVA. BHSC. BU 02224

contendit: & ecce tibi octo armati, ubi pedem atrio, peristromatis convestito, imponit, è latebris prosiliunt, Guisiumque multis vulneribus confossum, truculente interimunt. Plures eum ad fastigium secuti; a *ex quo*, consimili fato, *non potuerunt nisi cadendo descendere*. Diceres eos ab infido mundo, à vafro dæmone deludi, sicut ab Heliogabalo parasiti, de quo Lampridius in ejus vita: Parasitos ad rotam aquaticam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, eosque Ixionis amicos vocabat. Potentius moneat moveatque illud magni Gregorii, b *Elevatio ipsa ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, à gloria vera evacuantur*. Et nescio quo pacto *altum*, etiam *profundum* significet (nam & *puteus altus* dicitur) nisi quod fastigio, ruina proxima, & principatus omnis, vicinum habeat præcipitium. Nec sacras infulas fortuna veretur, ac reveretur, aut potius Numinis providentia, quæ quandoque ex altissima illa orbis cathedra, potentes deposuit. c Documento nobis sit Ioannes XIII. qui post quartum indepti Pontificatus annum, cum in Concilio Constantiensi damnationem suam confirmare, & tricoronidem infulam deponere coactus esset, jamque annos ut minimum tres, per summam ignominiam, in rerum omnium necessitate, in carcere exegisset, coempta demum magno auri pondere fuga, Florentiam petiit, ubi Martinus V. erat, ejus in Pontificatu successor. Hic in fugitivi hominis forma supplex, eorum genibus cum lachrymis advolvebatur, quos ne pedum osculo olim dignatus fuisset. Videtis, ut opinor, ex tam alto culmine, quam altum ceciderint. Plures Icaros nunc orbis numerat, qui sibi non timentes ab altitudine diei, id est, ut Hugo interpretatur, ab humana prosperitate, dum in luce ac solis æstu versantur, subito præcipitati sunt. Quot nepotes, quot affines fictis pennis, quibus commendatitiæ conscriptæ, & pauxillo ceræ pro sigillo ad fidem faciendam, evolarunt, jam sui, & Dei obliti; altius & altius cum Icaro enitendo, miserrime prolapsi sunt? Apposite Bernardus: d *Magnus, cui præsens felicitas, si arrisit, non irrisit: hæc enim incautis ad disciplinam relaxandam est, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem, vel glaciem*. Temerario ausu, nimis altum volavit Hugolinus ille Girardescus, in Hetruria dynasta nobilissimus, Guelfarum partium princeps: qui Nino, adversario pulso, eo potentiæ pervenerat, ut patriæ universæ Dominus & esset, & haberetur. Dum in natalis sui geniali convivio, fortunam suam cælo æquat, ausus est quendam ex intimis familiaribus Marcum; Quid tandem beatitudini suæ abesset, interrogare. Libere hic: *Sola* inquit, *ira numinis procul, diuque ab animo tam elato, abesse non potest*. Gibellini interim ductu Rogerii Ubaldini Archiepiscopi Pisani,

a Seneca de tranq. animi n. 205. b Gregor. l. 1. regist. Ep. 5. c Fulgosus l. 6. c. 11. A Burgund. veritas p. 201.

d Bern. l. 3. de consid. ad Eugen. c. 11. Æmil. l. 8. Platina in Nicolao IV. Ioannes Villans lib. 7. hist. c. 120. Beyerlinck Theat. F. pag. 230.

armis

UVA. BHSC. BU 02224

armis correptis ædes ejus cingunt, oppugnant, invadunt, unum è filiis, alterumque nepotem vim arcere conatos, trucidant; ipsum & duos præterea filios, ac tres nepotes comprehensos, in arctam turrim concluſere, obseratis foribus, clavibusque in Arnum propinquum flumen dejectis, extrema illic fame (neceſſitatum duriſſima, ut Quintil. ait) in oculis, in gremio ſuo cariſſima pignora parens moriens, morientia vidit; & quod caput, vociferanti, jamque inedia deficienti, ſacri viatici pabulum denegarum, ac exomologeſeos poteſtas neutiquam facta eſt, quo corpus una cum anima periclitaretur. Adeo verum nunc illud experientia comprobavit, quod Artabanus olim Xerxi, ut altos ejus ſpiritus reprimeret, inſpiravit: a *Gaudet Deus eminentiſſima quæque deprimere, quia neminem, quam ſeipſum, ſinit magnifica de ſe ſentire.* Pleni ſunt tam ſacri quam profani annales ejuſmodi eventis tragicis; ſed finio ubi unum addidero, quod veriſſimum illud pronuntiatum, *Qui ſe exaltat, humiliabitur*, conteſtetur. b Narrat B. Petrus Damianus in Burgundia fuiſſe clericum ſuperbia tumidum, qui dum Eccleſiam S. Mauritii bene opulentam ſibi uſurpaſſet; altero viro nobili, ſui juris eſſe aſſerente, armis rem dirimere decrevit. Utrimque miles cogitur, omnia in apertum pretium prælium comparantur. Ipſo conflictus die, Nobilis exploratorem mittit, qui copias adverſarii luſtret, qui reperit clericum cum ceteris ſeditioſis, Miſſæ ſacrificium audientem, advertitque, ubi ſub finem Euangelii legeretur: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* extemplo clericum in has bleſphemas voces prorupiſſe: Hæc ſententia vera non eſt: etenim ſi ipſe me adverſariis ſubmiſiſſem, non tam amplas poſſeſſiones, nec tam copioſum militem numerarem. Reverſus explorator, non modo belli apparatum, ſed & hiſtoriam hanc fideliter retulit. Quo alter ſpe erectus, probe ſciens, quod Deus ſuperbis reſiſtat, in impium caput congreditur, conſligitur, & ecce equus, quem clericus inſcenderat, aquam forte intuitus, ſe cum Domino ſuo, iſtic proripuit, nec prius è ſtagno equum deducere valuit, quam ab inſequentibus hoſtibus impudens illud os gladio transfixum eſt: Itaque ad lethæas aquas, elatus hic Icarus præcipitatus eſt, qui caſus omnium graviſſimus eſt: nam, ut Baſilius loquitur, c *dum exaltari voluit, humiliatus ad inferos eſt.* Quis nunc ambigat, quid Iupiter totos dies agat? quis cum hæc videat, apicem honoris etiamnum cuipiam invideat? Quis non veriſſimum hoc Bernardi documentum ducat? d *Aſcendiſti in altum, noli altum ſapere, ſed time: ne forte contingat miſerabilem illam emittere vocem: A facie iræ, & indignationis tuæ, elevans alliſiſti me.* e *Altiorem: quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem terribilis prorſus, terribilis eſt lo-*

a Herod. l. 7. b Damian. ad Deſiderium Abb. ep. 16. c. 6.

c Baſil. in conſt. Monaſt. c. 25. d Bern. Epiſt. 237. ad Eug. e Nierembergii aſcet. l. 3. Docum 2. c. 25.

cus

UVA. BHSC. BU 02224

eus iſte. Bis terribilis, ter terribilis, quia corpus & animam præcipitat in gehennam. Cujus apud eundem Doctorem exſtat teſtimonium: cum enim S. Bernardus oblatum ab Eugenio Pontifice Epiſcopatum Iamfrido monacho, admittere cogeret, reſpondit ille, potius ſe fugitivum monachum fore, quam Epiſcopum. Revelatione autem dein innotuit, eum æternam damnationem evaſiſſe, fugiendo hanc dignitatem.

§. III.

Quinam ab altitudine diei timuerunt.

VEre & ſevere Sapiens minatur: a *Iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Quod Laurentius Iuſtinianus expendens ait; *Si quis pro ſeipſo rationem reddere nequaquam ſufficit, quanto minus pro ſe ſibique commiſſis.* Hinc Pius V. vir piiſſimus in Pontificem electus, ad purpuram erubuit, faſtigium faſtidivit, & prope exanimis concidit. Cauſam rogatus, modeſte reſpondit: b *Cum eſſem Religioſus ordinis S. Dominici, optime de ſalute mea ſperabam; creatus vero Epiſcopus, cœpi de ea formidare; nunc vero electus Pontifex, fere cœpi deſperare.* Et cauſam ſubdit: *Quomodo enim ego Deo rationem tot millionum animarum, quot ſunt in mundo reddam, qui vix unius animæ meæ rationem reddere valeo?*

c Hinc nemo quiſquam mirabitur, ſi Adrianus rogatus, quod ſupplicium capitali hoſti imprecaretur? reſponderit, Ponticatum. Quod ejuſmodi celebre Epitaphium confirmat, ut Platina refert:

Hadrianus Sextus hic
Situs eſt,
Qui nihil ſibi infelicius
Quam quod imperavit
Duxit.

d Nec alia mente, alius ſummus Pontifex fuit, nempe Leo X I. is enim ad extremum vitæ redactus, ei qui ſibi contenti aureo præbuerat, dixit: e *Quam melius fuiſſet mihi ſi Monaſterii, quam ſi cæli claves tenuiſſem.* Tum enimvero animum ſubit illud Sapientis: *Iudicium duriſſimum his, qui præſunt fiet.* Vultis hæc morientium ſana quam maximè judicia, pluribus confirmari? Paulus I I I. Pontifex, animam agens, ſancte aſſeverabat: f *Mallem me ſubjeciſſe coco familiæ Capuccinorum, quam hanc Deo proximam, idque decem annorum curriculo, dignitatem ſuſtinuiſſe.* Ita Iovius in vita. A quo non diſſenſit Card. Alexandrinus, Pii V. nepos, qui jam moriturus, hæc noviſſima verba protulit: *Quam in hora optarem, totam vitam in Religione mea* (fuerat enim Ordinis Prædicatorum) *ætatem tranſegiſſe! ſane jam mallem me tota vita ſerviiſſe coco Monaſterii mei, quam Cardinalem egiſſe.* Idipſum moriens ſapuit Conradus Cardinalis, dum dixit: *Vtinam in Villario meo* (Monaſterio Ciſtercienſi) *inter fratres ſemper ſcutellas abluiſſem!* His tamen non obſtantibus, quot reperire eſt, qui dignitatibus inhiant, qui ad infulas aſpirant, purpuram ambiunt; tum ſe beatos in

a Sapient. 6. B. Laur. Iuſtin. de inſtit. & Reg præl. c. 1. b Cornel. in c. 12. Lucæ. c Beyerlink Apoph. pag. 477.

d Idem ibid. e Sapient. 6. f Cornel. in c. 3. Apoc.

ter-

UVA. BHSC. BU 02224

terris arbitrantur, non recogitantes quam hæc brevi deserenda, possessores suos infanda miseriarum abysso sæpe involvant. Hoc experti in dignitate sæculari Reges ac Principes testati sunt, ipsiusque imprimis Israëlitarum regis hic animus est: a *Elegi abjectus esse in domo Dei mei* (Hebræi legunt, tanquam janitor ad portam sedere) *magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Quod nostro demum sæculo, Philip. III. Hispaniarum rex, cum in morte graviſſimis animi, corporisque angoribus conflictaretur, Patri Hieronymo de Florentia sincere exposuit, dicens: b *Meministine, die cinerum te è suggestu Auditores commonuisse, ex iis forte unum, ad finem quadragesimæ non supervicturum? me tum designari, in animum induxi, & verum vaticinatus es. Quare hæc nunc, meo nomine è cathedra omni populo contestare, nihil quidquam prodesse regem esse, nisi quod in morte cruciet fuisse. Illudque unicum mihi in votis esse, totos viginti duos annos in Thebaide potius Anachoretam, quam regem egisse, siquidem, heu me! periculo æternæ damnationis proximus sum.* Ita hic piissimus in morte Monarcha sapuit.

Tutior profecto ille, beatiorque, qui procul negotiis, ac aulæ strepitu, sibi vivit, sibique moritur; ut quondam recte censuere, nec non exemplo suo docuere viri magni. Ita ab insula pedoque pedem repressit Ammonius monachus, qui in Præsulem à suis adlectus, concessa sibi capiendo consilio die, Deum superosque obsecrat, ac obtestatur, ut eo se onere eximat. Annuit votis Deus, & vita, curisque exsolvit. Idem animi propositum sancto Goari fuit, quem cum rex Galliæ Sigebertus ad insulas evocasset, triginta dierum inducias petiit, quibus Deum rogavit, ut sibi potius infesta morborum cohors, quam onus honoris incumberet. Ita porro factum, morbo correptus est, sibique ac cælo redditus, divinos honores adeptus. Sexcentos alios afferre possem, qui ab alto honorum die, sibi metuerunt. *c* Sic Ambrosius, Augustinus, Malachias, Bernardus, Aquinas, Episcopatum fugerunt; Sacerdotium Chrysostomus, Diaconatum Martinus, Papatum Gregorius, ac primi fere in Ecclesia, erubuerunt ad nomen purpuræ, inquit Scribanius.

d Quid? quod Marcus sibi pollicem præsecuit, ne Sacerdos fieret: Antonius Eremita aurem præscidit, ne in Episcopum eligeretur. Sed ut complura ejusmodi silentio involvam, illud præterire non possum, quod de B. Petro Damiano narrant historici: latuerat ille in obscura solitudine, cum ecce à Gregorio X. evocatur in solem, inter purpuratos Ecclesiæ Patres adscribitur, parendum fuit; sed ex eo tempore Damianus Gregorium, suum persecutorem appellare solitus. Ita purpura, pileoque donare, persequi est; neque ab illa persecutione respiravit, donec ab Alexandro missionem petiit, & impetravit. De S. Brunone hic versus exstat:

a Psal. 83. b P. Bened. Fernand. in c. 35. Gen. sec. 12. P. Tylingen parad. pag. 335.

c Scriban. Superior. Relig. l. 1, c. 23.
d Lobbetii vita & mors p. 5.

Re-

UVA. BHSC. BU 02224

a *Renuit oblatum sibi Bruno Pontificatum;*
Cernens esse statum magnatum, raro beatum.

Quid ad hæc honorum cupidi mortales? an hos omnes cœcutiisse putandum est, nec dispicere potuisse, quam ancipiti loco orbis Præsules consistant, veros honores non terris, sed cælo quærendos esse? b *O perversitas! ô abusio filiorum Adam!* exclamat Bernardus, *quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos.* Hæc abunde sufficere duxi, & dixi.

a Beyerlinck Apoph. pag. 477.

b Bern. serm. 2. in Ascensione.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLV.

Quod est mandatum magnum? Matth. 22.



SINE PONDERE, HABENTIA PONDUS.
Ovid. l. 1. Met.

DOMINICA DECIMA-SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Mandata Christi adeo non esse impossibilia servatu, ut etiam levia sint amanti: ut nec alæ volucrum gravant, sed levant.

§. I. *Mandata Christi non esse servatu impossibilia.*
§. II. *Amanti nihil est difficile, nedum impossibile.*
§. III. *Non modo Præcepta, sed & Consilia adeo non gravant, ut instar remigii alarum sustollant,* sine pondere habentia pondus.

DO-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA-SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Quod est mandatum magnum? Matt. 22.

NEMINEM quemquam vestrum ignorare arbitror, crebras Iudaici populi, sub gravissimo legum jugo ingemiscentis querelas, dum a *onera gravia, & importabilia* in humeros suos imponi lamentantur. Quas unus aliquis fortasse justas dixerit, ubi inaudierit, quantam legum ac præceptorum multitudinem, Patribus nostris Deus observandam tradiderit: quæ *b* Cornelius noster enumerans, refert præcepta legis affirmativa, ad ducenta & octodecim: tot, inquit, quot sunt membra in homine, ut verissime eorum quisque affirmare posset. Habeo legum numerum in membris meis. At vero præcepta negativa, trecenta sexaginta quinque, tot scilicet, quot sunt dies in anno. Unde merito Augustinus vocat c *sarcinam innumerabilium observationum.*

a Matt. 23, *b* Cornel. in Acta c. 15. v. 10, c Aug. serm. 9. de verbis Domini.

§. 1.

Mandata Dei non esse servatu impossibilia.

NUllum præceptum quantumvis grave, quantumvis magnum, & arduum, observatu impossibile esse, sacrarum litterarum, & Ecclesiæ Doctorum evincunt testimonia: ipso imprimis veritatis auctore attestante; d *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*, ut possis te excusare & dicere, Non possum illud attingere, aut adimplere; quod de facto tot illustres veteris testamenti heroës comprobarunt, qui mandata omnia ex amussi observarunt. Inter quos Iosue, de quo cap. 11. *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis vel unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi.* Idipsum de Abraham, Moyse, Samuele, Elia, Elisæo, Isaia, Ieremia, aliisque Prophetis censet e Bellarminus. De Zacharia & uxore ejus, manifeste Lucas cap. 1. *Erant ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* E quibus, si argumentum ab actu ad potentiam quis concludat, certo conficitur, præcepta illa minime impossibilia fuisse; quare cum subtilissimo gratiæ defensore Augustino, quo in hac materia, contra perverse eum traducentes plerumque utemur: f *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum.* At contra, inquit, g *firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere*; nisi eum quovis Tyranno longè truculentiorem affirmare non vereamur.

d Deut. 3. e Bellarm. to. 3. Cont. pag. 1208. f Aug. serm. 191. de Temp. g Aug. lib. de nat. & gratia c. 69.

UVA. BHSC. BU 02224

Nunc vero in lege gratiæ, ſub qua a *apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri*, qui omnia illa cæremonialia & judicialia veteris Teſtamenti antiquavit, adhuc non neminem reperiri, qui ipſas leges dilectionis, tum Dei, tum proximi, decalogo contentas, quas & ipſa ratio, ac natura ſervandas tradit, impoſſibiles, & onus Ethna gravius, cum Calvino audeat aſſeverare, eum enimvero oportet omnino gnaviter eſſe impudentem; cum prima & infallibilis Veritas aſſerat: b *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve; & mandata mea gravia non ſunt.* Huic tamen falſitatis Doctor Lutherus, auſus eſt opponere: c *Tot Scripturæ teſtimonia probant mandatum eſſe impoſſibile nobis, ut nihil ſit manifeſtius.* Et in Pſal. 51. *Decalogus numquam poteſt plene ſervari.* Septimum & nonum præceptum, illis Veneris pullis potiſſimum impoſſibile videbatur. Mali corvi malum ovum. Melanchton: d *Extrema impietas eſt ſentire, quod decalogo ita ſatisfaciant, ut merita ſuperſint; cum hæc præcepta omnes Sanctos accuſent, Diliges Dominum:* item, *Non concupiſces.* An ergo Ioſephum Patriarcham, & Suſannam, qui tam fortiter pro caſtitate depugnarunt, quis adulteros fuiſſe cenſebit? an Apoſtolos fures, qui etiam propria reliquerunt? Euangeliſtas falſos teſtes, qui teſtandæ veritati deputari, eamque teſtati ſanguine ſunt? Sed ad hominem ſic potius arguendum: Si decalogum obſervari impoſſibile eſt, manifeſto conſequitur, ut recte Becanus noſter docet, omnes eos falſitatis aſſertores, homicidas, fures, adulteros, falſarios eſſe. Rectius fortaſſis eos ſenſiſſe arbitraris, qui legem diligendi inimicum, ut impoſſibilem & naturæ repugnantem abjecerunt: eſt enim cuique à natura inditum, ut odio inſectetur quæ ſibi inimica ſunt: ſic ovis lupum, pullus milvum, columba accipitrem quando dilexerit? Unde Auguſtinus fatetur: e *In omnibus juſtificationibus Domini, nihil mirabilius & difficilius eſt, quam ut ſuos quiſque diligat inimicos.* Et S. Hieronymus rem tam difficilem inimicorum amorem eſſe aſſerit, ut quidem crediderint, illum eſſe impoſſibilem; huic tamen contrarium & ipſe & D. Auguſtinus (cujus hoc cornutum & acutum dilemma) aperto convincit: f *In omnibus ſcripturis Deus tibi dicit quia potes, tu vero è contrario reſpondes non poſſe; conſidera nunc, utrum Deo, an tibi debeat credi. Et ideo quia Veritas mentiri non poteſt, nunc vanas ſuas excuſationes relinquat humana fragilitas: quia nec impoſſibile aliquid potuit imperare qui juſtus eſt, nec damnaturus hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius eſt.* Nunc & Auguſtini libros perverſe traducens, hanc ejus doctrinam eſſe falſo inſimulat. 1. Præcepta ſecundum ſtatum, & vires, in quibus homo conſtitutus, impoſſibilia. 2. Impotentia implendi præcepta, reperitur in juſtis. 3. Gratia non ſemper adeſt, qua præcepta illa impleа

a Ad Titum 8, b Matt. 11, 1. Ioan. 5, c Lutherus in confut. rationis latom. d Melanch in Apolog. tit. de Votis monaſticis.

e Aug. in Pſal. 118. ſerm. 7. Hier. in c. 5. Matt. l. 2 cont. Pelag. f Aug. ſerm. 61. de temp.

UVA. BHSC. BU 02224

implere ſufficiamus. Et his ſimilia, quæ quantum ab heterodoxis ſententiis ſupra allatis differant, & ab illa Monhemii perverſiſſimi hæretici dialogo 3. *Nemo quantumvis perfectus, præſtare poteſt quod lex jubet*, facile videre eſt. Imo ſi Deus gratiam deneget, ſine qua præceptum impleri nequeat, perinde eſſe, ut ait Melanchton, *cum mandat lex diligi Deum, atque ſi præcipiat nobis tranſvolare Caucaſum*; quod ni feceris, ad flammas nos damnet ſempiternas. O tempora! ô mores! viros doctoratus laurea, ſacra ac profana dignitate conſpicuos, hæc tueri, hanc deterrimam maculam Eccleſiæ ſoli Auguſtino, dum eum ſe maxime propugnare venditant, impingere non erubeſcant! quos ne quidquam Bullæ Pontificum, nec Vaticana fulmina terrent; niſi etiam eo temeritatis quidam abripiantur, ut & ſacrorum Conciliorum auctoritatem eludant, aut elidant. a *Nemo*, inquit Tridentinum, *temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Idem confirmat can. 18. & cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Arauſicanum idipſum inculcat can. 25. quæ Eccleſiæ, & germana D. Auguſtini doctrina eſt, ut videre eſt l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 3. *Nec præciperet Deus aliquid, quod eſſet humana impoſſibile voluntati.* Et ibidem cap. 6. *Dubitare non poſſum*, inquit, *nec Deum aliquid impoſſibile hominis præcepiſſe, nec Deo adopitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe.* Hæc plenius & uberius, ut labem illam ſanctiſſimo Patri Auguſtino eluam, & in viam reducam, qui cæcum cæci ſecuti, nec auctorem legerunt, nec doctrinam plerique intelligunt, quam profitentur.

Nunc vero onus præceptorum omnino leve eſſe, nedum importabile, aut impoſſibile, ex illo Auguſtini comprobavimus.

§. 11.

b *Amanti nihil eſt difficile, nedum impoſſibile.*

QUod ex profano amore ad divinum, idem ille Hipponenſis Præſul dilucide demonſtrat, expendens illud Matth. 16. c *Si quis vult venire poſt me, &c.* ſic ait: *Iugum meum lene eſt, & onus meum leve eſt: quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit.* Ac tandem ad moderna procedens ſubjungit: *Novimus quanta ipſe amor faciat, plerumque etiam ipſe amor reprobus, atque laſcivus: quanta homines dura perpeſſi ſunt, quanta indigna & intolerabilia pertulerunt, ut pervenirent ad id quod amaverunt: ſive ſit amator pecuniæ, qui vocatur avarus; ſive ſit honoris amator, qui vocatur ambitioſus, ſive ſit corporum pulchrorum amator, qui vocatur laſcivus.* Tum demum concludit: *Et quis poſſet enumerare omnes amores? conſiderate tamen quantum laborent omnes amatores, nec ſentiunt quod laborent; & tunc ab eis plus laboratur, quando à labore quiſque prohibetur.* Conſiderare itaque lubet,

a Trid. ſeſſ. 6. c. 11.

b Aug. manual. c. 24. c Aug. in c. 16. Matth. tom. 10. pag. 1519.

UVA. BHSC. BU 02224

quantum laborent omnes amatores, nec ſentiant quod laborent, quod in laſcivo & vere inſano libidinis amore, imprimis videre eſt.

Amabo vos, quid unquam laſcivus procus arduum duxit, pro ſponſa, exantlare? membra, ſanguinem, vitam, animam prodigere, hoc ſibi lucro, hoc voluptati reputat, per mille diſcrimina amores ſuos ſectatur. *a* Iuvenis in Hollandia ob formæ venuſtatem, & morum elegantiam, intemperanter puellam ardebat, ſed perexigua potiundi ſpes affulgebat, dum ut iſtic moris eſt, rigenti hyeme eam ſuper glaciem in calepodiis compertam, manu arripuit, ac ambo pariter è turba & conſpectu adſtantium gliſcunt. Et ecce diſrupta glacie, uterque concidit: aquis ſe ilico ipſe proripuit, jamque omni niſu illam ſemel iterumque ſubſidentem, prenſare ſatagebat, inclamans, Non te deſeram, ut vel una pereundum eſſet. Nec pluribus uſus, cum aliud nil ſuppeteret, præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo, rurſus inter confractas glaciei teſtas inſiliens, eam extraxit. quo facto votis potitus, & quas in ſicco non potuit, in glacie, amoris conjugalis faces incendit. Quid ſi cum ejuſmodi vitæ diſcrimine, proximo periclitanti ſuccurrere præceptum ſit? arduum videri poſſet, ſed, ut Abulenſis ait, b *nullus labor magnus videtur amanti, ignes non timet, niveſque ſpernit* (& glaciem,) *gladiis ſe opponit, & omnia pericula ſibi grata reputat.*

a I.C Trouvvrinck, pag. 236. b Abul. in c. 39. Gen.

Matth. 14. ut vidit Petrus prædilectum Magiſtrum ſuper aquas ambulantem, quantumvis tempeſtas eſſet valida, & navis jactaretur fluctibus, in procelloſum mare proruit, ut Chriſto occurreret. Ubi recte Ambroſius vim amoris expendit: c *Non videbat*, inquit, *Petrus ubi pedum veſtigium poneret; videbat autem ubi figeret veſtigium charitatis: in navi enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus deſcendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit, elementum, ſed omnia pericula ſibi grata reputat.* Hinc ad amorem veſanum & inſanum velificando, cum in aquis verſemur, occurrit Leander juvenis nobiliſſimus, ex Abydo Aſiæ oppido, amator non ignavus: hic plus vice ſimplici, ſummo vitæ diſcrimine, noctu tranavit mare, ut amores ſequeretur; nam cum in oppoſito Helleſponti litore, Hero puella civitatem Seſton inhabitaret, ſæpius tranando intempeſta nocte, per aquas ad ignes ſuos properabat, quos cum aquæ multæ non potuiſſent extinguere, nec flumina obruere, amoris æſtu abreptus, cælo turbido & mari tumido ſe commiſit, jamque vi ventorum fluctuumque obruendus, clamaſſe dicitur:

Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Adeo omnia pericula amanti levia, & ipſa vita vilis habebatur. Has qui fabulas ducit, hiſtoriæ fidem habeat. *d* Galeatius Mantuanus, vir ſane impi-

c Ambr. ſerm. 16. de Sanctis. *d* Boteri polit. l. 9. c. 3, Pontan. l. 2. c. 25. de fortit.

ger;

UVA. BHSC. BU 02224

ger, Papiæ cum hybernaret, forte in ponte puellam, quam unice amabat, obviam habuit. Ea ut per blandam aliquam jocandi ſpeciem, amantem ad colloquium invitaret, Quin tu, inquit, belliſſime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, è ponte in amnem, amoris gratia deſilis? Hoc ille audito, concitato repente equo, ſeſe in fluvium præcipitat, quo exanimato, vix Ticino natabundus emerſit. Cui nihil aliud tanto quæſitum periculo, quam ut mulierculæ, & quidem jocanti ſatisfaceret. Intimo pectore nos pudeat, præcepta Dei ardua dicere, quæ nihil hujuſmodi cogunt. Faciliora longè poſcimur, & recuſamus. In promptu cauſa eſt, quia quod mandatur, non amatur, atque adeo ut impoſſibile amandatur. Sed redeat illud Auguſtini: *Amanti nihil eſt difficile, nihil impoſſibile.* In cujus rei probationem Origines feminam inducit Magdalenam, quæ dilectum ſuum etiamnum mortuum, tam vivo amoris ſenſu proſequebatur, ut nullæ etiam moleſtiæ, nulla pericula, nullæ inſidiæ deterrerent. Origenem audiamus: a *Quid eſt hoc etiam, ô bone Ieſu, quod dicit ad te de te? Et ego eum tollam. Ioſeph timuit, & non fuit auſus tollere corpus tuum de cruce, niſi de nocte, & niſi hoc peteret à Pilato. Maria vero noctem non poſtulat, nec Pilatum reveretur, ſed audaciter promittit, dicens: Et ego eum tollam. O Maria, ſi corpus Ieſu forte poſitum eſt in atrio Principis Sacerdotum, quid facturæ es? Ego eum tollam. O mirabilis mulieris audacia! ô mulier non mulier! & ſi ancilla oſtiaria interrogaverit te, quid factura es? Ego eum tollam. O ineffabilis hujus mulieris amor!* En quam omnia difficilia & arcana, neſcio quo artificio, amor levia ac facilia efficit, juxta illud Gregorii: b *Machina cordis, vis amoris eſt.*

Quis enarrare, aut mente complecti valeat laborem, ſudorem, moleſtias, vigilias, curas, quas Patriarcha Iacob pro Rachele totos quatuordecim annos exantlavit? ipſe de ſe loquatur: c *Die, noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Et poſt hæc omnia, tot anni *videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* quia, ut veriſſime Bernardus ſerm. 14. *ubi amor eſt, labor non eſt.* Abjectiſſimam hic graviſſimamque ſervitutem, pro Rachele ſua libens ſubibat, poteratque Iacob jure longe meritiſſimo, illud nomen *Serviteur* ſibi uſurpare, quod procis familiare eſt, qui totas noctes inſomnes ducunt, rigidiſſimæ hyeme ſub Iove frigido ad fores amaſiæ teſtudine modulantur, cum ſæpe ſurdis cantent, & poſt omnia beneficia, poſt rara ac pretioſa munuſcula, referant probra: quæ fortis amor etiam concoquit, & in delicias vertit. Achilles ab Aiace rogatus, quos in vita graviſſimos labores toleraſſet? Eos, ſubjecit alter, quos pro amicis ſubivi. Urgebat eum Achilles quos jucundiſſimos exiſtimaſſet? Eoſdem, inquit; ſiquidem jucundiſſimum amanti, graviſſima pro amato perpeti: quia *ubi a-*

a Orig. tom. 3. hom. de Magd.

b Greg. apud Hug. Card. in Pſal. 24.

c Gen. 29.

UVA. BHSC. BU 02224

mor eſt, labor non eſt. Quod quo attentius conſideremus, invitat hiſce verbis Auguſtinus: inhoneſtos amatores oſtendite: a *Si quis amore femina laſciviens, veſtit ſe aliter quam amaſiæ placet, & illi dixerit: Nolo te habere tale byrrhum, non habebit; ſi per hyemem illi dicet: In lacinia te amo, eliges tremere quam diſplicere; nunquid illa tamen damnatura eſt? nunquid adhibitura tortores? nunquid in carcerem miſſura? hoc ſolum ibi timetur, Non te videbo, faciem meam non videbis.* Graviora Deus comminatur, qui longe inferiora præcipit, & impoſſibilia jactamus. Quid ſi Redemptor noſter tales tam ferreas leges, quales mundus ſui amatoribus imponit, præſcripſiſſet? Quid ſi tenerrimis puellis aperto pectore, nudiſque brachiis aſperrima hyeme procedere, ſi omni vino, aromatis, ſexcentis condimentis abſtinere, papyrum ambuſtam, ſalem, carbones edere: frigidam, imo acidam bibere ſi præcepiſſet, tyrannicum imperium, carnificinæ quoddam genus cenſeri poſſet, cum tamen amatores ſæculi, hæc aliaque atrociora alacriter, & ſponte ſua ſibi aſſumant, membra, ſanguinem, vitam pro amante prodigere non dubitent.

b *Facta canam, ſed erunt qui me finxiſſe loquentur.*

Proterva quædam filia adoleſcentis nuptias detrectabat ob claudicantis vitium, quod è crure confracto non ita pridem contraxerat. Quamcaufam ut hic inaudiit, imperterritus à peritiori chirurgo ſibi denuo crus acerrimo doloris ſenſu confringi, ac recta confringi curavit. Et quiſquam mirabitur Chriſtianum amore Chriſti, ſe pede vel manu imminuere, cum eadem & longè majora Veneris proci, in gratiam ſponſæ, generoſe attentarint. Fuit Bruxellis Comes, hoc facto parum illuſtris, qui digitum auricularem ſibi præſcidit, eumque literis inſertum, in pignus amoris ad amaſiam deſtinavit. Alter prænobilis viri Gandenſis filius, ſuper puellæ, quam deperibat, pectus, forte acum conſpexit, quam ſublatam ori inſeruit, dicens tanto ſe in eam amoris ferri œſtro, ut hanc acum in ſui gratiam libens deglutiret. Dixit & fecit; cumque jam conclamatum eſſet, nequidquam medicus inclamatur, ex quo totam hujus tam inſanæ mortis ſeriem plene edoctus ſum. Minus forte diſcriminis ſe adire exiſtimarit, qui ſuper ſanitatem amaſiæ ſuæ potitans, non modo vitrum ad unguem exſiccavit, ſed inſuper omnes margines dentibus comminuit, atque ore toto large ſanguinem deſpumans, ea vitri fragmenta inſtar ſacchari avidiſſime devoravit, quibus viſcera miſere corroſa, libidinis ignes cum vita extinxerunt. c Unum adderem, ſed vereor ne ſimplici ſtylo eleganti auctori injurius ſim, qui Rhamaſis generoſi adoleſcentis animos collaudans, eum deſcribit in arenam proſilientem, ut roſtelana mleonibus, inermis eripiat. Unde Chryſoſtomus ſerm. 40. *Quod*

a Aug. ſerm. 19. de verbis Apoſt. b Ovid lib. 6. Faſt.

c Poirters larva embl. de falſ. amicis. Al broodt vrienden, geen noodt vrienden.

ferrum,

UVA. BHSC. BU 02224

ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes, amorem valent ſuperare perfectum? amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet; ſi amor eſt, vincit omnia. Ecquis jugum gravius, ſervitutem duriorem excogitarit quam ad triremes damnari? ne hic tamen *ſi amor eſt, labor eſt.* a *Remigant omnia* (inquit Auguſtinus) *quæ in hoc mundo ſunt, ac ſi eſſent in triremi; ſolus amor non laborat, quia nulla res amanti difficilis.* Ipſos conjuges percunctare quantum laborent, quantum tædii, ſolicitudinis, tribulationis carnis, ut cum Apoſtolo loquar, perpetiantur. An non monachorum vigilias adæquent, hinc puerorum lachrymantium vociferationes, inde matrisfam. aut nutricis ad ſomnum conciliandum, in morem chori nocturni cantus? Atque his graviora cum viro quam cum puero, uxori digerenda ſunt; ſic tamen ut connubialia vincula, licet ferrea ſint, amor aurea reddat. b *Ament*, inquit Auguſtinus, *& aurea erunt.* Solus amor eſt, qui tribulationis jugum inter conjuges leve reddit, ut vel recenti hiſtoria manifeſtum erit, quam auctor memorabilem deprædicat. Clara Cerventa, matrona Brugenſis, nupſerat Bernardo Valdauræ, qui cum in graviſſimum morbum incidiſſet (erat is morbus Gallicus) illa perdia & pernox lecto ejus adhærere, ita ut ſex hebdomadis nunquam ſe exuerit, & quavis nocte, non ſupra duas horas quieverit, nequidquam diſſuadentibus medicis ne propius accederet. Infima marito prope depoſito exhibere obſequia, nec in morbo dumtaxat, ſed & omni anteacto conjugii tempore; jamque cadaver in eo vivum maritus referebat, quod morborum omnium hoſpitium eſſet. Incredibilia ſunt, quæ interea temporis illa præſtitit, obligando & contrectando ejus ulcera, fœtorem ſuſtinendo: jurabat ſibi mariti anhelitum ſuaviſſimum, quem alii intolerabilem affirmabant. Ipſa demum annulos, armillas, torques aureos, mundum muliebrem omnem, in conjuge curando conſumpſit. Qui mortuus uxori tantum ſui deſiderium reliquit, ut illum ſolum ſuſpirarit. Et *quis poſſet enumerare omnes amores?* qui volet, Auguſtinum Doctorum magiſtrum conſulat ſerm. 48. de tempore: iſtic inveniet, quibus mercatores in mari, venatores in campo, pueri in ludo, periculis, laboribus, lucubrationibus, quis credat, cum voluptate perfungantur. cujus hanc unicam cauſam ſubdit: Quia *omnia ſæva & immania, prorſus facilia & prope nulla efficit amor.* Iuvat id concinno purpurati Patris ſymbolo colluſtrare. Eminentiſſimus Staniſlaus Hoſius, pro gentilitia teſſera venatorem deſumpſit, de cujus humeris ingens, quem ceperat, cervus dependebat, hoc ſcito lemmate ſubjecto: *Onus meum leve eſt.* Euclionem quandoque vidiſtis, nummorum ſacco gravatum, ſub onere fatiſcentem, illud tamen Matthæi, illi quarto modo proprium, *Onus meum leve eſt.* Achilles

a V. Iuſtinian. in Tobiam c. 2. v. 3. docum. 1. b Auguſt. in Pſal. 149. ad alligandos eos in compedibus. Vives lib. 2. de inſtitut. Chriſt. feminæ tit. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

humeris grandævum parentem, feminæ *a* VVinſpergenſes maritos, mater plerumque genuinam prolem è collo pendentem, leve ac dulce onus ducit. E quibus omnibus manifeſto evincitur, *ubi amor eſt, labor non eſt.* & ut compendio dicam, quidquid amor imperat, promptiſſime impetrat. Hoc de Chriſti jugo Auguſtinus pronuntiavit: *Quomodo etenim grave*, inquit, *cum ſit dilectionis mandatum? aut enim quiſquam non diligit, & grave eſt, aut diligit, & grave non eſt*; nedum impoſſibile, ut adoleſcens ille docuit, qui Matth. 19. Chriſtum percunctatus eſt: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Serva mandata. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea.* Quem ne mendacii coarguant hæretici, ſubdit Marcus: b *Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum.* Cumque ulterius inſtaret: c *Quid adhuc mihi deeſt? ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Invitat & nos: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Tollite jugum meum ſuper vos: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. *d* Quod *quibuſdam mirum videtur*, ut more ſuo ſubtiliter Auguſtinus: *Ait ergo aliquis quomodo jugum leve eſt, & ſarcina levis, quandoquidem illud jugum, & ſarcinam ferre, nihil eſt aliud quam pie vivere in Chriſto?* qui omnes ſecundum Apoſtolum, perſecutionem patientur. *Et quomodo dicitur: Venite ad me qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; ac non potius dicitur: Venite qui vacatis* (qui otiamini) *ut laboretis* in vinea, ut jejuniis, vigiliis graviſſimiſque afflictationibus carnem dometis?

a Æmil. l. 7. b Marc. 10. c Matth. 19. d Serm. 9. de verb. Dom.

§. III.

Non modo præcepta, ſed & conſilia adeo non gravant, ut inſtar remigii alarum ſuſtollant, ſine pondere habentia pondus.

EMblemati conceptum ſuppeditavit Doctor melliſluus, dum ait: e *Libet admirari quam leve ſit onus veritatis: nam vere leve eſt quod portantem non gravat, ſed levat. Quid eo levius onere, quod non ſolum non onerat, ſed & portat omnem, cui portandum imponitur?* Ubi inquit: *Occurrit mihi de pennis avium, mirum opus naturæ, unde groſſeſcit materia, inde ſarcina levigatur, & quantum creſcit in maſſa, tantum decreſcit in pondere. Hoc plane in pennis Chriſti, oneris exprimit ſimilitudinem, quod & ipſæ ferunt, à quibus feruntur.* Prægrandium alæ volucrum, grave in ſe pondus habent, eo tamen Ciconiæ, Ardeæ, Aquilæ pernici feruntur per aëra volatu. *Ipſa ferunt à quo feruntur, ſine pondere habentia pondus.* Quot pondo linea vela Myoparonis appendere exiſtimatis? illa tamen recte Maro alis comparat, dicens:

——— f *Velorum pandimus alas.*
Quibus alis quantumvis onuſta navis, inſtar avis,

g *Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.*

e Bern. epiſt. 72, ad Ramaldum Fuſmacenſem Abbatem. f Virg. l. 3. Æneid. g Virg. l. 5. Æneid.

Quæ

Quæ si ad mores traduxeris, nihil adeo segne ac iners reperies, cui amor non addiderit alas; etenim a *ascendit volando, qui ascendit amando*, ut apposito symbolo expressit felix Princeps *b* Salernitanus, qui tardioris alias ingenii, ubi sensit amoris aculeos, factus alacrior, omnem exuit inertiam, de qua à Principe femina insimulatus, militiæ se dedit, unde non sine sanguine & vulnere, cicatricibus insignis rediit, ut amoribus potiretur; in cujus rei testimonium pinxit testudinem, alis sursum connitentem, cum hoc lemmate,

——— *Amor addidit alas.*

Paulinum hoc oraculum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit.* Sed Paulo majora canamus, qui raptus in tertium cælum, illud usurpare jure poterat, corpori corruptibili,

——— *Amor addidit alas.*

Idipsum Dominici, Francisci, Ignatii, corpore & animo in cælum rapti, ingeminare poterant,

——— *Amor addidit alas.*

Altera ejusdem Bernardi elegans similitudo est, dum sic prosequitur: c *Quid & de quadriga dicam? hæc nimirum admoto jumento, sarcinam, quæ ab ipso moveri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit. Onus oneri additur, & minus onerat.* Mirum quibusdam videri posset, onus oneri addi ad sublevandum. Rotæ ac fulcra quæ machinis bellicis provehendis sufficiuntur, ingentis molis ac ponderis sunt; absque his tamen esset, quis tormentum 6000. librarum, vulgo *Cartau*, per invia devehi posse arbitretur? Unde tamen concludit: *Sic & oneri gravissimo legis, accedens quadriga Euangelii, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.* Quis peierare, fornicari, adulterari, furari, aliaque lege divina vetita, observatu impossibilia sibi ducat, cum sexcentos numerare sit, qui virginitatem illibatam, paupertatem spontaneam, omnium humanarum rerum contemtum ultro profiteantur? Unde Augustinus: d *Non grande onus impositum est virginibus: major amor imposuit majus onus. Tanquam dicerent: Quid jubes? ne adulteræ simus: hoc præcipis, amando te plus facimus quam præcipis.* Idipsum tot millia Religiosorum factis testantur, qui non modo Festis ac Dominicis uni Sacrificio interesse, quandoque per annum à cibis vetitis abstinere; sed & perpetuis jejuniis, noctu diuque concinendis Dei laudibus, vitam consecrarunt, atque in hac tanta rerum omnium despicientia, unum amorem omnia levia ac suavia reddere, S. Thomæ Theologorum Principis doctrina est: e *Anima quæ amat, operatur magna, & reputat parva: operatur multa, & reputat pauca: operatur diu, & reputat breve.* Scribit Iosephus illos qui cantando, psallendo, fides pulsando præibant Arcam, quamvis totam diem eo labore insumerent, nullam tamen defatigationem sensisse: amor enim quo illi divino oraculo famulabantur, vires suppedita-

a Aug. in Psal. 121. b Typot. in Symb. Bern. supra cit.

d Aug. serm. 18. de verb. Dom.
e S. Thomas opusc. de dilig. Dec.

UVA. BHSC. BU 02224

bat, ut singulas horas vegetiores redderentur. quod & Religiosis accidit, qui noctes & dies psallendo non defatigantur; si vi amoris roborentur. Propterea crediderim servos Dei à S. Bernardo illis verbis excitatos: *Delectationes non perdimus, sed mutamus: de corpore ad animam, à sensibus ad conscientiam.* Declaravit hoc aliquando Reginaldus ex illustri Dominicanorum familia, & ex ipsius B. Dominici sociis inter primos ac præcipuos: hic enim cum in sæculo dives & opulentus esset, vitæque molli ac sybariticæ assuetus, postea laboriosum illud, & in se grave institutum suscepisset, qui eum prius cognoverant, sæpe cum admiratione quærebant ab eo, num magna afficeretur molestia? Quibus ille & animo & vultu alacri respondere solebat: Scitote ita mihi hæc omnia jucunda & suavia videri, ut sæpe ex animo doluerim, quod nimis molliter viverem; & certe nullum me in hac vita meritum consequi arbitrarer. Hic sensus ac consensus cujusvis germani Religiosi esse solet; qui & D. Bernardi fuit, cujus in flore ætatis sese in Religiosum claustrum abdentis, inter perpetuas corporis afflictationes, vigilias, inediam, hæ liberrimæ voces erant: *Labor meus vix est unius horæ, & si plus est, non sentio præ amore.* Consimiles voces Theresæ fuere: Si per fidem non sciret aliud cælum à Deo conditum, inter septa monastica, se illud inhabitare, & cum Bernardo cellam cælum existimaret. Plura de veris Religionis deliciis, quibus Paradiso conferatur, suggeret Platus de statu Religioso, *lib. 3. cap. 4. & sequentibus*, è quo illud Hieronymi enotasse sufficiat, omnem hanc jucunditatem ac facilitatem ex amoris ac charitatis efficacia oriri; sic enim differte docet: a *Sine spirituali charitate, claustra sunt tartara, & habitantes in eis sunt dæmones; cum charitate vero sunt paradisus in terra, & habitatores sunt Angeli.* Mortificationem ac amaritudinem omnem, amor reddit lenem ac suavem. Hinc Doctor ille mellifluus in illud Cant. 1. b *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: Non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris.* Et paulo post: *An non fasciculus, cujus jugum suave & onus leve? non quia leve in se (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo,) sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum, Fasciculus dilectus meus, sed mihi, inquit, quæ diligo, fasciculus est.* Quid si amore fœminæ quis opibus, familia ac mundo spreto, vitam anachoreticam cum Antonio aut Paphnutio transigat, & quidquid hic molestiæ est, fascienlum & quasi amantis encarpium reputet, an fidelis anima æternæ pulchritudinis amore flagrans vitam monasticam arduam ducat? Audite quo insanus amor compulerit. c Francus quidam primariæ vir nobilitatis, captus fuit amore conjugis, nobilis cujusdam Belgæ, quæ vicissim illius amore ardere cœpit. Cum intellexit amasiam suam à conjuge

a Hieron. in Reg. b Bern. serm. 43. in Cant. c Zehenthner in promont. mala spei lib. 2. sect. 3.

vir-

UVA. BHSC. BU 02224

viro in Belgium reductam obiisse, ipse sibi quoque violentas manus inferre statuit; sed famuli obstitere. Nihilominus ille ex Picardia Antuerpiam properat, ubi tumulata erat, quam stulte deperibat. Postquam crebris suspiriis & lachrymis parentavit Amasiæ, Ægypti solitudinem sibi elegit ut Eremitam ageret. Duplicem Icunculam Amasiæ suæ defert, viventis & mortuæ. Ceterum itineris tempore quotidie bis mane ac vespere pronus utramque effigiem adorabat, miscebatque varia amantium colloquia. Famulo item imperarat, ne alios quam de amasia misceret sermones. Deinde alteri servo imperarat, ut sæpius se salutaret nomine amasiæ: præterea ut quoties mensæ accumberet, semper ei propinarent hausturn ad sanitatem amasiæ jam defunctæ. Postquam cum utroque famulo in Ægyptum appulit, existructo sacello, appendit utramque icunculam inter effigiem Christi crucifixi. Quam etiam tunc quotidie tanquam divam cælis illatam adoravit. Tandem vi doloris exhaustus hic confessor Veneris, & Martyr diaboli vitam finiit. Hæc qui legit, intelligat majores vires divini amoris esse, quæ tenerrimas filias, deliciis mundi spretis, ad solitudinem, ad claustrum, ad pœnitentias austerrimas compellat, quas omnes amore Sponsi sui Christi longe generosius, quam hic lascivus anachoreta, perpeti consueverunt, ut non semel exclamasse auditæ sint: a *O jugum sancti amoris! quam suaviter capis, gloriose illaqueas, suaviter premis, delectanter oneras.* In quo gravissime falluntur parentes & propinqui, qui suis condolent, quos in exteriori hac austeritate contuentur, hoc unum solatio fore rati, si Religionis septis effugerint. Hos paucis confutat Augustinus, agens de sarcina, quæ charitatis remigio portatur: b *Hæc sarcina,* inquit, *non est pondus onerati, sed ala volaturi: habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Portant illas & portantur: portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si misericordiam velis præbere avi, præsertim æstate, & dicas: miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti.* Ex quibus recte concluditur, si gravissima Religionis sarcina penna sit, si servitutis Christi jugum suave sit, si durissimum Religionis jugum leve est, nullum Dei præceptum impossibile censeri posse.

a Bern. serm 24. de dilig. Deo. b Aug. ser. 24. de verb. Apost.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLVI.

Ecce quidam de scribis. Matth. 9.



STVDIA IN CONTRARIA. *2. Æneid.*

DOMINICA DECIMA-OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Scriba doctus & causidicus, Iustitiæ tenax, in paucis laudandus, à qua qui deflectunt, omnem pauperum clientium succum, in contrarias artes & partes se contorquentes, extorquent.

§. I. *Scribarum & Causidicorum brevis panegyris.*
§. II. Cavete à Scribis, qui devorant domos viduarum. *Marc. 12.*
§. III. Abstine te à lite, & minues peccata. *Eccli. 28.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA-OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Ecce quidam de Scribis. Matth. 9.

IAM pridem illud per terras volat, Volaterrani Poëtæ:

a *Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,*
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.

At ipse, ut scribarum mores, nec non vitam describam, illud Psaltis mihi potius exoptaro; ut fiat b *lingua mea calamus scribæ, velociter*, Iurisprudentum laudes, eorumque fraudes *scribentis*; æquorum Causidicorum enarrando encomia: iniquorum exaggerando opprobria, quemadmodum scribarum (quos & legisperitos vocant) antitheses & antiphrases sacræ paginæ manifestas contulerunt: Scribas enim viros literis eruditos, & ut Hieronymus, c *in lege doctissimos* fuisse, vel ipsius Doctoris gentium comprobatur suffragio, dum quærit: *Vbi sapiens, ubi scriba?* innuens, ut Cornelius exponit, sicut Græci sapientes suos vocare Philosophos, Chaldæi Magos: haud aliter Iudæi viros perquam literatos, *scribas* vocare consueverunt. Vnde Hieronymus in illud: d *Omnis scriba doctus in regno cælorum*; sic ait: *Scribam vocat* (Matthæus) *quem paulo ante literatorem dixerat.* Nec desunt, qui Apostolos hic *scribæ docto* conferri voluere. Altius in laudem scribarum exsurgit Euthymius, qui istic loci Matt. 13. e *existimat Christum seipsum scribam vocare.* Compendio Sapiens: *Super faciem scribæ, imposuit Deus honorem suum.* Nunc vero quæ legisperitos (qui scribæ apud veteres dicebantur) quæ Advocatos & Causidicos nostros, laudum maneant præconia,

f *Hæc ego non humili referam memoranda cothurno.*

a Persius sat. 5, b Psal. 44. c Hieron. in c. 23. Matth. 1. Cor. 1, d Matth. 13. v. 52. e Maldon. hic. Eccl. 10, f Tibul. lib. 3. eleg. 16.

§. 1.

Legisperiti & Advocati, brevis panegyris.

REgium comprimis Theodori apud Cassiodorum occurrit elogium: g *Advocationis officio, si pure impendatur, nihil ornatius.* Pondus ac momentum duorum Imperatorum Theodosii & Valentiniani huic addit testimonium, qui sic de Advocatis sentiunt: h *Digni omnibus honoribus habentur, qui* ADVOCATI *esse meruerunt: cui enim honori*, ut recte subditur, *impares esse credamus eos, qui vita & eloquentia Reipub. & privatorum commodis servierunt?* Quod si eo Advocati apud Reges & Imperatores loco sunt, quis mirabitur si ad Senatorum subsellia, ad equestrem dignitatem, ad consulares fasces evehantur? Atque sic fieri consuevisse, Sidonii Apollinaris confir-

g Cassiod. l. 2. variar. ep. 12. h Theod. & Valent. novell. de postul.

mat

mat auctoritas: a *Romæ enim tam facile*, inquit, *dignitates lingua & calamo, quam ferro & armis acquirebant.* Accedit illud Lipsii: *b* Caroli M. *ævo passim in oppidis & pagis, etiam* COMITES *sive* GRAVIORES *communiter jus dicebant.* Quod nemo quisquam inficiabitur, qui Theodosianum illud expenderit: c *Non solos imperio nostro militare credimus, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur; sed causarum patronos, qui gloriosæ vocis munimine vitam & fortunam hominum defendunt.* Qui plus Reipublicæ incolumitati conferunt, dum intestina bella, privata odia, & sicas inter latera versantes, compositis inter se partibus, conquiescere faciunt, quam si aperto campo cum hoste dimicarent. Tales se præbent causarum disceptatores, ac diribitores; qui non prius à circo æquitatis, quam sol ab Ecliptica sua recedant: qui propositum habent indigne ac vafre à potentibus oppressos, laboribus studiisque suis defendere: qui divino numine ad id muneris, ut sint patres orphanorum & judices viduarū, electi videantur.

Quare fatendum est hoc genus hominum, qui tuendæ Iustitiæ præficiuntur, singulari dono à summo numine orbi esse concessum, ad salutem hominum, ad nationum & Rerumpublicarum tranquillitatem. Absque his esset, quis dissidentes componeret? quis oppressos vindicaret? quis innocentes discerneret? dum quisque aliena invadere, suo jure tueri, suo judicio stare, evincere voluerit: quid aliud sperandum, quam ut mutuis odiis ac cruentis cædibus Respub. omnis fœde dilanietur? Cui malo ut succurreret supremus ille rerum arbiter Deus, populo suo duos patronos præfecit, Exod. 29. *Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Divinum id institutum fuisse, posteri omnes comprobarunt; è quibus unum Iustinianum audisse sufficiat, qui Iurisprudentiam adeo ex omni parte sacram esse voluit, ut ipsum juris corpus, *templum justitiæ* compellarit: *d* Vipianus vero, Iurisconsultos, *juris Sacerdotes* nuncuparit. Imo divinitatem in iis quandam esse, majores nostri putaverunt, qui jus administrarent. Cui probationi, argumento esse possent Iurisperiti, quos *e* Cyrillus inter deos indigitatos commemorat; quos tamen multis parasangis, tutelaris omnium Patronorum Patronus, Redemptor noster Christus exsuperat; de quo Ioannes verissime asseruit: f *Advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum justum.* Cui quam proxime accedunt ii, qui pupillis & orphanis succurrendo, eorumque causis patrocinando, quo nihil est divinius, se totos consecrarunt. *g* Id autem officii, illis proprium esse vel ex eo colligе, quod *jus*, ut Galeolus Martius observat, à juvando dictum sit; unde & ille Iurisconsultorum Phœnix *Ivo à Iuvo* nomen sibi desumpsisse à quibusdam pie creditus est. Sed dum Ivonem nomino, & Phœnicem

a Sidon. Apoll. l. 1. ep. 11. b Lips. monit. pol. l. 2. c. 2. c Theod. & Valent. c. un. inst. d Vlpian. de just. & jur. e Cyrill. l. 2. glaphyr. f 1. Ioan. 2. g V. Elogia 50. SS. Iurisperitorum in Dodio.

compel-

UVA. BHSC. BU 02224

compello, uni hic vulgari calumniæ occurrere debeo, qua non nisi unã ex hac classe consimilem avem reperiri, jamque receptum illud deblaterant:

——— *Scalas Ivo retraxit.*

quasi vero ex ejus cineribus non plures pullulassent, ac viam monstrassent, qua complures alii securi sint. Hinc rectius illud Maronis, Ivoni in cælos conscensuro accinuissent:

——— a *Extrema per ipsum Iustitia excedens terris vestigia fecit.*

Vnum enim Ivonem dumtaxat, ex omni Iurisconsultorum numero, beatum deprædicare, hominis est aut in divos impii, aut in sacris Annalibus imperiti. Qui volet consulat *sanctorum* 50. *Iurisperitorum elogia, contra populare commentum de solo Ivone, Tublicata Leodij anno* 1632. Quare ad cavillum hunc,

b *Causidicum in cælis unum, inquit Paulus, habemus, Præter eum num alij sunt ibi Causidici?*

Nolim altius repetere, quid Bernardus de Moyse senserit, dum dixit: *c* FIDELIS ADVOCATVS, *qui quoniam quæ sua sunt non quærit, facile id omne obtinet, quod petit.* Nostis Danielem pudicitiæ patrocinatum: sed hæc vetera: recentiora & Europæa dabimus: Carolum Imperatorem Romanorum, quem majores nostri merito magnum, rectius maximum, seu potius Trismegistum appellassent; hunc d *Romani elegerunt Advocatum S. Petri, contra Reges Longobardos.* Et pedem prius aula quam efferamus, en alterum Advocatum sanctimonia vitæ celeberrimum, *e* Elzearium Comitem, qui petiit & obtinuit à Duce Carolo, filio Roberti, Regis Neapolitani, ut liceret sibi agere *Advocatum* pauperum. Ac ne putes humanitatis tantum & charitatis fuisse, eam Advocationem, quæ juris scientiam non requireret; addit auctor solitum pauperum quorumlibet causas agere, summa eloquentia, qua jus omnino obtinebat, si jus à cliente stabat. Ne vero hujus S. Iurisconsulti partes omnes, omnia munia & actiones, quæ se certatim offerunt, ambitiose quæramus, unum, in ea cura, ejus facinus non silendum adducam. Offerebantur illi quotidie à mendicabulis libelli supplices, Principi porrigendi, aut obtrudebantur potius sine modo, sine numero. Eos ille libellos quo diligentius asservaret, ordine quo offerebantur, studiose compositos, in prægrandi pera è serico confecta circumferebat. Fuit aliquando, qui manus abluentem Comitem, ac jam mensæ accubiturum (ut importuna est egestas) opprimeret, Et tu quidem, inquit, mensam & delicias cogitas: at ubi interea libellus meus supplex? atqui hodie expediendum, eras pollicitus. Indignatus alius quilibet fuisset, At Elzearius comiter, Recte mones, inquit, ô amice; neque hic mihi aberit dies, quin pollicitationi meæ fecerim satis. Itaque prandio ac sociis relictis (admirentur & æmulentur Iurisconsulti) festinus

a Virg. Georg. 2. b Ad Heb. 7. v. 25 & c. 9. v. 24. c Bern. epist. ad Suggerium D. Dionysii Abbatem. d Ongolismontis in vita Caroli M.

e Binet. in vita c. 14.

pala-

UVA. BHSC. BU 02224

palatium adit, miſelli negotium confici petit, obtinet, offert, tradit: ac tum demum frugali cibo, attenuatum corpus, de more refecit: addebat ſe numquam ſuavius epulatum. Litaniæ prolixæ ſatis texendæ eſſent, ſi Boëtios, Symmachos, Theophylos, Moros, alioſque attexere voluero, qui omnes hic ita cauſas pauperum egerunt, ut & ſuæ cælites patrocinantes habuerint, & ad curiam illam curis vacuam, ſed dignitate conſpicuam evocati ſint: a *Quorum*, ut cum Sidonio Apollinari concludam, *cum finiuntur actiones, incipiunt dignitates* in cælis. Audiſtis hactenus præclara laudum encomia, quæ Iuriſconſultis, viris æquitate ac probitate præſtantibus, jure debentur. Vnde ut Perſius canit:

b *Illa prius creta.* At quæ ſequuntur: *Mox hæc carbone notabo.* Iniquorum Scribarum vitia, & convitia, vel ipſo Spiritu Dei dictante audiamus.

a Sidon l. 1. ep. 11. b Perſius ſat. 5.

§. 11.

Cavete à Scribis, qui devorant domos viduarum. Marc. 12. & Luc. 20.

SCribæ ſeu Legiſperiti, ut Cornelius ſcribit, c *licet paſſim doctiſſimi, ſanctiſſimi & juſtiſſimi haberentur, tamen à vera juſtitia multum deficiebant.* Quod in Cauſidicos & Legiſperitos noſtri temporis, aptiſſime quadrat: inter quos vel ii doctiſſimi exiſtimantur, qui plures lites protrudere, tum protendere dexterrime norunt, reſtionum more, qui quo prolixi us funem ducunt, hoc plus lucri faciunt, ut vulgo fertur, *Den drayer gaende achtervvaerts, Gaet dan in vvinſt meeſt voorrevvaerts.*

Inſignem ex hoc reſtionum numero Galeaceus Mediolanenſium Dux in reſtim egit: hic enim cum aliquoties audiſſet de vafro quodam Cauſidico, qui lites ſerere, producere, alereque etiam in liquido jure poſſet, hominem ad ſe accerſitum ita alloquitur: *Debeo Paſtori meo centum aureos, ſolvere non lubet, tu ecquid tueri me jure, & rem protelare potes?* Annuit ille largiter. Tum Dux, fraudis prius increpitum, laqueo publice juſſit necari. Ipſæ leges huic lucro fertiliſſima ſeges ſunt; nam ut ocellus Belgii acutum vidit: legum copia, d *ut imputata vitis, late ſe ſpargit*, & in propagines protenditur. e Eſt qui ad calculum reduxit in ſolis Pandectis 9198. leges cenſeri, in Codice 4554. atque in Novellis 168. præter Gloſſas, commentarios, conſuetudines, ſtatuta, decreta, oppidatim, pagatim, populatim ſine numero congeſta. f Ad, hæc, quot capita, tot opiniones: quas inter, ut cum Seneca loquar, haud multo facilius, *quam inter horologia conveniet.* g Ex quo neceſſe ſit innumeras altercationes ac lites, alias ex aliis ſeri, & ubertim progerminare, ut nuper Vates cecinit:

Lis genuit litem, legum lis filia: vivi
Non ſine lite ſolet, nec ſine lege poteſt.

c Corn. hic. d Lipſ. monita polit. l. 2. c. 10. e Iuſtitia vulnerata p. 2. tit. 2. c. 2. f Vernulei polit. p. 280. g Sen. de morte Claudij in initio.

Que-

UVA. BHSC. BU 02224

Queſtus id olim apud Eugenium D.Bernardus: a *Quotidie*, inquit, *perſtrepunt in palatio leges, ſed Iuſtiniani, non Domini; hæ autem non tam leges, quam li-*
„*tes ſunt, & cavillationes.* Nam „quæ tam clara cauſa eſt, ut „clariſſimus ille *b* Iuſtus Lip„ſius, quæ non aliqua lege, le„ge? imo interpretatione ob„ſcuretur? quæ tam improba, „cui non dent colorem? nec fi„nis eſt litis, niſi alter litigan„tium ceſſerit morte vel men„dicitate. Politice ac polite „idem Lipſius: Leges in Re„pub. ut medicamenta eſſe de„bent: atqui nec hæc multa, aut „varia probentur: non item il„læ. Quo illud Platonis conducit: *Vbi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi.* Deus bone! quam rem tetigit! & uſus ubique gentium, aut temporum hoc affirmabit. Tot millia legum jam recepta ſunt, quo fructu? hic loquantur qui ne tacere ſine pretio norunt. c *Fora litibus omnia fer-*
„*vent.* Europam vide, & men„tior, niſi maxima ejus pars „circa cauſas occupatur: alii „judicant, alii inſtruunt, alii „agunt (quorum votum, ait „Seneca, litium eſt numerus) & „qui miſerrimi ſunt, eas ha„bent. Obſtupuit quondam Romanus Philoſophus, Cauſidicorum d *tot millia ad forum prima luce properantia.* De quibus hoc judicium ferri voluit: *Cum videris forum multitudine refertum, hoc ſcito: iſtic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum. Inter iſtos quos togatos vides, nulla pax eſt. Alter in alterius exitium levi compendio ducitur: nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt.* e Nec ulli eorum bene eſt, quod & medicis convenit, niſi compluribus male ſit. Hinc, ut opinor, divinum illud Platonis monitum promanavit: *Vbi lites, eæ breviſſimæ & pauciſſimæ ſunt.* Vult non paucas ſolum, ſed & breves. Nunc ubi ſumus?

f *Dixerit ô mores! ô tempora*
Tullius olim.

Vna aliqua lis, Methonis, an patria Homeri, annos tenet. De aſini umbra, de ramo arboris è vicino viridario adverſum parietem inumbrante: de aſini proſpectu, de feneſtra qua in impluvium proſpectus eſt, aut ut Martialis in Poſthumum,

g *Non de vi, neque cæde, nec veneno,*
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.

Quid ni dixero de tribus capillis: de lana caprina, deque iſtiuſmodi quis altercatur, dum æs, res, ſpes omnis conſumpta ſunt. *h* Memini, inquit Boterus in politicis, Lutetiæ litigatum pro ſex coronatis, in quos adverſa pars ſexaginta florenos inſumpſerat. Quod quid aliud eſſe fateare, quam teſte Auguſto, aureo hamo piſcari, aut ob gobionem rete perdere? Id eſt, centuplo plus in frivolas expenſas periclitari, quam capital ſit. At riſum teneatis amici, dum litem commemoro, quam civis Gandenſis aucupi indixit, ob aviculam Canarienſem aureo emptam; quæ cum domi ſuæ taciturna conſederet, ac nihil dum caneret, avem ſuppoſititiam cauſatus eſt: altero

a Bern.l.1.conſid.ad Eug.c.4. *b* Lipſ. monita polit.l.2.c.10. c Mart.l.2. ep.64. d Seneca de ira l.2.c.7.

e Plato V.de legibus *f* Mart.l.9.ep.52. g Mart.l.6.ep.16. h Boteri polit.l.1.c.17.

affir-

UVA. BHSC. BU 02224

affirmante illam ipſam eſſe, quam modulantem audierat, & emerat, jam forte oblitam, in annos res protracta eſt & ſupra centenos florenos expenſum. a Vt rectiſſime ſenſerit, qui litigantibus, tribus opus eſſe dictitavit: ſacco chartarum, ſacco pecuniarum, & ſacco patientiæ. Vnde illud proverbium Italicum dimanavit:

b *Litiget, ædificet, qui vult cito pauper haberi.*

Satius profecto ducit Poëta, exordio litis cauſa cadere & vinci, quam tanto impendio exiguam ſummam lucrari. Hunc audi:

c *Ah miſer, ac demens, viginti litigat annis.*
Quiſquam? cui vinci Gargiliane licet.

Fit involucris legum, fit ſordibus advocatium. Et comperendinationes iſtæ ad quæſtum & lucellum eunt: Per ſymplegadas navigatur Colchos ad vellus aureum. Quo gravis illa Annæi ſpectat cenſura: d *Turpes lites, quanto turpiores Advocatos habent:* qui tot, in litibus quærunt diverticula, tot dilationes; tot provocationes, ut in labyrinthum & anfractus inexplicabiles induxiſſe videantur. Ideo Iſocrates Nicoclem Regem Cypri monebat, *ut eas ferret leges, quæ vel nullius litis haberent ſeminarium, vel exortas controverſias ſtatim dirimerent.* A quo Tullius Servium Sulpitium commendat, quod litium anfractus tollere ſemper maluerit nec ad eas actiones conſtitueret. Nec immerito etiam laudatus Pompeius, quod de jucunda ratione lites cito componendi ſopiendique, legem tulerit. Et quoniam plura in hanc rem exempla nervoſe congeſſit eruditiſſimus e Vernuleus, hiſtoriographus Regius, non alio auctore, cum in eo ſint omnia, mihi opus eſt: collaudat hic inter cetera iſtud Domitiani edictum, quo perpetuo exilio Romæ mulctavit, qui litem unam ultra annum protraxiſſet. Poſterioribus vero temporibus Carolus V. cum plurimæ de litibus querelæ deferrentur, nihil ſibi gratius futurum declarabat, quam ſi quis modum cito lites definiendi invitet, & ad hoc ſuam auctoritatem promittebat. Idipſum ſuo filio Philippo II. Hiſpaniarum Regi commendavit. Quam ob cauſam, is ad Senatum Mediolanenſem literas dedit, quibus gratiſſimum ſibi & officium & obſequium futurum declarabat, ſi quis breviorem expediendi lites formam proponeret; nam ut ait Ammianus Marcellinus l. 30. *Cum recte procedunt judicia, delubra ſunt æquitatis; cum depravata, foveæ fallaces, & cœcæ, in quas ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi poſt multa exiliet luſtra, ad uſque ipſas medullas exſuctus.* Documento nobis claudus erit, qui ita cum cœco convenerat, ut hic ſibi ſuccollaret, & à pedibus eſſet; ipſe vero cœco ab oculis, & qua eundum in aurem diceret. Dum ecce, ut forte ad litus profecti, claudus cœci humeris innixus, oſtreum conſpexit, quod ad pedes cœci jacere indicabat: qui ſe inclinans, manum porrexit, & oſtreum ſuſtulit. Quod cum claudus ſibi vindica-

a Iuſtitia vulnerata p. 518. b Vernulei polit p. 85. c Mart. l. 7. epig. 64. d Seneca l. 2. de ira c. 7.

e Vernulei inſtitut. polit. p. 85.

UVA. BHSC. BU 02224

dicaret, quia prius viderat, alter vero ſuum dictitaret, quia manu ceperat, eos inter lis exorta eſt, quæ longius protrahenda, niſi vafer Cauſidicus ſic diremiſſet: Poſt pocula, ſumma, hinc illinc à partibus, æquali depoſita ac oſtreo prolato, De hoc, inquit, controverſia eſt: tu tuum eſſe ais, quia primo intuitus es? aio inquit. tu vero tuum eſſe aſſeris, quia manum injeciſti? aſſero inquit. Tum Cauſidicus, oſtreo aperto, illud exſorbuit & ex æquo cuique parti conchilia diſtribuit. Atque ambohi exſucti, fabula fuerunt, utinam ſoli! utinam non integras domos, hi ſcribæ devorent! id enimvero, quot familiæ ad incitas redactæ, teſtantur, Legiſperitis ac Cauſidicis noſtris familiariſſimum eſſe, pauperes, orphanos ac viduas emungere, omnemque ſuccum ac ſubſtantiam exprimere, ut in appoſito Emblemate videre eſt, ubi in contraria torquentes, omnia extorquent. *Dadatim* hic luditur, & tam qui pro, quam qui contra, crumenam emulget: ut olim Demonactes obſervavit, *Non videtur vobis*, inquit, *alter horum mulgere hircum, alter ei cribrum ſupponere?* Hoc omne ſtudium, huc omnis eorum deſudat prudentia, ut ſcite Poëta:

Iuriſprudentes prudentes jure vocantur,
Tam bene cum ſtudeant, prove-
deantque ſibi.

Valet hic reſponſum quod olim Academicus Athenienſibus dedit, à quibus rogatus, cur veteres *a* Athenienſes tam literati fuiſſent, moderni vero tam ſtupidi ac ſtolidi? non minus argute, quam acute reſpondit: Quia antiqui flagrabant deſiderio ſciendi, *de ſçavoir*, vos vero deſiderio habendi *d'avoir*; illi ſtudebant ſcientiæ, vos opulentiæ. Ita & ſcribæ noſtri *b omnes avaritiæ ſtudent*, hoc unum agunt, & tunc ſatagunt, ubi crumenam expilarint. Hoc eorum ſtudium *c* Pius II. Pontifex aucupio recte comparavit, dum Clientes aves, forum aream: judicium rete: aucupes Cauſidicos vocitavit. Ex his unus Pariſiis ſub Ludovico Rege in agricolam incidit, qui ut litem civi indiceret, Cauſidicum convenerat: *d* hic ut civem opulentum modeſte noverat, clam adit, quid ei cudatur exponit, ac una tempori præcaveat, patrocinium addicit. Cui civis arridens, quo in partes ſuas traheret, pugnum aureis opplevit. Poſtliminio agricolæ ad ſe viſenti, aliis ſe diſtentum dixit, eumque ad propinquum ſuum ablegavit, hoc brevi inſtructum epiſtolio: In caſſes meos duæ præpingues volucres delapſæ; pinguiorem mihi aſſervabo, alteram tibi deſtino; plumemus eas egregie: *e* ars enim facta eſt Cauſſidicina & qui perire novit captare aut capere, laudē habet: quo genere aucupii, facilius enumeraro,

f *Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno,*

quam quot aves irretiverint, & oſſatim deplumarint. g *Non* enim, ut Sapiens ait, *injuſte tenduntur retia pennatis*. Quod in rem noſtram ſic vertit Sala-

a Perard. Dom 6. poſt Paſchæ,

b Ierem. 6. *c* Platina in vita. *d* Boyerlinck Thrat. tit. advocatus frat. Malliardus conc. feriæ 1. Dom. Adv. e Lipſ. cit. *f* Iuv. ſat. 10. *g* Prov. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

zarius: *Per injuſtitias & fraudes tenduntur retia pennatis.* Vultis fraudes eorum cognoſcere? Matth. 8. accedens unus ſcriba ait ad Chriſtum: *Magiſter ſequar te quocumque ieris.* Ad quem Servator noſter: *Vulpes foveas habent.* Noſtis ubi, Doctorem ſummum D. Thomam, audite: a *Vulpes foveas habent in corde tuo ô ſcriba, quia doloſus es.* Quid autem ab eo recti exſpectandum, in cujus corde vulpes nidificant, juvat diſcere ex Ludovico de *b* Rebolledo Concionatore celeberrimo Hiſpalenſi, ordinis S. Franciſci, qui hæc refert.

Sub tempora Caroli V. Romæ cavillus, alii paſquillum vocant, affixus eſt, ubi Pontifex effictus, Imperatori manum porrigens; ad quorum pedès agricola ſubſtratus, qui genu ſuo Cæſarem inſiſtentem, humero vero Pontificem innitentem ſulciebat, ſubjecto lemmate: *Io ſoſtento los dos.* A parte Cæſaris, mercator cernebatur, cum hac epigraphe: *Io robo los tres.* Ex latere vero Pontificis, Cauſidicus depictus erat, cujus hoc ſymbolum: *Io engaño los quatro.* Gradu inferiori conſiſtebat medicus, cum hoc elogio: *Io mato los cinquo.* Omnibus vero manu protenſa, quaſi abſolutionem impertiturus, viſebatur idiota Eccleſiaſticus, cui ſubſcriptum: *Abſolvo los todos:* Sed & Eccleſiaſticos, & medicos, ceteroſque omnes Cauſidicus circumvenire conſuevit, adeoque poteſt illud jure uſurpare: *Io engaño los todos*, interque ceteros ſeipſum. Niſi enim apud ſupremum illum Iudicem cauſa cadere velit, communi Theologorum ſuffragio, in Cauſidico deſideratur primario iſthæc fidelitas: ut non adducat falſas leges, aut antiquatas, novas non receptas, nullas prave detorqueat: clientem non moneat, aut moveat ad perjurium, ad falſos teſtes, adulterinas ſyngraphas: quod de ſcribis Ieremias queritur: c *Mendacium operatus eſt ſtylus ſcribarum.* Quorum Legiſperitorum *patrocinium*, d Columella verius *latrocinium* nuncupavit. Cui accedit Auguſtini, viri divini (ut eum e Lipſius compellat,) teſtimonium, qui ait: *Remota juſtitia* (ut fit per fraudes) quid *ſunt regna, niſi magna latrocinia?*

Lepidum eſt, & dignum authore à quo profectum, quod ſubjicitur: Altercatio inſtituta erat coram Franciſco Sforcia Mediolanenſium Duce: an Medicus Advocato præferendus eſſet, num contra ille Medico? Dum argumentaultro citroque diſcutiuntur, ſic ut ambigua penderet ſententia, Morio qui forte intererat, prolata voce: Non videtis, exclamat, ſi quando latro ſupplicio afficiendus eſt, ipſum præcedere, carnificem vero ſubſequi conſueviſſe? inurbano hoc joco Advocatum latronis nomine, quod latenter nummos emungat, & devoret pauperem in abſcondito; Medicum vero, quod per incuriam aut imperitiam multis vitam eripiat, vel accidat, omnibus arridentibus, tortoris nomine notavit. Et cur diſſimulem, jure exclamat Lipſius:

a D. Thom. in caten. hic. b Rebolledo orat. funeb. p. 35.

c Ierem. 8. d Columel in proœm. l. 1. de re ruſt. e Lipſ. civil. doct. l. 2. c. 10. Aug. de Civit. l. 4. Carrozetus in facetiis Beyerl. theat. tit. advoc.

Peſtis

UVA. BHSC. BU 02224

a *Peſtis Europæ* CANINVM *hoc ſtudium: quod haud temere quiſpiam conceſſum* LATROCINIVM *dixit.* Quare meo quidem judicio, in hos fures & latrones, operæ pretium eſſet in omni foro collocare Marſyam, cujus ſtatuam olim in ſuo poſuerunt *b* Romani, ſic effictam, ad monendos & docendos intuentes, ut longum funem manu protenderet, quo improbis litigatoribus ſuſpendia minitabatur. Quamquam hæc jam Cauſidicorum rabies (excipio ſemper eos qui juſtitiæ nomen venerantur, & numen verentur) ut trecenti Marſyæ non ſufficerent, ad juſtum metum furioſis iſtis canibus incutiendum. Hoc eos jam olim nomine compellatos D. Iſidorus aſſerit: c *Antiqui*, inquit, *forenſem eloquentiam* CANINAM *facundiam nuncupabant: eo quod Cauſidici in certaminibus cauſarum, omiſſis quæ agunt, veluti* CANES *alterutrum lacerant.* Nec mordere, nedum latrare deſiſtunt, niſi offam auream in fauces conjeceris. Tales apud Plutarchum Stratocles & Democlides, non Cauſidici, ſed ut eos alio nomine Apuleius appellat. d *Togati vultures, quorum ſi nares afflaverit cuiuſquam rubiginoſa aura marſupij, confeſtim videtis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum ungues: & perjuria Laomedontis, Vlyſſis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymneſtoris,* & quidquid uſpiam improbitatis eſt, compendio in eos Caſſiodorus congerit. Idem de Procuratoribus judicium eſt, quos Plato e *acciſitres pecuniæ, & mures alienæ rodentes vocat.* Bartolus, *Canes curiarum, & devoratores.* Seneca, *Venale genus, clamoſi rabioſa fori jurgia vendens.* Lipſius, *Corvos fori.* Sed eſt qui ſanguiſugis, & etiam muſcis conferre non dubitavit. Prov. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: affer affer.* Has ſanguiſugas Cajetanus intelligit iniquos Iudices, Præfectos, Procuratores, Cauſidicos, qui pauperum ſanguinem inſugunt; quocirca Tiberius Imp. cum eos non facile mutandos, aut officio dimovendos putaret, hoc uſus eſt apologo, ut Joſephus teſtatur: muſcæ turmatim advolantes, ſaucii cujuſdam ulcera contexerant; quem forte quidam præteriens miſeratus, operam ei ſuam in muſcis abigendis obtulit. Orat ſaucius ut ſe ita ſineret. f Mirante altero quid eſſet, quod hac moleſtia liberari nollet, reſpondit ille; Imo his depulſis majore afficiar moleſtia & cruciatu; aliæ enim his ſuccedent recentes muſcæ & famelicæ, quæ me jam ante male habitum perdent: at illæ quæ mihi nunc inſident, jam nonnihil remiſſius ſugunt ſanguinem, quia prope inſaturatæ ſunt. Sic ergo, inquit Tiberius, ego quoque Provincialibus conſulere cupio, ne multorum Præſidum rapinis, nimium vexentur & deglubantur. Malo itaque ditatos rapinis relinquere, quam novos ſubſtituere.

Quod enimvero de Cauſidicis longe veriſſimum eſt. Sed quod teterrimum eſt, magnus ille Præſul g Nyſſenus, ejuſmodi

a Lipſ. civil. doct. l. 2. c. 11. b Plinius l. 10. Chreſolii myſtag. p. 313. c Iſid. l. 3. de ſumm. bono. d Caſſiod. ſup. Pſ. 73. e Vernulei polit. p. 282.

f Joſeph. l. 18. antiq. c. 8. g Greg. Nyſſ. orat. de S. Steph.

di

UVA. BHSC. BU 02224

di homines, *calumniæ patronos, diaboli oratores*, dicere ausus est. Vulgo enim ferunt Advocatorum, sicut & Medicorum, tres esse facies: unam a *Angeli*, necessitatis tempore: alteram *hominis*, remissius agente morbo vel lite, tertiam, *cacodæmonis*, finita lite vel febri; quando omnes sumptus ac expensæ persolvendæ sunt. Hinc mota aliquando quæstione coram Ludovico XII. Galliarum Rege, b *Quidnam oculis potissimum prodesset?* Illud auguris illius usurpabat: *Si pragmaticum, Causidicumque nunquam videris.* Huc credo spectavit Matthias Corvinus, qui ut ejusmodi monstra ex oculis tolleret, c *universa Hungaria expulit, ubi sine luris peritis vivebant, non tamen sine lure.* d Quid quod detecta recens America, libellus supplex Regi Lusitaniæ oblatus est, ut decem millia Advocatorum in novum orbem ablegaret. Cumque Rex perquireret, quid tanta Causidicorum copia illic ageret, responsum fuit, quod numerus superstes adhuc sufficeret ad devorandam Portugalliam: nam, ut Tertullianus ait, e *plus togæ lædere Rempublicam, quam loricæ.* Quæ si ita sint, quis non videat jure illud væ, divinum vindicem illis interminari: f *Væ vobis Scribæ?* væ Legisperiti, væ Causidici iniqui, qui iram non modo hominum, sed & Dei in vos provocatis. Quod hac infallibili ratiocinatione probat Doctor Aquinas, dum sic docet: 2. *Paralip. c.* 19. g *dicitur, impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini merebaris: Sed Advocatus defendens causam injustam, impio præbet auxilium: ergo peccando, iram Domini meretur.* h Ex quo consequitur, visionem illam Ioannis Parei Iurisconsulti veriſſimam exstitisse, qui non procul Florentia obambulans, vidit subulcum porcos in haram cogentem; quibus renitentibus ac alio divagantibus, tandem devovisse, ingrederentur haram, ut iniqui causarum judices infernum: statimque omnes gregatim involasse. Quo spectaculo quamvis ludicro, ille serio resipuit, & causis valere jussis; Florentiæ in S. Francisci familiam se recepit, in qua primus Ordinis Generalis dein exstitit. Sed hæc hactenus de iniquis patronis. i Quid de clientibus, de partibus inter se dissidentibus? in iis pervicacia est, & sæpe impostura, ut plurimum summa improbitas: k *neque enim bona conscientia* (ait scite Celsus) *sed victoria litigantibus est præmium*; qua ut potiantur, nulli fraudi, nulli perjurio parcunt. Quare non solum *cave à scribis* hisce, verum etiam ut solerter monet Sapiens:

a Vernulei polit. ibid. b Æmilius in vita Lud. Beyerl. Apoph. tit. advoc. c Vernulei polit. cit. d Marchantij hortus past. tom. 2. tract. 4. lect. 14. e Tertull. de pallio. f Marc. 23. g S. Tho. 2. 2. q. 71. a. 3. h Vadingi ann. Min. an. Chr. 1. 2. 12. to. 1. p. 84. i Lipsius monita polit. c. 10. k Marc. 12.

§. III.

Abstine te à lite, & minues peccata. Eccli. 28.

CAjetanus *l* Cardinalis Theologus, alterutrum litigantium semper delinquere, ex eo comprobat, quod alterutra

l Corn. in 1. Cor. 6. quare non magis injuriam patimini.

partium

UVA. BHSC. BU 02224

partium, semper injustam causam tueatur, nisi ignorantia excuset, quæ sæpe in decursu elucescit, nec desistitur. Augustinus, vero lites etiam justas, vix sine peccato institui arbitratur: a *Nam quidem omnino*, inquit, *delictum est inter vos, quia judicia habetis vobiscum*. Nec excusat si dicat, *justum se habere negotium*; lites omnium malorum seminaria esse perhibentur: hinc odia, perturbationes, rixæ, calumniæ, cædes, fortunarum omnium, & animæ jactura. *b* Vnde inter duodecim mundi abusus, Tholosanus recenset *Christianum litigiosum*. Parum hoc Christianos inter se litibus dissidere:

——— *Non hospes ab hospite tutus,*
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Quæ sic Seneca de ira perstringit: c *Alius judicia Patris accusat, quæ mereri satius esset: alius cum matre consistit*: alius in matrem insurgit. *d* Quæ quam detestanda barbaries sit, docuit illustre factum Regiumque S. Ludovici, quem Francia & parentem dilexit, & Regem suspexit. Inter Comitem Flandriæ, matremque exorta lis est; cujus arbiter factus Ludovicus: eam porro diremit, ac sopivit non minus regie, quam pie. Pro ea qua pollebat auctoritate, Comiti Flandriæ injunxit ut pro scuto & insignibus, gestaret leonem, sine lingua & unguibus: ut ostenderet, filio neque linguam esse debere, qua verbo matrem lædat; neque ungues, quibus ejus bona surripiat.

Huic malo ut cautum esset, apud Patavinos, ut testis est Anton. Blancus I.C. Patavinus, statutum est, ne conjuncti, vel affines in controversiis adeant alios judices, quam arbitros, coram quibus ex æquo & bono res terminetur. Quæ lex, utinam inde ad partes nostras deduceretur, non toties propinquorum sanguine, & fratrum cædibus Respub. cruenta retur.

e Fertur de geminis fratribus Liminæis, antiquissima familia oriundis: cum per æstatem ruri fero vespere à cœna inter se sub dio germane confabularentur, ut cælum sudum erat, delapsos esse in admirationem tot innumerabilium stellarum; atque inde per jocum, eorum alter optare dixit, tot boves sibi forent, quot cælo stellas conspiceret; cui alter de rediculo, non minus apte subjecit, optarim ipse tam vastum campum, quam regio cæli, qua oculis patet. Commodum hoc effatus, cum frater opportune suos boves illic pascendos affirmavit. Quod cum alter se minime permissurum jactaret; illo etiam reluctante ac repugnante se id facturum, alius respondit: atque hac levi altercatione, risu in rancorem, in rixam ac ferium furorem conversо, dum alter alteri cedere nescit, exertis gladiis, quibus forte ambo infeliciter succincti erant,

a Aug. ench. in c. 78. *b* Vernulei polit. p. 85. c Sen. de ira l. 2 c. 7. *d* Menochius. Lobell de peccato l. 3. Emblem. 2. p. 312.

e Bernardin. Scardeonius. Beyerlinck F. pag. 238.

UVA. BHSC. BU 02224

mutuis cædibus conciderunt. Adeo etiam ,lis & vis sibi affinia sunt. a Recentius est quod Petrus Iustinianus commemorat: Ioannes generosæ indolis adolescens Cosmi Florentiæ Ducis filius, ad venationem, una cum duobus fratribus Hernando & Garsia, aliisque proceribus profectus; canes leporem assecuti, morsu feram comprehenderant: hic inter fratres exorta ea controversia, ut quisque suis canibus captæ prædæ palmam deberi asseveret, unde in verba dicacia prorupere. Ioannes probri impatiens, ut elato erat animo, Garsiam fratrem, cum quo verba habuerat, colapho percussit: quam injuriam ille non ferens, educto gladio, fratri lethale vulnus inflixit, quo paucis post horis interiit: Garsias vero ab heri trucidati famulo saucius, exiguo tempore supervixit; patrique Cosmo, è venatione hæc sanguinolenta præda delata est. Quæ ut levi de causa exorta dissidia, gravissima sint, quia tamen præfervide prorupere, minora censeri possent, inveteratis ac vatinianis odiis, quæ ex amarissimis multorum annorum litigiis, altius in animo radicarunt, & in mutuam lanienam destinato procedunt. Super hac re,

b *Est olitor quondam verba opportuna locutus.*

Me, inquit auctor, præsente, hic rogatus: *Quid esset lis?* respondit esse, *pulvinar diaboli*; ubi enim hic inter duos litem concitavit, jam illis inter se dissidentibus, ac mutuis calumniis infectantibus, diabolus secure conquiescit: crescit porro inter illos

c *Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.*

Quod cum exulcerato animo, ut plerumque litigantes solent, ad supremum Dei tribunal conferunt, causa infiniti illius boni potiundi excidunt, & æternæ damnationis sententiam in se accersunt, ubi æternum væ, & odia in omnem æternitatem perennatura: ubi lis perpetua, numquam dirimenda.

Quare ut tandem mihi dicendi finem, partibus diffidendi statuam, hoc unum rogo, æternæ

Ne litis horror insonet,
Extingue flammas litium.

Hoc noctu diuque tot piis votis, tot Religiosis vocibus, decantat Ecclesia. Si pacem, si tranquillitatem, si fortunas, si famam, si vitam incolumem servare desideras, d *abstine à lite, & minues peccata*; minues privata odia; minues publica dissidia; minues, ut dictum est, innumera corporis animique damna. Cum *litigare* secundum Tholosanum nihil aliud sit, *quam occasionem dare ori suspirandi, oculo plangendi, linguæ querulandi, menti se affligendi, pedibus se inquietandi, famulis imperandi, marsupio se exenterandi. Inde in nosocomium deferri, & desperate mori*, id est, in æternum mori. e Æternum suspirare, plangere, queri, affligi, quod quo altius in animum demitteret Henricus III. Imp. hoc sibi symbolum delegit: *Qui litem aufert, execrationem in benedi-*

a Camerarius in operibus subsecivis. & Iustitia vulnerata p. 518.

c Iuv. sat. 15. d Eccli. 28. e Vernulei politic. pag. 859.

Ctionem

UVA. BHSC. BU 02224

ctionem mutat. Idipsum Turcæ sectati, qui merito Christiano ruborem incutiunt, dum sine litibus vivunt. Quod si Barbaros sequi pudeat, Ecclesiam monentem audiat:

a *Dissolve litis vincula,*
Adstringe pacis fœdera.

Neque enim cum lite pax ullo modo stare potest. Eapropter Cicero ad Atticum nihil bono viro & quieto magis convenire pronuntiavit, quam longe abesse à litibus, & civilibus controversiis. *b* Quod vel Poëta vidit, dum inter conditiones beatæ vitæ posuit *Lis numquam.* Hanc beatam vitam in terris, perennaturus in cælis, inter paucos duxit Abrahamus Ortelius, vir integerrimus & peritissimus Cosmographus, cui vita functo & Antuerpiæ solo patrio in D. Michaëlis, tumulato, adscripsit Epitaphii Mnemosymon Iustus Lipsius, cujus hæc omnis energia est:

Caruit uxore, prole, & lite.

Cui rite subscriptum: *Requiescat in pace*, qui vixit in pace. Huic tu, & hæc tibi apprecare.

a Lips. monita pol. l. 2. c. 10. *b* Martialis

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLVII.

Pauci vero electi. Matth. 22.



EX MILLIBVS VNVS.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

E millenis millibus sol ille Iustitiæ perpaucos selegit, uti è millenis consitis, vix unus melopepo ematurescit.

§. I. *Paucitas salvandarum expenditur, comparatione infidelium, hæ-*
§. II. *Inteorum, &c.*
§. III. *Inter fideles, seu Catholicos, longe plures damnari, quam salvari.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA DECIMA-NONA POST PENTECOSTEN.

Pauci vero electi. Matth. 22.

TONDALVM *a* Equitem auratum, quasi admotis calcaribus, in Divi Brunonis Carthusiam, velut ad metam, incito cursu properantem, nemo mirabitur, qui audierit, quæ illi per visum non inanem oblata fuere. Iacuerat is in mortuum, à feria quarta, usque in Sabbathum: quo die ut sibi redditus, quæ animus in ista regione vastæ solitudinis, in umbra mortis viderat, domesticis circumfusis cum omnium stupore exposuit: descenderat enim per spissam caliginem, in præruptam ac profundam vallem, per cujus planitiem ferrea in immensum, substructis carbonibus lamina, tota candens protendi: super [illegible] miserrime torreri, & quasi in sartagine confrigi, acerrimoque doloris sensu configi videbatur. Inde in montem arduum conscendere jussus, ex cujus una parte fornax sulphureis flammis exundans; ex altera paludes glacie concretæ, acervi nivis, & grandinis. Vbi ex ardentissimis rogis, ad acerrimum frigus innumeræ animæ ultro citroque præcipites agebantur. Tandem ad vastissimum ac profundissimum stagnum devenit, super quod angustissimus pons instratus: palmum si lubet latum, sexcentas leucas longum, ducentas sexaginta altum imaginare. Hac illi transeundum erat, nec soli, sed una secum jumentum, quod in vivis furto sustulerat, trahere cogebatur. Hic enimvero jumento reluctante, ac recalcitrante, quam illa arctissima semita, mille angoribus, terroribus, cruciatibus miserum Tondalum conruderit, cuique vestrum cogitandum relinquo. Sed erunt qui hæc omnia, ut somnia elidant, aut eludant: ii profecto si mentis oculos in viam, quæ ad cælestem patriam ducit, conjiciant, ipsius primæ veritatis testimonio deprehendent, eam omnino arctam, qua non nisi soli, & sine comite incedendum. Qua quam pauciss[illegible] [illegible], omnes onusti, omnes amatores cæci, omnes peccatores excidunt: ut vixè *millibus unus* per angustum hunc angiportum, angusta salutis porta, in latitudinem paradisi introëat, ipso suffragante sacro codice: b *Angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, &* PAVCI *sunt qui inveniunt eam.* Quam pauci hic stantes, quam rari nantes, quam multi aberrantes expendemus?

Sic tamen ut pias ac teneras mentes in paucis electas, illud Salmeronis monitas velim. Ne ex hac salvandorum paucitate (quam non ego, sed viri gravissimi adstruunt) in pusil-

a Dionys. de 4. noviss. art. 49. Vincent. &c.

b Matth. 7.

UVA. BHSC. BU 02224

lanimitatem, & exitialem horrorem inducantur, quasi hoc exiguo electorum numero excludendi forent, cum ex hac Christi doctrina, viam arctam esse, potius nos animos sumere; quam despondere debeamus: nam, ut ille ait: a *Consolatio est non modica, quod Christus Dominus agnoverit angustias portæ, qua ingrediendum est, & arctam viam, qua ambulandum*; b unde certissimum reputo. cum noverit figmentum nostrum, eum mille auxiliis & gratiis non defuturum.

a Salmeron.in c.7, Matt. b V. Deaponte
n Matt. c.7, v. 13.

§. I.

Paucitas salvandorum expenditur, comparatione infidelium, &c.

VAnus ille, sed nimium verus justitiæ præco Noë, stolorum indigetavit)centenos omnino annos orbis eluviem concionatus est; at omnibus in scelere obfirmatis, d PAUCI, *id esto, octo animæ, salvæ factæ sunt:* reliquos omnes mortales, juvenes & senes, puellas & anus, opulentos ac inopes, non modo pelagus, sed & tartarus absumpsit: e *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* & ut Pererius in cap.6. Genes. lib.9. disp. 3. num. 63. docet, atque ex Augustino confirmat, omnes adulti, qui in diluvio perierunt, in peccatis mortui, æternum damnati sunt. Sic simul & semel communi cataclysmo universus orbis, paucis exceptis, ad inferos præcipitatus est.

c 2. Pet. 2. d 1. Pet. 3. e Gen. 6.

f Nunc porro mentis oculos per latissima terrarum spatia circumfer, negare mihi non potes (inquit Religiosus scriptor) ex centum hujus terrarum orbis partibus, vix unam esse Christianam, & ex hac, perpaucos quidem esse salvandos: compertum enim est innumeros, Asiæ, Africæ, Americæ, populos (pusillum gregem electorum, Europæ finibus contentum, si exceperis) gravissimis errorum tenebris involutos, non semel omnem omnium mortalium, quos diluvium hausit, multitudinem exæquasse. g Quod S. Vincentius Ferrerius è S. Dominici familia, vir in paucis religiosissimus, & vere igneus Ecclesiastes palam è suggestu asserere non dubitavit: tanti auctoris verba mutare Religioni duximus, ea fideliter adnumerata hæc sunt: *Antequam Christus veniret in hunc mundum in humana carne, transierunt ultra quinque millia annorum, & totus mundus damnabatur, exceptis paucis de populo Israël, qui ibant ad lymbum SS. Patrum.* h Quin etiamnum celebriores Asiæ urbes, Damascum, Antiochiam, Angorum, Trebisondam, Bursiam, Hierosolymam in lucernis scrutare, perpaucos justos repereris:

i *Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

k In Africa capacissimæ urbes Alcairum regni Metropolis. Thremise quæ sexdecim millia familiarum numerat: Tunetum

f Lud. Gran. in duce peccat. lib.1. c.27. g Vincent. Dom. Sept. serm.6. h Boterus de orig. urbium l.2. c.11. i Juv. sat.13. k Boter. ibid

novem

UVA. BHSC. BU 02224

novem millia : Marocco centum millia: Fessa, ubi Africæ Regis potentissima aula est, sexaginta millia ædificiorum complectitur. Nunc qui volet & valet, in iis capita censeat, is facile sentiet omnem hanc multitudinem grandinis aut densissimæ nivis instar, ad inferos turmatim descendere; adeo non inanis aut in aëre conficta visio, quæ refertur in libro de ortu Carthusiensium, *a* quod Innocentius VI. Papa, patria Lemovicensis, canonista præcipuus, cum adhuc Cardinalis esset, sanctum quendam Eremitam visitare solebat: qui dum quadam die cum suis ad eum veniisset, viri Dei ostium pulsari fecit; sed cum neque vox, neque sensus aliquis percipi potuisset, irruentibus tandem aulicis immutantibus, & quasi mortuum excitantibus, clamavit ille voce magna: O! ó! vidi mirabilia! vidi horribilia! Scisciranti vero Cardinali diligenter quæ viderat, respondit: Ductus ad infernum vidi decidere animas sicut nives densissimas, aërem obnubilantes: ad purgatorium vero sicut nivem rariss imam: sed ad Paradisum tantum tres introire vidi animas, illius scilicet Episcopi, & illius Prioris Carthusiensis, ac istius viduæ Romanæ, singulas suo nomine compellans personas. Cardinalis igitur vir prudens, veritatem scire volens visionis, missis hinc inde nuntiis, comperit animas illas eodem tempore, corpore solutas fuisse. Hujus rei verissimum typum expressit Isaias c. 17. ubi Damascenos salvandos à strage Chaldæorum, comparat paucis spicis post messem, *b* & paucis uvis residuis post vindemiam, imo duabus aut tribus olivis post excussam oleam.

Ampliss imum Chinensium regnum, quo nullum toto terrarum orbe capacius, potentius, populosius, urbes plurimas complectitur, quavis Europea, Gandavo, Parisiis, Vlyssipone capaciores, è quibus ne inter maximas numerantur, quæ septuaginta millia ædificiorum habent. Et ut paucis absolvam, unica China supra sexaginta milliones hominum continere creditur. *c* Ad hæc indubitatum est Comorinenses, oræ piscariæ ac Travacoridis incolas, Manarios, Ianhanen[illegible]ses, Malabares, Paravas, Ternatinos, Melindeos, alios que populos, numero propemodum infinitos, eorumque Reges ac sacerdotes idololatras, per sex, & supra annorum millia, nullum unquam nisi per Xaverium orthodoxæ fidei radium persensisse. In insula Mexico, ubi centum viginti millia magnarum ædium, ferunt triginta fuisse dynastas, quorum quilibet sub se censeret centum millia hominum, & tria millia Toparcharum. Quodque dictu horrendum est, mille plerumque hominum, in dies singulos dæmonibus immolabantur, id est, quotannis tercenties sexagies quinies mille hominum. Hæc qui audit nonne sanam illam *d* Cancellarii Parisiensis quæ-

a Speransa de orat. punct. 142. p. 270.

b V. Corn. hic. *c* Boterus de orig. urbium l. 2. c. 11. *d* Cantip. l. 1, apum l. 10.

UVA. BHSC. BU 02224

stionem Guilielmo ejusdem urbis Præsuli propositam arbitrabitur: qui ann. 1238. ab inferis redux, se ei exhibens, percunctatus est, *utrum mundus adhuc subsisteret?* Annuente cum admiratione Episcopo, subdit ille: Ne mirare quod hoc interrogem: *tantus enim numerus damnatorum descendit ad infernum quamdiu in eo fui, ut nunquam credidissem tot homines inveniri in mundo.* Vnde verissime *a* Esdras: *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos.* Et infra: *Multi quidem creati sunt, sed pauci salvabuntur.* qui liber ut Canonicus non sit, habet tamen magnam auctoritatem, ait *b* Suarez. Obstupuit, imo inhorruit omnis posteritas, [illegible] civitates, nemque regionem vici[illegible] quæ erat c *sicut Paradisus Domini*, igne & sulphure cum suis habitatoribus conflagrasse, & in tanto incolarum numero, ne denarium justorum reperiri potuisse. *d* Nunc vero si urbem Cayrum, si Babylonem hisce contuleris, an majorem justorum numerum te reperturum existimas? Cayrum quidem octodecim millia virorum continet, qui noctu ferreis portis clauduntur. Incolarum, inquit historicus, non potest iniri numerus, sed vel ex eo colligere est, quod pestis illic nunquam cesset, verum septimo quoque anno adeo invalescat, ut nisi ad trecenta hominum millia absumantur, vix pestem aut luem appellare dignentur. Vna autem Babylon cocos seu obsonatores supra triginta millia numerat, ut refert Ortelius; alios homines plebeios ad sexcenta, vel ut alii, ad septingenta millia. In quæ quoque triennio pestilens lues instar tertianæ febris vehementiori paroxismo desævire consuevit, & de tot millibus hominum quæri potest illud: e *Domine si* PAVCI *sunt qui salvantur?* Et verissimum: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* f Cum Iosue civitatem Iericho, circumeundo & clamando expugnasset, quidquid & hominum & jumentorum in ea fuit, flamma gladioque consumpsit: urbs ipsa quasi unius cadaveris bustum in altissimo cinere deflagravit. Vna solummodo domus a cæde, urmunis. Quid ego [illegible] commemorem, integra regna, ac regiones, ubi non dico familiam, sed ne hominem à tartareo incendio immunem reperiri licebat? Testis Iaponia, in qua urbs Amaguci centum millia foculorum habet: Meacus altera, centum octoginta millio, magno & irrefragabili teste Xaverio in literis suis an. 1553. g Quid de urbe Zaiton existimatis? ubi tanta hominum frequentia, ut in uno cœnobio Idololatrarum numerata sint tria millia monachorum. Exstabant vero undecim ingentium idolorum millia, quorum minimum, hominis altitudinem superabat, & eheu tot retrolapsis annorum millibus, ne unicam illic domum nanciscì licit,

a L.4. Esd.c.8. b Suar. de prædest.l.6. c.3. c Gen.13. Gen.19. d Boter. cit. e Luc.13 Psal.1. f Iosue 2. & 6. g Boter. cit. pag. 892.

UVA. BHSC. BU 02224

cuit, fidei luce colluſtratam. Adnectit his Marcus Polus rerum Indic. l. 2. cap. 68. urbem Quinſai ſub ditione magni Cham, centum paſſuum millia in ambitum complecti, pontes in ea cenſeriad duodecim millia, foculorum vero mille ac ſexaginta millia, ut ſi quinque homines per ſingulos focos adnumerentur, una illa urbs octuagies decies centena hominum millia continuiſſe viſa ſit. Qui omnescum tot ſæculis extra Eccleſiam fluctuarint, quot ex tot millibus, ſalvos fuiſſe, credendum eſt? nam ſicut extra „arcam *a* Noë, tempore diluvii, nullus conſervatus eſt; nec „extra domum Raab, in civitate Hierichuntina: ita nemo „ſalvus fiet, qui extra domum „Dei, quæ eſt Eccleſia, deprehenditur. Quæ cum ita ſint, nonne horrendum inclamare poſſumus: b *Lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.* contra vero, *quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, &* PAVCI *ſunt qui inveniunt eam.*

Verum enimvero ut ad ea quæ nos propius concernunt veniamus, quæ hactenus dicta ſunt, quibuſdam adeo non ſacrum horrorem, & ſummam ſolicitudinem incutere, ut potius incuriam ac pravam ſecuritatem concitare poſſe videantur, dum quo major infidelium, Paganorum, Iudæorum percuntium numerus eſt, hoc manifeſtius conſequatur, veriſſimum fore illud Salvatoris pronuntiatum, paucos electos ſalvandos, etſi nemo quiſquam Catholicorum periret. Quiquam toto cælo aberrent gravis auctor monet, ac eorum quemque his verbis hortatur: „Partem eam, quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere, & vide quo loco res „Chriſtianorum hoc exulcerati„ſſimo ſæculo ſint conſtitutæ: „& fateberis in hoc corpore „myſtico, à planta pedis ad „verticem capitis, vix aliquod „membrum ſanum reperiri. „Perverſum hunc ævi ſtatum, „variamque morum corruptelam contemplare, ſenties Noëmi rediiſſe tempora: nam d *ſicut erant ante diluvium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes,* &c. ita vivunt Chriſtiani, qui licet habeant fidem, tamen ſunt ſuperbi, avari, luxurioſi, & ſic de aliis peccatis, ut docet S. Vincentius; & probat exemplo *e* Archidiaconi Lugdunenſis, qui per quadraginta annos fuit in eremo magna pœnitentia, poſtquam reſignavit ſua beneficia: hic poſt mortem apparuit Epiſcopo Lugdunenſi, qui quæſivit ab eo, ut diceret ſibi aliquid de alio mundo. Qui reſpondit, quod in die qua ipſe obiit, mortui fuerunt in mundo triginta millia, de quibus ſolum quinque fuerunt ſalvati, ſcilicet ipſe, & B. Bernardus, qui etiam illa die obierat, & ſine Purgatorio aſcenderat ad cælum, tres vero deſcenderant ad Purgatorium. Alii omnes deſcenderunt ad infernum; propterea dicit Chriſtus: Intrate per anguſtam portam, anguſta

a Granat. dux pecc. lib. 1. cap. 27.
b Matth. 7.
c Lud. Gran. l. 1. ducis pecc. cap. 26.
d Matth. 24 *e* S. Vincent. Dom. Sept. ſer. 6, Tricleemius Lorin. in c. 14. Num. v. 29.

UVA. BHSC. BU 02224

porta Paradisi, voluntas Dei est, ad istam oportet se restringere, qui Paradisum vult intrare: lata porta est, voluntas propria. Via spatiosa inferni; conversatio mundanalis, bene comedere, bene bibere, luxuriari, delectari, vindicare se de injuriis, &c. hinc pauci sunt electi. Hæc cohortatio B. Vincentii, cui alium addimus Evangelicum Oratorem.

a Bertoldum memorant è D. Francisci familia, disertum ævo suo per Germaniam Concionatorem, cum pro suggestu certum quoddam vitium gravissimis verbis insectaretur, feminam ejus sibi conscium, tantis animi doloribus oppressam, ut in media circumstantis populi corona, exanimis repente conciderit; mox tamen ad preces populi ad se redierit, recensueritque quæ ad Dei tribunal vidisset, illud cum primis: adducta illuc sexaginta millia, vario mortis genere defunctorum, ac tres dumtaxat animas, ex ingenti hoc numero ad Purgatorias pœnas relegatas, ceteras ignibus addictas æternis. Sed in promptu hic responsum habent, hanc multitudinem prope conflatam ex gentilibus, Saracenis, Persis, aliisque infidelibus, qui inter se forte confligerant: quemadmodum sub auspiciis Caroli Martelli trecenta *b* Saracenorum millia deleta, ad inferos descendisse legimus; sed ulterius probare aggredior:

a Anton. 2. part. hist tit. 24. c. 9. sect. 2. Platus de stat. Relig. l. 1. c. 5. *b* Boteri Polit. l. 2. c. 13.

§. II.

Inter fideles, seu Catholicos, longe plures damnari, quam salvari: demptis parvulis baptizatis, qui ante usum rationis moriuntur.

FIlii Israël populus electus, tot ac tantis à prodiga, ut ita dicam, Dei munificentia, beneficiis cumulatus, *c* typum haud obscurum fidelium Christianorum expressit, Vbi in rem nostram expendendum occurrit, Moysen sexcenta millia virorum, absque parvulis & mulieribus, eduxisse Ægypto, qui ut minimum vigesies centena millia, seu duos milliones æquabant, d *præter vulgus promiscuum innumerabile*, quod subsequebatur: verum è tanto, tamque innumerabili exercitu filiorum Israël, duos solummodo Iosue & Caleb, in terram promissionis perveniisse, ceteris omnibus eremum pro capacissimo tumulo fuisse. Quod, ut Augustinus, non Barbaros; sed suos commonet, e *Non transitorie vel negligenter, sed ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus, duo tantum terram promissionis ingressi sunt.*

Ex quibus concludit: *Hoc ergo audiant, qui ita Deum misericordem esse volunt, ut justum esse non credant.* Hoc ergo audiant, qui utrum inter paucos numerandi, parum laborant. Hoc ergo audiant, qui hæc ad Christianos spectare diffitentur. *Audite me*

c Num. 14. d Exod. 12. e Augustin. serm. 32. de verb. Dom.

UVA. BHSC. BU 02224

pauci. Scio quia multi auditis & pauci obauditis. Duas piſcationes Chriſtus inſtituit, alteram Lucæ 5. ubi cum tota nocte diſcipuli laborantes, nihil prendidiſſent, juſſit in altum conſcendere, ac iſtic retia jacere: a *Non dixit vel in dexteram, vel in ſiniſtram. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum.* Alteram piſcationem refert Ioannes cap. 21. ubi Salvator noſter poſt Reſurrectionem, in litore manifeſtus apparuit, & ſuis piſcationi intentis non promiſcue, ſed deſtinato, *in dexteram navigij* rete ſuum mittere præcepit. Et ecce Simon Petrus *traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus: & cum tanti eſſent, non eſt ſciſſus rete.* Has duas piſcationes expendens Doctorum antiſtes, & antiſtitum Doctor: b *Recolamus ergo vobiſcum* (inquit) *duas illas piſcationis diſcipulorum, factas eſſe jubente Domino Ieſu Chriſto: unam ante Paſſionem, alteram poſt Reſurrectionem: in his ergo duabus piſcationibus tota figuratur Eccleſia* (non paganiſmus aliæque ſectæ) *& qualis eſt modo, & qualis erit in reſurrectione mortuorum: modo enim habet ſine numero multos & bonos & malos; poſt reſurrectionem autem habebit certo numero ſolos bonos* Quanta vero multitudine prior piſcatio poſteriorem exceſſerit, tanto numero bonos ab improbis ſuperari ex eo comprobatur, quod ſecundam piſcationem electorum eſſe diſerte doceat, dicens: *Iam modo poſt reſurrectionem qualis erit Eccleſia, audite, diſcernite, &c. jam dexteri capiuntur, nulli mali timeantur. Certus eſt numerus. Capiuntur piſces magni: quis enim ibi parvus, quando erunt æquales Angelis Dei. Capiuntur ergo, piſces magni centum quinquaginta & tres. Dicet mihi aliquis: Et tot erunt ſancti?* Si quis proportionem ſpectet hujus numeri, ad multitudinem piſcium primæ piſcationis, ex eodem Doctore concludet, pari modo paucitatem electorum ad numerum reproborum ſe habere. Sic enim l. 3. contra Creſconium c. 66. diſſerit: *Ipſi boni verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt; comparatione malorum, falſorumque, pauci ſunt.* Vbi alteram ſimilitudinem adducit: *Sicut multa grana quibus horrea complentur, pauca dicimus reſpectu palearum.* Imo ſine comparatione, longe plura folia quam fructus, ſpinæ quam roſæ, longe plures flores in arbore, quam fructus. Fateor non injucundum ſpectaculum verno tempore pomarium aliudve frugiferis lignis conſitum viridarium, deambulantium oculis exhibere, non tam frondium, quam florum ex omni arbore turgeſcentium copia; at vero quis non experientia compertum habet, ubi minimus turbo aut nebula irruerit, vixdum milleſimum florem in fructum concreſceret ac matureſceret; ut aureo c Petrus Chryſologus ſtylo exaravit. *Flores multi multitudinem fructuum pollicentur, ſed exanimati ventorum flabris, ad fructum pauciſſimi perſeverant. Sic credentes in Chriſto multi:* ſic

a Aug. ſerm. 148 de temp. b Aug. ſerm. 148, de temp.

c Chryſolog. ſerm. 97.

UVA. BHSC. BU 02224

in prima ætate pueri ac puellæ, probi ac integerrimi multi; at ubi vanitatis aura, ubi tentationis turbo afflarit, omnis flos primi candoris, omnisque fructus vitæ maturioris evanescit. Idipsum certo quoque exploratum habent, qui melopepones in hortis suis conserere, excolere, & excoquere consuerunt, ex mille qui florent, & turgescere incipiunt, quantumvis & irrigentur & irradientur, vixdum millesimum ad maturitatem excrescere. unde quidam nomen illi inditum vult *milluna*, quasi ex *millibus una*. Quorsum hæc? ergo ex Christianorum *millibus unum* vix salvum fore credendum est? Non à meo, sed ab aureo Chrysostomi ore pendete, qui de populo Antiocheno primitias spiritus habente, vix è millibus unum salvari, palam è veritatis cathedra pronuntiavit. *a* Nam *quot esse putatis* (inquit) *qui in civitate nostra salvantur? Infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen*: *Non possunt in tot millibus* (*b* facile Antiochiæ erant centum millia, & plura) *centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito.* Et causas subdit: *Quanta enim in juvenibus est malitia? quantus in senibus torpor? &c.* Quot esse putatis in civitate nostra Antuerpiensi, Bruxellensi, Brugensi qui salvantur? Cajetanus exponens parabolam de virginibus, docet etiam ex illis qui in Ecclesia mediocriter vivunt, & aliquam curam habent conscientiæ suæ, dimidiam partem damnari. *c* Rationem hanc Suares assignat: nam sine dubio plures ex Christianis male vivunt, & raro perseverant in statu gratiæ, & verosimile est ita mori sicut vivunt. Quare videte an non illa verba Chrysostomi hic usurpare possim: *Quanta in juvenibus lascivia?* quanta in feminis superbia? quanta in viris perfidia? & infestum est quidem dicere, in iis urbibus, ubi ea vita dominantur, vix è millibus unus salvatur. Quot esse putatis in hac civitate ex mercatoribus, & potentibus, & divitibus, qui salvi fiant? Refert Lucas, cum Christus dixisset: *d Dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis his discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?* Quam conclusionem recte inferebant, e *quia omnes avaritiæ student, à minimo usque ad maximum.* Hinc *f* S. Hieron. moribundus, in exhortatione ad suos, de divitibus & potentibus hujus sæculi, ait: *Si Christus verax est, hujusmodi hominum* VIX VNVS *aptus regno Dei invenitur de* MILLE. Ecquis unquam potentius in aures & animos hominum penetravit, quam divinus ille Ecclesiastes Christus? verum è tot divitibus & avaris Hierichuntinis civibus, è tot onustis camelis, unicus *g* Zachæus deposita gibbi sarcina (sic Beda loquitur) & per angustam portam ingressus, rem injuste partam restituit:

a Chrys. homil. 40. ad pop. *b* Corn. in Matt. c. 7. v. 14. *c* Suar 1. 6. de præd c. 3.

d Luc. 10. e Isai. 56 *f* Refert Euseb. ep. ad Damascum de morte Hieronymi Ruiz de prædest. p. 597. *g* Beda l. 5. cap. 77. in Lucam.

UVA. BHSC. BU 02224

tuit: è telonio unicus Matthæus Christum secutus est. Quot esse putatis justitiæ administros, Senatores, Iudices, Causidicos, Iurisperitos, Quæstores, Ærarios qui salvi fiunt? qui ante mortem restituant damnum, quod Reip. quod privatis intulerunt, iniquis suffragiis, vectigalibus, perversis judiciis?

a *Tauci quos æquus amavit Iupiter*,

Plurimi vero, qui, ut Ioannes Pareus spectavit, *b* qui haud aliter quam porci in haram, ita hi gregatim in barathrum ruunt. Flebili questu Hieremias ex his justorum paucitatem deflet: *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an invenietis virum facientem judicium:* Quot esse putatis in hac civitate amatores lascivos, fœdis libidinis flammis accensos? Infestum quidem est dicere, quod ex S. Remigio plenius commemoravi: c *Demptis parvulis, propter carnis vitium pauci salvantur.* *d* Confirmat idipsum Hieremias Drexelius, se ex præceptore suo olim audivisse: *Si centum juvenes damnentur, è centum, 99. ob vitium carnis damnari.* At saltem si omnes fideles conjugati salvi fiant, vere pauci erunt? *Infestum est quod dicturus sum, dicam tamen*, quod *e* Franciscus de Sales refert, Catharinam virginem Senensem, inter damnatos, multos conjugatos conspexisse, propter violatum matrimonium, & quia in hoc peccantes nullum sibi scrupulum faciunt, inquit ille. Cui accedit gravis Prophetæ censura: f *Adulteris repleta est terra.* Quot esse putatis in civitate Sacerdotes, quot Religiosos? at hi saltem electi, hi vere respectu sæcularium, numero pauci sunt. De his, absit ut meum sensum depromam, quia nimis infestum, quod dicturus sum; sed ipsos sanctissimos Ecclesiæ Patres, & gravissimos auctores in cautelam audite: Gregor. hom. 17. in Euang. *Per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum à Deo Spiritum sanctum percipiunt: atque ipsi ad regnum cœlorum pertingunt: & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi, Sacerdotum manibus expiati cælestem patriam, & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam, ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixero Sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis? quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cælorum mittit, & ipsa postea in cloacas descendit.* Quam doctrinam horribili historia confirmat *g* Dionysius Carthusianus, vir eximiæ sanctitatis atque doctrinæ, visum quoddam enarrans Religiosi cujusdam Angli, quem extra se in ecstasi positum S. Nicolaus per varia purgatorii loca circumduxit. Ait ergo Dionysius Religiosum illum, ubi ad se rediit, hæc inter cetera narrasse: Vidi ibi Sacerdotes immensis cruciari tor-

a Virg. l. 6. Æneid. *b* VVading. annal. Mini. an. 1211. Hierem. c. 15. c V. Dom. 5. post Pent. *d* Drex Niceras l. 2. c. 12. *e* Sales praxi spirit. p. 3. cap. 12.

f Ierem. 24. *g* Dion. Carthus. l. de 4 noviss. a. 13. de pœn. inf. Salianus de timore Dei lib. 2. c. 38. V. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 32. tom. 3. Molin. de Sacerd. l. 1, cap. 17.

UVA. BHSC. BU 02224

mentis, ardoresque ferre intolerabiles, qui cum criminum culpas confessione delevissent, pœnis divinæ justitiæ non satisfecerant. Cumque vehementer admirarer tam paucos Sacerdotes illis fornacibus purgari, comperi verissimum illud Chrysostomi: a *arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant.* Nam responsum est mihi, ideo pere-xiguo numero illic versari Sacerdotes, quod vix quisquam eorum, qui pravam vitam duxerunt, verum animi dolorem concipiunt de peccatis ante mortem, proptereaque pene omnes addici suppliciis sempiternis. Valet hic illud *b* D. Augustini, quos suos religiosissimos viros ad salutarem timorem permovit: *Hæc si humili & contrito corde assidue cogitare volumus, salubrem nobis metum incutientes, medicamenta nobis de alienis vulneribus facimus, & aliorum mors proficit ad nostram salutem.* Nec immerito suos anxios & solicitos esse desiderat, ut inter paucos numerentur, cum dicat: c *Vidimus multos Domine, ex patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo) ascendisse primitus quodammodo usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos; vidimus stellas de cælo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis.*

Divus vero Bernardus ex illo d Apocal. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus, qui est vitæ:* ingentes tomos, in quibus nomina reproborum conscripta, exiguum vero libellum, quo nomina electorum contenta, forte attentius considerans, anxius hæsit, num suum, suorumque omnium nomina eo conscripta essent: sic enim Religiosos suos alloquitur: e *Quis scit si omnium vestrum, quos hic video, scripta nomina sunt in cælis, & in libro prædestinationis annotata? quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret?* Hæc de Monachis sub sanctissimi Patris disciplina degentibus, qui mundo nuntium remiserunt: hæc de viris sanctitate & austeritate vitæ conspicuis: & vos inter sæculi delicias lascivientes, inter paucos hos conscriptos existimatis? Quidni vos iis verbis compellem, quibus idem Doctor suos compellavit: f *Quis potest dicere: Ego de electis sum? ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest, reclamante Scriptura: Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* At saltem in hoc paucorum numero censebuntur omnes Ecclesiæ Rectores, Religionum Primates, Prælati, Superiores, Doctores. Malim hic historiam tragicam in Spondano, Apameensi Episcopo videri, quam à me recenseri. g Ut vero & omnibus Ecclesiarum Rectoribus ac moderatoribus, Antiochenus Præsul curam salutis suæ, suorumque commendet, onus eorum adeo grave esse ducit, ut dicere non dubitarit: h *Miror si potest salvari aliquis Rectorum.*

a Chrysost. in Acta cap. 1. hom. 3. b Aug. serm. 102. de temp. c Aug. solil. c. 29. d Cap. 20.

e Bern. serm. 2. de Ascension. f Bern. serm. 1 Dom. Septuag. g V. Ruiz de prædestin. pag. 592. h Chrys. homil. 34, ad Heb. col. 2 Salian. de timore Dei l. 2. c. 38. Anton. Senensis lib. de selectis Ord. Præd. miraculis c. 5.

Ad

UVA. BHSC. BU 02224

Ad quem locum refert Salianus exemplum ex Antonio Senensi Dominicano, Doctore Theologo, quo nescio, inquit, an formidabilius afferri possit: Contigit Neapoli in quodam cœnobio, Triclinii curatorem sub vesperam, expleto divino officio, cœnaculum intrare, & totum circumquaque consessum, à fratribus superiore veste indutis, occupatum cernere, quasi ad sumendam cœnulam paratis. Iste eo spectaculo timore percussus, curriculo Superiorem adit, & visa nuntiat. Superior, cum nuncio non haberet fidem, quasi fallaci quadam rerum imagine delusо, cum illo cœnaculum adit, ubi suis ipse oculis nuncii veritatem agnovit. Ea re vehementer perturbatus, præcipuos cœnobii Patres adit ac consulit, quid facto sit opus. Omnium sententia fuit, ut Superior sacerdotalibus indutus vestibus, totoque fratrum conventu comitante, sacrosanctam Eucharistiam in triclinium deferret, ibique eum qui inter ceteros eminere videbatur, & præcedebat loco, rogaret, ejus quem deferebat auctoritate compulsum, ut fatereturquinam essent, & qua de causa illuc convenissent. Cum sententia placuisset, venit in triclinium cum toto illo apparatu Superior: qui ubi primum cum sanctissimo Sacramento apparuit, omnes in signum venerationis consurrexere, demissisque capitibus, etiam caputia singuli, ne agnoscerentur attraxere, eoque facto rursum omnes consedere. Tum jussi à Superiore dicere quinam essent, & quid requirerent, omnes capita inclinarunt. Denique qui præcipuus inter illos videbatur, omnium nomine dicere cœpit, omnes ejusdem Ordinis religiosos fuisse, magnaque ex parte Doctores, Superiores, Baccalaureos, Lectores, aliorumque officiorum curatores, omnesque propter ambitionem, superbiam, invidiam, aliaque id genus vitia, sententiam damationis accepisse: divinitus etiam jussos comparere eo loco, ut monerent eos, ceterosque ejusdem Ordinis Religiosos, ut beneficio vocationis responderent, quando ipsi eo neglecto, æternis nunc flammis arderent. Ejus dicti veritas ut omnibus innotesceret, monuit eos ut oculos in ipsos conjicerent. Quo dicto omnes superiore veste diducta, ardore flammæ conflagrare visi sunt. Tunc ille primarius, mensam manu in signum discessus percutit, & ilico omnes evanuere, relictis omnibus ut par est, ingenti horrore periculis. Quæ si ita sint, si inter integerrimos Sacerdotes, inter viros Religiosos, inter integerrimos variorum Ordinum superiores, inter sanctissimos Ecclesiæ optimates, non unus, vidimus, perversus repertus est, quid de sæcularibus sentiendum est? qui sincerum magni Chrysostomi de civibus Antiochenis judicium, ut severum incusabit, scilicet ex millibus unum vix salvari? Cum fatendum sit, complures urbes hoc corruptissimo sæculo reperiri, quæ perversis suorum moribus, ac vitæ licentia, Antiochiæ nihilo concedant. a Quod quo perspe-

a Lud. Gran. dux pecc. l. 1, c. 26.

Cum:

UVA. BHSC. BU 02224

„ctum habeas, cape quamcum-
„que vis ex civitatibus cele-
„brioribus, in quibus puræ &
„ſinceræ Religionis atque do-
„ctrinæ exſtent adhuc veſtigia.
„Perambula porro, non dico
„tabernas & loca publica (ea
„enim fere mendaciis, impo-
„ſturis, ebrietatibus ſunt dica-
„ta) ſed domus vicinorum, &
„audies undique murmura,
„mendacia, execrationes, ju-
„ramenta, blaſphemias, &c.
adi aulas, tribunalia, officinas,
nundinas, militiam, fora, na-
ves, currus, privatas ædes, &
ibi puerorum, adoleſcentum,
puellarum, virorum, ſenum
corruptiſſimos mores intuere.
Perjuria, fraudes, convitia, o-
dia, tumulentiam, laſciviam
obſerva, profecto ſenties ſen-
tentiam Chryſoſtomi, ſcilicet
milleſimum vix ſalvari, à qui-
buſdam ut benigniorem ac la-
xiorem merito reſtrictam fuiſ-
ſe, qui è decem millibus, unum
dumtaxat ſalvandum aſſeve-
rant. *a* Tenuit hoc mordicus
B. Nilus vir miræ ſanctitatis,
qui floruit ante ſexcentos an-
nos, fuitque fundator mona
ſterii Criptæ ferratæ juxta Tuſ-
culum, in quo, inquit Cornelius,
ejus tumulum vidi & colui. Hic
cum viſitaretur à primoribus
Conſtantini Imp. codicem,
quem præ manu habebat; ape-
rit, & forte fortuna incidit in
illud divi Simeonis, quod *ex decem millibus vix reperitur una animabis temporibus, quæ ſalvetur.* Quibus conſternatis dixit: Si de-
monſtravero vobis magnum
Baſilium, & Chryſoſtomum, &
Ephrem beatiſſimum, & Theo-
dorum Studitam, ſed & Apo-
ſtolum ipſum, nec non S. Euan-
gelium, eadem ſentientes, &
dicentes, quid patiemini vos,
qui Spiritui ſancto adverſami-
ni? monuitque: *Niſi virtute, & magna virtute præditi fueritis, nullus vos liberabit à pœnis inferni.* Hæc ad Theophylactum, a-
lioſque viros principes ac lite-
ratos fideles. O vere pauci e-
lecti! è decem millibus unus.
Hoc *b terribile eſt valde, clamat* (Gregorius) *Multi ſunt vocati, pauci vero electi, quia ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte regnum pauci perducuntur.* Infal-
libili id ipſum ſyllogiſmo pro-
bat præclarus Theologus Di-
dacus Ruiz de prædeſtin. *diſp.* 54. *ſec.* 3. & *ſect.* 6. ubi & pau-
ciores viros quam feminas, ſal-
vari, variis argumentis ſedu-
cit. Unum hic, ut quorundam
petitioni ſatisfaciam, adden-
dum fuit. Si tam immenſus fu-
turus eſt damnatorum nume-
rus, quis locus eos capere ſuf-
ficiat, cum inferorum carcer,
in centro terræ anguſtiſſimus
ponatur. Ad quod reſpondeo,
cum Leſſio: *c* Etiamſi ſingulis
corporibus damnatorum, de-
mus ſex pedes quadratos (*c* qui
abunde ſufficiunt, cum ſint
qui velint compingi ſicut ha-
leces in vaſe, igne pro ſale me-
diante) tamen una leuca, id
eſt, menſura viginti millium
pedum cubice ſumpta, capere
poterit pluſquam octingenta
millia millionum corporum.
Octingenta millia millionum!
O vere e *lata porta, & ſpatioſa*

a Baron. an. 986. Corn. in Iſa. c. 17. v. 5.

b Greg. hom. 19 in Evang. c Leſſ. de perfect. l. 13. cap. 24. d Corn. in Matt. c. 7. v. 14. e Matth. 7.

via

UVA. BHSC. BU 02224

via eſt, quæ ducit ad perditionem; multi ſunt qui intrant per eam. Octingenta millia millionum, vere multi: inter quos ne & vos numeremini, a *contendite intrare per angustam portam*, ut inter electos, eoſque paucos inter, æternum beatos adſcribi, cum paucis in æternum Deo, ſummo bono frui valeatis: quare hoc verbulum *pauci* numquam recedat à corde, quod velut horrendum & inauditum tonitru, magnam orbis partem è vitiorum veterno excitavit: ex urbibus in antra, in diſertas ſolitudines non paucos expulit: hoc verbum *pauci* tot invictiſſimos Chriſti Athletas in cataſtas, in equuleos, in rotas, in rogos, in cruces, & beſtiarum fauces, in armatas tortorum manus egit, in paucis conſtantes, quorum una omnium vox erat: Mori nobis facile eſt, modo demum inter paucos & electos vivere contingat. Ludat gladius in jugulis noſtris, modo paucis illis, ſed beatis annumeremur. Hæc vox *pauci* tot proſtitutæ nequitiæ mortales, è vernantibus luxuriæ pratis, in domum luctus & pœnitentiæ compegit, quibus ſatius erat inter paucos ſalvari, quam cum multis perire. Ecquis veſtrum hoc anguſto tramite ſibi portum ſalutis non quærat? ecquis veſtrum non libere profitetur? Si unus ego vel mille cruces veſtri poſſim, non abnuam: ſi vel mille cervices ſecuri ſubjicere, nullam ſubtraham; tormenta pro fomentis habebo, modo ad illam paucorum in paradiſo ſocietatem admitti queam.

a Luc. 13.

EMBLE-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLVIII.

Erat quidam regulus. Ioan. 4.



IMPERET ILLIS. *Ovid. 2. Metam.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Quatuor animi ferociores paſſiones, velut effrænes equos domare, regium eſt.

§. I. Imperare ſibi, maximum imperium eſt. *Seneca epiſt.* 113.
§. II. *Quatuor animi paſſiones frænare, regium eſt.*
§. III. *Infelices exitus eorum, qui ab hiſce quatuor affectibus abrepti, aut diſcerpti ſunt.*
§. IV. *Quinam paſſiones frænando, earum perfectum dominium ac imperium obtinuerint.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus. Ioan. 4.

FEROX ille *a* Turcorum Imperator Mahumetes, *b* in regia sibi insignia delegit quatuor characteres Græcos, insolentis animi haud obscuros indices: ferebantur ei in scuto aureo depicta quatuor Betha, B. B. B. B. quibus hæc paucis exprimere volebat: Βασιλεὺς Βασιλέων, Βασιλεῦσι Βασιλέων. REX REGUM, REGENS REGES. Fuit qui effrænem hominis arrogantiam ferre non sustinens, quatuor hisce Græcis elementis subscripsit:

BELLUA BELLUARUM, BELLUATIM BELLUANS:

c Omni enim bellua, ut divinus Plato ait, intractabilior homo est, qui iræ, qui cupiditati, qui libidini, qui arrogantiæ fræna laxarit, eos vero effrænes animi motus [illegible] imperare, hoc regnare est, ut recte Seneca Philosophus.

a Hist. Turc. *b* Bern in Epiph. Ubi est Rex Jud. *c* Plato lib. 7. de legib.

§. 1

IMPERARE SIBI, MAXIMUM IMPERIUM EST. *Senec. epist.* 113.

HUc concinit, ac consonat Tragœdus:

d *Regem non faciunt opes,*
Non vestis Tyriæ color.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia.

Non alto solio confedere, non ampliſſimos exercitus sub signis numerare, non jura populis dare, & ad ultimam Thulen sibi regiones subjugare, regnare aut imperare est:

e *Latius regnes avidum domando*
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Ita quondam Synesius de Rege censuit: *Illud profecto primarium ac summe regium est, sui ipsius Regem esse, mentemque domesticæ belluæ, quasi moderatricem præficere: neque cum infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimum, dominis servire voluptati, dolori,* (superbiæ) *& quæcumque his affines belluæ, suum in animali domicilium habent.* Vultis vel ex nominis Etymo huius rei veritatem plenius eruamus? Augustinus lib. 5. de civit. cap. 12. quærit, unde Reges sibi nomen usurparunt, & ait: *Non Reges, aut Domini, à regnando atque dominando; cum & Reges utique à regendo, dicti melius videantur.* Cur autem *à regendo*, dilucide exponit *f* S. Isidorus. Quia *Reges, à recte agendo, vocati sunt.* Ex quo consequens est, viros justos, qui nullis, nec amoris, nec rancoris, doloris, aut timoris, affectibus abripiuntur, aut tentationum motibus succumbunt, vere Reges esse, & nuncupari.

Sanctus Lucas: g *Multi Pro-*

d Sen. chor. 2. Thyest. e Horat. lib. 2. Ode 2. *f* S. Isid. lib. de summo bono. g Luc. 20.

phetæ

UVA. BHSC. BU 02224

phetæ & REGES *voluerunt videre, quæ vos videtis.* Matthæus vero c. 13. ait: *Multi Prophetæ & justi.* Ven. Beda: a *Quos Lucas multos Prophetas &* REGES *dicit, Matthæus apertius Prophetas & justos appellat: ipsi enim sunt* REGES *magni, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed* REGENDO *præesse noverunt.*

Sanctus Leo serm. 1. Quad. *Si cupiditates corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & perniciosum erit eum servire, quem decuerat imperare; si autem mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, in suo mortali corpore regnare peccatum non siverit, ordinatissimum tenebit ratio principatum.* Hoc regnum ambire, invadere, occupare, ipsumque tyrannum, qui contra jus & fas id nobis præripuit, subjugare, jure quivis meritissimo potest. *b* S. Eucherius Episcopus Lugdunensis illud Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus committere bellum adversus alium Regem.* sic ad mores traducit: *Rex est unusquisque fidelis, qui seipsum, & virtutum exercitum, qui in eo est, bene regere novit. Hic autem adversus alium Regem bellum committit: per quem diabolum intelligimus.* Peccatum Apostolus intelligit ebrietatem, luxuriam, iram, &c. dicens: *c Non ergo* REGNET *peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Indolendum hoc gravissime, quod, ut *d* Eusebius Emissenus queritur, *tyrannico dominatu malitia in nobis regnat*; cum tamen ea simus origine nati, ut omnes Reges esse valeamus. Quod vel Ethnici suis inculcarunt. *e* REGIUM *est,* inquit Tullius, *non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servire.* Sic Catonem majorem dixisse meminit Plutarchus; *Eum demum optimum, & laude dignum* IMPERATOREM, *qui propriis affectibus* IMPERARET. Quare si vis regno amplissimo dominari; f *si vis,* ut gentilis Philosophus loquitur, *omnia tibi subjicere, te subjice rationi. Multos reges, si ratio te rexerit,* multos affectus, desideria, anxietates, perturbationes reges, *si ratio te rexerit.* Quin ut Poëta canit,

--- g *tunc omnia jure tenebis,*
Cum poteris REX *esse tui.*

Tunc tot Regibus imperabis, quot passiones subegeris: tunc quod stolide Mahumetes sibi assumpsit, tibi debito encomio adscribetur, *Rex Regum, Rex Regum.* Pal. fol. *Reges ut serviant Domino,* per Reges eos intelligit, *qui animorum suorum motus, secundum Dei voluntatem dirigunt, eisque Regum more dominantur: dum in rationis eminentia quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæque servituti subjiciunt, & placatis omnibus, æquitatis leges, & innocentiæ jura in seipsis disponunt.*

Præstantissimus quibusdam videri posset Sesostris Regis Ægypti triumphus, qui Reges quatuor à se subactos, jumentorum in morem, currum suum protrahere coëgit. At nimium quantum omnem hujus

a Beda lib. 3. cap. 43, in c. 20. Lucæ num. 24. *b* S. Eucherius hom. in commen. unius Mar. *c* Ad Rom. 6. *d* Euseb. Emiss. hom. 4. in Epiph.

e Cic. orat. pro Sylla. f Sen. epist. 37. g Claudian.

inanem

UVA. BHSC. BU 02224

inanem pompam exſuperarint, qui quatuor potentiſſimas paſſiones, in homine prædominantes, frænarint, ac rationi ſubjugarint: tunc vere Reges præ Seſoſtre, longe in cælum efferendi. Auguſtinum audite in Pſal. 2. *Et nunc Reges intelligite: Nunc*, inquit, *intelligite, jam Reges, id eſt, jam valentius regere, quidquid in vobis ſervile aut beſtiale.*

Fugit Chriſtus, & abſcondit ſe cum vellent eum facere Regem, ac palam conteſtatus eſt, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo; ſed regnum ejus & imperium quod in te, omneſque humanas paſſiones (ut jam videbimus) exercuit, adeo non fugiendum nobis eſſe perſuaſit, ut hoc ſummis votis in dies implorandum, ac impetrandum contendat: a *Adveniat regnum tuum.* Noſtis quale illud regnum ſit? *Præſidet unuſquiſque ſibi quadam poteſtate regali, ſi coërceat in ſe corporis luxus, & ſervituti redigat carnem ſuam.* b *Ideoque dictum eſt, Regnum Dei intra vos eſt.* Hoc regnum conſequuntur ii, *qui carnis concupiſcentiis edomitis, regnum fiunt Dei, in quo mens imperat non reluctantibus famulis corporis ſenſibus.* Quod quo in pretio habendum, quamque omni terreno dominatu antecellat, Orator aureus eloquatur: c *Non ita veneratione dignus eſt Imperator in regio ſedens ſolio, diademate redimitus, atque homo qui rationi in ſolium dominatus ſervilium paſſionum ſubjectarum & imperio, quod in illas exercet, tanquam ſplendido quodam revinctum caput habeat diademate. Quid enim quæſo, prodeſt purpurea veſtis, & corona gemmata, quando paſſionum captiva fuerit anima?*

a Ambr. l. de Iſaac & anima c. 4. b Aug. l. 1. de ſerm. Dom. cap. 2. beati pacifici. c Chryſoſt. to. 3, ſerm. Si eſurierit inimicus tuus.

§. II.

Quatuor animi paſſiones frænare ac ſubjugare, regium eſt.

SApit hic illud d Ambroſii, cujus verbum *dulci dulcius ambroſia*, qui ubi cor humanum quadrigæ comparaſſet, ſubdit: *Sunt autem ejus velut quatuor equi, quatuor affectiones: ira, cupiditas, voluptas, timor.* Cui melleus Doctor accedens, ſic quemque commonet: e *Attende ſolerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas, aut contriſteris: totum enim cor hominis in his quatuor affectionibus eſt.* Unde alibi idipſum inculcans ait: f *Iram, metum, cupiditatem & gaudium, veluti quendam animi currum, bonus auriga reget.* Hunc currum prudentiſſime Carolus Scribanius & rexit, & ſuos regere docuit. Hoc argumento ſit, ex cognomine Martini Hardy petito, quem olim monebat. Si tranquillam in Societate vitam ames, g *Soyez touſiours Hardy.* Eam porro fortitudinem *hæc alba veluti quadriga feliciter invehi: ſi nihil ſperaret, timeret nihil, nihil unquam peteret, aut recuſaret nihil.* Ad quod S. Thomas illo Boëtii nos hortatur.

Gaudia pelle, pelle timorem:
Spemque fugato, nec dolor adſit.

Hi quatuor effrænes equi, quatuor hæc feroces animi belluæ,

d Catul. Eleg. 100. Amb. lib. 3. de Virg. e Bern. de jejun. ſerm. 2. f Bern. ſerm. 85, in Cant. g P. Rho virtutum hiſt. tit. prudent. in fine p. 550, D. Thom. 1. 2. qu. 25.

UVA. BHSC. BU 02224

frænandæ ac ſubjugandæ ſunt, ne hominem crudeli laniena horrendum diſcerpant ac dilanient.

a Carolus V. invictiſſimus Imp. Neapolim ingreſſus, forte ſuper urbis portas indomitum equum, ſine fræno ſcite depictum contuitus, intellexit hunc equum urbis ac libertatis Neapolitanæ ſymbolum eſſe, ac proinde illico ſubjecit: Recte ſe habet: faciam brevi frænum habeat. Quod impoſuit, dum munitiſſimam arcem urbi imminentem, exſtrui curavit, quam *la Brigilia*, id eſt, frænum vocitavit. Homo velut equus raptatur indomitus, niſi rationis fræno, quam Deus in capite quaſi in arce locavit, compeſcatur; quod Iſidorus commonet, b *rationem iræ & cupiditati, aurigæ in morem inſidere oportere*. Quod vel gentilis agnovit, dum dixit: c *Nihil virtute fortius; omnes honeſti ac decori habenas immittens, aurigæ munere fungitur, ducitque quo lubet.*

Equi quantumvis feroces ac bellicoſi, arte tamen exercitioque domandi & percolendi ſunt: his (ut olim equiti) ſcholæ etiam datæ & Magiſtri. Schola erant hippodromus & campi: hic primum vitia dedocebantur, deinde docebantur bonos mores, inceſſus, ſaltus, flexus, curſus inſuper, & ingeniculare, menſæ accumbere, choreas ducere; ut jam quaſi poſita feritate, humanitatem induiſſe viderentur. Ne Poëtarum hæc cenſeatis, *d* Trajano Imperatori (ut Dio Caſſius refert) cum exercitu Armeniam ingreſſo, terræ illius Reges ac Satrapæ obviam proceſſere, inſtructi muneribus, quibus vel bellatoris iram flecterent, vel victoris felicitati quaſi litarent. Et agebat horum munerariorum partes præcipuas equus, qui inter ea dona pretio non infimus, gratia certe ſummus eminebat; doctus ſcilicet & domitus flexis poplitibus Cæſarem veluti numen quoddam adorare, & ſubmiſſo ad pedes ejus capite, favorem illius brutæ, ut ſic dicam, humanitatis officio eblandiri, quod apud Italos & Hiſpanos dein vulgare fuiſſe comperio. Pergit hic porro Iuſtus Lipſius dicens: „ Quid, quod geſticulari, ſaltare, convivari, & decumbere, „ pyrrhicas edere, & quæ ipſi „ homines ægre exprimant, in „ theatris olim ſunt viſi. *e* Plutarcho moroſe hoc accredat „ aliquis: ſed quis non Iulio „ Cæſari Scaligero, novello & „ oculato teſti? Equum puſillum, inquit, deformem cir- „ cumducebat agyrta quidam, „ cujus juſſu, atque etiam ſolo „ interdum nutu, mira ille fa- „ ceret. Ambulare, ſuccuſſim „ properare, currere, ſaltare vel „ quadrupes, vel bipes. Vinum „ bibere, inquit, vidimus, poſteriorem inſidentem anterio- „ res pedes ad pateram ferre: „ pelvim ſive malluvium cru- „ ribus ſuſtinere, quaſi à tonſore lavaretur. Aliud non leve „ docilitatis argumentum eſt.

b Narrat Gregorius Toloſanus

a V. Fabri Dom. 5. poſt Pent. conc. 2. *b* Iſid. l. 3. epiſt. 10. *c* Seneca, *d* Strabo l. 3. Dio Caſſius l. 49.

e V. Herm. Hugo de milit. equeſt. lib. 1. c. 1. Lipſius ep. ad Belg. cent. 3. ep. 56. *f* L. 13. de Repub. c. 13. ſect. 4. Herm. Hugo de milit. equeſt. l. 3. c. 3

Epiſco-

UVA. BHSC. BU 02224

Episcopo cuidam præstantem fuisse equum, quem Episcopi frater, homo militaris, tam vehementer ambiebat, quàm Episcopus amabat. Is homo cum sciret Episcopum (dum iter equo faceret) solitum Canonicas preces recitare, clanculum sæpius equum Episcopi inscendit, asperaque voce identidem repetens exordium illud Canonicarum precum, *Deus in adjutorium meum intende*, simul equum calcaribus stimulabat, adeo, ut equus aut calces excuteret, aut in pedes se erigeret, ad excutiendum vectorem. Id ergo cum fecisset frequentius, equum tandem ea precum præfatione admonitum territumque assuefecit calcitrare. Episcopus fraternæ sycophantiæ ignarus, preces (forte equo vehens) cum de more ordiretur, ecce tibi equus, solita precum inchoatione audita, erigit „se, excutitque sessorem. Tum „Episcopi frater (qui hanc sci„licet ansam dudum captarat) „equum sternacem ut sibi E„piscopus daret, per insignem „astum impetravit. Ridere vos „video: audite & historiolam „cum risu pariter. Sybaritæ o„lim deliciis & luxu perditi, „vel proverbio locum fecere. „Inter alia, isti equos adsuefa„ciebant in convivium venire, „saltare ad tibiam, pedes ante„riores tollere, iisque vice ma„nuum gestus certos edere, ve„lut peritos quosdam cheiro„nomantas. Quibus tandem, aliisque pluribus subnectit Lipsius, hujus animantis, a *mira promptaque obedientia effecit, ut in ipsis sacris libris.* EQUI ET EQUITATUS *piorum animas significent: quæ Dominum videlicet sessorem, rectoremque accipiunt, neque ex sua libidine, sed ejus arbitrio flectuntur.* At longe efficacius illud *b* Hipponensis præsulis monitum: *Domas equum; quid daturus es equo tuo cum te cœperit portare, mansuetus ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse jumentum, hoc est adjumentum infirmitatis tuæ? quid ei retribuis? quem nec saltem sepelis cum mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus projicis. Domito tibi Deus hæreditatem servat, quod est ipse Deus.* *c* Hac similitudine usus Apostolus, ait: *Equis frænа in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.* & hominem reperire erit, qui se à suis brutis passionibus abripi sinat? In ejusmodi merito insurgit Philosophus Romanus: d *Quid prodest equum regere, & cursum ejus fræno temperare, affectibus effrenatissimis abstrahi*, nunc insperata victoria efferri, nunc inopinato nuntio gestire, nunc improviso infortunio dejici, nunc repentina injuria exstimulari? Qui affectus ut potentes sint, ratione tamen, haud aliter quam generosus equus, domari possunt. Ita Tullius de officiis suos docuit. Equos propter crebras„ contentiones, præliorum fe-„ rocitate exultantes, domito-„ ribus tradere solent: ut iis fa-„ cilioribus possint uti; sic „ homines secundis rebus ef-„ frænatos, sibi præsidentes, in„ gyrum rationis & doctrinæ „ duci oportet, ut perspicacius„ rerum humanarum imbecilli-„

a V. Interpretes.

b Aug. serm. 4. de verbis Domini. c Iac. 3. d Sen. epist. 88.

tatem,

UVA. BHSC. BU 02224

„tatem, varietatemque fortu-
„næ ferre queant.

a *Tempore paret equus lentis animosus habenis,*
Et placido duros accipit ore lupos.

Homo vero quo provectior, hoc motus animi magis efferatos, si domare negligit, experiri consuevit. Hinc in quibusdam elati animi insolens fastus, in aliis projecta libido, in nonnullis subiti terrores ac metus, in compluribus levissima de causa vehemens effervescens ira. Quæ omnia ut feritate sua, & equos & tauros, & elephantos, & leones, immanissimas belluas adæquent, nihilominus ubi has ratione domari posse ostendero, & in illas sibi imperium esse fateantur, necessum est. b *Ratione sumus fortibus fortiores, tauros domamus ut arent, equos frænamus.* Et Chrysost. hom. 29. in Acta: *In India magna illa bestia & terribilis elephantus, puero 15. annor. cum magna alacritate cedit & subditur. Si elephantos & equos feroces studiis constringimus, multo magis possemus affectiones à quibus trahimur.* Inter sacras paræmias, hæc Sapientis narratur: c *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius parebit occursum.* Hunc tamen homo domare, cum hoc tanquam cum agno ludere visus est. Talem, inquit disertissimus Orator Lanuza, vidi annis præteritis cicurem & mansuetum: quem quantumvis canes incondite allatrarent, ne oculos contorsit. *d* Talem circumducebat histrio, de quo supra, qui ut populum inusitato spectaculo cogeret, in leonis rictum caput suum ingerere consuerat. Quæret hic fortasis abs te quispiam cum Augustino: e *Vnde bestias tam immanes domare potuisti? nunquid eis æquaris viribus corporis? qua ergo virtute ingentes bestias domare potuisti? fremit leo, quis non timeat? & tamen unde te intelligis fortiorem? non corporis virtute, sed mentis ratione interiore.* Ioan. Paulus Chiezia Card. in symbolum sibi delegit leonem capistratum, hoc lemmate subjecto:

——— *Dies & ingenium.*

alludens ad illud Poëtæ:

Longa dies homini docuit parere leones.

f Cicurem leonem duxit ex Africa Ioannes Austriacus; in eadem primus mortalium leonem subjugavit Hanno Carthaginensis: M. Antonius ad currum jungi vidit. Tu vero es *in domo tua sicut leo* rapiens & rugiens, *evertens domesticos tuos.* Fuit leo Barcinone, qui ut iram cohiberet, tanto animo se compressit, ut subito exanimatus concederit. *g* O pudor! exclamat auctor asceticus, cum æstimentur feræ, virtutem pretio vitæ. Chrys. serm. 2. in Gen. *Subigendæ sunt ac domandæ, à ratione alienæ ac belluinæ cogitationes, ferociores & immaniores, earumque dominatus rationi committendus. Et quomodo fieri potest, dicet aliquis, ut belluinam cogitationem quis subigat? quid ais mi homo? leones subigimus, eorumque animos cicures reddimus, & dubitas an cogitationum feritatem ad mansuetudinem possis traducere?*

a Ovid. l. 4. Trist. El. 5. b Basil. c Prov. 30. *d* Garsias to. 1. pag. 512.

e Aug. serm. 4. de verbis Domini. *f* I. C. Schat der gesontheyt. Eccl. 10 g Nieremb. hist. nat. pag. 97.

tametsi

UVA. BHSC. BU 02224

tametsi leoni naturalis est feritas, præter naturam vero mansuetudo; tibi vero contra, naturalis est benignitas, feritas vero præter naturam. Ergone qui id expellis quod est naturale, & animæ belluæ inseris, quod præter naturam est, in tua ipsius anima, quod naturale est, non poteris conservare? quis hoc summæ non tribuat nequitiæ? nam in leonis anima præter hanc, difficultas est altera; est enim expers ratiocinationum anima belluæ: at in anima tua est ratio, est Dei timor, multumque ex multis partibus auxilium ostenditur: ne igitur prætextus & excusationes prætendas. Sed ratione qua in omnes, etiam efferatissimas feras dominaris, tibi ipsi indomitos animi motus subigere, ac passiones contrariis virtutibus subjugare stude: a *Nobile* porro *regnum possidet, qui in corde suo deditus servitutibus vitiorum, præsidet urbibus & turbis populorum; solus is regnat qui dispositio cordis imperio, ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum & exteriorum. Si insurgit rabies leonina, premitur per patientiam; si petulantia hirci, per abstinentiam; si ferocitas apri, per mansuetudinem; si superbia unicornis, per humilitatem.* Alias homo velut equus raptatur indomitus, & in certissimum præcipitium abripitur, aut certe ab hisce quatuor affectibus, velut à quatuor equis miseredilaniatur.

a Bern. de interiori domo. c. 24.

§. III.

Infelices exitus eorum qui ab hisce affectibus abrepti, aut discerpti sunt.

LUcianus *b* in Cynico refert, equitem, furibundo ac sternaci equo conscenso, præcipiti cursu per devia & avia abreptum; cum forte ab obvio rogatus, quo tam concitate pergeret? equum demonstrans, respondit: *Quo illi libitum est.* Ita si quis à vobis sciscitari voluerit, quo pergatis, quo feraminis? nil aliud respondere poteritis, quam, quo ira, quo libido, quo ceteræ affectiones animi impulerint. Quibus certe longe gravius, quam hujusmodi equiti exitium imminere, nemo quisquam inficiabitur. Cecinit hoc olim Pelignus vates:

c *Vt rapit in præceps durum spumantia frustra*
Ora retentantem, durior oris equus.

Haud aliter *inferni raptoris equi*, quos merito belluinas passiones dixero, animum & corpus in altissimum miseriarum præcipitium abripiunt. *d* Et quoniam, ut Lipsius scite notavit, ingenium equorum, pene ad hominis est, imo & vetustas adeo adsidere nostræ naturæ voluerit, ut etiam jungi posse & miscere in Centauris docuerit, ab equis documenta petamus. Ac primum quidem inducit, idem Lipsius ex Plinio Antiochum Regem, cum prœlio Gallos fudisset, Contareti ducis, qui ceciderat, equum insigni specie conscendisse: atque hunc indignatione accensum, spretis lupatis, in abrupta isse, seque & equite una afflicto. Alterum de Carolomanno refert Æmilius; filius is erat Ludovici Balbi Regis Galliarum;

b Aldrov. de quadrup. p. 11.

c Ovid. l. 2. amor. d Lipsius ep. ad Belgas cent. 3, ep. 56.

UVA. BHSC. BU 02224

qui impetu effrænis equi, intra humile ostium illatus, corporis compagem solvit, & miserandum interiit. Ea re prudenter magnus ille Sfortia præcepit Francisco filio, *ne unquam indomiti oris equo uteretur*, doctus periculo suo, ait Iovius: *a* memorabat namque se ab equo (cui ob oris contumaciam draconi nomen erat) in fossam aliquando præcipitatum, nequidquam retinentem fræna, cum Baccianus hostis ex insidiis sibi immineret. Habetis & stupetis, imo & doletis hanc rabiem in equis; longe superiorem in vobis ipsis cognoscite. *b* Inter aulicos Rudolphi II. Cæsaris, fuit è Magnatibus Imperatorii cubiculi, qui mane frigidam allaturus suo Cæsari ad lavandam faciem, vitrum ferebat crystallinum; *c* sed quia operculum excidit incauto, præ rabie totum poculum humi allisit cum dicto, Habeat diabolus & equum, qui rapuit ephippium. Sic uno jactu quadringentos Philippeos abjecit: tanti enim crystallinum illud æstimebatur. Xenophon ferociam in equis, similem esse iracundiæ hominum pronuntiavit; & vulgari parœmia ubi quis ira excandescere incipit, equum inscendere dicitur. Quam vere, attendite: unus Seneca totis tribus libris de ira, plures nobis commemorat, quos ira confixit, quam quos equus contrivit: d *Patrum agilis est puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut mensa negligentior posita, &c. in rabiem agit versus calix.* e Egit Pollionem, qui ob calicem vitreum confractum, famulum murænis devorandum objecit. Insurgit hic Hieronymus: f *Si cibus*, inquit, *insulsior fuerit, contristamur, & putamus Deo nos aliquod præstare beneficium, cum aquatius vinum bibimus. Calix frangitur, mensa subvertitur, verbera resonant, & aqua tepidior sanguine vindicatur.* Sed pergo porro: Calamus à regio dynasta minus bene aptatus, Constantino stomachum adeo commovit, ut ilico trucidari præceperit. Alius ob capum non bene assum, cocum veru affixum torreri jussit. g Alius puerum vivum comburi, quia statо tempore se à somno non excitasset, ut supra commemoravi. VVenceslaus, quia prægustator minus sapida pocula propinarat, ab effræni iracundia vivis ereptus est. Baptista Mirandulanus Ferrariæ in duello adversarium equitem eques aggressus, territum in fugam verterat, cum è vestigio ipse victor in equo nutare, exanimari, corruere, & sine vulnere exspirare, attonita spectantium corona, nimiane ira, gaudiumve, hominem extinxisset, ita se & suos perdunt ac perimunt. Ex quibus recte concludit Basilius: h *Non est igitur culpandum corpus iis, qui recte de illo sentire volunt: quemadmodum illum bonus est equus, & quanto natura sua velocior, & ferventior, tanto melior; & tamen auriga, & gubernatore opus habet, utpote expers rationis: qui ubi ascensorem*

a Hugo de milit. equest. pag. 264. b Drex. gymnas. pat. p. 3. c. 1. sect 3. c Aldrov. de quad. p. 112. d Seneca lib. 2. de tract. 25.

e Sen. lib. 3. de ira c 20. f Hieron. ad Eust. de virg. g V. Dom. 6. post Epiph. sect. 2. Binet ægrorum schola cap. 13. Drex. Tribun. lib. 1. c. 3. sect. 3. h Basil. const. monast. c. 3.

sen-

UVA. BHSC. BU 02224

ſenſerit, illo in ſuum commodum utetur; ſi vero male ducet, in præceps aliquando cum ipſo ſeſſore auferetur. Quis nunc miretur Eccleſiaſten ab equo ſimilitudinem petere: a *Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps.* Si equus, dum ætas tenera & docilis eſt, non flectatur, non monſtretur greſſus gloremare ad nutum domitoris, ſi calcaribus non ſubigatur, ſi lupatis non infrænetur, intractabilis evadet, franget frænos, & ſeſſorem innata protervia in præſentiſſimum exitium præcipitem aget. Idipſum hominibus uſu venit ſi ſuæ libidini, iræ, avaritiæ, arrogantiæ relinquantur. Nam, ut recte Plato & Polybius teſtantur, nullum ex reliquis animantibus atrocius ſit homine atque efferacius, ſi ſibi relinquatur, & ſuæ libidini, iræ, dolori, amori fræna laxarit. Quid enim aliud de hujuſmodi imperito aut phanatico aliquo auriga expectandum eſt, quam quod Phaëtonti aut Hippolyto accidit, ut quatuor hi equi in diverſa abrepti, dominum ſuum perdant, ac miſere diſcerpant? Supplicii genus perquam truculentum ſemper habitum fuit, à quatuor equis hominem in partes diſcerpi. Ita Metius Suffetius, ut *b* Livius teſtatur, ob proditionem & defectionem, regiis omnibus ornamentis exutus, quadrigis in diverſa nitentibus alligatus eſt, ejuſque corpus agentibus lictoribus, & vi equorum trahentium, utroque ſpectante Romanorum & Sabinorum exercitu, in partes diſcerptum eſt: ita ſub *c* Carolo Magno dum Ganalonus Dux exercitus, magna militum manu ad hoſtes defeciſſet, iis debellatis, Ganalonum proditionis convictum, ferociſſimis quadrigis diſtractum, fœde laniavit. Sane in re obſcura ſi conjecturam adhibere licet, cauſam non reperio, cur perfidi vulgo ac proditores ſoleant quatuor equis diſcerpi, niſi ut acerbius recordentur, ſe à ſuis cupiditatibus abreptos fuiſſe. Unde Mediolanenſis Antiſtes d *Currus*, inquit, *eſt anima, habet equos bonos vel malos; boni equi virtutes ſunt animæ: mali equi, paſſiones ſunt corporis. Bonus ergo rector malos equos reſtringit, & revocat; mali equi* IRACUNDIA, CONCUPISCENTIA, TIMOR, INIQUITAS. *Interdum ipſi equi inter ſe diſſident, & aut iracundia protendit aut timor, & ſe invicem impediunt, & curſum retardant* in cælum; hominem vero hi Plutonis equi ad inferos devehunt. Qui ſi domiti fuiſſent, non ſecus ac equi illi ignei Eliæ, (ſic dictus, quaſi Ἥλιος, ſcilicet Sol) nos pariter ad ſuperos pernici curſu tranſtuliſſent.

a Eccleſ. c. 30. b Livius lib. 1. dec. 1. c Sabel. lib. 8. c. 8.

d Ambr. lib. de Iſaac cap 8.

§. IV.

Quinam paſſiones ſuas frænando, earum perfectum imperium, ac dominium obtinuerint.

CHriſtum Servatorem noſtrum paſſiones habuiſſe, ſed & perfectiſſimum in eas imperium, compertum eſt. D. Thomas: e *Propriiſſime dicuntur paſſiones animæ, affectiones appetitus ſenſitivi, quæ in Chriſto*

e 3. pag. q. 15. art. 4.

UVA. BHSC. BU 02224

fuerunt, ſicut & cetera quæ ad naturam hominis pertinent. Quod ibidem Auguſtinus confirmat, & Bernardus: a *Quia veram humanæ carnis & animæ ſubſtantiam ſuſcepit, veram utriuſque naturam, nec corporis illi defuerunt, nec animæ paſſiones. Sciendum tamen,* inquit, *quod hujuſmodi paſſiones aliter fuerunt in Chriſto quam in nobis, quantum ad tria. Primo, quidem quantum ad objectum, quia in nobis plerumque hujuſmodi paſſiones feruntur ad illicita, quod in Chriſto non fuit. Secundo, quantum ad principium, quia hujuſmodi paſſiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis; ſed in Chriſto omnes motus ſenſitivi appetitus oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis. Tertio, Quantum ad effectum, quia in nobis quandoque hujuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitivo, ſed trahunt rationem; quod in Chriſto non fuit, in quo ratio nullo modo impediebatur facere, quæ conveniebant.* b Et ſecundum illa ria in Chriſto, inquit, fuit dolor, triſtitia, timor, ira, aliæque paſſiones. Sic Lazarum, ſic videns civitatem, flevit. Sic in horto timuit, & triſtatus eſt. Sic gaudebat, amabat, dolebat, iraſcebatur, pro arbitrio ſuo iis fræna laxando. Unde c Bernardus in ſuſcitatione Lazari: *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum: non conditionis neceſſitate, ſed ſuæ beneplacito voluntatis.*

Potentiſſimus Perſarum Rex Aſſuerus hoc perfectiſſimum in omnes ſuos habebat imperium, ut nemo quiſquam ſubditorum *non vocatus*, ſe in conſpectum Regis dare præſumeret. Aſſuerus hic deſignat Chriſtum, & ut gloſſa interlinearis, d *Chriſtum Dominum oſtendit nomine, & dignitate*; longéque perfectius ille in paſſiones ſibi ſubjectas exercuit imperium: quarum ne minima ſe præter ejus nutum efferre aut mutire valebat, ſed, ut Auguſtinus loquitur, e *hos motus certiſſimæ diſpenſationis gratia, ita cum voluit Chriſtus ſuſcepit animo humano, ſicut cum voluit, factus eſt homo.* Ad ejuſmodi tam excelſum, tam divinum paſſionum noſtrarum, imperium, f Lactantius Firmianus nos fortiter hortatur, dicens: Animum vincere, iracundiam cohibere fortiſſimi eſt: hæc qui faciat, non modo ego eum ſummis viris (regibus) *comparo, ſed Deo* (Chriſto noſtro) *ſimillimum judico*. Hoc autem auguſtiſſimum in paſſiones noſtras imperium obtineri poſſe, à majore ad minus, vir in hac ſpirituali palæſtra exercitatiſſimus, probat argumento: g Aſſecuti ſunt aliqui ſervi Dei dominium paſſionum ceteris, magis rebellium, & quæ difficilius frænari poſſunt, etiam à viris ſanctiſſimis; ergo multo magis acquiri poteſt dominium paſſionum, ut ita dicam, mitiorum, quæ non tam vehementer inquietant hominem, ut illæ aliæ turbulentiores & potentiores, & crebriores; ergo poteſt acquiri dominium paſſionum omnium. Hæ autem inter omnes paſſiones ſunt præcipuæ judicio S. Tho-

a Bern. ſerm. de verb. orig. 3. q. 18. art. 2. b Art. 5. 6. 7. 9. c Bern. ſerm. 1. de S. Andrea.

d V. Cornel. Bonaert. e Aug. l. 14. de civit. c. 19. S. Tho. cit art 4. f Lactant. Firm. l. 1. c. 6. g Lancicius opuſc. Spirit. 4. c. 1. 2. p. 376.

mæ:

UVA. BHSC. BU 02224

„mæ: *Gaudium, Triſtitia, Spes, Ti-*
„*mor*. Tum maxime paſſio *A-*
„*moris, Timoris, Gaudii & Iuſti-*
„*tiæ, in quibus* quatuor, teſte
„Bernard. *totum cor eſſe* conſue-
„vit, expugnatu difficiliores
„ſunt; expugnatas autem eas
„eſſe, & ſubjugatas docent hi-
„ſtoriæ, omni fide dignæ, e-
„tiam jurejurando confirma-
„tæ.

Quid eſt homini difficilius, quam non lætari in ulla re humana & ſenſibili? tamen Eſther præfidenter Deo dixit: a *Tu ſcis quod nunquam ſit lætata ancilla tua, ex quo huc translata ſum, uſque in præſentem diem, niſi in te Deus Abraham.*

Fortis quidem ut mors dilectio, ſed & in hanc & illam imperium habebat Abram, de quo Zeno Veronenſis: b *A filio ad agnum tranſtulit dexteram, ſemper lætus, & gaudens. Nec mutatus eſt vultus ejus, cum eſſet victima commutata.*

Potentius quis forte duxerit frænare paſſionem turpis amoris, & honoris proprii: ab utroque tamen affectu S. P. N. Ignatius, & quidem primo ſuæ converſionis anno, perfecte liberatus fuit. De priore ſic ſcribit Maffeius, quod viſa B. Maria Virgine cum puero Ieſu, tantum repente odium faſtidiumque concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præſertim in ea quæ cum inhoneſta voluptate conjuncta ſunt; ut omnes rerum illarum, quamvis diuturno uſu ac veruſtate corroboratas imagines, ex hominis memoria, conſpectus ille deterſerit.

a Eſth. 14. b S. Zeno ſerm. 1. de Abram.

c De ſuperato vero ab Ignatio inanis gloriæ vitio, ita ſcribit: Eum tum aliis mediis, tum denique divino præſidio, deteſtabile hoc vitium ita debellaſſe, evulſiſſeque radicitus, ut poſtea quotieſcumque ſalus animarum, aut Dei gloria poſtularet, ſua non minus bona, quam mala, *ſine ulla prorſus cenodoxiæ titillatione, palam, & ingenue expromeret*. Ribadeneira vero de eo ſic ait: Illud Dei miſericordia conſecutus eſt, ut per multos annos, antequam de vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit. Imo uſque adeo luce divina erat perfuſus, ſuique perfecte cognitor, atque contemptor, *ut nullum ſe vitium diceret minus extimeſcere, quam vanitatis & gloriæ inanis*. d Conſimile de S. Ambroſio breve exſtat elogium: *Ambroſius non ſcit inflari.*

hemens ira malum ſit, eam tamen quam potenter frænarint ac ſubjugarint reges ſui, ſacræ ac profanæ hiſtoriæ teſtantur.

e Moyſem ſic laudat Gregorius Nyſſ. De eo audivimus, quod nec ab ira, nec à concupiſcentia, vinci, & ſuperari poſſet. Utriuſque ei perhibente teſtimonium hiſtoria, quod & lenis mitiſque eſſet ſupra omnes homines. (Per lenitatem autem & clementiam iræ vacuitas, & ab iracundia animus alienus oſtenditur) & quod non concupiſceret quidquam eorum, circa quæ in pleriſque homini-

c Maff. l. 1, c. 10, Ribad. l. 3. c. 3. d In Vita. e Greg. Nyſſ. diſp. de anima & Reſurrect.

UVA. BHSC. BU 02224

bus concupiscendi vim occupatam esse videmus.

An non hoc magis in SS. Patriarcha nostro Ignatio stupendum, qui præ Moyse, bilem in se ex natura effervescentem habuit, adeo tamen compescuit, ut genio suo phlegmaticus ac mitis palam judicaretur, & stomachum sibi movere quantum vellet & componere pro arbitrio posset: a *Vidimus persæpe*, inquit oculatus testis Ribadeneira, *illum affabiliter, hilariterque & magna animi æquitate colloquentem cum suis, accersere aliquem, quem objurgare vellet, primoque illius aspectu commutare vultum, ad severitatem componere, & quasi iratus esset, graviter hominem corripere & castigare; statim tamen atque ille excesserat, ne puncto quidem temporis interjecto, ad suam illam tranquillitatem, jucunditatemque sermonis, sereno vultu, explicata fronte redisse: perinde ac si nihil quam aut ille intervenisset, aut quemquam ipse objurgasset. Itaque apparebat nihil animo fuisse commotum, ac severam illam objurgationis personam & suscepisse cum vellet, & deposuisse.* b *Quod in reliquis ejus actionibus videre fuit, ut ex illis perluceret moderatio animi, & tranquillus securæ mentis status.*

Tales erant duo illi fratres Monachi, quos cum vir sanctus explorare vellet, hortum eorum ingressus, apprehenso baculo cœpit omnia olera confringere, *ita ut nihil omnino remaneret. Videntes autem dicti fratres, nihil penitus dixerunt, sed nec vultum tristem nec turbatum habentes. Et rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes complentes, adorantes eum dixerunt: Si præcipis Domine, ibimus ut eum qui remansit caulem coquentes gustemus, quia jam hora est, ut cibum sumamus.*

Erit qui hæc eorum esse jactitet, qui mundo sprero, omnibus carnis lenociniis nuntium remisêre, jamque in apice perfectionis constituti, infra se vident omnia, ab his homines inter delicias enutritos, inter honoris typhum elatos, quam longissime abesse; quasi hic exempla deessent; lege & erubesce. Domestica Philippi II. mansuetudo, cum incredibili gravitate, mores illius reddidit amabiles. Nil tam præposterum accidebat ut excandesceret, in se iramque suam primario imperium exercens. c Vigilaverat ad multam noctem, literasque ad Pontificem de gravissimis [illegible] tiis dederat, cum absolutam epistolam aulico ab Epistolis dedit, ut complicatam obsignatamque sigillo, inscriberet: ille semi-somnis epistolam recentem ab atramento pulveraturus, haud satis attentus, pro arenario atramentarium invergit, totamque corrumpit; exanimaverat hominem casus inopinus, *cui, serena fronte Philippus: Huc, inquit, aliam chartam, iterumque scribere orsus epistolam, de integro composuit.*

Progressurus in publicum, leviores ocreas ut indueret assederat, cum una induta, alia diutissime fuit quærenda; neque tamen unquam administris iratus est, aut aspe-

a Ribad. l. 5. cap. 5, b Ruffin. l. 3 num. 21, Rosvveyd. p. 500,

c P. Rho virtutum historiæ l. 7. de temp. c. 8 sect 8. pag 16,

riori

UVA. BHSC. BU 02224

riori verbo quemquam læsit? *a* Non levis injuria Philippo illata censeri posset, dum in ipsa solemnissima ejus inauguratione, imprudens quis, ut confertam multitudinem compesceret, oblonga pertica in tres crystallinas lampades, quæ superne regis & reginæ vertici impendebant, confregit: quo cum uberrimum oleo defluente, regales amborum vestes delibutæ, adeo non exarserunt, ut rex sereno vultu, regina etiam arridente ab hoc pingui imbre compluti, augurium ceperit, sub se unctionem pacis, abundantiam, omnemque prosperitatem hoc infortunio designari palam ediceret. Sexcenta hujusmodi narrantur, regiæ argumenta mansuetudinis, quæ tanto regibus magis esse debet commendata, quanto ira illis gravior, & subita, atque aspera verborum, mortis fulmina plerisque semper fuerunt.

b In hoc pariter laudandus Albertus Belgarum Princeps, quem iratum aliquando fuisse negant, qui ejus res gestas composuerunt: alios adferre possem, qui timorem, dolorem, amorem sui, suorumque subegerunt, sed institutæ brevitatis memor totum dixero, si eos induxero, qui non unius aut alterius, sed omnium passionum perfectissimum dominium consecuti sint.

c Quod in magna Dei matre fuisse, nulli ambigendi locus relinquitur, tum quia numquam illam ad ullum peccatum perduxerunt, tum quia numquam invitam perturbarunt; tum quia (ut etiam in Christo) numquam illam impediebant in bono, nec per gravedinem corporis ex illis ortam, nec per obfuscationem rationis in considerationibus piis, nec per resistentiam ullam, operum ejus bonorum inchoationem vel continuationem impedientem, aut ejus in bene operando promptitudinem & fervorem minuentem.

Sed & in aliis extitisse comperio; *d* ac primum quidem in Moyse qui *homo erat similis nobis passibilis*, omnium tamen passionum Dominus, Deo similis ab *e* Ambrosio nuncupatur, qui ponderans illa Dei ad Moysen verba: *Posui te Deum Pharonis: Etenim*, inquit, *victor passionum omnium, mentem regens, carnem subjiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est.*

f Hoc titulo in cælum extollit Martinum Severus Sulpitius: *Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: unus idemque semper, cælestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur.*

g De S. P. N. Ignatii in suas passiones imperio, scribit testis juratus Ribadeneira libro 5. capite 5. & luculentius S. Rotæ auditores in Relatione pro ejus Canonizatione, data, ut moris est, in scripto, Paulo V. examinatis depositionibus sexcentorum & septuaginta quinque testium juratorum, statuerunt aliquot, *illum habuisse pacem in-*

a Cauffin. court sainte tom. 4. Passion de la colere sect. 5. *b* P. Rho cit. sect. 5. *c* Lancicius opusc. spirit. p. 267.

d Iac 5. *e* Amb. lib. de Cain & Abel. c. 2. *f* Dial. 1. *g* Laucicius opusc. spirit. pag. 281.

UVA. BHSC. BU 02224

teriorem ET DOMINIUM OMNIUM SUORUM MOTUUM ET PASSIONUM: *idque peperisse admirationem aliis, quod semper fuerit in eadem animi dispositione, nec unquam se turbasse de aliqua re*, & Cardinales sacrorum rituum, animi ejus magnitudinem collaudantes dixerunt: *quoniam commotionum suarum & perturbationum, ut diximus, dominatum obtinuit perfectissimum.*

a De S. Franciſco ſcribit Bonaventura: *Ad tantam pervenerat puritatem, ut caro ſpiritui, & ſpiritus Deo, harmonia mirabili concordarent.* Hoc autem imperium & feminas tenuiſſe, habes in vita Catharinæ Senenſis, de qua Beatus Raymundus ei à confeſſionibus ſcribit: EXPERS ERAT OMNIUM PASSIONUM HUMANARUM, *aliis virtuoſis communibus conſuetarum, nec per inſtans poterat à fervore charitatis, quoquo modo remitti, & ideo nec vanæ gloriæ vento, nec unquam irrationabili appetitu locus, in mente illa poterat reperiri.*

b De B. altera Catharina Genuenſi refert Tannerus: *Humanam fidem excedere videtur. B. Catharinam à triceſimo ætatis ſuæ anno, uſque ad finem vitæ* (ſcilicet per plures quam 30. annos) *omni ad malum, ſeu vitium inclinatione caruiſſe.*

Merito itaque Rex noſter, & Dominus dominantium, olim Magdalenæ de Pazzi, & in illa nobis omnibus, hanc perfectionis regulam tradidit: *c* SIS DOMINATRIX TUARUM PASSIONUM, *petendo talem gratiam à me, qui ſum dominator omnium creaturarum.* Quo fiet ut his paſſionibus quaſi equis domitis, ſuper eos aſcendentes, viam nobis in cælum dirigamus, accinente Propheta: d *Aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio.* Unde S. Macarius viſionem Ezechielis de animalibus, animæ paſſionibus applicans, ait: e *Quemadmodum animalia illa ſpiritualia, non pergebant quocumque liberet, ſed quo noverat, & volebat is qui ſeſſor erat, & dirigebat:* ſic *& in hac vita cohibet ipſe, & impellit dirigens ſpiritu ſuo, ita ut proficiſcantur (non arbitrio ſuo)* ſed quo impetus ſpiritus impellebat. *f* Vt in variis vitiis perfectis jam „ vidimus: hic enim aurigam „ ſenſuum hominis exercitatum „ habere cernitur; ille vero „ ſemper in equis virtutis cer-„ tandi ſtudio fervens, vehitur „ inter medias dæmonum co-„ pias, quadrigam continentiæ „ in timore Dei omni tempore „ exercens. Quam quidem, cur-„ rum Iſraël apud ſcripturam „ cum Elias ille in ſublime ſu-„ blatus eſt, dictam eſſe legi-„ mus: ſi quidem Iudæis pri-„ mum de quatuor virtutibus „ excellenter locutum eſſe vi-„ demus Deum. Idcirco totus „ & in curru ignis ſublatus eſt „ ille tantus, ac tam admiran-„ dus ſapientiæ alumnus, tan-„ quam equis, ut mihi videtur „ uſus virtutibus in Domino, qui „ illum in aura ſpiritus ignis ra-„ puit. Quiſquis ergo cum Elia „ ſolis inſtar, niveis quadrigis in cælum ſubvolare nititur, equos in promptu habeat: g *Boni equi* teſte Ambroſio, *volant, & à terris ad ſuperiora ſe* (dominiumque ſuum) *ſubrigunt.*

a C 5. vita num. 8. *b* In præfat. vitæ, 3. Part. vitæ c. 9.

d Habacuc 3. e Hom. 1. *f* S. Diadochus c. 62. g S. Amb. l. 1. de Iſaac. cap. 1.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA XLIX.

Omne debitum dimisi tibi. Matth. 18.



OBLITERENTVR. *Sen. Med.*

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Amore Christi, qui Chirographum nostrum affixit cruci, omnia debita inimicis remittenda, quemadmodum in libro rationum, quibus dum crux inducta, omnia debita deleta censentur.

§. I. *Christus delevit Chirographum cruce, quod per primum parentem contraximus.*

§. II. OMME DEBITUM DIMISI TIBI, QUONIAM ROGASTI ME? NONNE ERGO OPORTUIT ET TE MISERERI CONSERVI TUI? *Matth.* 18.

§. III. DIMITTITE, ET DIMITTEMINI. *Luc.* 6.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Omne debitum dimisit tibi. Matth. 18.

LUDOVICUS XII. [a] Rex Christianissimus, cum adhuc esset Aureliæ Dux, sub Carolo VIII. gravia perpessus, etiam vincula & carceres: à quibus tandem ad regium solium evasit, in quo dum sublimis considet, ei nescio qūis parasitus in aurem insusurravit, jam tempus vindictæ esse, in manibus hostes esse, quos opprimere & perimere posset. Sed importuno monitori, ad primum objecit; nequaquam spectare ad regem Franciæ, Ducis Aurelianensis injurias ulciscì. tum ut reipsa id comprobaret, petiit offerri sibi descripta suorum hostium nomina, quæ deinde ipse propria manu inducta, cruce signavit; ubi id ex aula in vulgus manavit, passim & hi & illi ciratis equis regno excedere, rati se in malam crucem ea nota peti. Quod ubi subintellexit rex pius, & sistere omnes, & bono animo esse jussit: vel propter hoc unum symbolum crucis, quæ singulorum nominibus inducta erat, non ut esset signum ultionis, sed potius arrha remissionis, notaque illius indulgentiæ, quam in cruce Servator noster hostibus suis exhibuerat, juxta illud Pauli: b *Delens quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio* AFFIGENS ILLUD *cruci.* Ubi alludit ad syngraphas creditorum; sic ut Chirographum hic nihil aliud sit, quam obligatio reatus, & debitum pœnæ æternæ, quod per injurias Deo illatas contraximus, & quasi manu nostra subsignavimus, ut ait August. & D. Thom. apud Cornel. hic. Et diserte Orig. c *Illud quidem quod dicit Chirographum, peccatum nostrorum cautio fuit: unusquisque etenim nostrum, in his quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit.*

[a] Caussin. Court S. remarques sur la Cour. b Ad Col. 2.

c Orig. hom. 13. in Gen.

§. 1.

Christus delevit Chirographum cruce, quod per primum parentem contraximus.

PRimum quidem debitum, per parentem nostrum Adamum contraximus, cui cum solvendo non essemus, fœnus in immensum auctum est, & per quotidiana scelera multiplicatum, ut recte Chrysost. advertit. d *Venit*, inquit, *Christus, & invenit nostrum paternum Chirographum, quod conscripsit Adam: ille initium contraxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Et nostris quantum summa excreverit? unum debitorem dumtaxat attendite: *Cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Talentum Atticum, teste Budæo *l.* 1. *de asse*,

d Chrysost. hom. 1. ad Nep.

valebat

UVA. BHSC. BU 02224

valebat sexcentos aureos, unde centum talenta valent centies sexcentos aureos, id est, sexaginta millia aureorum; quare decem millia talenta facient summam sexagies centena millia aureorum, id est, sex milliones aureorum, ut ait Iansenius & Maldonatus.

Talentum vero Hebraicum, de quo videtur hic Christus agere, cum non Græcos, sed Hebræos alloquatur, longe majus est: hoc enim facit duodecim millia aureorum, seu coronatorum Francicorum: ergo decem millia talenta, sunt 120. milliones aureorum.

Quis servus contrahat debitum 120. millionum auri? nisi vel ærarium regis expilet, aut incendat, aut integrum regnum prodat vel perdat. Quare hæc debiti magnitudo, proprie peccatum mortale indicat, ut passim SS. Patres, & expresse Ambr. *lib. 5. de Sacramentis, c. 4.* in illud, *Dimitte nobis debita nostra. Et quid est*, ait, *debitum, nisi peccatum?* Quod longe graviorem injuriam Deo infert, quam regi aut ulli mortalium, per quodcumque damnum temporale: per unicum enim peccatum, infinitum debitum contraximus, & ipsi diabolo Chirographum nostrum tradidimus: nemo erat solvendo, omnes perpetuis carceribus mancipandi, nisi debita nostra & Chirographum nostrum benignissimus Redemptor noster, per crucem suam deleviset: a *Vides*, inquit Chrysost. *quantum potuerit studium, ut deleretur Chirographum; utpote eramus omnes obnoxii peccato & pœnæ; ipse penitus solvit, & peccatum & pœnam: punitus autem fuit in cruce: illic ergo ipsum affixit tanquam qui haberet potestatem. ipsum disrupit.* Non modo nomina debitorum per tot sanguineas cruces delevit, quot vulnera & cruciatus tulit, sed & disrupit ac dilaceravit, teste Chrysost. Alii volunt ex illo Pauli, *Affigens illud cruci*, alludi ad syngraphas mercatorum, quæ soluto debito inducuntur, ac unco affiguntur. Ambros. in Psal. 118. *Ascendens illud patibulum Dominus noster Iesus Christus, peccatorum nostrorum Chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo sanguine mundavit.* Et Chrysost. supra: *ergo ipsum affixit*, & tantum ac tam ingens debitum condonavit, dum *cruci fixit*, seu cruce induxit: b *Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus cruci fixit, & suo cruore delevit.* quare facessant profani qui cum Satyrico

Vana supervacui dicunt CHIROGRAPHA *ligni.*

Unum alterumve in exemplum traham, erga debitores profusum, sed qui longe Deo concedunt. c Commemorandus ab eo imprimis Pragensis civis, qui auri nummum centum millia recepto Chirographo, Carolo IV. Imper. mutuo dederat: quem postridie ad prandium solicitavit convocatis regni dynastis; convivium more Bohemico splendidissime exstructum. Cum vero potioni & caseo, ut illi consueverunt, locus esset (neque enim sacchareis utuntur) Chirographum in ca-

a Homil. 7.

b August. de verbis Domin. serm 28. Iuven. Sat. 13. c Æneas Sylv. in comm. Panorm. l. 4 c. 42.

UVA. BHSC. BU 02224

tino aureo juſſit inferri, Admirantibus convivis, & quid hoc ſibi vellet exquirentibus? Cetera, inquit fercula, Cæſar, communia tibi cum hiſce optimatibus fuere, hoc tui ſolius erit: nam aurum omne, quod nudiuſtertius mutuavi, tibi dono, ac totum debitum remitto. Exſuperat quod Spartianus in Adriano: illum ad aucupandum populi gratiam, hoc luculenti triumphi genus excogitaſſe; infinitam vim pecuniæ (erant viginti ſeptem milliones aureorum) quæ fiſco debebantur, remiſiſſe privatis debitoribus, ac in foro Trajani, exſtructo igne, vere triumphali, omnium debitorum ſyngraphas combuſſiſſe. Quin & ætas noſtra hujus munificentiæ exemplar æmulata eſt. Fuit Antverpiæ mercator Ioannes Doens, qui ad centena milia Carolo V. mutuarat. [a] Hunc in patriam reducem, domo ſua (quam luſtravi in Hoboken,) excepit, & ut quid dignum tali hoſpite exhiberet, ſe profecto prodigaliter prodigum oſtentavit: ignem exſtrui juſſit ex odoriferis, cinnamomi lignis, quem apocha ſeu Chirographo omnium debitorum incendit, gratis hanc ſummam gratiſſimo hoſpiti remittens. Sed longe nobis plura per Chriſtum remiſſa, cum teſte Auguſt. in hæc verba: *Vnus debebat decem millia talenta*: dicit, *quoſdam eſſe, quibus Deus remiſit pluſquam decem millia peccatorum*. De his omnibus tamen, ſua immenſa liberalitate ac munificentia triumphavit, delens Chirographum noſtrum, & ut ſubdit Apoſtolus, [b] *palam triumphans illos ſemet ipſo*, dum in ligno crucis, igne charitatis omnia debita noſtra extinxit. [c] Talis debitor exſtitit Ioannes Baptiſta Faventinus, homo facinoroſus, qui cum à Bernardino Senenſi in cœtum Capuccinorum admitti ardenter expoſceret, conſtantiam ejus ut Bernardinus exploraret, experimenti cauſa, rei in morem. Faventiam peteret, jubet, ſic hominem aggreſſus: Hac in urbe ô Baptiſta, tu tot hominum ſanguinem effudiſti, ex quo graviſſimas atque innumeras tibi inimicitias concitaſti; ea propter curandum eſt, ut ante Ordinis ingreſſum, veniam humiliter, fune in collum injecto, ab inimicis tuis impetres. Promptum ſe Baptiſta exhibet, funem ſibi collo alligat, ad urbem pergit, ac primum quidem viduæ cujuſdam ædes petit, cujus conjugem non ita pridem trucidarat: cui ſupplex, Quas voles inquit, de me pœnas exige, en reum, en confitentem. Hæc attonita collachrymari, ac ex animo injuriam remittere. Hoc pacto ceteros quoque placavit, ſibique viam in Religionem ſtravit. Ubi tyro varie exagitatus, ſemel ut natura præfervida erat, commonitionem publicam peracrem, tanta vi ſibi illata, compreſſit, ut venam ipſe pectoris ruperit. Quare cum deinde ſolus in Eccleſia ante Chriſtum è cruce ſuffixum oraret, ebulliente ſanguine ingentem copiam exſpuit, quem ma-

[a] Petra S. metaph. 46. Novarini electa S. tom. 5. l. 9. num. 89.

[b] 2. Ad Coloſſ. [c] Flores Seraphici p. 373.

nu

UVA. BHSC. BU 02224

nū exceptum, En, inquit, Domine Iesu, qualia tui amore patior. Repente Christus in lignea imagine, dextera manu revulsa, lateris vulnus ostentans, Vide, inquit, Baptista, qualia ego pro te in cruce sustinui, quam immania tua scelera, totiusque mundi delicta meo sanguine longe largius fuso delevi. Ex quibus recte concludit S. Leo: a *Evacuatum est igitur illud generale venditionis nostræ & lethale chirographum; & pactum captivitatis, in jus transiit redemptionis.*

a Leo serm. 10, de Pass.

§. II.

Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui? Matth. 18.

TV in regem regum, in Deum tuum injurius, idque non semel, sed sæpius fuisti; homo tibi, vili mancipio, levem injuriam intulit, verbo læsit, & b *manet alta mente repostum*, nec ex corde dimittere potes 100. qui decem millia petis tibi à Deo remitti. August. c *Tu Deum alloquens dicis: Dimitte mihi. Deus dicit ad te: Dimitte proximo tuo: aliquid & contra te teneo, aliquid & tu contra alterum tenes. Dimitte & dimitto. Aliquid petis à me, aliquid peto à te, da & do.* Quid enim indignius, quam quod Ecclesiast. subdit: d *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam.* Æqualis ad æqualem venit ad veniam, & servas offensam, & à Deo petis veniam. *In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur.* Honoratior illo sis qui injuriam intulit, quis tu ad Deum? quæ in parabola hodierna manifesta sunt; in hac enim primo expendenda distantia personarum: ex una enim parte erat dominus & servus, ex altera servus in conservum. 2. distantia inter debitum; servus debebat domino decem millia talenta, at conservus debebat tantum semel servo centum denarios. 3. modus agendi; non enim misertus est supplicis, sed, &c. Inferiores certe erant qui in Ludovicum XII. conspirarant, inferiores longe qui Cardin. Borromæum trucidare decreverant; hic tamen Carolus cum ab Episcopo de Savona per nobilem literas accepisset, in quo auctor conspirationis detegebatur, bajulo inspectante, obsignatas in ignem conjecit, dicens sibi jam sacris operandum, cui hanc hostiam libens immolabat. Quid, quod sceleratus quispiam in Carolum ante Christi imaginem, precabundum explosit; sed dum ad pedes ejus glans devolveretur, & ad strepitum domestici accurrerent, præcepit ne quis se ædibus proriperet, aut maleficium requireret; doctus ab eo quem intuebatur, injurias cruce delere. e *Sed dicit aliquis*, inquit Augustinus, *Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo & non consideras quid tu*

b 1. Æneid. c August. in Psal. 145. d Eccli. 28.

e Aug serm. 5. de S. Stephan.

UVA. BHSC. BU 02224

feceris Deo. a Hoc certo motivo Alphonſus Aragoniæ Rex, graviter offenſus à quopiam, in quem plurima beneficia contulerat, iræ temperavit, ſic ſecum reputans: *Quare ego iſti ſuccenſeo, cum Deus ampliora in me beneficia contulerit, & ego longe Deo ingratior ſim, quam ille erga me?*

b Regium & illud fuit ac egregium facinus, quod Henricus IV. Caſtellæ Rex poſteris reliquit. Habebat hic inter plures infidos familiares, unum, quem à puero educatum regiæ arci Madritenſi profecit; is fidem cum tempore mutans, & rebellium partibus ſe adjungens, regi in ſummo diſcrimine conſtituto, & ad arcem confugienti, aditum tanta pertinacia præcluſit, ut non niſi expugnata arce, & vi foribus effractis valuerit intrare. Tum ille ad regios pedes advolutus veniam poſtulare; frendentibus aulicis hunc de venia ſperare, qui tam apertum proditionis ſcelus admiſerat. At clementiſſimus Rex jacenti libens pepercit, & ſuos exemplo Chriſti ſic affatus eſt: Quid me hominem huic proditori parcere indignamini, cum mihi indubitatum ſit, Chriſtum Redemptorem ſceleratiſſimo Iudæ adhuc proditione peracta, veniam libentiſſime conceſſurum fuiſſe, ſi infelix ille, ſupplex poſtulaſſet? Quid, quod ipſi Barbari ac Turcæ nobis exprobrant legem noſtram vere Chriſtianam? Narrat Baron. ann. 1071. cum Romanus Diogenes pugnaret adverſus Turcas. Sultanum victoriám potitum, ipſum Diogenem captivum cepiſſe, quem benigne habuit, & die quodam ſua menſa illum dignatus, quæſivit ab eo: Quid mihi feciſſes ſi me in tua poteſtate habuiſſes? libere & citra ſimulationem reſpondit: Multis plagis tuum corpus confeciſſem. At ego, inquit Sultanus, tuam crudelitatem non imitabor, *veruntamen audio veſtrum vobis præcipere Chriſtum, pacem & oblivionem malorum*; hoc ego, inquit, tibi præſtabo, & leges crucifixi veſtri ſervandas monſtrabo. ipſumque per ſuos legatos deduci juſſit, amplexatumque dimiſit. Quid ad hoc Chriſtiani? invidus unus aliquis in nomen famamque tuam unguem immiſit aut dentem, læſus es & quaſi multo vulnere ſaucius; agedum oculos & animum in crucem erige, & non tam è calumniis quam flagris Chriſtum lacerum ſuſpice, & quas minas in hoſtem intentet audi, quam vindictam ſpiret intellige. Chriſtus in cruce ſolam linguam liberam habebat, hanc ſolvit in patrocinium inimicorum. Auguſtinus ſerm. de temp. 170. *Nunquid tunc Dominus pro rogantibus rogavit & non potius pro inſultantibus & interficientibus? Nunquid deſeruit medicus officium ſuum, quia phreneticus ſæviebat? Ignoſce*, inquit, *quia neſciunt quid faciunt. Attende ubi hoc fecit, in cruce, non in cælo; ubi ſe imitandum præbuit omnibus, pro te emiſit ipſam vocem, ut ab omnibus audiretur: nam potuit orare pro illis in ſilentio, ſed tu non haberes exemplum.*

c Exemplum hoc ad vivum expreſſi t

a Beyerlinck in Apoph. p. 334. b Velaſq. in Pſ. 109. p. 342.

c Perard. Domin. 21. poſt Pent.

UVA. BHSC. BU 02224

expreſſit Robertus Rex, qui cum detexiſſet conſpirationem 12. nobilium, qui in regis necem conjurarant; die Iovis ſancto omnes comprehendi juſſit, & pro carcere aſſignavit illis ædes Caroli Calvi, ubi regie ac exquiſitis epulis illos haberi juſſit. Tum die Paſchæ rite diſpoſiti ſacram ſynaxim ſumpſere; itaque quaſi modo geniti infantes, de ſcelere rogati & convicti, communi judicum calculo ad mortem damnati ſunt; at Rex omnes donavit libertate & vita, amore Chriſti, qui vitam & omnia ſibi donarat. Hoc motivo melliſluus Bernardus omne injuriarum fel, in dulcedinem convertit: accidit enim ut à quodam Clerico regulari, qui in eum ordinem admitti importune poſtulabat, pugno graviter percuſſus ſit, quod placidiſſime B. Abbas tulit, dicens: Oportet eum aliis ignoſcere, cui toties ignoſcitur à Deo. Eadem vox fuit Caroli vere magni, qui monitus ut ingratos & ſeditioſos ab aula ablegaret, nec diutius toleraret, reſpondit: *Et qua charitate nos hactenus tulit pater cæleſtis?*

a In regno Mexicano Hiſpanus tale odium in alterum, à quo damnum paſſus, conceperat, ut juramento ſe obſtrinxerit, nec barbam radere, nec ungues reſcindere, nec ſacra exomologeſi mentem expiare, quam vindictam de hoſte ſumpſiſſet; idque duos omnino annos animo fovit. Iamque inaudierat inimicum ſuum appuliſſe in quandam urbem viginti duabus leucis à ſe diſſitam: tum rurſus perfido ſacramento ſe obſtringit, nec cibum nec potum ullamve refectionem admiſſurum, priuſquam ejus ſanguine ſe ſatiaſſet. Admiſſo itaque equo totam noctem & diem proficiſcitur, dum intelligit capitalem hoſtem ſuum per forum deambulare: armis inſtructus eo ſe è veſtigio confert; ſed cum huc illuc eum oculis nequidquam perquireret, commodum accidit, ut quendam è Patribus Societatis in trivio, ut iſtic gentium fieri conſuevit, catechizantem, magna hominum turba cinctum viderit: accedit hic luſtraturus num illic forte inimicum conſpiceret. Interim Patrem præfervide de miſericordia Dei, ac profuſa in peccatores clementia diſſerentem auſcultat, rigor animi ad hæc remittere cœpit, tandem etiam in uberem fletum reſolvi: opportunum hunc monitorem. abeuntem conſequitur, ad pedes ſe adſternit, cumque jam animum ſincera ſcelerum confeſſione expiaſſet, perſtitit eodem animi propoſito, nil refectionis admittere, donec in eum incidiſſet, cujus ſanguinem tam ardenter ſitierat, hac fini, ut eum ſibi conciliaret: tandem intelligens eum ob gravia debita carcere detineri, ad captivum viſit, proſternit ſe ad pedes, ſupplex veniam poſtulat, affectumque effectu conteſtans, equum ſuum ac arma divendit, quorum pretium ad ducentas libras annumeravit, ut debita expungat, & creditori ſatisfaciat, nihil aliud in hoſtimentum requirens, quam ut qui dudum hoſtis, de-

inceps

a P. Pennequin amour divin part. 1. c. 4 in fine.

UVA. BHSC. BU 02224

inceps inter amicos ejus numerari posset. Audierat hic siquidem per transennam, *qua charitate se pater cælestis toleraſſet.* Nos semel ab homine læsi vindictam spiramus, sanguinem sitimus, nec satiari nisi eo effuso possumus; nos toties Deum offendimus, qua fronte veniam speramus? Chrysol. serm. 19. *Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat.* Impudens qui mille postulat, & decem alteri negat. a *Animam suam pro te Dominus dedit*, exclamat Chrysost. *& tu inimicus conservo perduras?*

Certus esto, si dimiseris, quod tibi dimittetur.

a Chrysost. de prodit. Iudæ.

§. III.

DIMITTITE, ET DIMITTEMINI. *Luc.* 6.

DEum suo testimonio convincere potes, inquit *b* Gregor. Nyss. *Domine ille meus est debitor, ego sum tuus: solvi, solve; dimisi, dimitte.* & quam fidelis sit, ex his disce. *c* Fuit qui viri nobilis fratrem fraudulenter trucidarat, cujus manus cum se nusquam satis tuto effugere posse confideret, facti pœnitens, S. exomologesi homicidium expiavit, ac tandem salutare consilium Deus menti injecit: Die Veneris sancto, fune è collo pendulo, nobili obviam ivit, ad pedes insperato accidit, veniam rogat homicidii, amore Iesu Christi, qui eo die in cruce omnes injurias remisisset. Alter consternatus hac tanta submissione & Christi passi recordatione, hominem complexus, vita & pacis oscu-lo dignatus est. d *Sed qui dixit*, inquit Augustus. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra.* nocte insequenti illi Christus apparuit, dicens: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris me animam fratris tui occisi hac hora è Purgatorio liberasse, & insuper animam patris tui. Et ne qua merces eum destitueret, addidit: Te invito post 8. dies, ut cum illis æterna gloria perfruaris. qui octavo die pie excessit è vivis.

Ecce & culpam & pœnam & omne debitum remittit Dominus, quod & Chrysost. testatur, dicens: e *Non est possibile, quod homo qui dimiserit proximo, non accipiat plenam remissionem à Deo, quia incomparabiliter magis Deus misericors est. Dic toto corde, dic tota fiducia, dic securus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Anastasius Sinaita refert de religioso, qui moribus dissolutior & vitæ plurimum per otium & torporem exegerat; hic cum ad extremum venisset: imperterritus, & summa animi tranquillitate ad cælestem patriam anhelavit. Quod cum mirarentur qui aderant, assidentium patrum unus, Persuasum, inquit, tibi habeto, mi frater & putasse nos & vidisse, summa negligentia animique remissione vixisse te ad hoc usque tempus: unde igitur tibi

b Nyss. de orat. Dom. c Kearneus conc. 2. in fest. S. Stephan.

d Aug. ser. 5. de S. Stephan. e Chrys. hom. 26. in Acta.

nunc

UVA. BHSC. BU 02224

nunc tanta ſecuritas? Ad hæc moribundus: Ita eſt omnino Patres, ſed Angeli hac hora peccatorum meorum chirographum ad me attulerunt, cumque omnia peccata legiſſem, hoc unum objeci, *poſtquam renuntiavi ſæculo, neque judicavi quemquam, neque factam mihi ab ullo injuriam vindicavi, ſed libens remiſi; itaque Domini verba dicentis: Nolite judicare & non judicabimini: dimittite & dimittetur vobis, ad me quoque pertinere exiſtimavi.* Quod poſtquam dixi, illi ſubito chirographum conſciderunt, & exinde nunc ſumma fruor lætitia. Omnem hic ſuam fiduciam in perfectiſſimo charitatis actu collocarat; quemadmodum *a* B. Baptiſtam Veranam feciſſe legimus; quæ ſolita exclamare: O Deus meus! ſi mihi revelares omnia arcana SS. cordis tui; & ſi mihi indies ostendere ex omnes Hierarchias Angelicas, & ſi quotidie mortuos ſuſcitarem, propter hoc non crederem me à te amari amore infallibili; ſed quando me ſentiam ex corde benefacere, mihi mala facientibus, bene loqui de mihi maledicentibus & injuriam irrogantibus, tunc Pater æterne credam per hoc ſignum infallibile quod tibi ſim vera filia.

b Reperire eſt nonnullos, in pauperes profuſos, in oratione prolixos, in jejuniis aſſiduos, non temulentos, non adulteros, non turpis lucri cupidos; ex albo tamen filiorum Dei expunctos, quod neſcio quam illatam olim injuriam, amaro animo fovere pergant. Uſuvenit hic quod de Alexandro Magno, celeberrimus Hiſtoricus Quintus Curtius commemorat, varios ex variis & longe diſſitis orbis partibus Oratores conveniſſe, qui coram Rege ſuper virtute ejus bellica, præclaris facinoribus, innumeris de hoſte reportatis victoriis diſertiſſime perorarent. Poſt longam tandem laudum, rerumque ab eo geſtarum ſeriem, hunc omnes Epilogum ſubjunxerunt, *Tu Philippi es filius.* Quaſi dicere voluiſſent: nequidquam ſe ex omni arte eloquentiæ, depromptis locis argumentiſque, heroica illius facinora ſtuduiſſe exornare: quandoquidem hoc uno, eoque maxime nervoſo compendio, quo *filium Philippi*, Regis potentiſſimi, prudentiſſimi, clementiſſimi, quem hoſtes reformident, obſervent ſubditi, revereantur exteri; quo ralis, inquam, Regis filium, declararunt, omnia complexi videantur. Haud aliter quamvis in re diſſimili Redemptor noſter, qui linguas infantium facit eſſe diſertas, ubi amicos ſuos, qui inimicis ex animo ignoviſſent, nimirum quantum honorare & ſingulari encomio extollere decreviſſet: Miſſo omni verborum fuco, & prolixa laudandi exornandique facundia, eo quo nullo digniori titulo, illos inſignire placuit, dum dixit: *c Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Quid hoc? amando inimicum, filii non terreni Principis, aut Regis, ſed filii Dei, filii Altiſſimi nominamur & ſumus: *d Cui Angelorum*, quærit Doctor gentium, *aliquando dixit: Filius meus es tu?*

a Chron. S. Franc. par. 4, l. 7, c. 26. *b* Calamate diſcurſ. mor. diſc. 4.

c Matth. 5. *d* Hebr. 1.

[Quod

UVA. BHSC. BU 02224

Quod expendens Antiochenus Præsul, exclamat: a *Qualis putas sit actus dilectionis inimicorum, cum filiationis divinæ titulo remuneretur? Diligite ergo inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* Hoc ne cui fortasse mirum videatur, juvat ipsius Augustini, eoque maxime luculento confirmare testimonio, dum hominem hostis sui amantem ipsi Deo conferre non dubitavit, dicens: b *Qui ergo bene vult suo inimico, Deo similis est.* Quo facit illud Gen. 33. Capitales adeo inimicitias & inveterata odia gerebat Esau, in fratrem suum Iacob, ut eum paterna domo exulem, in terram ignotam fugere compulerit. Vbi vero non exiguo temporis intervallo consumptis odiis & amaritudine omni semota, in gratiam redire, Iacobo reduci cum ampliſſimo comitatu occurrere, in amplexus ruere, omnia honoris ac amoris signa exhibere statuit, derepente quasi formam Filii Dei induere visus est: c *Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum, stringensque collum eius & osculans flevit.* Attonito similis S. Patriarcha hac super benevolentia, consideravit vicissitudinem illam non esse humanam, sed divinam, fratremque suum Esau jam non ut hominem, sed quasi Deum contemplatus atque in vultu ejus quosdam divinitatis radios relucere conspexit: unde dixit: d *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Vbi Glossa subjungit: *Peccator cum remittit quasi alter Deus est.* Vnde in hunc locum e Chrysostomus auream illam posteris transcripsit sententiam: *Nihil facit hominem ita Deo similem, sicut inimicis esse placabilem.* Et alibi expressius: f *Non ulcisci, Deo facit æqualem.* Ex quibus ad rem nostram conficitur, ut sicut impossibile est in Filio Dei, vel umbram reperiri peccati, ita qui inimico ex corde ignoverit, animum habere omni labe peccati; & quovis nævo expurgatum.

g Probe id norat S. Elisabetha Hungariæ Regis filia, à Christo magistro edocta, Deum orare solita, ut singulos qui se injuria affeciſſent, afficeret Deus singulari aliquo beneficio. Vnde cælitus responsum accepit acceptissimum: nunquam tota vita sua gratiorem Deo orationem persolvisse, ac proinde & minerval respondere: hac unica oratione se peroraſſe, ut totius vitæ delicta delerit.

h Cui non absimile est, nisi quod stupendum magis, quod refertur de vidua, quæ unicum filium sibi chariſſimum, ubi per summum scelus occisum intellexit, & cadaver sanguinolentum, domum delatum intuita, dolori temperare non potuit, sed nec furori, dum in flagranti delicto sicarius latebras quærens, imprudens ad ædes viduæ confugit. Quid hic illa agere? satellites instant, homicidam quærunt, eò confugisse audiunt. Nunc cadaver, nunc latebras occisoris, nunc cælum, & forte crucem cadaveri appositam intuita, radius divi-

a Chrysost. hom. 13. in c. 5. Matth. b Augast. in Ps. 70. c Genes. 33. d Versu 10.

e Chrys. in Gen. c. 33. hom. 8. in Matth. f Hom. 32. in Act. Apostol. g Ozorius fer. 6. post Cin. h Lobbet. de Fortit. p. 269.

UVA. BHSC. BU 02224

næ charitatis mentem transfixit, simulavit apud justitiæ administros abs re esse, eò homicidam confugere, quæsitum texit, & personatum equo filii exanimis, bursamque auro gravem condonans, dimisit. Dum ecce filius matri sese exhibuit multa luce circumfusus, ac sic matrem affatur: Est quod tibi domina mater gratias habeam immortales: nunc duplici nomine mater: dum enim inimico meo & tuo veniam dedisti, mihi omni reatu inducto, cælum aperuisti, quod ad annos plurimos clausum erat. quo dicto in conspectu matris cælum ascendit. Nonne verissimum, *Dimitte & dimittetur vobis?*

Ad vos igitur, qui inveterata odia corde fovetis, è crucis cathedra clamat piissimus Redemptor, & per salutem animæ vos orat & obsecrat, ut remittatis: quid enim est injuria tua, respectu injuriarum quas tu Deo intulisti, quas ille in cruce pertulit? flagellis cæsus est, inquit *a* Bern. spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus; omnium dolorum tamen immemor ignoscit, & subdit: b *Mira res; ille clamat, Ignosce: Iudæi, crucifige.* Christus è cruce pro te clamat ad patrem, *Ignosce*, tu iram fovendo, *Crucifige.* quæ pro rei indignitate sic exaggerat August. *Tu ô Christiane de adversario tuo æstuas, anhelas, festinas vindicari, attende Christum medicum ægritudinis tuæ. Propter te pependit in ligno & nondum est vindicatus: & tu vindicari desideras, & non potius ta-*

a Bern. de Pass. ser. 4. b Aug. s. 2. de SS

lem ac tantum Magistrum imitari? Ideo pati voluit, ut tibi patientiæ suæ monstraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum conficientem: vide pendentem & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem ut audias precantem: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt: c Ponderat hic verbum vel unicum divus Anselmus, ut quid Redemptor noster dixerit: *Dimitte* ILLIS. Quibus? Discipulis qui turpi fuga elapsi, Dominum suum segniter destituerunt? Illis: Quid? Petro perneganti, & Magistrum suum perfide ejuranti? num cognatis & amicis qui innocentiam suam propugnare, atque Iudæorum manibus eripere minime ausi sunt? Non *illis* ignoscendum clamat, in quibus ut charitas refrixerit; reversi tamen sunt ad cor, & ad Dominum Deum suum: qui ut injuriam Christo irrogarint; nihil tamen ad illos habent, pro quibus hic interpellat: *Pater dimitte* ILLIS. Sed *qui sunt hi Domine quibus ignoscendum?* quærit piissimus Doctor. *Illis* benignissimus Iesus à Patre æterno ignosci postulat, qui quidquid potuerunt opprobrii, flagellorum ac cruciatuum sibi intulerunt: *illis* militibus Præsidis, qui collo ejus vincula injecerunt, & omnipotentis manus dirissime funibus constrinxerunt: *illis* Iudæorum Ministris, qui Sapientiæ æternæ indignissime illuserunt: Herodi qui ipsum despexit: Pilato qui eum morte injustissima condemnavit: *illis* sceleratis Satellitibus, qui in-

c S. Ansel. in Explan. Euang. ad c. 23 Luc. v. 34.

nocen-

UVA. BHSC. BU 02224

nocentem agnum tam crudeliter laniarunt, Dominum Majestatis spinis coronarunt: *illis* qui clavis manus & pedes confixerunt: *illis* qui Barabbam homicidam, latronem, seditiosum, Auctori vitæ præposuere, clamaveruntque, Crucifige, Crucifige eum. *Illis*, illis denique petit ignosci, qui jam effuso omni per tot immania vulnera cruore, ardentissimam ejus sitim, felle & aceto explerunt. O ineffabilem amantissimi Iesu charitatem! O immensum dilectissimi Salvatoris amorem! Ecquid ô Domine, ait Anselmus, eos, pro quibus tam ardenter apud Patrem peroras, suo nomine non compellasti? Causam hanc sanctissimus Præsul subjungit: a *Quia si nominare eos deberet: Ignosce illis inimicis meis, crucifixoribus meis dicere deberet; sed hoc non patitur amor.* At charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, hæc dumtaxat verba exprimit. *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Si hæc vox Christi perorantis, pectus vestrum non moveat, quid movebit? nil efficacius certe reperit c P. Benedictus Palmius, qui Sebastianum Ansalonium, virum nobilem ac opulentum, hoc æstu vicit: septennium illi capitale odium intercesserat cum alio cive nobili Papardo, ob interemptum fratrem. Papardus jam dudum datus in carcerem, sæpeque tortus, supplicium in dies ultimum expectabat. Accidit Ansalonium Palmii concioni feria 6. majoris hebdomadæ interesse: postquam ad 7. horas prope peroraslet, cum de more crucifixi effigiem populo pararet ostendere, jamque paululum detexisset, repente haud sine divino instinctu obvolvit, & accensas faces jubet extingui, magna voce contestans, nequaquam se ei populo Christum Dominum, quem suis peccatis in crucem egerint, ostensurum, nisi numquam ejus majestatem violaturos, in loco sponderent. Cunctante hic multitudine & attonita, convertitur ad Crucifixum Palmius, atque ita ut erat nigro velo obtectum, arcte amplectitur, cum lachrymis ac voce lamentabili exclamans: En Domine mi IESV! nonne verum est, Populus hic labiis me honorat, en servos tuos profiteri se nolunt. Continuo gemitus & comploratio, ac voces omnium, *Volumus, volumus, crucifixum revela.* Ansalonius interim, qui tota concione multum profuderat lachrymarum [illegible] angebatur, & quia fletus linguam præpediebat, animo *volo* iterabat, quin famulum ad concionatorem misit, Ansalonium quæ ille vellet facturum; sed antequam famulus ad suggestum penetrarat, ipse exclamat: En Domine faciam quod voles. Qui clamor populum & concionatorem ita pertulit, ut vix sui compos, Latine quæreret. Quis es tu? Cui ille: Ego sum Sebastianus Ansalonius. Quod ut populus audiit, cui pertinacia hominis nota, in plausus publicos effusus est. P. Benedictus reaccensis facibus, faciem Salvatoris omnibus exhibuit. Operitur Ansalonius descendentem è cathedra, ruenf-

a Ansel. cit. b Luc 23. c Hist. Sot. l. 11. n. 27.

UVA. BHSC. BU 02224

ruenſque in amplexus; negat ſe à Collegio diſceſſurum niſi pace firmata. In eandem ſententiam dat literas ad propinquos, advocatur publicus ſcriba, res tota componitur. Papardus, qui ad ſupplicium ſe jam compararat, è carcere liber dimittitur, exules revocantur, tota civitas gaudio geſtit. Anſalonius vero totus jam alter, in Cappucinorum Ordinem ſe recepit, ibique vitam tantæ converſionis celebritate dignam peregit. *a* Si tantum valuit vox Palmii perorantis, quid non poterit Chriſti judicantis? à peccatore vultum ſuum in æternum avertentis? jam nos ad oſculum pacis amice invitantis? Varii Patrum varias cauſas allegant, cui *inclinato capite* IESUS emiſerit ſpiritum. *b* S. Athanaſius dicit, cum jam omnia eſſent conſummata, Chriſtum nutu capitis morti annuiſſe, & dediſſe ſignum ut accederet. S. Bernard. in ſignum obedientiæ & ſubmiſſionis. Contemplativus quidam pie meditatur, inclinaſſe caput quaſi declinans hoc geſtu glorioſum titulum cruci ſuperimpoſitum. Vel ut Onuphrius quidam; ad nomen IESU honorandum. Alius aſſerit, fuiſſe actum adorationis & gratitudinis ad Patrem, quod dederit, pro hominibus mori. Eſt qui cauſam inclinationis fuiſſe docet, deſiderium videndi matrem, ut nutu extremum vale daret, cujus dolorem videns exſpiravit: alius dicit Chriſtum ſuam nuditatem ac paupertatem vidiſſe, ac conteſtatum voluiſſe, *Qui non habet ubi caput ſuum reclinet.* Alius ſcribit inclinaſſe caput, ut amicis ſuis extremam benedictionem impertiretur, cum manu non poſſet: alius, quod ingrato mundo hoc nutu valedixerit. Concionator quidam hanc populo piam rationem propoſuit, inclinaſſe caput ut videret, ſi in toto corpore pars aliqua ſine vulnere: & videns in latere locum vulneri, capite quaſi ſignum dediſſe, illic adhuc plagam infligendam, &c. Propriiſſimam ac genuinam aſſecutus videtur cauſam Laurent. Iuſtin. *Caput ſuum inclinavit mediator ad indulgentiam,* ad oſculum pacis; ita vivo ſigno teſtatus, ut *d* S. Ioanni Gualberto contigit, cum in fratris ſui interfectorem incideret, loco adeo anguſto, ut non poſſet de via deflectere: alter videns mortem præſentem, veniam ſibi dari amore crucifixi petiit; nec ſolum impetrat, ſed una amplexum tulit. Sub hæc in templum Ioannes pergit, & ecce icon crucifixi, capite annuens, gratias agit, hodieque viſitur S. Imago capite à ligno remoto & dimiſſo, quaſi amicum ſalutans, & ad pacis oſculum nos omnes invitans.

a Barry Pannee S. die Mercurii S. devot. 43. *b* Athan. q. 761 ad Antio. *c* Bern. ſerm. de Paſſ.

d 12. July.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA L.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.
Matth. 22.



REDDAT

DEBITA. 2. *Æneid.*

DOMINICA VIGESIMA-SECVNDA POST PENTECOSTEN.

Res male partæ, æquo jure reſtituendæ, & quas quis ſpongiæ in morem, iniqua auri ſiti opes hauſerit, jure compreſſus in Domini ſui ſinum refundat.

§. I. *Probatur illud Iobi:* DIVITIAS QVAS DEVORAVIT, EVOMET: ET DE VENTRE ILLIVS EXTRAHET ILLAS DEVS.

§. II. *Plurimos damnari defectu Reſtitutionis, quæ iniquo poſſeſſori difficillima eſt.*

§. III. NON REMITTITVR PECCATVM, NISI RESTITVATVR ABLATVM.

§. IV. *Sacris ac profanis hiſtoriis Reſtitutio facienda ſuadetur.* DO-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VIGESIMA-SECVNDA POST PENTECOSTEN.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Matth. 22.

VESPASIANVS Romanos inter Imperatores longe clarissimus extitisset, nisi avaritiæ sordibus famam obscurasset; eo quippe insatiabilis auri cupido animum exstimularat, ut non modo in usuris & rapinis connivere solitus, sed & eos potissimum quæstores, ærarios, thesaurarios, dardanarios, urbium ac Provinciarum præfectos constitueret, quos in nummis extorquendis, in vectigalibus corrogandis, novis exactionibus excogitandis prudenter impudentes perspexerat: quos deinde, ubi oves degluberant, omnem succum imbiberant, omnem sanguinem emungerant, velut spongias pretioso rore gravidas, exprimere consuerat; unde spongia Vespasiani in Proverbium abiit, ut Alciatus canit:

Exprimit homines, quos jam madefecerat ante.
Spongiolas, cupidi principis arcta manus,
Provehit ad summum fures, quos deinde coërcet:
Vertat ut fiscum, quæ male parta suum.

Complures ejusmodi spongias reperire est, quæ pupillorum ac viduarum sanguinem sugunt, imo avidissime bibunt: dum dolis malis, iniquis lucris, & injustis contractibus pecuniam emungunt. Vt enim recte Stobæus observat: a *Argentum hominibus sanguis & anima* est. Et ipse Hipponensis Præsul: *Tantum amas pecuniam tuam, ut eam appelles sanguinem tuum.*

a Aug. 5 ex 40.

Diserte sacræ paginæ: b *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Illæ qui suo sæculo vir optimus & sanctissimus habebatur Franciscus de Paula, cum Regem Ludovicum XI. deprehendisset inter auri atque argenti acervos, quos è tributis collegerat, arrepto uno ex nummis, atque diffracto, stillantes sanguinis guttas expressas ei ostendit, monens, ne ultra populi cruore respersus aris se sisteret. Vindicis Dei manus, hodierna die protenditur, ut illum sanguinem è cruentis spongiis exprimat, dum in hac vita cogit evomere & regerere, quæ male ingesta sunt, sic ut male parta male dilabantur; vel in altera, tradendo tortoribus, ut reddant novissimum quadrantem.

b Eccl. 14. Caussin. de regno Dei dissert. 45.

§. I.

Probatur illud Iobi: DIVITIAS QVAS DEVORAVIT EVOMET, ET DE VENTRE ILLIVS EXTRAHET ILLAS DEVS. *Iob. 20.*

ANn. 1620. die 8. Sept. Dom. 22. post Pentecosten, c qua

c Spondan. tom. 3. ann. 1620. Rosvveyd. hist. Eccl. p. 1358.

illud

UVA. BHSC. BU 02224

illud Matthæi ab Ecclesia proponitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari* &c. Ferdinando II. Regiones ac Regna, quæ Palatinus cum aliis Rebellibus devorarat, celeberrima victoria Pragensi restituta sunt: divini enim numinis instinctu, Maximilianus dux Bavarus, cum Comite Buquoio & Tillio, toto que exercitu, decrevit, hostem, qui ante Pragam munitus erat, aggredi, quodque humanis viribus impossibile videbatur, militem intra valla sua degentem, fortissima civitate à tergo munitum, castris exuere, ac funditus delere: tessera ad hoc militari sumpta nomine Mariæ. Quo quasi auspicatissimo signo dato, Cæsariani iis animis pugnam aggressi sunt, ut relictis in campo cæsorum sex millibus, aliis mille aqua præfocatis, quingentis captivis, interque illos primatibus plurimis, omnibus impedimentis relictis, fœdissima clade omnes fusi fugatique sint; è Cæsarianis paucis supra ducentos desideratis. Palatinus, qui tum Praga morabatur, ac anno proxime superiori, ut hoc Chronicon indicat, FRÆDIRICVS anti-rex Bohemiæ, consalutatis erat, cladis nuntio percepto, jamque Cæsarianos urbi imminere ratus, una cum uxore gravida, ac altera prole, ceterisque proceribus, fuga elapsus, in Silesiam se recepit: eaque urbis platea præpopere ac summa consternatione excedere coactus, qua usque ante hac uxor ejus transire detrectarat, ob effigiem Christi Crucifixi ea via in publico propositam, quam hæretici seu ob artis elegantiam, seu ob majorum venerationem aboleri minime patiebantur. Atque è vestigio, ut Spondanus refert, universa Bohemia ad Cæsarem rediit, Austria coërcita, Moravia reducta, Silesia repressa, Hungaria recuperata, universa Germania stabilita, religio Catholica in libertatem asserta, reddita *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* In quo scite typis expressum, & apto cælo excusum vidi Palatinum, omnes urbes ac Provincias, quas avide devorarat, simul cum pestifero hæreseos veneno, quo infectæ erant, evomentem; quod ipsum de iniquo possessore, ac alieni direptore aptissime *a* Propheta pronuntiavit. dicens: *Divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahat illas Deus.*

b Unde non injuria Tiberius Græcorum Imper. aurum cum lachrymis & querelis subditorum collectum, adulterinum, & venenosum dicebat: venenum autem aliosque cibos noxias cum optimis ingestos, evomere solemus. Quod Nicetas porro recte observat oratione 65. *De avaro inquit Scriptura: divitias quas congregavit evomet. In quo verbo inest emphasis quædam: ut enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, una cum eo probos etiam evomit, sic qui inique congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed eas etiam quas prius iure possidebat, plerumque amittit.*

Cui *b* Sidonii viri literatissimi accedit testimonium, dum Arnaldum helluonem, secundarum rerum affluenta ebrium, quodam quasi vomitu nause-

a Iob. 20. *b* Boteri polit. l. 7. c. 3, *c* Ridon. l. 1. Epist. 7.

antis

UVA. BHSC. BU 02224

antis fortunæ, cum ſuis exſpu-
tum proponit. In eadem claſ-
ſe, conſimili tempeſtate jacta-
tus ille, de quo *a* Gregorius
Turonenſis Antiſtes comme-
morat: In urbe Lugdunenſi
tenuis fortunæ homo, quibus
pauci aſſes in marſupio erant,
modum excogitavit, quo tam
exiguo lucello, per fas vel ne-
fas, ingentem queſtum faceret:
lotum itaque vini ſatis genero-
ſi coëmit, illudque aqua dilu-
tum potatoribus vendidit. Eo
jam pretio conduplicato, con-
gium emit, ac tantundem aquæ
affundens, rurſus alterum tan-
tum lucratus eſt: idque felici
eventu frequentabat, donec
ſummam centum ſolidorum ſi-
bi comparaſſet, quibus ad vici-
num vini emporium profectus,
in via forte oppido laſſus, ſub
arborem conſedit, ibique cru-
mena cum ſcipione depoſita,
vix dum paſſus aliquot, ſe in
tabernam è regione ſitam, pa-
nem petiturus intrarat, cum
ecce accipiter burſam ex ru-
bro corio, partem carneam ra-
tus, unguibus abſtulit, atque
illo nequidquam inclamante,
perque devia & avia inſectan-
te, evolat; uſque dum fluvio
imminens, crumenam diſru-
ptam, una cum nummis in a-
quas abjecit; atque ita quæ ex
aquis injuſte colliquarat, in a-
quam, una cum vini pretio re-
fudit: ita male parta, male di-
labuntur. Quapropter, inquit
b Philo Iudæus, *præcipitur cau-
ponibus, negotiatoribus, & ceteris
hujuſmodi, ut juſta pondera men-
ſuraſque habeant, ſic cogitantes
quod iniqua lucra ſint damnoſiſſi-
ma.* Miraris non ſemel quiſquis
es cœnopola, propola, aut mer-
cator quivis, te omni induſtria
ac ſolertia nihil dum emolu-
menti facere, non diteſcere, ne
hilum proficere: pondera, men-
ſuram, ſtateram expende, an
non doloſa; & in regio Vate
hanc cauſam cognoſces, 3. Re. 1.
c *(cum operiretur veſtibus, non ca-
leſiebat,* quod ut Liranus in rem
noſtram obſervat, *fuit in pœnam
peccati, quia abſciderat partem
chlamydis Sauli.* Tu ulna bre-
viore tot particulas telæ, panni
ſerici ſuffuratus es, hanc no-
veris pœnam peccati eſſe, alios
debitores urbe, alios foro ce-
dere, undique jacturam terra
marique ingruere, pauperta-
tem ut virum armatum in offi-
cinas, in arcas, in conclavia
irruere, nec te unquam poſſe
diteſcere, ſed ſenſim ad incitas
redire. Quales indies non pau-
cos offendimus, qui antea byſ-
ſo & auro conſpicui, paulo
poſt pannis obſiti, omnibus de-
ſpectui ſunt; qui magna comi-
tante caterva pluribus veiut
umbris ſtipati, in ſole gradie-
bantur, derepente nubilo in-
gruente, ſoli & ab iis quos a-
luerant deſerti. Itaque aliis ri-
ſui, aliis commiſerationi, om-
nibus exemplo ſunt, quo tan-
dem dilabantur, qui ex facul-
tatibus pauperum, ſuggeſtum
ſibi ad honores ſtruere ac ſta-
bilire ſatagebant. Uſuvenit il-
lis quod de vulpe, callidiſſimo
animali, quidam commentus
eſt: hæc enim ubi gracili ven-
tre, per anguſtum penuariæ
cellæ foramen ſeſe penetrave-
ſet, ibidemque furtivis eſ-
cis ſeſe diſtendiſſet, effuge-
re connitens, ſe ventriculi

a S Gregor. Turon l. 1, de gloria con-
feſſ. cap. 109. *b* Philo lib. de creat prin-

c Liran. in R g 24.

UVA. BHSC. BU 02224

crassitie impediri animadvertit. Quod ut alia, illac forte transiens vulpecula, conspexit. Istic tibi, inquit, manendum est, donec rursus inedia extenueris. Mutato nomine de iis fabula narratur, qui possessiones fundos alienos, ærarium regis ingressi, dilatant philacteria sua, qui macri ac marcidi in aulam irrepunt, dein equis & rhedis invecti, denuo ad novissimum quadrantem extenuandi sunt.

4 Fecit hoc Henricus, eo nomine III. Castellæ Rex, cui excelsus animus fuit, major ætate prudentia: ærarium publicum à proceribus expilatum memorabili exemplo instauravit. Burgis, quæ urbs in veteri Castella est, minor annis morabatur, seque aucupio coturnicum oblectare solitus erat. Accidit ut ad multam diem, aliquando in aulam lassus rediret, nihilque obsonii apparatum esset. Compellatus de ea re regius obsonator, renuntiavit libere non tantum pecuniam regiam, sed fidem etiam consumptam. Rex in præsenti, dolore dissimulato, oppigneratо pallio arietinas carnes emi jubet. Ex iis & captis coturnicibus, prandium omnino parari. Audit inter prandendum meliori conditione proceres agere, quotidie inter se lautissima convivia frequentare, exquisitissimis ferculis ventrem distendere, certare luxu & splendore mensarum; forte ea nocte apud Toletanum Archiepiscopum Petrum Tenorium cœnabatur: adest involuto capite Rex, omnia videt lætitiis & lauritiis redundare, peracta cœna pro se quisque narrare quantum redituum ex paternis opibus, quantum ex regiis vectigalibus quotannis perciperet. Postera die Rex vindictæ avidus, fingit gravi se morbo deiectum teneri, suprema mandata velle dare. Ea denuntiatione proceres festini ac avidi, diversi in arcem conveniunt. Omnes exclusis famulis, ut erat jussum, admittuntur, consistuntque ad multam in cœnacula diem, moræ causam mirantes. Rex tandem (en speciem moribundi) ad proceres ferro rectus, districto ense ingreditur; cum pavefactis eo aspectu omnibus, assedisset, irato similis, torvo vultu quemque ex proceribus percunctatur; quot singuli reges in Provincia vidissent? quibusdam duos, aliis tres aut quatuor, ut cujusque erat ætas, respondentibus, Ecqui, inquit, verum est quod dicitis? Cum ego hac ætate viginti nihilominus in Castella reges noverim. Mirantibus dicti causam, atque suspensis animis, quorsum res evasura esset, exspectantibus, *Vos*, inquit, *omnes, vos reges estis, regni arcibus & copiis occupatis, mihi inane nomen, sordes & egestatem reliquistis. An idonea causa videatur cur nos ludibrio habeatis? sed ne amplius faciatis, vestris omnium capitibus sanciam.* Simulque ad supplicium postulabat, parari, afferrique jubet. Contenta voce lictores evocat; militesque sexcentos, quos arcano paratos habebat. Aliis attonitis metu, Toletanus Archiepiscopus ut erat magno animo in genua procumbens, lachrymis toto ore manantibus, veniam

4 Mariana de regis institutione l. 3. c. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

niam precatur; idem ejus exemplo ceteri faciunt. Mortis metu perculsis & supplicibus, vitam donat, eos tamen captivos detinuit, donec fraudulenter & vulpino more congesta, legitimo Domino ad novissimum quadrantem restituissent; nec alia his vulpeculis, nisi adeo extenuatis, evadendi via patebat. Iure longe meritissimo, horum cuique insultat Augustinus: a *Quid rapias vides, à quo rapias non vides, præda illa quam vis rapere, in muscipula est; tenes, & teneris.* Alienis escis inhias, sed de b *ventre* tuo *extrahet illas Deus.*

Pineda in hæc Prophetæ verba, iniqui possessoris ædes, humano stomacho insatiabili ingluvie alienas opes obligurienti componit, sic ut quidquid hic auri in clausis domus penetralibus, in obseratis multiplici clave arcis, in capsis ferreis reconditur, quasi in ventriculo abstrusum asservetur; quod ad vivum expressit civis ille c Constantiensis, qui ne male partas relinqueret alienis divitias suas, jam morti vicinus sorbitiunculam sibi coqui poscit, in quam argenteis ac aureis nummis ceu pretiosis bolis conjectis, avidissime illos devoravit, adeo ut auro præfocatus, morte exigente, divitias quas devorarat, evomere coactus sit, & quæ per lites, aliamve jacturam in vivis non egesserat, hæredes de ventre etiam demortui extraxerunt. Usque adeo violente, avari stomacho renitente ac restringente, male admissum evomitur.

a Augustin. in Psal. 61. b Iob. 20. c Valadier in adventu 2. hebd. die lunæ.

§. II.

Plurimos damnari defectu restitutionis, quæ iniquo possessori difficillima est.

LUdovicus d Galliarum Rex, quem religionis amor Pium indigitavit, hoc pronuntiatum elocutus est, *Molestissimum esse, res ablatas justo Domino restituere*; haud aliter quam si pars à corpore avellatur. Quemadmodum usuras perstringens d Novarinus, contigisse memorat: fuisse Iudæum Constantinopoli, qui Christiano gravi penuria laboranti, quingentos ducatos concredit, eo pacto ut in usuram duas uncias carnis suæ cum pecunia rependeret. Tempore devoluto hic gravis exactor, censum annuum non sine sensu debitoris sibi postulabat. Haud paulo molestius iniquus possessor aliena Domino suo restituere coactus, illud Poëtæ usurpat:

Et pars abrumpi corpore visa meo est.

Idipsum sacræ paginæ confirmant: ubi enim Michæas ait: e *& carnem eorum desuper ossibus eorum.* Chaldæus paraphrastes vertit: pecuniamque *eorum pretiosum ab eis tollentes*, ac si æque vivo sensu pecunia, quam caro auferatur; ecquis porro ingentes opes par plura lustra possessas, quotannis copiosos census ex eis partos, quibus familiam amplificavit, sibi, liberisque ad dignitates gradum struxit, & omni posteritati luculenter prospicere paravit, Confessarii sententia ad omnium restitutionem damnatum, tot

d Ionvil. in vita c. 94. e Novarini schediasm. l. 10. n. 105. f Mich. 3.

UVA. BHSC. BU 02224

millia refundere, statum imminuere, stringere vento nimium secundo turgida vela, liberis suis omnes fundos, ac facultates eripere posse, sine gravissimo sensu arbitratur? si cui frons est, pectusve inanis laudis capax, potius vivus ad inferos se adigi patietur. a Cujus rei testem, S. Antoninum audiamus. Usurarius, ut refert ille, de amplissimis fortunis utrique filio prospexerat, cum tandem ad extrema deductus, animi sui latebras Sacerdoti aperiens, intelligit omnem salutis aditum sibi intercluſum, nisi quæ per usuras sibi ac suis inique corraserat, omnia refunderet: Circumfusi ad hoc cohortabantur liberi, qui jam jam non tam corpori, quam animæ ejus parentare verebantur. At ille nec viri religiosi monitis, nec filiorum in causam suam piis lachrymis movebatur, sed infracto animo, id unum objecit: Fata si vitam negant, filiis meis in hospitali summo cum dedecore moriendum erit, fata si vitam dabunt, mihi ostiatim mendicandum erit. Ad hæc senior: Curam omnem pro me, mi pater sepone: miserere animæ tuæ placens Deo, eumque placa alienorum restitutione. Hunc severe increpitum facessere jussit, dicens, Misericordiam Dei magnam, & miserationes ejus super omnia opera ejus, qui ad talem tantamque necessitatem neminem compelli vult, atque inter has voces sordidam animam efflavit. Hic inter fratres orta contentio, altero alterum incitante, nequid ex possessione sibi relicta contingerent, sed quæque suo legitimo Domino restituerent; verum altero bonis inhiante & asseverante, nil se ex eo culpæ contraxisse, filium non portare iniquitatem patris, natu major portionem suam in pauperes dispartiens, spreto sæculo ad religionem confugit. Interea frater ejus germanus genio indulgere, lascivire, & male parta prodigere festinabat; dum ecce immatura morte præoccupatus interiit. Nunc si lubet fenestræ rei catastrophen attendite. Ad fratrem religiosum mortis nuntio perlato, nihil ille habuit antiquius, quam ut fusis precibus, animæ piacularibus forte flammis distentæ, subveniret. Et ó horrendum visu spectaculum! dehiscente repente terra, inter inferorum rogos, parentem una cum fratre voluntatem conspexit, atque has execrandas blasphemias intonantem audivit: Maledicta hora qua te genui! ter maledicte fili! cui ut fluxas divitias congregarem, mihi æterni incendii flammas cumulavi. Ingeminabat ad hæc blasphemo ore filius: b *Maledicta dies in qua natus sum! dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta:* Maledictus pater, maledictæ opes, quæ me ad hæc tormenta demerserunt! hæc secum tum, & in omnem æternitatem misere lamentabuntur. Ex quo illud recte consequitur quod probandum suscepi, plurimos hujus unius restitutionis defectu, ad inferorum carceres æ-

a Antonin. 2. part. summa c. 7. sect. 3. rom. 1. Peraldus tr. 2. tract. 4. c. 15; P. 3.

b Jerem. 20.

ternum

UVA. BHSC. BU 02224

ternum damnari. Ea propter [a] S. Vincentius sic suos audi-
„tores hortatur: Si vis salvari,
„fac ut serpens, oportet tran-
„sire per arctum foramen; va-
„de per arctum foramen resti-
„tutionis usque ad ultimum o-
„bolum: sic enim deponitur
„pellis dura avaritiæ. Si dica-
„tur: Si ego restituam, uxor
„mea & filii mei quid facerent?
„Si uxor sit bona, & vult sal-
„vari, debet dicere viro: Do-
„mine restituatis, quia ego la-
„borabo. Dicatur de illa uxo-
„re, de qua dicit Vincentius de
„Longobardia, cui vir voluit
„facere unam tunicam quin-
„gentorum florenorum in quo-
„dam festo; quæ respondit: Do-
„mine, ego sum bene induta,
„sed amore Dei restituatis. Ad
„quam vir: Si omnia haberem
„restituere, oportet me men-
„dicare, quia omnia quæ ha-
„beo, sunt de usuris. Et ipsa
„dixit: Domine ego faciam ti-
„bi partem de dote mea, quæ
„non est de usuris: dabo vobis
„quinque millia florenorum,
„& quinque millia pro me re-
„stantia ad victum nostrum or-
„dino, his vivere poterimus.
„Ista erat bona uxor. Sed mo-
„do oportet, quod viri faciant
„usuras, ut satisfaciant vanita-
„tibus uxorum. Quibus pro-
fecto in regnum cælorum per
angustam portam non patet a-
ditus, nisi aere hoc depositio.

Refert Pelbartus energume-
num ad virum sanctimonia vi-
tæ celebrem deductum, ab eo-
que multis exorcismis dæmo-
nem compulsum, nomen suum
profari, demum dixisse, tres
malignos spiritus hunc homi-
nem infestare. & cum nomen
quærat, Ego, inquit, vocor
Claudens cor, collega meus vo-
catur, *Claudens os*, tertius *Clau-
dens bursam*, qui id agit, ut si
quis confessus fuerit, ne injuste
acquisita restituat: & ille in-
quit, *plures nobis acquirit*. Hoc
veritatis testimonium, à patre
mendacii prolatum, utinam
quotidiana experientia non ve-
rissime comprobatum esset,
multos quidem defectu con-
tritionis, plures defectu con-
fessionis, at longe plurimos de-
fectu restitutionis damnari: hu-
jus sententiæ fuisse perhibetur,
vir longa rerum tractatione, &
difficillimis in mercatura quæ-
stionibus exagitandis versatis-
simus Carolus Scribanius: qui
libere pronuntiare auditus est,
Tria potissimum flagitia homi-
nes in perniciem trahere: su-
perbiam, luxuriam, & avari-
tiam; sic tamen ut per sacra-
mentum Pœnitentiæ ex 100.
superbis, facile ad 50. ex 100.
luxuriosis ad 80. ex 100. verò
avaris vix tres salventur, idque
ob annexam restitutionem, quæ
difficillima accidere solet. Vul-
tis è millibus, unam vobis in
exemplum proponi? [b] B. Maria
Ogniacensis, animis, quæ pur-
gatorii flammis expiantur, ut
tenerrimo sensu afficiebatur,
ita pro matris defunctæ mani-
bus, impense Deum multis pre-
cibus ac eleemosynis supplica-
bat; dum tandem cupido in-
cessit intelligere, quo in statu
anima parentis versaretur, id-
que Deum rogans, conspexit te-
trum & horribile monstrum in
Ecclesia, juxta aram consistere

[a] S. Vincent. Domic. 7. post Trinit. conc. 5.

[b] Cantip. lib. apum 2. c. 54. n. 18.

UVA. BHSC. BU 02224

atque cognovit matrem esse, ac æternis ignibus addictam, causam scisciranti respondit, ob injusta lucra & usuras, quas restituere neglexisset, ad has se flammas damnatam esse. Hoc tam ferale spectrum, utinam semper obversetur oculis eorum, qui filiis ac filiabus suis congregant mammonam iniquitatis, sibi vero thesaurizant iram Dei, & æternum conscientiæ detrimentum: a *Nemo* enim, ait gravissime Augustinus, *habet injustum lucrum sine justo damno: ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia.* Heu damnum animæ æternum, numquam instaurandum! heu væ æternum, qui b *congregat non sua!* quod ut insigni stratagemate cuidam fœneratori ad sensum propositum fuit, tempori resipuit. Sic se res habet: c Homo *alienorum appetitor* extremo morbo cum morte colluctans, eum, quem è confessionibus habebat, nihil de restitutione movere præceperat, de ea nihil audire volebat. Quare hoc salubri astu Confessarius usus est: Medicum adornavit, qui ut vere conclamatum erat, quo spem vitæ longioris, quam unice anhelabat, moribundo injiceret, præsentissimum remedium, si adipe ex uno aliquo filiorum, aut sanguine propinquo, se inungeret, præscripsit. Ad has voces, æger respirare, omnem familiam cogere, beneficia iis præstita ac ingentes thesauros, quos illis tanta solertia comparasset, exaggerare; proindeque horum se intuitu, hoc postremum ab illis efflagitare, guttam unam aut alteram adipis non denegarent, ut parentem vita donarent. Eum in finem cereus accensus, cujus flammulæ nunc unus, nunc alter filiorum, digitum inseruit; at eorum nemo tantillo temporis detinere valebat, dum vel gutta diffluerer; quod in medelam ægri, sane traducens confessarius, sic paucis infirmum aggressus est: Fierine potest, ut tu filiis tuis tantam hæreditatem transscribas, teipsum æternis incendiis tradas? cum illi ne digitum pauxillo temporis, tu pro illis te totum, in omnem æternitatem in horrendos gehennæ cruciatus conjicias. Qua brevi, sed nervosa paræneſi, cælestis menti lux suborta est, & quidquid injuste conquisiverat, suis dominis restituens, salutem æternam consecutus est. Quisquis ære alieno obstrictus jaces, hoc doctus exemplo sape, illudque persuasum habe, quidquid virtutum ac bonorum operum exercueris, frustraneum esse, quam diu aliena possederis: nam ut recte Augustinus,

a Aug serm. 215. de temp. b Abacuc. 2. c 1. Petr. 4 Petrus de Palude enarr. 2. Dom. infra oct. Epiph. P. le Roy paterf. pag. 191.

§. III.

Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

HOrrendum est vel cogitare, hominem lethali noxa obstrictum, *d* imperitia medici, aut incuria parochi Sacramentis destitui: quorum defectu complures in bello trajecti, in mari obruti, aut etiam terra, in flagranti delicto re-

d Aug. epist. ad Maced.

pentina

UVA. BHSC. BU 02224

pentina morte oppressi, æternum periere. Detestandum illud magis, quosdam reperiri, quibus confessarius in promptu est, quibus salus in portu est; nihilominus naufragari, & occulti flagitii pondere, quod manifestare erubescunt, ad ima demergi. Hoc tamen maxime deplorandum videtur, unum aliquem summo anim sensu, uberrimis lachrymis integre confessum, æternis ignibus addici. Singultatim confitetur se bona aliena tot annis possedisse, in mercatura ejusmodi fraudes adhibuisse, tot millia injusto lucro collegisse, hominem vi, vel fraude ab officio obtinendo dimovisse, ad tale damnum proximi, consilium, auxilium præbuisse, insuper omnem se deinceps injustitiam execraturi firmissime in animum induxisse. Audit is sibi impertiri verba salutis: *Ego te absolvo.* interim ligatis manibus & pedibus traditur tortoribus: quia ut subtili magistro, Theologorum classis suffragatur, *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Quis se millies in sacra exomologesi incuset, Peccavi, Defraudavi, Injuste egi, sanguineis lachrymis scelus expiare videatur, millies sacerdos ingeminet, *Ego te absolvo.* qui restitutionem verbis spondes. si res aliena te nimio affectu teneat, si reipsa non restituas, *non remittitur peccatum*, lachrymæ crocodili, dolor fictus, pœnitentia simulata censetur. Recte quippe S. Augustinus ratiocinatur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur: pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Quare si indies sacrificio Missæ decenter interfis, quaque sexta feria pane & aqua te maceres, corpus assiduo cilicio domes, sacram Synaxim quot hebdomadis frequentes, lautas eleemosynas in sinum pauperis effundas, nihil tibi proderit, nisi aliena domino reddantur; [a] adeo ut inter errores Græcorum computetur, quod Sacerdotes ipsorum non jubeant restituere ablata per furtum & rapinam, sed raptores ac fures absolvant, modo partem sibi, & Ecclesiæ in eleemosynam tribuant, quasi ad salutem necessaria non sit restitutio: qui error, ut bene Molina observat, manifesta est hæresis: etenim à quibusvis flagitiis quantumvis gravibus & reservatis, unus aliquis, saltem vicarius Christi, absolvere potest; at vero à restitutione immunem reddere, nullius potestatis est; quidquid egeris, absque hac salvari non potes. Hinc communis Doctorum sententia est, restitutionem esse de necessitate salutis, ut recte D. Thomas 2.2. quæst. 62. ar. 2. in corp. ubi docet: *Cum ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis: consequens est, quod restituere id quod injuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Ubi unum observandum occurrit, non sat esse, si citra culpam, & bona fide, rem alienam possederis, aut casu invenesis, aut certo perituram servaris, v. g. si ovem lupo, equum incendio eripueris, res domino valere incipit, eique restituenda est.

[a] Molina de Justitia to. 3. tract. de Restit. disp. 716. n. 1.

UVA. BHSC. BU 02224

De inventis vero graphice graviterque ſcribit Origenes: *Multi putant ſine peccato eſſe, ſi alienum quod invenerint teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? ſed diſcant peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quid inventum non reddant.* ſi nempe Dominum norint, aut in veſtigare detrectent; cum ut Theologi docent, non minus illicitum, & injuſtum ſit retinere alienum, quam ab eo accipere. Ii vero qui poſt diligentem inquiſitionem, rei inventæ dominum conſequi non poſſunt, etſi communior ſententia in pauperes vel in cauſas pias erogandum doceat, cum aliis tamen nonnullis *a* Leſſius probabile aſſerit, eos rem inventam ſibi aſſervare poſſe, quod jure naturæ fiat occupantis, ſicut theſaurus & alia quæ nullius ſunt. Quam naturæ legem vel à barbaro comprobatam legimus: *b* nam olim cum Tamberlanus Tartarorum tyrannus, per Syriam iter faceret, in agricolam incidit, qui fortuna favente in theſaurum aratro impegit; continuo omnes, qui regi aderant, hoc regis aurum vel jure fiſci dictitare. At rex monetam ad ſe deferri jubens, proceres percunctatur, num hiſce aureis parentis ſui effigies impreſſa eſſe videretur, quod cum negarent, ſed Romanorum Cæſarum eſſe aſſererent, reſpondit rex: *Si ergo hæc pecunia majorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam detulit.* Alios caſus & circumſtantias, quæ à reſtitutione excuſent, ne à propoſito ábeamus, qui volet, claſſicos conſulat, nos pro inſtituta brevitate, eos commemorare pergimus, qui non ignari reſtitutionem ad ſalutem neceſſariam eſſe, heroico juſtitiæ actu, aliena bona legitimo domino refuderunt.

a Leſſ. de jure l. 2. c. 14. dub. 7. b Fulgoſ. l. 4.

§. IV.

Sacris, ac profanis hiſtoriis reſtitutio facienda ſuadetur.

Liber ſancti patris Tobiæ (ut Beda loquitur) *cum maximis vitæ moralis & exemplis abundet & moribus*, vel hoc certe æquiſſimi viri luculentum teſtimonium adfert, quod cap. 2. commemoret: ut vocem hœdi balantis audivit, dixit: *Videte ne forte furtivus ſit. Reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* omnis res, ut tradunt Doctores, clamat & balat reſtitui domino ſuo. Quare quiſque angulos domus ſuæ diſcutiat, & attendat, an non hœdum aliquem balantem audiat: an non de profundis fundus agri mugiat: an non ex officina pars panni, alteriuſve mercis, an non ex arca aurum & argentum pupillis & orphanis ſubtractum, vocem ſanguinis emittat. Tobiam imitare, de quo illud Auguſtini exſtat elogium: *Clamabat Tobias propter hœdum ne de furto eſſet: nolebat ſonum furti audire in domo ſua.*

Syndici, cauſidici, conſiliarii attendite cum Tobia, & videte ne forte quid furtivum, aut inuſtum per lites conquiſitum ſit. Videte an nullam cauſam injuſtam defenderitis, juſtam vi vel fraude eviceritis, produxeritis, aut etiam injuria aut imperitia neglexeritis. Ad iniquas ſtipulationes partes induxeritis, ad ſententiam ex æquo ferendam pretium acceperitis, *c* de quota

c V. Molin. Leſſ. Lugo de jur. & juſt.

evictæ

UVA. BHSC. BU 02224

evictæ litis pacti fitis, è quibus si quid vobis emolumenti, si quid clienti aut alteri detrimenti accidit, communi Doctorum suffragio ad restitutionem teneminі. *a* Vidit hoc jam annis & judicio maturior Raphaël Fulgosius Iurisconsultus celeberrimus, qui cum junior esset, à consultore partem litis evictæ, salarii nomine acceperat. Dein ætate & prudentia provectior, cum in *l. sumptus ff. de pactis.* incidisset, quo loco advocatis differte inhibetur de quota litis pacisci, quæcumque acceperat, cum omni fœnore restituit. Ita hic Raphaël, Tobiæ vestigiis insistere gestiit. Sed paulo majora canamus: Principes ac Reges jura sacra ac humana condemnant, non modo terras injusto bello occupatas domino reddendas esse, sed & omnia damna resarcienda. Heu quis his satisfaciendo? quis non quæ vel proditione, vel armata militum manu cepit, quasi mancipium suum, sibi jure belli tuetur? Unum in hoc invictissimum Imperatorem Carolum V. tacitus præterire nequeo. *b* Is dum Franciscum, Galliarum regem, bello lacesceret, quod is oppida quædam sibi violente occupesset, dixisse fertur: *Etiamsi totum Franciæ regnum debellassem, restituerem illud regi suo, dummodo quod meum esse contendo, mihi relinqueret.* imo tam magno & excelso erat animo, ut si orbem occupasset, suum cuique domino regnum & regionem reddidisset. Quam paucos Carolus sectatores numerat! Quam paucos reperire est, qui non regnum, sed ne agellum; non pedem terræ, non ulnam panni, non par calceorum restituere velint; cum tamen non naturæ modo, sed & jure gentium, ut gentilis Philosophus ait, teneantur: *Æquissima vox est,* ut docet Seneca, *& jus gentium præ se ferens, reddere quod debes.* Quam vocem non aliter quam hœdi balantis vel Ethnicus execratus est. Calceos forte Pythagoricus à sutore coëmerat: postero die pretium omne annumeraturus, ad officinam pergit, eam clausam, ac sutorem mortuum percipit, lætabundus quasi jam à solutione immunis, abscessit: sed conscientia stimulante, & clamante, ad officinam rediit, & pecuniam per rimam in ædes ingessit, dicens: *Ille tibi vivit, tu redde quod debes.* Nefas est ex alieno ditescere, dominus rei ablatæ ignarus sit, morte sublatus sit, vivit in hærede, vivit dominus universorum, qui cuique suum reddi præcepit. Suas quisque animi latebras discuciat, dispiciat ne forte quid furtivum sit, attendat an vocem balantem non exaudiat. Zachæus in stultam arborem conscendit, sed attendite quam sapidos illic fructus legerit. *Hæc,* siquidem, *est sapiens illa stultitia,* ut venerabilis Presbyter scribit, *quam de sycomoro Publicanus, quasi vitæ fructum legerat: rapta videlicet reddere, proprium relinquere, visibilia contemnere.* Omne lucrum injuste conquisitum, omnes census perceptos, omne damnum proximo illatum, quod utquidam in quadruplum excreverat, totum rependit, dicens:

a Beyerlinck theat. tit. restitutio. *b* Beyerlinck sacra Apoph. tit. restit.

c Senec. l. 3. de Benef. c. 14. *d* Senec. ibid.

UVA. BHSC. BU 02224

a Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. in hoc solem imitatus, qui salsas maris aquas, in nubem attractas, dulciores depluit, *æquorque refundit in æquor*, multo suavius quam acceperat? Alterum hic morale Theophylactus observat, dicens: Non solum promittebat, sed faciebat: non ait, Dabo meditatem bonorum, & restituam quadruplum, sed Do & reddo. Complures dicunt confessariis, Reddam, restituam, sed nequeunt avelli, differunt cum Iuda, dum serius, dum pupilli & viduæ penuria consumpti, & ad inopiam redacti, tum cum Iuda quandoque referunt 30. argenteos, qui illis jure cedunt in perditionem: quomodo enim ejusmodi, post tantam dilationem, lucrum cessans, damnum emergens, lachrymas, angustias, extremam paupertatem tolerata compensare queunt? quod pia juxta ac prudens regina, merito appendit: nam cum *b* Uladislaus Rex Poloniæ, commeatum exercitui suo, à capitulo Gresnensi postulasset, nec impetrasset; more barbaro, bona fisco addixit. Ejus injustitiæ à S. Hedwigi conjuge sua acrius reprehensus, omnia restituit, sed hoc tum sagax Regina subjecit: *Tignora quidem reddimus agrestibus, ceterum lachrymas eorum quis reddet?* quis famem, quis miserias, quis damna reddet? Hanc causam quidam tradunt, legem illam à Deo latam Levit. 5. c *Ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra.* Ubi Cornelius: Quinta pars in compensationem cedit injuriæ, quam præter damnum irrogavit. At vero si, ut Navarrus & Navarra, cum aliis juristis, apud Lessium docet, *Cicatricem hominis liberi, pecunia compensari non posse*, certo eorum angustiis ac lachrymis non erit solvendo, nisi lachrymas pœnitentiæ insuper refuderit. Optarem hoc corruptissimo sæculo, quo summi dynastæ aliquot millibus in punctum ludunt, & miseris pistoribus, sutoribus, lanionibus, quibus jure stricto millia debent, nec teruncium persolvunt; optarem, inquam, quis in eo celeberrimum concionatorem imitaretur. Vir religiosus *d* Ferdinando regi à confessionibus & concionibus, summa in veneratione erat, liberrime hic è suggestu aulicorum licentiam carpere, & insectari. Quo factum ut primates, acrimoniam ejus concoquere non valentes, secum agitare cœperint, qua via eum commodissime aula eliminarent. Decreto consilio regem adeunt, Ecclesiasten collaudant, in tam præclare de omnibus meritum, aliquid gratiæ & beneficii ut conferat rogant, seu prælatura, seu episcopali infula dignissimum pronuntiant. Ad hanc gratiam referendam se Rex promptissimum quidem præbebat, sed compertum sibi affirmabat, fore ut dignitatem omnem excutiat; fuit tamen ex adstantibus qui in se suscepit monachum inducere, ut Epis-

a Luc. 19. b Hyeronym. Ziegl. de illust. Germ. viris c. 89. c Less. de jure l. 2. c. 9. dub. 23.

d Pontanus Attica bell. par. 1. auct. ad histor. sect. 7.

copatum

copatum capeſſere velit, proindeque rege annuente, concionatori aulæ amice conſalutato, quemadmodum provinciam ampliſſimam impetrarit, in qua Deo ac ſaluti proximorum vacare poſſit, enarrat. Vir religioſus Epiſcopatum olfaciens, ſe ad eam dignitatem ineptum, ac tanto oneri humeros impares profitetur. Inſtat princeps, & multis urget; dum tandem ſentiens hunc ludum ſibi fieri, ut ſe aula amoto, importuno monitore carerent, ſalubri dolo condeſcendere viſus eſt, hoc unum objiciens, vitam hactenus ſe tranquillam duxiſſe, nunc vero in curas & moleſtias, potiſſimum ob æs alienum, quo Epiſcoparum ob æratam ſubindicabat, conjiciendum. Hoc audito princeps quaſi voti compos, Hanc quidem ob cauſam nihil eſt, inquit, quod derrectes: hodie antequam ſol occumbat, quatuor ducatorum millia tibi ſubmittam. atque ut dixerat ante veſperam annumerata. Interea Monachus per omnes officinas creditores, quorum gemitus & lachrymæ haud dubie non ſemel ejus animum pupugerant, omnes ad ſe convocat, & rationes ſingulorum, quibus princeps debebat, expendens, quatuor illis ducatorum millibus omnia debita expunxit, & lachrymas abſterſit. Poſtero die cum de more in aulam regem conveniſſent, mille plauſibus, & gratulationibus exceptus, omnes de facili eluſit, debitorum ſyngraphas proferendo, ac exhibendo in quos quatuor illa millia ducatorum inſumpſerat, de reliquo nihil ſibi cum Epiſcopatu negotii eſſe. Quo facto publicum acroama exauditum eſt, & ſuper omnes infulas, nomen non in aula modo, ſed & apud eos potiſſimum quibus ſuum cuique reddiderat, immortale comparavit. E quibus diſerto oratori facile erit epilogum artexere, ſi omnium dumtaxat brevem anacephaleoſin inſtituere placuerit.

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA LI.

Filia mea modo defuncta est. Matt. 9.



EX FRAGILITE NOSSE POTES.

DOMINICA VIGESIMA - TERTIA POST PENTECOSTEN.

Fragile vitrum, fragilior homo, & hominis forma; ò si eam fragilitatem & juvenes, & puellæ, ad fragilem cryſtallum comtemplentur!

§. I. *Hominem vitro fragiliorem esse, comprobatur.*
§. II. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus; ideo, ut monet Augustinus, caute agendum.*

DOMI-

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VIGESIMA-TERTIA POST PENTECOSTEN.

Filia mea modo defuncta est. Matth. 9.

ARCHIMEDES *a* vir *divino*, ut Tullius scribit, *ingenio*, inter portentosas, quas *b* Tertullianus describit, machinas, sphæram vitream effinxit, in qua omnes omnium cælorum revolutiones, nec non siderum errantium dissimillimus motus concinnavit: eo artificio, ut orbis Saturni annis 30. Iovis 12. Martis prope duobus, Solis uno, Lunæ vero 27. diebus & 8. horis, quemadmodum in cælis fieri assolet, in hoc vitreo mundo devolverentur. Hic constellationes prædominantes, hic siderum altitudines, hic solis lunæque Eclipses, hominum oculis dilucide proponebantur. Iuvat cernere quam non vulgaris Poëta Claudianus in hoc vitreo mundo luserit:

Iupiter in parvo cum cerneret æthera mundo,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque virorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus:
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Iamque suum volvens audax industria mundum,
Gaudet, & humana sidera mente regit.

Altiori & acriori stylo Cassiodorus: c *Archimedes*, inquit, *parvam machinam, gravidam mundo, cælum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ, ad speciem ætheris, incomprehensibili mobilitate volutavit.* At vero summus ille rerum omnium artifex Deus, longe absolutissimum opus, ipsam fabricam humanam molitus est: in qua cum quidquid uspiam, aut cujuspiam perfectionis est, intelligere cælitibus, sentire brutis, vegetare plantis, singulari quadam ratione contineatur, meriro homo microcosmus indigitatur; cui aptius quam sphæræ Archimedis illud Cassiodori convenire: *Parvam machinam, gravidam mundo, cælum gestabile, compendium rerum*, &c. nemo vestrum inficiabitur; potissimum ubi & hanc tantæ elegantiæ machinam vitream agnoverit, quam Deus ipse, quasi vitrarius conflans ex fragili argilla aut cinere, & spiritu oris sui (quibus vitrum fieri consuevit) conflasse perhibetur. Unde argute Poëta Francus cecinit:

d *La faveur de la vie, est la sphere du verre*

a Cic. lib. 1. Tusc. b Tertull. l. 1. de Anima.

c Cassiod. l. 1. epist. 45. d Pierre Matthieu tablettes de la vie & la mort, f. 13.

UVA. BHSC. BU 02224

Qu'Archimede met les aſtres & les cieux:
Autant belle, que freſle, un leger coup de pierre
Oſtoit tout le plaiſir, qu'elle donnoit aux yeux.

Humanæ fragilitatis argumentum filia modo defuncta, perſpicuum omnibus oſtentat, ac repentino caſu, & formam fragilem, & naturam vitream repræſentat: huic enim mihi accidiſſe videtur, *a* quod de nobili Hiſpano hiſtoriæ commemorant: eum inter varia ſpectati nitoris & induſtriæ ſpecula, unum præ ceteris mirandum efformaſſe, quod nunc ſpeciem ſpeculantis venuſtam ac vividam; nunc eandem horridam ac cadaveroſam, in mortui formam referret; quam ſpeciem ſi quolibet in ſpeculo vani ſpeculatores expreſſam cernerent, non toties, nec tot horas ad illud ſe excolerent & perpolirent. De facto autem eam virtutem omni ſpeculo ineſſe, ex eo perſpicuum eſt, quod qui moribundo circumſtant, dubii num animam exhalarit, num quis ſupererret ſpiritus ore, ex ſpeculo ſeu fragili cryſtallo vultui applicita, ſpiritum diſrupta corporis machina avolaſſe manifeſto deprehendant. Atque idipſum quod toties rubicundas genas, corallina labra, vividos ac vitreos oculos vitrum expreſſerat, nunc os pallidum, contractas genas, oculos fractos, monſtrum demum ferale referre videatur. Hæc, quiſquis formæ & fragilis vitæ ſtudioſus, ſpeculare: & quoties ſpeculum contempla-

a Merveilles du monde par P. Boiſtel.

ris, ex ipſa vitri natura fragilitatis humanæ memor.

Ex fragili te noſſe potes.

§. 1.

Hominem vitro fragiliorem eſſe probatur.

QUærit *b* Ariſtoteles in problematis, an ulla arte vitrum non fragile, & flexile confici poſſit? quod ipſe ob nimiam meatuum anguſtiam fieri poſſe diſerte negat; *b* Plinius tamen & cum eo *d* Iſidorus, ſub Tiberio artificem fuiſſe aſſerunt, qui eam vitri materiem adinvenerat, jamque in maſſam colliquatam adeo attemperarat, ut vitrum ex ea flexile, ac omnino ductile conflaret: cujus experimenti cauſa ad Cæſarem adſcitus, phialam illi vitream porrexit, quam Cæſar attentius contemplatus, ad terram alliſit; ſed artifex vas vitreum attollens, illud integrum, inſtar metalli dumtaxat contuſum oſtentans, malleo, quem in promptu habebat, ad priſtinam formam redegit. Quod ut Tiberius conſpexit, quæſivit an præter illum, quiſpiam ea arte polleret? Quod dum negaret, è veſtigio Cæſar eum capite plecti juſſit, ut ne argentea & aurea præ vitreis vileſcerent. Haud aliter Deus, primo hominem vitreum, ſed non fragilem condidit: excogitavit ſi quidem divinus artifex vitri temperamentum, ut in ſtatu innocentiæ flexile eſſet, & ductile. Cecidit in terram & violatum non eſt: cecidit in peccatum

b Ariſt. probl. ſect. 11. q. 61. *b* Plinius lib. 36. c. 26. *c* S. Iſidor. l. 16. Orig. c. 15.

&

UVA. BHSC. BU 02224

& confractum eſt, ac omnem maſſam corrupit, fragilemque, id eſt, mortalem effecit, ut merito impoſtor cenſendus ſit, de quo *a* Nicolaus Trigautius noſter, Regem Sinenſem, ſenſuum deliciis irretitum, ingentem auri vim ſapientibus regni ſui obtuliſſe, qui ſe immortalem & fragilitatis humanæ expertem redderet. *b* Fuit qui hoc ſtudio ac ſolertia ſe effecturum adpromiſit, jamque hujus impoſtoris arte, nectar illud ſeu ambroſia parata erat, nec per intimum amicum ſuum, ab eo potu immortalitatis hauriendo, ullis rationibus aut conſiliis deterreri poterat. Cum igitur Rex forte vultum avertiſſet, ille poculum clam arripuit, & impigre exhauſit. Excanduit extemplo Rex, & jam ſtricto mucrone mortem illi intentabat, quod ſibi immortalitatis poculum eripuiſſet. Cui amicus intrepide hoc dilemma objecit: Vel hic potus me immortalem reddidit, vel non? Si immortalem, fruſtra me tentas perimere; ſi non, nullum crimen admiſi, ut qui tibi non immortalitatem eripuerim, ſed impoſturam detexerim. Veriſſime hic, cum mortalem eſſe, & finis & definitio ſit, in quo omnium prope *c* Philoſophorum concurrunt ſententiæ, qui hominem fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium, mortis mancipium, verſatile ſepulchrum ac denique *fragile ſimulachrum* vocitarunt. Quis hæc de ſe, qui nunquam chirurgi manum ſenſit, nullam medici potionem guſtavit? quis hæc de aliis, quos ut arbores videt ambulantes, quaſi ex robore cæſos, quaſi coloſſos æneos, aut columnas marmoreas, vera eſſe & vitro fragiliores fateatur? pauliſper attendite. Clemens Alexandrinus l. 7. recognitionum, rem ſcitu digniſſimam poſteris tradidit: Dum ſanctus Petrus, Simonem Magum cum magno hominum cœtu conviciſſet, poſt hæc, inquit, unus ex adſtantibus Petrum rogare cœpit, ut die craſtina maturius ad inſulam proximam, quæ ſex non amplius ſtadiis aberat, Aradum nomine pergeremus, videndi in ea gratia aliquod opus, *columnas vitreas* magnitudinis immenſæ, cui Petrus, ut erat in Neophytos clementiſſimus, acquievit; ſed monuit nos, ut cum navim exſcendiſſemus, non una omnes concurrere ad videndum: nolo enim, inquit, vos notari à turba. Cum ergo die poſtera, navi veniſſemus ad inſulam, continuo ad locum, in quo erant columnæ mirabiles, properamus; erant autem in æde quadam poſitæ, in qua Phidiæ opera permagnifica habebantur, quibus intento unuſquiſque noſtrum detinebatur aſpectu: *Petrus vero ubi ſolas* COLUMNAS *miratus eſt* VITREAS, *nequaquam raptus picturæ gratia, egreſſus eſt.* Suffecerat quippe Petro, ut Clemens oculatus teſtis adſtruit, vidiſſe materiæ tam fictili ac fragili, univerſam templi molem incumbere, nec ſuccumbere. Unum hic vobis inducam.

a Trigaut. de Chriſt. expedit apud Sinas l. 1. c. 9. *b* Pontan. Bellarm. part 2 hiſt. c. 16. *c* Ariſtot. Triſmeg. Platon. Sopho. Plud. Senec.

UVA. BHSC. BU 02224

ducam, quem viribus ac robore valentem, columnam censere posſetis, niſi vitam vitro fragiliorem, vitrum prodigioſo eventu docuiſſet: Novi ego familiariter, inquit auctor hiſtoriæ a Stengelius, in Alſatia nobiliſſimi nominis & familiæ dominum, cui mos erat meridiari, atque idcirco remotis menſis, in tumultuario lecto recumbebat. Lectus erat humilis, ſtragulis rufei coloris inſtratus, pendebant circumſecus cortinæ holoſericæ ejuſdem coloris: ſed & menſa oblonga propter lectum ſtabat, punico tapete tecta. Nec excedebat hic apparatus opes. Ex eadem arce, in qua habitaverat, novem in ambitu ſuo vicos ſeu pagos conſpiciebat, tam vicinos ut omnes prope tangere poſſet glande plumbea: qui pagi omnes ad dominium illius pertinebant, nihil præterea deerat, quod poſſet à tali viro optari, *niſi quod fragile vitrum fuerit.* Nam ecce, ſive quia in divos pius erat, bonus genius hunc in vitro docuit, quam fragilis eſſet vita humana.

Cum ſe à meridie in lectum reciperet, jubebat in menſa ſtatui cryſtallinum calicem vino rubro punicantem, ut à ſomno ſe reficeret, qui mos illi erat quotidianus. Integris igitur ſenſibus, & valitudine prorſus vegeta decubuit. Ubi neſcio quæ hominem ſubiit cogitatio de æternitate, quæ cum non ſivit obdormiſcere; cum hac cogitatione dum luctatur, atque ante oculos poſitum vitreum calicem attentius contemplatur, calix repente nullo attingente, velut ictus ſonat, & ſponte ſua medius diſſilit, vinumque in menſam effundit. Territus inexſpectato ſpectaculo dominus, tintinnabulo, quod pone ſtabat, dat ſignum: adſunt famuli, quærunt quid velit? quibus trepida voce rem ut evenerat, recenſet, additque, *ita vitam ſuam, quemadmodum vitrum rumpendam*, animamque vini inſtar effundendam. Solantur illi, triſtem cogitationem abjicere jubent, vitium in vitro fuiſſe, caſu crepuiſſe, atque ut mentem illi alio divertant, ſcyphum removent ex oculis, aliumque ejus loco ſubſtituunt, perinde Bacchi ſanguine repletum, ut priorem, herumque ſe quieti reddere ſuadent, quo ſe rurſus cubitum recipiente, abeunt; non abiit tamen cum illis triſtis ſolicitudo: Ecquis ſcit, ait, an non & mihi omni fortuna pleno, ſic repente interitus immineat? quid ſi genius meus bonus hoc mihi ſignum dederit inſtantis mortis? multis talia contingere, ut ante obitum monerentur. Hæc forte ſecum tacitus dum agitat per mediam horæ partem, ecce tibi rurſus etiam alterum hoc vitrum, cum ſonitu claro, ſponte medium rumpitur, nemine lædente, atque purpureum vinum in menſam effundit. Major ergo quam prior hominem invadit conſternatio; vocat famulos, vocat uxorem, mandatque ut actutum Bruntruto advocent animæ ſuæ medicum; nam de corpore actum eſſe, non ſecus atque de vitro jam altero prodigioſe diſrupto, neque aliud indi-

a P. Stengelius in ovis paſc. emb. 75. Fabri feſt. S. Ioan.

UVA. BHSC. BU 02224

indicante, quam vitæ ſuæ fragilitatem ac interitum repentinum. Hoc viri ſermone, uxor magis, quam ipſo viri prodigio perculſa, cum diu laboraſſet in perſuadendo marito ne ſomniis crederet, tandem adpromittit ſe Patrem Societatis conſuetum advocari curaturam.

Interim ut ſedaretur mentis tumultus in marito, tertium jubet ſcyphum reponi, priuſque bene inſpici. Ita maritus ſe denuo ad ſoporem componit; uxor, quia inanem viri arbitraria eſt eſſe imaginationem, mittere pro Confeſſario omittit. Interea (quis digitum Dei non agnoſcat?) rumpitur tertium quoque vitrum. Tum demum nihil amplius dubitare dominus, tum per ſuperos advocatam conjugem, & ſervos obteſtari, ut Confeſſarium quantocyus accerſant, modicum ſibi temporis ſupereſſe, quo ſaluti ſuæ proſpiciat, illud ſe negligere nolle, ſed obſequi cupere Angelo monitori; itaque feſtinent, volent. Omnia mundus facilius credit, quam ſua pericula. Quare tum quoque inſanire dominum, familia omnis credidit. Ita dies à prandio uſque in ſerum veſperum iit, nec quiſquam miſſus, qui Confeſſarium Bruntruto advocaret. Crepuſculum diei fuit, & crepuſculum vitæ. Nam ad primam facem mirifice cœpit pallere, ſegnius & vena micabat, ac vires in momenta ſingula deficiebant. Ergo tum demum uxor mittit equos expeditos, & quanta poſſit contentione jubet famulum celerare. O quàm occulta ſunt judicia Dei! itinere non admodum longo, neque erroribus expoſito pergit citatis equis famulus, & in modica ſilvula, quæ interjacet, tota nocte vagatur, cum interea media jam nocte herus funus fuit. Itaque ſero adductus Confeſſarius mortuum invenit; ſatis tamen occupationis reperit circa vivos conſolandos, qui ſua dicebant negligentia, aut incredulitate potius, herum ſine divinis Sacramentis è vita diſceſſiſſe. Quo autem diſceſſit? ah! Deus novit: De ſalute illius nolim deſperare. *Spes tamen robuſtior eſſet ſi ſicut ipſe, ita & familia ejus, eandem & vitri & hominis agnoviſſent fragilitatem.* Et quiſquam hominem quantumvis validum ac robuſtum, his vitreis columnis fragiliorem inficiabitur? quem taletrum, pilus, filum, gutta, acus, acinus cito frangit & comminuit: jam ſæpius decantatum, Tarquinium ſpina piſcis, Fabium pilo cum lacte hauſto, Carolum Navarræ regem filo incenſo, Luciam ſororem Aurelii Imp. acu, Anacreontem acino, ſexcentos alios catarrho, levi calculo, fragilitatis humanæ teſtimonium perhibuiſſe: quoſque indies ut columnas Reipublicæ, curiæ, regni, Religionis ſuſpicimus, cito corruunt ac colliduntur. Audis virum Religioſum doctrina & ſanctimonia conſpicuum obiiſſe, columnam Ordinis cecidiſſe doles; ſed una cogita vitream fuiſſe, & fragiliorem quam eæ, quas D. Petrus ſuſpexit. Filium unicum jam maturum, ſcipionem ſenectutis ſolidum, morte fractum lamentaris; expende ſcipionem

UVA. BHSC. BU 02224

nem istu vitreum fuisse, cui inniterebaris. Amicum potentem, Atlantem seu Christophorum tuum corruisse ploras, quia vitreum fuisse non recordaris. Probe hoc norat totius Suecici regni columna & columen Gustavus rex, prospero rerum successu ac victoriis clarus, ubi urbes in conspectum sui effusas, & quasi Deo supplices conspexit, hoc puniceis literis pergamena aurea apophthegma exarandum protulit: a *se animum ferreum in* CORPORE VITREO *circumferre*, ut brevi exitus edocuit. Quare recte monet Petrus Blesensis: b *Specialiter in hoc tempore unicuique vestrum dicitur: Dispone domui tuæ, tanquam* VITREÆ AMPULLÆ, *super quam si ceciderit lapis, vel ipsa super lapidem, confringetur.* Nemo itaque robori, nemo viribus, nemo valetudini fidat: præmaturam mortem amici, uxoris, liberorum nemo quisquam intemperanter ferat, sed vitreos & fragiles, id est, mortales esse recordetur. Consilio ac consolationi hic esse poterit, quod vir literatissimus c Lælius Bisciola in horis subsecivis, in laudem Ferdinandi Imp. adducit: Prudenter, inquit, ætate nostra Religiosissimus Imperator: Ferdinandus, cum eximium Venetorum donum, *vitream*, scilicet, *arcem*, seu castellum, honoris gratia principibus quibusdam viris, qui ad eum ipsius salutandi causa advenerant, jussisset ostendi, ac timide admodum responderent familiares, effractum fuisse; quid hic exspectatis? leniissime hoc solum effatus est: *Vitreum erat*, quasi diceret: nihil mirandum, ne indignandum fuisse confractum. Huic nunc si Anaxagoræ intellecta morte filii responsum conferis: d *Sciebam esse mortalem*, vel ab Ethnico disces, non plus ob mortuum, quàm ob vitrum fractum commoveri. Christianum hoc esse, olim docuit Bernardus, ad illud Proverb. 23. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in* VITRO *color ejus:* VITRUM QUIPPE EST VITA PRÆSENS, inquit, *quæ cito frangitur & perit deliciarum vinum.* Intueris filiolum geminis ocellis velut stellulis renidentem, sed vitreis, morte franguntur *& perit deliciarum vinum.* Intueris uxorem omnibus gratiis conspicuam, filias venustas, vel sola forma satis doratas, grando variolarum, pestilens turbo irruit, & hæc omnia vasa vitrea confringit. Advertit benignissimus Dominus nos vitreis ac fragilibus præ æternis oblectari, unde ut affectum nostrum ab his avocet, morbos & mortes quasi famulos immittit, qui hæc vasa conterant. In quo vices subire videntur gentilis illius, de quo hæc *f* Plutarchus. Gotys herus quidam cum natura esset ferocior, & acer servulorum, qui in ministerio deliquissent, castigator; *vasa vitrea*, cælaturis sculpturisque polite ad omnem elegantiam elaborata, cum sibi ab hospite oblata essent, omnia mox ut acceperat confregit; ut vel sic affectum im-

a Comes Gualdo Venetus in hist. Suecic. b Petr. Blesensis serm. 86. hebd. 3 nict. c Bisciol. l. 3. c. 22.

d Valer. Maxim. l. 5. c. 10. e Plut. in apophthegm.

moderato

moderatiorem, quo in ea ferebatur; frangeret, & sibi gravius iraſcendi anſam præſcinderet. a Quod ipſum Seneca in Auguſto collaudavit. Cœnabat aliquando Cæſar apud Pollionem amicum ſuum, fregerat tum caſu unus è famulitio cryſtallinum calicem, raptumque Pollio juſſit, nec vulgari quidem moriturum morte: Murænis (marini piſcis genus eſt) objici mandavit, quas ingens piſcina continebat. Grandis ſævitia erat. Evaſit è manibus puer & confugit ad Cæſaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec eſca fieret. Motus eſt novitate crudelitatis Cæſar, & illum quidem mitti ac vita donari, CRYSTALLINA *autem omnia coram ſe frangi juſſit*. Quod Cæſar hic ſemel in convivio Pollionis, hoc Deus optimus maximus in dies, in momenta, non in convivio modo, ſed ubique locorum ac terrarum agit, vaſa vitrea confringendo: dum paſſim ſenes, pueri, innuptæque puellæ ſternuntur letho: qua repentina confractione, non unum vanitati intentum, æternæ morti deſtinatum, vita animæ donavit. Ubi ut alios plurimos mittam, Ducem Borgiam, b *humani generis delicium*, ut eum auctor compellat, præterire nequeo: viderat hic Iſabellæ Auguſtæ cadaver omnino deforme, ac ingemiſcens cum ſecum tacitus præſentem formam priſtinæ conferret; tandem erupit: O rerum humanarum viciſſitudinem! *nunc* FRAGILE *illud formæ bonum demirare*. Atque in hoc ſpeculo, ita fragilitatis humanæ conſideratio animum movit, ut deinceps de interiori ac incorruptibili animæ forma cogitaret. I nunc laſcive Paris, & in calvaria Helenam demirare, veriſſimum hic illud vel proſtituti Naſonis invenies, c *Forma bonum fragile*. Quod illuſtri ſymbolo, vir perilluſtris in lucem dedit, dum in menſa & abaco vicino varia artis & formæ elegantiſſima vitra expoſuit, cum hoc lemmate ſupernè: d *Filia formoſa*; inferne: *Bonum fragile*. Quo, quid aliud expreſſit, quam quot indies funera, tot vitra fracta exhiberi, quæ ubi ceciderint in cinerem, in nihilum redigantur? Confirmat id olitor aut agaſo, aliquando verba opportuna locutus: Aſinus clauſis clitellis utrinque vitra geſtabat; agaſo rogatus quid portaret. Nihil, inquit; altero illum falſitatis infimulante, adjecit: *Nihil ſi ceciderit*. Quantumvis eleganter ſtriatum, effictum, pictum, pellucidum ſit vitrum, ſi ceciderit, nihil eſt. Hoc omnis forma eſt, hoc omnis homo eſt: quantumvis formoſus, dives, doctus, diſertus, ſi ceciderit, nihil eſt.

e Ad omnes caſus humanos moderatè ferendos, extendit id Lælius noſter optatque omnes omnino mortales in quocumque eventu, quantumvis licet adverſo & ſævo cogitarent, quod eleganti verſiculo Mimus Liberrius pronuntiavit.

a Seneca l. 3. de Ira c. 40. b Beyerlinck Theat. tit. forma Ribas. in vita.

c Ovid. l. 2. de arte amandi. d D. Aburgundia veritas. e Læl. Biſciola l. 2. c. 43.

FOR-

UVA. BHSC. BU 02224

FORTVNA VITREA *est, quæ dum splendet frangitur.*

Dum ex alto divitiarum, voluptatum, dignitatum apice ad terram allisi, in nihilum rediguntur, hoc utinam expenderent: FORTUNA VITREA EST. Dum inter Senatorum subsellia, inter regnum atria sublimes considerent, hoc utinam volverent:

a *Quam fragili loco*, & ut Maro ait,

Vitreisque sedilibus conquiescant.

Cum ut in dies videmus, quos evehere *cepit* VITREA *fama* (sic eam apte Horatius compellat) eadem invidorum calumniis confracta, infami casu suos præcipitet. Ecquid mirum si & ipsi frangantur? causam disce ex *b* Cardinale Damiano: humanam mentem, *superbia* VITREAM *reddit*; VITRVM *nempe dicitur, quia visu penetratur: atque ideo si robur haberet solidioris, ceteris potuerat eminere metallis, sed quia citius rumpitur, vili pretio taxatur. Mentem* VITREAM *reddit, quia visu penetratur.* Ejusmodi enim omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. *Matt.* 13.

Hæc ad mores brevis velificatio, ubi & humana omnia vitrea prætervecti sumus: Nunc institutum cursum, hominem vitro fragiliorem prosequamur, in quo ne longior sim, unius Augustini convincit auctoritas: qui libro homiliarum, homil. 28. *Nonne fragiliores sumus quam* VITREI *essemus?* VITRVM *enim etsi fragile est, tamen servatum diu durat, & invenis calices ab avis & proavis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos; nos autem homines, & sub tantis casibus quotidianis,* FRAGILES *ambulamus.* Hæc divinissime Augustinus: in quo cum sint omnia, ei soli inhærendo, singula enucleatius expendam. Fragiliores nos vitro esse ex eo probat, quod *c* VITRUM *servatum diu durat* in arca repositum, ut alibi ait, *durat per sæcula.* Domicellæ verò ut domicellam fervent, observent qua ventus spiret, cælum sudum an udum sit: non exeant nebula, non vescantur bubula, non bibant frigidam, nil crudum sapiant, omnis sapor, omnis vapor exquisitum quid redoleat, semper clausæ, semper fotæ, semper fœtæ, adde & fœtidæ. Eæ plerumque præ agrestibus macidæ, pallidæ, morbidæ ac vel sic brevius morituræ, fragilitatis vivum simulachrum, vitroque fragiliores esse consueverunt, ut in matrona Principe Veneta B. Damianus ostendit, & nos experientia edocti sumus verissimum illud Augustini; inveniri vitreos *calices ab avis & proavis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes*, quibus perdurantibus, illos abiisse & obiisse fatemur. Si vacet, vetustas principum ædes, & prima Belgii templa contemplare, leges istic in fenestris vitreis, sub tesseris gentilitiis an. 1519. in aliis a. 1312. alibi a. 1200. quid quod reperiatur in vitro depictum, a. 1022. quod vitrum jam ad 600. annos perduravisse conspicuum est. Hic tamen dum

a Sen. Troas. Virg. 4. Georg. Horat. sermon. l. 2. Sat. 3. *b* A Pet. Damian. epist. 97. ad Gilizonem Abb.

c Aug. serm. 1. de verbis Domini.

fene-

UVA. BHSC. BU 02224

feneſtras vitreas luſtratis, omnes vos Davos aut Oedipos pervelim. Millenas in una feneſtra, vitreas teſſellas cernitis variis excuſſis, novæ recens infertæ ſunt, quæro utra primum petenda & confringenda, an quæ per annos illæſa perſtitit, an quæ de novo repoſita eſt? eadem ſuper convivium controverſia inſtitui poteſt, ubi varia vitrorum genera conſpexeris, percunctare quod primum, an cereviſiæ, an vini, an quod recens è fornace fuſum, an quod aliquod luſtris ſervatum? & comperies ut in vitris, ſic in hominibus, & hæc & illos inopinato ac inſperato concidere: atque uti nullo diſcrimine vitra recens conflata, ita & mortales vixdum natos in cineres redire: tot gobios quot aſellos, tot vitulos quot boves, tot pueros quot ſenes interire. Ex quibus omnibus ſolide concludit idem Auguſtinus, ſerm. 1. de verbis Domini: *Quid fragilius* VASE VITREO? *& tamen ſervatur & durat per ſacula: nos ergo* FRAGILIORES *& infirmiores ſumus*. Supereſt nunc alterum & poſterum ejuſdem ſanctiſſimi Præſulis documentum,

§. II.

a *Caute agendum eſſe, quia caſibus quotidianis fragiles ambulamus.*

QUam fragile bonum ſit ſupellex vitrea, norunt, ſed non niſi damno ſuo edocti, propolæ omnes, qui refertas hac merce capſulas ex urbe petunt, quam plateæ non lapide, ſed aquis ſtratæ nobilitant. ut enim fragile bonum hoc, adverſus exitium fœno chartaque præmuniant, plura tamen paſſim recipiunt fragmenta, quam vaſa: quodque Sapiens de cacabo & olla, hoc de uno vitro ad alterum dixero: b *Quando enim ſe colliſerint, confringentur*; hominem vero vitro fragiliorem, inter contactus mutuos integrum arbitraris, rem ſcite expreſſit, qui pudicitiam vitro comparavit, hac epigraphe adjecta: *Si tangas frangas*. Quare recte Apoſtolus commonet, c *ut caute ambuletis*, ac ſi vere vitrei eſſetis, eamque cautelam in animæ, quam homo vitreus in corporis integritate collocavit, impendatis.

d Thomas Rotarius totum ſe vitreum vivicaciſſime imaginabatur ea propter ſi quos ſibi appropinquantes cerneret, horrendum inclamabat. Semel ab amicis quo phantaſiam diſturbarent, inopinato quàm arctiſſime compreſſus, poſt horribilem ejulatum in eas anguſtias redactus, ut animo deficiens, multum temporis in mortuum jacuerit. Ut ad ſe rediit, per omnia ſacra & profana obteſtabatur, ne deinceps tam dure ſe contrectarent, alias confringendum, ne verò aſpero nimis aut arcto veſtitu, fragile, ut ajebat, corpuſculum rumperetur, cautum eſſe voluit gauſipio, aliave molli materia, qua omnis veſtis interius fulciebatur. In ſumendo cibo hanc rationem obſervabat: à

a Aug. ibid.

b Eccl 13. c Ad Eph. 5. d Gaſp. Ens Pauſi typus pag. 56. Binet ægrorum ſchola.

car-

UVA. BHSC. BU 02224

carnium & piſcium eſu totus abhorrebat; ſolis fructibus veſcebatur, qui ei in vaſe vitreo ex oblonga pertica eminus porrigebantur. Potu non utebatur niſi frigida. Per urbem incedens, platearum medium tenebat, ne recti tegula vel ſcandula, fortuito in caput decideret: tempore æſtivo, ſub dio excubabat; hibérno horreum adibat, ubi ſtramini (quo nihil homini vitreo congruentius) capite tenus abditus jacebat. Cælo tonante totus contremiſcebat. Ceterum ingenio claro, & diſcurſu prudenti pollebat, quo factum, ut cum ejus fama per Hiſpaniam increbuiſſet, fuerit è primatibus aulæ, qui hunc hominem videndi tenebatur deſiderio, cui ut ſatisfieret, faſciculis ſtramineis hic phantaſio-cratumenos, ſeu homo vitreus involutus, non aliter quàm vitra aſſolent: quorum etiam nonnulla eidem farcinæ inter ſtramen inſerta, curruique impoſita, Salamanca Valliſoletum cum homine devecta ſunt, ubi auriga ſub noctem onus in magnatis ædibus deponit, qui confeſtim advolans, Thomam ſtramineis vinculis expeditum amanter ſalutat, ac ſano ceterum, præclaroque vitrei hominis diſcurſu ſe mirum oblectavit. Hanc Rotarii phantaſiam & ſe conſervandi ſtudium, ſtultitiam ducimus, quæ pro integritate animæ ſervanda, ſapientia eſt apud Deum: pluribus hæc periculis expoſita, quam ſi vitrei eſſemus. Magnum Auguſtinum hic rurſum in teſtem advoco ſerm. 1. de verbis Domini: *Si* VITREI *eſſemus, minus timeremus,* quam jam parenti pro filiis & filialibus, marito pro uxore, ſuperiori pro ſubditis, omnibus denique juvenibus, puellabus, cuique pro ſe timendum ſit: quia, inquit, *inter caſus ambulamus*, eoſque graviſſimos: ea enim vitri natura eſt, ut ubi confractum eſt, nulla arte reſici, aut inſtaurari poſſit, ita Poëta docet:

a *Lapſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel & ſemper*, inſtar vitri, *nulla reparabilis arte*, quod mireris, ne divina ipſius omnipotentis Dei, b *audenter loquor* (inquit Hieronymus) *cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam.* Pomum decorticatum, ubi ſemel ruborem amiſit, hoc extremum, inquit Sales, ne putreſcat, condiatur, & vitreo vaſe condatur, de filia agit, cujus integritas violata, cum verecundia adempta, intra religionis ſepta claudatur. Pulchre Chryſoſtomus diſcrimen obſervat inter vas figuli, & vas fictile ſeu vitreum, expendens illud Pſalmi. c *Tamquam vas figuli confringes eos.* d *Non dixit Propheta: ſicut vaſa fictilia, ſed ſicut vas figuli (quod dum molle, reparari poteſt;) nam illa nulla emendatione corriguntur.* Quod ſolum motivum ſufficere deberet, ut in quotidianis congreſſibus caute ambulemus, in feſtivis conviviis caute agamus, quæ uti raro celebrantur quin aliquot vitra frangantur, ita frequentius pudicitiæ & animæ integritas violatur. *Habemus autem*, Paullo atteſtante, *theſaurum iſtum in*

a Ovid. epiſt. Oenod. ad Parid. b Hieron. ad Euſtoc. de cuſtod. virg. c Pſal. 20. d Chryſoſt. hom. ad baptizandos.

vaſis

UVA. BHSC. BU 02224

vasis fictibus, id est, animam Christi sanguine aspersam, in fragili corpore. Vasis quidem vitreis, quia poris carere dicuntur, preriosissimi liquores asservantur, & ipsum tempus cujus jactura momenti maximi, vitreis clepsydris continetur. Sed longe præstantissimum thesaurum melleus Doctor à nobis quam studiosissime servari vult: a *Si stillantem*, inquit, *in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in* VASE VITREO, *quod & portari sæpius oporteret: quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utique sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam* VITREIS *imminere pericula videantur.*

Ad hunc thesaurum appretiandum, ad pericula exaggerandum, linguas Ecclesiastarum percuperem esse disertas. Nobis hoc inculcasse sufficiat, hunc thesaurum si servaverimus, si vas vitreum mundum, intactum, illæsum custodierimus, erit aliquando ut in cælesti illa Jerusalem, in mensa supremi regis, inter vasa electa reponamur: ubi nullus casus, nulla ruina timenda, quando utique corruptibile hoc, ut b Paulus loquitur, induerit in corruptionem: quando corpora nostra instar vitri, aut purissimæ crystalli pellucida, non tamen fragilia, perfectissimam illam summi illius opificis symmetriam ostendent. Non me, sed magnum super ea re Gregorium audite, qui exponens illud Iobi: c *Non adæquabitur ei aurum vel* VITRUM. *Quid aliud in auro vel* VITRO *accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem? quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent, quam Ioannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat:* d *Ipsa vero civitas aurum mundum, similis* VITRO *mundo. Vt designetur* (inquit) *auro clara, vitro perspicua.* Memorabilis quidem fuit Æthiopum consuetudo, qui cadaver aromatibus conditum, & induratum, *cippo vitreo* inclusum, alto in loco exponebant, ut per e *vitrum* defuncti corpus videri posset, ut ait Herodotus. Alius de corporibus beatorum, Theologorum, ac SS. PP. sensus est: Aug. l. 22. de civit. c. 30. *Omnes illi qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinsecus.* Sed *cum cæteris rebus quæ ibi magnæ & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationalis pulchritudinis delectatione succendent.* Lessius vero de summo bono l. 3. c. 5. *Cogitandum est corpora beatorum cum omnibus suis partibus interioribus & exterioribus fore instar* CRYSTALLI *purissimæ.* Quod & f Suares cum aliis quam plurimis docet, ut istic videre est.

Quare si hujus tanti splendoris, omnisque incorruptionis participes esse velimus, servemus nunc corporis vas illæsum, per gratiam, quemadmodum

a Bernard. serm. 3. Advent.
b 1. Cor. 15.

c Greg. l. 18. in Iob c. 27. d Apoc. 21.
e Ex Herod. Diod. Sic. l. 1, Chresolii anthol. part. 1, l. 1, p. 27. f Suares part. 3. tom. 2, q. 54, a. 4.

futurum

futurum est per gloriam, ac omnia humana, ut supra diximus, vere fragilia ac vitrea, præ æternis contemnamus. Ubi postremum illud Hieronymi ad Lætam vos monitos velim: *Si tanti* VITRUM, *quare non majoris sit pretii margaritum?* Si mortales hisce perituris & fictilibus conquirendis tam impense occupentur, cur non ad pretiosissimum margaritum, cui regnum cælorum comparatur, magis inardescant? stultos eos, ut minimum stolidos rerum æstimatores ducimus, qui vitrum auro & gemmis commutant. *a* Ad Indos ubi vitrum primo delatum, rebus omnibus prælatum, permutatumque inæstimabili pretio, ita ut pauci vitrei calices, & quidem rusticiores, *b* supra æstimationem solidorum aureorum ducentorum permutati memorentur. Stupendum magis, Neronis principatu duos vitreos calices H S. sex millibus venditos fuisse. Rursus hic illud Hieronymi ingeminandum: c *Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum?* quanti calix pretiosus in manu Domini, è quo torrente voluptatis suos potabit? Fidem prope excedere videtur, quod refert P. Matthæus Riccius, & scriptum reliquit *d* P. Trigautius. Cum P. Matthæus gravissimo morbo expeditus esset, amico, in grati animam tesseram; inter cetera munuscula vitrum trigonum donavit, quod ille tanto in pretio habuit, ut in argenteam thecam recluserit, & aureas catenulas in extremis nodis illigarit. Hoc vitrum multorum cupiditatem incitavit: nam non ita multo post quingentos aureos in pretium unus aliquis dicitur obtulisse, & gravate extorsisse, quia donum regium æstimabatur. O mortales! si tanti vitrum trigonum, quanti speculum illud sine macula, ausim dicere trigonum, in quo perspicue sacrosanctæ Triados arcanum conspicitur: qui Filius à Patre genitus, Spiritus ab utroque processerit: qui una divinitas, una sapientia, una potentia, unum sed interminatum ab æterno lumen, tres tamen personæ in uno Deo refulgeant. In quo non vanos & phantasticos colores, ut in hoc vitro fit, sed res omnes creatas, prout olim fuerint, nunc sunt & erunt, eorum magnitudinem, proportionem, pulchritudinem, naturam, vim, vires, proprietates, motum cernent: atque hæc non paulatim aut gradatim, sed simul omnia, idque distincte, clare, firmiter, obtutu immutabili. Hinc eorum nullus ab hac divinitatis pictura, ab hoc viso in omnes æternitates avelli poterit: post decies centena millia, post centies centena millia, post millies millena millia annorum, hæc visio tam recente, tantaque voluptate perfundet omnes, quanta perfusi sunt primo omnium momento. Immutabilis est voluptas cæli, & gloria ejus semper innovatur. Beatus profecto qui hæc videt, qui, ut Bernardus ait, e *ibi illa videt, ubi longe melius sunt quam in se ipsis*, quia non vanæ nec inanes species, sed in ipsa vita erant.

a V. Cæsium de mineral. l. 3. c. 9. sec. 3. b Plinius l. 36. cap. 26. c Hieron. ad Salvinam. d Cæsius cit. Trigau. l. 4. De Christ. exped. ad Sinas c. 4.

e Bern. l. 5. de consid. c. 3. med.

EM-

UVA. BHSC. BU 02224

EMBLEMA LII.

Mittet Angelos ſuos cum tubâ. Matt. 24.



NON CANIMVS SVRDIS. *Eclog.* 10.

DOMINICA XXIV.

POST PENTECOSTEN.

Tuba noviſſima ſurdos excitat: quâ reſurgentes,

§. I. *Congregantur ad Concilium judicii.*
§. II. *Ad prælium, quo orbis terrarum pugnabit contra inſenſatos.*
§. III. *Ad feſtum æternæ ſolennitatis.* Ita D. Thomas.

D. Thom. in 4. diſt. 43. q. unic. ar. 2. in corp.

UVA. BHSC. BU 02224

DOMINICA VIGESIMA-QVARTA. POST PENTECOSTEN.

Mittet Angelos suos cum tubâ.

EXSTAT illud Æliani de Theone pictore celeberrimo: inter artis pingendi præclara monumenta, illud momenti maximi fuisse, quo fortissimum belli ducem, Martis furore correptum, minaci fronte, scintillantibus oculis, spumanti ore, toto corporis habitu cædem anhelantem, flammas spirantem, scitè expressit: hoc tamen solertiæ adhibito: Non priùs tabulam spectandam proposuit, quàm argutum post mutam tabulam tubicinem collocasset, qui ad pugnam animaret; nec priùs siparium dimovit, quàm hic tubam inflare cœpisset. Hoc siquidem periculo exprimere nequiverat, quemadmodum tubarum clangor soleat duces exercitus concitare,

b *Martémque accendere cantu.*

Ita mihi statutum est, non priùs Imperatorem nostrum, justo vindictæ dolore inflammatum, procedentem in campum, attonitis oculis ad terrorem subjicere, quàm horrificum illum tubæ fragorem auribus, animisque vestris insonantem exceperitis. Hujus verò feralis tubæ usum D. Thomas, quem auctor noster Ignatius, suis magistrum præfecit, triplicem assignat: c *Propter convenientiam ad usum* TUBÆ, *qui erat in veteri testamento:* TUBA *enim congregabantur ad prælium, & vocabantur ad festum. Resurgentes autem* 1. *congregantur ad concilium judicij:* 2. *ad prælium, quo orbis terrarum pugnabit contra insensatos.* 3. *ad festum æternæ solennitatis.*

a Ælian. l. 2. c 44. b 6 Æneid. c D. Thom. in 4. distinct. 43. q. unica art. 2. in corp.

§. I.

Quàm tuba illa novissima terribilis, quâ CONGREGANTUR AD CONCILIUM JUDICII.

IOannes a Damascenus elegantem narrationem ingressus: Rex magnus, inquit, aureo curru, regio satellitio stipatus iter fecerat. Hunc viri duo Religiosi, veste lacerâ, macie confecti, ore pallidi fortuitò transibant. Constabat autem regi hæc esse austerioris vitæ, & assiduæ in divinis obsequiis intentionis argumenta. Quamprimùm igitur eos vidit, curru desiliens, & humo affusus, supplici gestu eos veneratus est; dein consurgens, illos complexus amicissimè salutavit. Ægre id tulerunt regis proceres, dimissionem regiâ majestate indignum rati. Cùm autem nemo esset, qui de eo regem commonere auderet, regis fratrem instigarunt, moneret suum germanum, ne diadema & sceptrum contumeliosâ submissione ad mendicorū pedes deprimeret. Paruit frater & regem intempestivæ abjectionis insimulavit. Rex ei responsum breve ac ob-

a Damasc. in vita Barlaam & Iosoph. c.

scu-

UVA. BHSC. BU 02224

fcurum dedit. Atqui moris erat illic locorum, ut fi quem morte mulctaturus rex eſſet, ad ipſius ædes præconem cum tubâ mitteret, ut è ferali tubæ clangore, reus diſceret, ſibi moriendum eſſe. Idcirco *tubam mortis* appellarunt. Rex ergo ſub veſperam miſit, qui ad frarris domum tubam inflaret, ferretque mortis nuntium. Ubi regis frater fatalem hanc tubam audivit, de vitâ jam actum eſſe cenſuit. Ita proximam noctem inſomnis inter familiæ luctus exegit. Sequenti manè cum conjuge, liberis, & familiâ omni atratus venit ad regii palatii fores, auditurus quam capite dependeret ſententiam. Jam omnium oculi natabant lachrymis, nec aliud quàm gladius & mors exſpectabatur. Rex fratrem accerſitum ſic allocutus eſt: Itáne, inquit, extimeſcis iram fratris, cum quo tibi ſanguis & genus idem eſt? Itáne feralis tubâ te mactat nullius facinoris conſcium? cur, quæſo, mihi vitio vertebas, quòd eos qui mihi occurſu ſuo judicis adventum denuntiabant, ſubmiſſiùs ſalutaverim: præſertim cùm egomet mihi plurimorum criminum ſim conſcius, quibus eum judicem læſi. Hanc tubam formidemus, quæ mortem indicit ſempiternam. Hæc volui ut inſtruerem te, non ut occiderem. Ita eruditum à ſe dimiſit.

Summus Imperator noſter Chriſtus non unum Præconem, ſeu præcentorem ad nos deſtinat, qui exaltant velut tuba vocem ſuam, ut hunc tam horrendum, tam feralem noviſſimæ tubæ ſonum, in aures, & animos noſtros immittant, & ex profundo vitiorum veterno excitent. Ad rem Auguſtinus: [a] *Sicut* CANENTIBUS TUBIS *muri Iericho ceciderunt, ita & nunc oportet ut civitas mundi*, id eſt, *ſuperbia cum ſuis turribus, avaritia ſcilicet, invidia, atque luxuria, ſimul cum populis*, id eſt, *omnibus concupiſcentiis malis, aſſiduâ Sacerdotum prædicatione deſtruatur, atque diſpereat*. Polidorus de rerum inventione tradit Dictæum Poëtam primò tubam adaptaſſe; quoniam is, cùm Lacedæmones, Juſtino teſte, bellum adverſus Meſſenios gererent, diuque producerent ancipitem Martis eventum, reſponſum acceperant ab Apolline, ſi vellent vincere. Athenienſibus ad partes ſuas deficientem, exercitui præfecerunt: qui uſum inflandi tubas in caſtra induxit, quarum inſolenti clangore, equi equitesque Meſſenii conterriti, fuſi, fugatique ſunt, & luculentâ victoriâ Lacones potiti ſunt. Nobiliorem enim verò vitiorum ac cacodæmonum victoriam ſpondet tuba illa noviſſima, ſi ejus auram ſive ſuavem piis, ſive impiis gravem, auribus noſtris identidem hauſerimus. Verùm hoc graviſſimè indolendum eſt, hos ſacros Dei præcones, dum avaritiam, luxum libidinem, temulentiam, aliaque ſcelera infectantur, eos paſſim ſurdis canere. Cui appoſitum emblema, quod per tubam docet ſurdis loquendum, moderi poterit: [b] TUBA *itaque*, inquit, *peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat: nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu*. Lamæ Sacer-

[a] Aug. ſerm. 106 de temp. [b] Aug. ibid. [c] Nieremb. hiſt. nat. l. 6 c. 71.

UVA. BHSC. BU 02224

dotes Rosaria gestabant ex officulis mortuorum, potabant ex craniis, è tibiis humanis buccinas sibi & tubas conficere solebant, cui populo congruit illud Propertii:

a *Et struxit querulas rauca per ossa tubas.*

Causam rogati à P. Antonio Andrada, responderunt ossa mortuorum in tubas conflare, iisq; clangere, ut mentionem ad properantis mortis, quam tremendum illud judicium subsequitur, nuntiarent. b *Hæc tuba itaque peccatoribus necessaria est*; ut quoties ossa mortuorum viderint, toties mortis imminentis, & novissimæ illius tubæ recordentur. Toties occurrat animo, quod Antiochenus Antistes aureâ tubâ nobis insonat: c *Quando audierimus* TUBAM, *quando vocem illam Archangeli, quavis* TUBA *terribiliorem, quis tunc nobis animus erit?* Plutarchus in vita Gracchorum, postulatos rei capitalis *vocari* TUBA *ad judicium* declarat. His vos paucis compello, *Quis tunc illis animus*, dum tuba mortis, auribus insonat? num salire & lascivire, num epulari & per græcari lubuerit? enimverò tantum abest ut peccare delectet, ut nemo quisquam sit, qui hujus tubæ clangorem, vel mentis auribus exceperit, quin ceteros omnes sensus in stuporem induxerit. Hic sensus fuisse videtur, qui rectissimè sensit, & cui portæ inferi non prævalebunt, ipsius Petri, referente Clemente Romano: hoc eum aliquando oraculum pronuntiasse: Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei judicium ponat? si auribus ejus semper feralis tuba insonet? Quis dum tubam præ foribus audit, quo ad judicium cogitur, de capite accepturus sententiam, genio perget indulgere? quis non è strato se propripiat? quis non musicam omnem in luctum convertat? quis non voluptati omni nuntium remittat? Perillustris id Hispania, vel eo etiam nomine familia est, *d* quæ *de Ron* indigitatur, pro gentilitia tessera in insignibus expressam gerens tubam, hoc lemmate subjecto: *Los de Ron, siempre comen a este son.* More enim majorum receptum erat in ista familia, domesticos omnes per tubam ad mensam convocare. Utinam feralem illam tubam super mensam nobis occini, attentâ parumper mente volveremus, quàm frugi viveremus, quàm sobriè appositis frueremur, quàm crapulam omnem & ebrietatem incurrere formidaremus! quod magnum illum Hieronymum apud D. Thomam usurpasse legimus, de quo illud exstat: e *Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco: sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper insonare videtur auribus meis* TUBA *illa terribilis: Surgite mortui, venite ad judicium.* Equidem fateor principes mensæ suæ tubicines adhibere solitos, sed voluptatis administros; malim ipse ut fertur D. Hieronymi judicio, funestam illam tubam ad omnes gulæ illecebras, horribili suo fragore expugnandas, oppri-

a Propter. 4. el g. 3. b Aug. cit. c Chrysost. hom. 8. in 1. ad thess. 4.

d Iac. Nyssen. serm. 1. die Lunæ quad. disc. 5. e S. Thom. opusc. 58. c. 5.

men-

UVA. BHSC. BU 02224

mẽndaſque, circumferri: ſiquidem ſi audiamus auguſtam illam Eccleſiæ tubam Auguſtinum, cujus hic clangor: a *Scitis quod tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat quàm terroris; non tam delectationem proferre, quàm inferre formidinem*; qualem Bogori Bulgarorum regi ſalubriter incuſſit, qui ubi ceperat Methodium virum Religioſum, picturæ perquàm peritum, ab eo experiit, ut quod maximè formidandum oculis animoque ſubjiceret. Pinxit ille terrificum illum judicii apparatum. & in eo à quatuor ventis tubas, mortuos è ſepulchris excitantes: ad cujus tabulæ aſpectum ſic inhorruit, ut muta tuba jam Chriſti militem è ſolio, in religioſi clauſtri latebras compulerit, quo ad veræ tubæ ſonitum, ſecurum ſiſtere vadimonium poſſet. Prô Deum immortalem! ſic terribilium omnium terribiliſſima tuba auribus animiſque mortalium excidat, ut non ad omne forum, ad omne pulpitum, ad omnem menſam, ad omnem thalamum, ubique gentium ac locorum illud pavidis ſemper auribus inſonet: *Surgite mortui, venite ad judicium*. prodite in campum: deſcendite in prælium. Etenim ut Cyrillus Alexand. monet, b *Audio eos qui in palæſtricis certaminibus præſident, ubi rei ipſius initium facturi ſunt, tubâ quidem denuntiare* certamen. Quæ tunc militum formido, quis pavor, quæ trepidatio & quanta? *At tuba* (magni illius prælii) *terribilem ſonitum procul excitat horrida.*

a Aug. ſerm. 106. de temp. *b* Hom. 4 de feſt. Paſchæ.

§. II.

c TUBA *convocabuntur ad prælium, quo orbis terrarum pugnabit contra inſenſatos.*

DE Roma militia Iuſtus Lipſius docet, antiquitus, & quotidianâ experientiâ comprobatum eſt, ſignum tubæ ciere milites, & caſtra movere. Hinc numer. IO. ULULANTIBUS TUBIS *in profectionẽ*. Haud aliter

TUBA *mirum ſpargens ſonum*
Per ſepulchrã regionum
Coget omnes.

Sed quo? d *Si incertam vocem det tuba, quis parabit ad bellum?* quapropter cæleſtes illi præcentores noviſſimâ tubâ articulatè inſonabunt: e *Surgite mortui, venite ad judicium*. Ut Chryſoſtomus, Theophylactus, aliique. Mirum eſt quod inter Iulii Cæſaris geſta ſcribit Suetonius: Conſtiterat ante Rubiconem flumen, anceps animi & in diverſas diſtrahebatur ſententias, de bello hoſtibus inferendo: cunctanti, ait Suetonius, oſtentum tale factum eſt: Quidam eximiâ magnitudine, & formâ in proximo ſedens, repentè apparuit arundine canens. Ad quem audiendum cùm præter paſtores plurimi etiam ex ſtationibus milites accurriſſent, interque eos nonnulli æneatores, ſeu tubicines; procerus hic gigas ereptâ tubicina tubâ, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus, in alteram ripam contendit. Tunc Cæſar: Eatur, inquit, quò deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat, jacta eſt alea. Hæc

c S. Thom. in 4. diſt. 43. q. 1. a. 2 in corp. d 1. Cor. 14. e Cornel. in 1. Theſ. 4. c. 15.

UVA. BHSC. BU 02224

tuba Cæsari mentem injecit ad progrediendum, ad pergendum in hostes, & confligendum. a At verò *ubi in tuba Dei* Imperator noster *descendet de cælo*, & mittet suos undique *ad reges totius terræ, congregare illos in prœlium, in diem magnum omnipotentis Dei*, ubi porrò hoc classicum militare, ut Anselmus loquitur, insonuerit; terrâ marique in campum cogentur omnes, qui demersi in aquis, qui in aëre penduli, qui igne absumpti, terrâ obruti, congregabuntur b *à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos ejus*. Universale armilustrum instituetur in valle Josaphat. Joëlis 13. *Ecce in diebus illis, & in tempore illo congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosophat, & disceptabo cum eis*. Hunc se exercitum in spiritu aliquando prævidisse narrat Ezechiel: c *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctura suam. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde*. Has tam immanes, tam immensas militum copias, nemo demirabitur, qui legerit sub novissima tempora exercitum d Antichristi apud Ioannem: *& numerus equestris exercitus vicies millies dena millia*. e Græcè δὶς μυριάδες μυριάδων, id est, duæ myriades myriadum. Myrias autem est decem mille: duæ ergo myriades myriadum, sunt vicies mille decem millia, id est, ducenties millena millia, sive ducenti milliones. Quibus si copias pedestres, passim longè superiores, addideris, *existet exercitus grandis nimis valde*. Insuper jungentur illis omnes mortales, qui sunt, erunt, & fuerunt. Qui quanto numero futuri sint, ex hoc colligere est, quod refert f P. Trigautius: in solo regno Chinensi numerari ad ducentos quinquaginta milliones hominum. Adde, inquit g Cornelius, totidem ex Æthiopia, ex Tartaria, totidemque ex India. Numeret Zara Rex *decies centena millia* suorum Æthiopum, contra regem Asa. Ante illum Semiramis contra Indos & Bactros decies sexies centena millia. Xerxes verò, cui nullæ unquam numerosiores copiæ, quinquagies centena millia, terra marique contra Græciam educat; at quantus & qualis exercitus colligendus, qualis concursus & occursus ad ultimæ tubæ signum futurus est? ubi supra ducentos quadraginta sub sacris infulis Pontifices: supra centum quadraginta augusto sub titulo Imperatores: Innumeri sub variorum regnorum coronis regum populi, omnium principum, procerum, totiusque nobilitatis, nemine hoc se campo subducente, frequentia? Quis tandem in numerando sit finis, hoc in ultimo orbis excidio ac triumpho, si complectaris sex millium sæculorum revolutionibus, natos & denatos mortales, nunc ad hanc tubam

a 1. Thess. c. 4. Apoc. 16. b Matth. 24. c Ezech. c. 37. d Apoc 9. v. 16. e V. Con. f P. Trigaut. lib. de expedit. Sinensi. g Cornel in c. 9. Apoc. v. 16. 2. Paral. c. 14.

in

UVA. BHSC. BU 02224

in ictu oculi in auras prodire, ad beatam vel miseram æternitatem rursus nascituros, quovis è genere hominum, sexu, ætate, conditione, qui omnes in hunc campum, in quo ultimum de summa rerum decertatur, concurrent? Ex quibus immensum, quem vix terra sustineat exercitum, conflari necessum est. Nunc si lubet, hac in valle castra metamur, & in legiones, centurias ac turmas varias hunc rem ingentem exercitum dividamus. Ac primum quidem, quoniam a *mittet Angelos suos cum* TUBA, *& voce magna, & congregabunt electos ejus*, beatorum copias obiter lustremus. Stat ergo in procinctu Ecclesia olim militans, jam triumphans, ut b *castrorum acies ordinata*. Duces ac primipilos antiquâ in lege contueor Patriarchas & sacros vates, quorum sub signis, is militum numerus, ut manis, is arenis, & cæli stellis queat comparari. At verò nova in lege, Christi auspiciis longè copiosior Christianorum multitudo, & victoria illustrior. Verissimè Ioannes hunc mentis acie exercitum intuitus, exclamat: c *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Utinam procedentem militum purpuratorum, duce fortissimo, heroë Stephano lectissimo legionem induco, quæ quot capita, & ea quidem laureata censeat, ex eo colligas, quòd sub uno d Diocletiano cæsa sint quot mensibus, septemdecim millia Martyrum: multiplica hunc numerum, ait Cornelius, per decem annos, quibus ea persecutio duravit, invenies vicies centena millia, sive duos milliones Martyrum; ut non modò fidem excedere videatur quod e Hieronymus affirmat, in quemlibet anni currentis diem, suo tempore ad decem millia assignari potuisse; sed ad nostra usque tempora, non levi calculo, ad triginta millia Martyrum coronatorum in cælis, ab Ecclesia in dies singulos posse honorari, Genebrardus supputavit in Psal. 78. & Franciscus Arias de imitatione Christi l. 3. c. 35. quod nemo mirabitur, qui uno die quandoque sex millia sexaginta sex, totam legionem Thebæorum; quandoque undecim millia virginum deleta legerit; mitto parvulos ab Herode occisos ad quatuordecim millia, aut ut alii, ad quadraginta quatuor millia, ut apud f Deaponte videre est, quæ omnia divinitus comprobata reperies in Revelationibus Birgittæ, quæ sic habent: In una urbe Roma quolibet die anni septem millium Martyrum posse festa celebrari. Et alibi: *Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, & seminares eam plenam puris granis tritici, quodlibet vero granum daret fructum centuplum, adhuc essent Martyres, & Confessores Romæ à Petri tempore, usque ad Cœlestinum*. Quæ ergo & quanta justorum caterva ab Adam usque ad hæc tempora, nec tantùm in una urbe Roma, sed orbe universo? Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in lito-*

a Matt. 24. b Cant. 6. c Apoc. 7.
d Cornel. in Apoc. c. 7.

e Beyerlinck theat. tit. Martyrium
f Deaponte in Matt. cap. 2. Cornel. cit. l. 3. Revel. c. 35. l. 3 c. 37.

UVA. BHSC. BU 02224

re maris. Auguſtinus hic alludens: a *ſcomparatione cæleſtium ſtellarum, mihi magis promiſſa videtur poſteritas cæleſti felicitate ſublimis.* Teſtis cælo petendus Elias, qui noviſſimis diebus è monte Carmeli, ſuos commilitones in vallem deducet. Huc tu Paule. Ille primus ſolitudinis incola, ex umbra in ſolem & pulverem prodit, tot cinctus ſanctiſſimis commilitonibus, quot Ægypti ſolitudines ſub Africo arenas volvunt.

b Nec te præteream Benedicte, cui & ipſum nomen titulus eſt ſanctimoniæ. O quales & quantæ beatorum mentium acies te circumſtant? quid enim numero comprehendere refert, quot in bibliotheca Caſſinenſi reperire eſt Sanctos, ſub regula Benedicti in canonem relatos eſſe quadraginta quatuor millia viginti duos. Quorum quinque millia quingenti quinquaginta quinque, in uno Caſſinenſi monaſterio vixêre, ibidemque ſepulti ſunt.

c Ex ordine S. Auguſtini homines ſanctitate clari, juxta Ticinenſem ducenti ſupra ſexdecim millia numerantur. Norbertus candida ducet agmina, quæ ab Adriano IV. Tam copioſa quàm *luminaria in firmamento* aſtruuntur. SS. Patriarcha Dominicus eum beatorum exercitum coget, qui campum latiſſimè patentem occupent: in quo, uti S. Thereſæ cælitus declaratum eſt, hi generoſi pugiles, in hæreſeos antiſignanos, & erebi furias decertarunt, quorum nomina & numerus vaſtum volumen eidem virgini exhibitum ſatis ſuperque teſtatur: ubi vel unus Vincentius ſupra viginti millia Judæorum, ad 8. millia Saracenorum inducet. In Seraphico ordine Sanctos enumerare, non humanæ, ſed ſeraphicæ eſt intelligentiæ, quæ *d* Seraphinorum ordinem & numerum ſola complecti poſſet. Adducet hîc ſuam quoque Franciſcus de Paula maximam Minimorum catervam; & ne ducem noſtrum Ignatium ad bella natum prætergreſſi videamur, omnes eas beatorum copias in campum triumphaturus inducet, quæ hic in terris ſub ejus ſignis conſtanter militarunt, ex quibus omnibus, ut divinis teſtimoniis comprobatum eſt, non perdet quemquam. Mitto jam Barbarorum phalanges ad undecies centena millia ſub Xaverii auſpiciis in aciem prodeuntia. Quadraginta millia, quæ ab impiis hæreſum præſidiis, ad Chriſti caſtra P. Augerius revocavit. *e* Tandem ubi nullus militum numerus, quæret aliquis, quomodo in hoc campo, in hac valle omnes colligendi ſint, cùm juxta computum *f* Leſſii, ſoli damnati, futuri ſint ad nonaginta novem, ſeu centum mille milliones hominum? Reſpondet Cornelius, juſtos cum Chriſto judice, quaſi in clivo per modum amphitheatri futuros in nubibus, cum novem iſtis legionibus velitum, qui tanto numero ſunt, ut Daniel deſcribat g *millia mil-*

a Aug. l. 16. de civ. c. 23. Lancicius in opuſc. ſpir. 1. c. 19. *b* Beyerlinck theat. tit. Martyrium. Lancicius opuſc. ſpir. 1. c. 19. pag. 73. *c* V. Stellartium fundamina ordinum p. 1. tabula 1. Lancicius ibid.

d V. Lancicium p. 78. *e* Imago 1. ſæculi pag. 393. *f* Leſſ. de perfect. l. 13. cap. 24. g Dan 7.

lii m,

UVA. BHSC. BU 02224

lium , & decies millies centena millia, hoc est, ut Chrysostomus exponit, a *millia Angelorum innumerabilia* , ut vel ex eo manifestum est , quod certâ revelatione constet, infimum chorum plures Angelos complecti, quàm unquam mortales fuerint , sint & erunt. S. Bernardin. Senensis in testem adducit Dionysium Areopag. libr. Hierarchiæ docentem , quòd Angeli in Paradiso existentes , sint plures, quàm sint stellæ, quàm sint arenæ , quàm sint folia & herbæ, quàm sint omnia creata ; quæ fusiùs Bubalus de Angelis. Ut jure merito Job exclamet: b *Numquid est numerus militum ejus ?*

Tunc igitur cùm Dominus in campum prodierit, c *accipiet armaturam zelus illius, & armabit omnem creaturam ad ultionem inimicorum , & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Tunc, ut d Cornelius ait, prodibit Tacies & phalanx innumerabilium Angelorum, *qui ex illo tonitrua , quasi bombardas horrisonas & igneas explodent, & ejaculabuntur in impios.* Hæc potiori jure legio fulminatrix nuncupanda, quàm illa Christianorum sub M. Antonio , quæ saxa & fulmina in hostes cælitus impetravit. Tunc cum Imperatore suo procedent agmina Sanctorum , stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt ; tunc scilicet in die illo prælii , stabunt justi, e *tanquam milites victores & triumphatores, cum immobili & insuperabili fortitudine, ait Dionys.*

a Revel. Birgitt. l. 4. c. 11. b Iob 25. c Sap. 5. d Corn. in c. 5. Sap. e Corn. hic.

§. III.

f *Tunc tuba canet receptui, & beati vocabuntur ad festum æternæ solennitatis.*

TUnc, inquit Hieron. g *ad tubæ vocem pavebit terra cum populis, & tu gaudebis ?* Tunc ad singulare certamen provocabunt, *Iusti persecutores suos , & sancti Martyres tyrannos , qui eos adduxerunt in angustias :* Petrus & Paulus Neronem : Sebastianus Diocletianum : Laurentius Valerianum : Cæcilia Almachium : Vincentius Dacianum : Campianus Elizabetham : Xaverius præfectum Malucensem, qui cupidine auri victus , iter ejus in Sinas , & consequenter Sinarum conversionem impedivit : sic enim tum hominem perstrinxit Xaverius : h *Ego numquam post hac illum , neque ille me visurus est in hac vita, nisi cùm apud summum illum judicem, in valle Iosaphat, eum accusaturus sum, quod improbissimâ turpissimâq; cupiditate occæcatus, tantam animarum impediverit messem.*

Tunc nudi & inermes tyranni concutientur horrore terribili, & fugæ locum nequidquam circumspecturi sunt: nulla pascendi spes , nulla fœderum ineunda condito , non induciæ: sed signo dato irruent undiq; truculentæ cacodæmo-

f D. Thom. cit. g Hieron ad Heliodor. h Turfel. l. 5. c. 7. V. Cornel. in Ioel c. 3. v. 2.

UVA. BHSC. BU 02224

num phalanges, & miseros mortales captivos secum, sine ulla spe libertatis, lytri, aut commutationis, in tenebras illas horribiles, in igneum illud ergastulum abripient. Quis hîc ploratus, quis ejulatus, quæ & vociferatio? ubi illa strages tot millionum acciderit, ubi receptui canetur in æternum?

Hîc quisque vestrûm compellat postremùm Hieronymus: a *Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum, ubi fossa, ubi hyems acta sub pellibus? ecce de cælo* TUBA *canit: ecce cum nubibus debellaturum orbem imperator armatus egreditur: ecce bis acutus gladius ex regis ore procedens obvia quæque metit:* Infelicia illa damnatorum agmina, spiritu oris sui obruet. Quis hîc ploratus? quis ejulatus? quæ vociferatio? ubi illa tot millionum strages, beatorum oculis spectanda, mox in imam ardentis orci voraginem devolvenda procumbet? Defuncto Vitellio Romæ tanta clades accidit, ut uno die quingenta hominum millia cæsa sint; & sub Proclo Imp. trecenta millia Germanorum uno conflictu perempta sint. Unum bellum Punicum secundum, quindecies centena millia hominum assumpsit: bellum civile Cæsaris & Pompeij, ad trecenta millia.

Julius Cæsar in bellis suis occidit hominum undecies centena nonaginta duo millia; quo tamen major etiam hac parte illo, magnus Pompeius, qui in delubro Minervæ inscripsit, fusa à se, fugata, occisa, in deditionem accepta, hominum vicies centena, octingenta tria millia. Sed hi omnes brevi fato mortales occubuerunt, plurimis quandoque fugâ elapsis; at nulla clades cum hac comparanda, quæ numquam instauranda est, ubi ex centum millionibus hominum, nulli pateat effugii locus, omnes (quod hîc adeò milites reformident, *prisonniers de guerre*) inhorrendos illos inferorum carceres detruduntur, nullo lytro eximendi, quia *in inferno nulla est redemptio.*

Tunc cælestes illi præcentores canent tubis suis æternum Epinicium, & festo concentu Imperatori suo, totique beatorum exercitui, illud solenne, *Te Deum laudamus*, plenis buccis concrepabunt.

Etenim si olim Deus præceperit in figura: b *Quando habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis super holocausta, & pacifica victimas,* c nunc potissimùm insolentem pæana concinent, dum vocantur *ad festum æternæ solennitatis.* Luterias quidem lætitia ingens incessit, ubi a. 1559. sub Henrico II. per compita platearum, viginti quatuor tubicines, urbi Parisiensi optatissimæ pacis felicitatem denuntiarunt. Porrò quis fando explicet, qualis & quantus in cælesti illa Ierusalem concentus è *tubis ductilibus?* non vicenis dumtaxat, sed centenis, millenis, tot millenis millibus, d quot *tunsionis malleo productis & pressurarum plagis* (ut Augustinus loquitur) extensi Martyres, quibus ora, non aëra resonabunt pacem illam sempiter-

a Ad Heliod.

b Numer. 10. c D. Thom. hic. P. Bulengerus hist. l. 10. p. 316. d Aug. in Psal. 32. & 97.

nam.

UVA. BHSC. BU 02224

nam, nullâ temporum injuriâ interituram, nullo rerum adversarum impetu evertendam. a *O quæ erit, fratres charissimi, illa justorum gloria! quàm grandis Sanctorum lætitia! cùm ordinibus distinctis, populum suum Dominus in regno patris sui cœperit recensere, & meritis, atque operibus singulorum præmia promissa restituere; pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare? effugit omnem sermonem, atque sensum humanæ mentis excedit.* Quare cùm vos ipsi & soli hæc canere valeatis, me tacente, b *laudate Deum in sono* TUBÆ: *buccinate in neomenia* TUBA (ubi corpus lunæ, animus solis instar refulget) c *in insigni die solemnitatis vestræ.*

a Aug. serm. 64 de Mart. 37. de SS. | b Psal. 105. c Psal. 80.

UVA. BHSC. BU 02224

INDEX
TOTIVS OPERIS.

IN STRENAM.

Annulus Æternitatis.

ANNULUS Æternitatis, non tam manu quàm mente volvendus, in annulari horologio effingitur.

§. I. *Annulus Æternitatis apprehendi potest, comprehendi non potest.*

§. II. *Cursus vitæ nostræ ad annulum Æternitatis derigendus.*

§. III. *Præ annulo Æternitatis omnia humana ut vana ac momentanea despiciuntur.*

§. IV. *Annulus Æternitatis contra omne lethale virus, præsens amuletum.*

Dominica I. Adventus.

De Iudicio, in quo ostenditur summum tormentum fore, manifestationum occultorum scelerum, per cortinam in die revelationis aperiendam.

§. I. *Tormentum gehennâ gravius, revelatio occultorum scelerum in judicio.*

§. II. Illuminabit abscondita tenebrarum. 1. *Cor.* 4.

§. III. *Simulatæ justitiæ, ac personatæ virtutes detegentur.*

§. IV. *Orbi quoque innotescent occultissima opera justorum.*

Dominica 2. Adventus.

De inconstantiâ humanâ, quæ per arundinem à sapientiâ æternâ figuratur; unde tu illud inconstantiæ symbolum ne communue dixeris.

§. I. *Arundines in fide instabiles.*

§. II. *Virga justitiæ arundinea.*

§. III. *Fidere amicitiæ humanæ, est niti baculo arundineo.*

§. IV. *Quàm aptè Poëtæ fixerint, puellam in arundinem conversã.*

§. V. *Vacua, & inanis arundo est.*

Dominica 3. Adventus.

Præstantissimam scientiam esse cognitionem sui: quâ homines ad dignitatem evecti recordentur, qui fuerint: exprimitur per truncum informem, in statuam effictum.

§. I. *Qui sui cognitione neglectâ, inutili ac futili scientiæ sese dediderunt.*

§. II. *Cognitio sui, ut scientia longè præstantissima, præ ceteris commendatur.*

§. III. *Compertum est, qui è vili emerserunt, nec se, nec suos agnoscere.*

§. IV. *Exempla eorum, qui suæ sortis, ac conditionis memores, illud γνῶθι σεαυτὸν observarunt.*

Dominica 4. Adventus.

Vias Christo venturo planandas, purgandas, & exornandas, ut (quemadmodum Ambrosius serm. 65, monet) *superveniens Dominus nil offendat in nobis.* Ad quod conducet primùm, serra pœnitentiæ, aquâ lachrymarum supernè adstillante, aspera æquare.

§. I. *Aspera in vias planas æquanda.*

§. II. *Regi venturo viæ mundandæ, juxta illud:*

Intelligentiam in viâ immaculatâ, , quando venies ad me. *Psal.* 100.

§. III. *Vario splendore, ac ornatu, viæ instruendæ: quia* viæ ejus, viæ pulchræ. *Prov.* 3.

Do-

UVA. BHSC. BU 02224

Dominica infra octav. Nativitatis.

Semper in virtute, & gratia crescendum; non modo ut glandes in robora, pueri in virum perfectum, sed celerrime, ut sol crescit, usque ad perfectam diem.

§. I. *Quomodo Christus creviſſe dicitur ſapientia & gratia.*

§. II. *Mortales creſcere volunt in perituris, & fluxis bonis. Creſcendum magis in æternis, & cæleſtibus.*

§. III. *Creſcendum in virtute, ut ſol, uſque ad perfectam diem.*

§. IV. *Deiparæ, aliique Sancti, qui ſemper in gratia & virtute creverint.*

Dominica 1. poſt Epiphan.

Pœnam damni, quæ ſummi boni jactura eſt, animus corporis exuviis ſolutus, quovis ſupplicio acerbiorem in ſe experitur. Cujus rei ſymbolum, vide ſis falconem, qui jam libera oculorum acie, quo acriori impetu in prædam fertur, eo graviori violentia vinculis attinetur.

§. I. *Animæ corpore ſolutæ, quam grave accidat, ad breve tempus complexu ſponſi arceri.*

§. II. *Sanctis adhuc in corpore degentibus, quam grave, non poſſe diſſolvi.*

§. III. *Tormenti genus graviſſimum, conſpectu Dei æternum privari.*

Dominica 2. poſt Epiphan.

De ebrietate, quæ potiſſimum incurritur per infames ritus bibendi, ſuper ſanitatem. Exponitur per cucumeres, & melopepones laciniis appoſitis, quæ gutta jugiter manante, eos humectent.

§. I. *Quot Hauſtus moderni pro more habeant.*

§. II. *Ritus bibendi ſuper ſanitatem, minime ſanus corpori, & animæ.*

§. III. *Ab hoc infami ritu bibendi hæreſim ortam eſſe, liquido demonſtratur.*

§. IV. *An, & quale peccatum ſit, cogere ad æquales hauſtus.*

Dominica 3. poſt Epiphan.

Omne bonum, & malum, præmium, & pœnam, ex voluntate eſſe; cum Deus habeat voluntatem pro facto, ut in ſacrificio Abrahami oſtenditur.

§. I. *Vtrum actus exterior aliquid ſuperaddat bonitatis vel malitiæ, ſupra actum interiorem.*

§. II. *Oſtenditur malitiam omnem ex ſola voluntate ſpectari.*

§. III. *Omne bonum ac meritum in ſola voluntate ſitum eſſe.*

§. IV. *An ſola voluntate quis martyr habendus?*

§. V. *Quomodo voluntas ferri poſſit in impoſſibilia, & per conſimiles actus mereri.*

Dominica 4. poſt Epiphan.

Vanum omnem timorem mittendum: ut ne vane conturbetur omnis homo, pueri in morem, ad ſui umbram trepidantis.

§. I. *Panicus timor in caſtris perniciosiſſimus.*

§. II. *Rumores, vani, terrores vesanos incuſſerunt.*

§. II. *Dæmon vana ſpecie rigoris, à virtute & religione deterret.*

UVA. BHSC. BU 02224

§. IV. *Vaniſſimus metus eorum, qui omnia in tenebris metuunt.*

Dominica 5. poſt Epiphan.

De tormentis inferni, quæ anima in corpore, inſtrumento peccati & ſordidiſſimo porco patietur. Hæc paucis ex illo Chryſoſtomi complectemur.

§. I. Nec oculis vidit.
§. II. Nec auris audivit.
§. III. Nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus odientibus ſe. *Chryſoſt. lib. de reparat. lapſi.*
§. IV. *Horum tormentorum conſiderationem utiliſſimam eſſe.*

Dominica 6. poſt Epiphan.

Malitiam peccati venialis, ejuſque vires ad ſubruendas animas, in grano pulveris nitrici, quod eſt minimum omnibus ſeminibus, juvat contemplari.

§. I. *Minima culpa venialis excedit omne malum pœnæ, & aliud quodvis malum.*
§. II. *Noxa venialis, quæ minima putatur, quantam pœnarum vim inferat.*
§. III. *Quam horrende purgatorio in igne expietur.*
§. IV. *Probatur ex cauſis naturalibus, plura venialia ad mortale diſponere.*

Dominica Septuageſimæ.

Minima opera juſtorum quam ampliſſima mercede Deus compenſet, vel inde colligas: minori laboris impendio cæleſte regnum (quod apte margaritis confertur) acquiri, quam urinatores in mari ſibi uniones comparent.

§. I. *Quæ hic pili ſunt, apud Deum pro magno æſtimari.*
§. II. *Maximum parvæ operæ pretium, ex illo Iobi probatur,* Tu quidem greſſus meos dinumeraſti. *Iob.* 14.
§. III. *Quanti Deus filum, vel fuſum ducat.*
§. IV. Quod in præſenti momentaneum eſt, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Cor.* 4.
§. V. *Qui oratione brevi, aut verſiculo levi, imo vel verbo, ingens minerval retulerunt.*
§. VI. *Regnum cælorum hauſtus frigidæ venale eſt.*

Dominica Sexageſimæ.

In aribus confertur verbum Dei, quod copia Concionatorum viluit. Ubi agitur, omne carum, quod rarum. Unde *ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis.* 1. Reg. 3.

§. I. *In pretio verbum Dei habendum, non ſecus ac pretioſiſſima inauris.*
§. II. *Quemadmodum non margaritum, ſed vitrum quædam pro inauribus geſtant: ita & quidam potius fucum verborum, quam rei veritatem appendunt.*
§. III. *Vt gemmis & auribus, ita & verbo Dei, raritas pretium facit.*

Dominica Quinquageſimæ.

Dum mundus bacchanalibus vacat, & cacodæmon accipitris

UVA. BHSC. BU 02224

pitris instar circumvolitat, animam Christus invitat ad vulnera sua: *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Cant. 2.

§. I. *In foraminibus petræ passerem, ac columbam, tutos ab accipitre.*

§. II. *In foraminibus petræ, columbam dulces nidos reperire, pasci, ac omnibus deliciis affluere.*

§. III. *Nil Deo acceptius, quam jugi meditatione mentem hic nidificare.*

§. IV. *Praxes, quibus quis vulneribus Christi semper queat inhærere.*

Dominica 1. Quadragesimæ.

De corruptela munerum, quibus virga justitiæ, instar arundinis piscatoriæ, à rectitudine ad prædam se inclinat.

§. I. *Auri vi, arces & urbes quantumvis munitas, everti.*

§. II. *Arcem pudicitiæ auro expugnari.*

§. III. *Virgam justitiæ auri pondere à rectitudine deflectere.*

§. IV. Dona excæcant oculos judicum. *Eccl.* 10.

§. V. *Munerum corruptela graviter punita.*

§. VI. *Quinam judices incorrupti, servique fideles Deo ac Regi extiterint.*

Dominica 2. Quadragesimæ.

De secreto servando: ne arcana, alto pectore premenda, lingua feræ instar rotatilis, ullo umquam verbo divulget.

§. I. *Sub quo peccato lex naturæ, & jura obligent, servari secretum.*

§. II. *Quia taciturnitate celebres, & tenaces secretorum extiterint.*

§. III. *An secretum naturæ, cum vitæ dispendio, celandum sit.*

§. IV. *Quam viro indignum, secretum mulieri pandere, vel etiam amico.*

§. V. *Quod incommodum privatis familiis, etiam Religiosis, ex secreti revelatione accidat.*

Dominica 3. Quadragesimæ.

De Dæmone muto, qui in confessione facit homines obmutescere, dum pudore *obstructum est os.* Psal. 61. haud secus quam machina bellica clavo obturata.

§. I. *Dæmon reddit verecundiam pœnitenti, quam abstulit delinquenti.*

§. II. *Quemadmodum vitia corporis, ita & animæ manifestanda sunt.*

§. III. *Exempla eorum, qui peccati virus occultantes, male perierunt.*

§. IV. *In foro externo crimen fateri fatale est, in hoc salvi & honori.*

§. V. *Ad pudorem superandum, sigillum confessionis arctissimum comprobatur.*

Dominica 4. Quadragesimæ.

De custodia oculorum, quorum vel unico jactu, sæpe fit jactura animæ, confertur cum jactu aleæ, quo non pauci bono-

UVA. BHSC. BU 02224

bonorum ac vitæ jacturam fecere.

§. I. *Iactus aleæ & oculorum confertur.*

§. II. *Iactus hujus jactura exponitur illo Ieremiæ*, Oculus meus deprædatus est animam meam. *Threnum.* 3.

§. III. *Oculorum iactus in templis perniciosissimus.*

§. IV. *De jactu oculorum in obscœnas tabulas.*

§. V. *Exempla eorum, qui à jactu oculorum, sibi temperarunt.*

§. VI. *Felicissimus jactus, quo oculi abjiciuntur.*

Dominica Passionis.

De mendacio. Quam pauci veritatem, quam multi sectentur mendacium, horologio perverso consimiles, quod aliter sonat, quam signat.

§. I. *Omne mendacium peccatum, nec ullo casu licitum esse.*

§. II. *Qui mori maluerint, quam mentiri.*

§. III. Mendacium sine honore, *Ecclesiast.* 20. *& vitium maxime infame, potissimum in viro Principe.*

§. IV. *Mendacium quam graviter punitum, quia odibile Deo & hominibus.*

§. V. *Qui omni vita nunquam mentitus sit, quis est hic & laudabimus eum?*

Dominica Palmarum.

Gaudia mundi plus fellis, quàm mellis habere, ac tandem in luctum recidere; vivum hujus symbolum habes in bove coronato, qui ad victimam ducitur. Ubi duo illa Salomonis Proverbia exponuntur:

§. I. Risus dolore miscebitur. *Proverb.* 14.

§. II. Extrema gaudii luctus occupat. *ibid.*

Dominica Resurrectionis.

De recidiva, quam si omnes incurrunt, qui quidem resurgunt, sed non quemadmodum Christus, cui mors ultra non dominabitur; at illi repetunt tumulum, & thalamum libidinis, redeunt ad pocula: aviũm in morem, quæ in poculis nidificant, à quibus abactæ, ilicò revertuntur, *solitosque revisere nidos* gaudent.

§. I. *Multi resurgunt cum Christo: sed non quemadmodum Christus.*

§. II. *Idipsum appositio Emblemate exprimitur.*

§. III. *Recidiva nimio plus noxia in morbis animæ, quam corporis.*

§. IV. *Recidivam peccatorum passi, quam horrende puniti.*

Dominica 1. post Pascha.

Omnibus in medio standum: velut centrum in medio circuli, omni affectu sepositio, ut *non sit distantia personarum.* Deuter. 1.

§. I. *Magistro standum in medio discipulorum.*

§. II. *Præses, Prætor, omnisque Iudex resideat in medio Doctorum.*

§. III. *Prælato ac superiori omni Ecclesiastico, semper in medio standum.*

§. IV. *Paterfam. consistat in medio domesticorum.*

Dominica 2. post Pascha.

Per adversa ad Deum compellimur.

UVA. BHSC. BU 02224

limur, quemadmodum ovis errabunda per glebam à pastore revocatur.

§. I. *Paupertas ad Deum confugere cogit.*

§. II. *Deus per bella & temporum angustias, homines ad se redire compellit.*

§. III. *Idem præstat per infamiam, juxta illud,* Imple facies earum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. *Ps.* 82.

§. IV. *Morbos & mortem quasi larvas immittit, ut ad sinum suum homo confugiat.*

Dominica 3. post Pascha.

Viam nostram comœdiam esse, in qua omnia modicum sunt, hoc tantum quisque satagat, ut partes sibi à Deo datas recte agat.

§. I. *Omnes hic sunt in comœdia, ad modicum parent.*

§. II. *Suas quisque partes recte ac rite agere studeat.*

§. III. *Peracta scena, ut quisque gesserit & gestierit, plausum ac palmam feret.*

§. IV. *Quinam bene partes suas egerint.*

Dominica 4. post Pascha.

Per infestationes & ariditates Deus quasi absens, nos arctius sibi adstringit, uti nodus tum maxime constringitur, quo inter se stringentes longius recedunt.

§. I. *Deus intimis amicis sese quandoque subducit, ut ardentius ament.*

§. II. *Absentia Christi confert ad majus meritum, & robur virtutum.*

§. III. *Fidelitas amantis, in absentia amati, maxime comprobatur.*

Dominica 5. post Pascha.

Oratio ad omnia efficax, si quid in Christi nomine petieris: uti pura charta, Regis subscripta nomine, potestas fit quidlibet impetrandi.

§. I. *An oratio omnipotens sit, in nomine ejus facta.*

§. II. *Ars oratoria forensis potens est, sed præpotentior cælestis, ad quidlibet impetrandum.*

§. III. *Divini oratores, qui impetrarunt, quidquid rogarunt.*

§. IV. *Quemadmodum pecuniæ, ita à fortiori, orationi obediunt omnia.*

§. V. *Quemadmodum pecunia nervus belli dicitur, ita & in bello omnes vires, victorias uni orationi deberi.*

Dominica 6. post Pascha.

De scandalo, quod, ut D. Thomas docet, potissimum consistit in malo exemplo. Vivum ejus symbolum habes in cancro marino, qui parvulos suos de distorto ac enormi gressu coarguens, rogatur à suis ut præeat, illis longe enormius incedens, pessimo exemplo fuit.

§. I. *Filios insistere vestigiis parentum.*

§. II. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

§. III. *Vis exempli exemplis manifestatur.*

§. IV. *Quam grave sit peccatum scandali.*

§. V. *Pœnæ in eos, qui scandalizaverint unum de pusillis.*

Dominica 1. post Pentecosten.

De judicio temerario: quo gravissime delinquitur, dum ex levi-

UVA. BHSC. BU 02224

levibus indiciis perverse de proximo sentimus, recta curva, ut baculum in aqua confractum judicantes.

§. I. *Hoc judicio quam graviter peccetur, & quam malum illud fugiendum sit.*

§. II. *Iudicia maxime temeraria de viris sanctissimis quandoque habita.*

§. III. *Quemque passim pro affectu judicare, appositio emblemate exponitur.*

§. IV. *Efficax SS. Patrum, ad judicium temerarium vitandum, paræneſis.*

Dominica 2. post Pentecosten.

Eos qui indigne accedunt ad sacram Cœnam, judicium sibi manducare, ac panem vitæ illis veneno esse; uti accipitri, teste Augustino, esse consuevit.

§. I. *Nihil adeo sanum, quod abutenti non cedat in venenum; nil tam sacrum, quod suum non habeat sacrilegium.*

§. II. *Quam immane sacrilegium, sacram Synaxim à scelerato sumi.*

§. III. *Qui indigne accedunt, judicium sibi manducant, & vindictam Dei accersunt.*

Dominica 3. post Pentecosten.

Fit perfecta *peccatoris conversio*, dum membra, quæ fecit servire iniquitati & vanitati, facit servire justitiæ & veritati: mutaturque in virum alterum, haud aliter quam arbor sylvestris, in frugiferam.

§. I. Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum. 1. *Reg.* 10.

§. II. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ, in sanctificationem. *Ad Rom.* 6.

§. III. *Omne corporis ornamentum, ad animum referendum, exemplo mulieris peccatricis.*

Dominica 4. post Pentecosten.

Humana omnia, opes, honores, voluptates, sapienter sapiens *nihil esse duxit*; quare qui hæc prece vel pretio sectantur, iis passim, ut in sortilegio, *nihil omnibus* obtingit.

§. I. Divitias nihil esse duxi. *Sap.* 7.

§. II. *Honores ac dignitates nihil esse.*

§. III. *Voluptates denique, ac omnia quæ in mundo sunt, nihil esse.*

Dominica 5. post Pentecosten.

Viva recordatio ignis infernalis, præsens remedium ad restinguendum ignem libidinis: quemadmodum in caminum incensum bombarda explosa, ignem extinguit.

§. I. *Ignis libidinis, urbes, & orbem depopulatur.*

§. II. *Præsentissimum remedium, ignes ignibus restinguere.*

§. III. *Exempla eorum, qui vel sola*

UVA. BHSC. BU 02224

sola recordatione ignis infernalis, libidinem vicerunt.

Dominica 6. post Pentecosten.

Gratias Deo agendæ, pro acceptis beneficiis, sigillatim à mensa post refectionem: in hoc gallinam imitantes, quæ post quamque refectionem, caput in cælum sustollit, quasi gratias datori referens.

§. I. *Sacrificium laudis, seu gratiarum actionis, Deus à nobis jure postulat.*

§. II. *Perpetua gratiarum actio Deo tribuenda, ut Apostolus monet:* Gratias agentes semper. *Ephes.* 5.

§. III. *Gratiarum actio pro incolumitate tum corporis, tum animi.*

§. IV. *Commendatur religiosissimus ritus agendi gratias post refectionem.*

Dominica 7. post Pentecosten.

Non verba requiri, sed opera, juxta illud Ioan. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.*

§. I. *Cujusque solertia non verbo, sed opere explorari solet.*

§. II. Estote factores verbi, & non auditores tantum. *Iac. c.* 1.

§. III. *Sacros ecclesiastes, exemplo Christi debere prius facere, quam docere.*

§. IV. *Magnanimitas non thrasonicis verbis, sed factis comprobatur.*

§. V. *Amor in opere, non in verbis consistit.*

Dominica 8. post Pentecosten.

Detractores, maledicæ linguæ jaculis, eos potissimum impetere, qui in sublimi honoris apice positi sunt, *quasi signum ad sagittam.* Thren. 3.

§. I. *Tela linguarum in Deum ac Divos virulenter Missa.*

§. II. *Quivis in dignitatis & virtutis apice situs, ut signum ad sagittam ponitur.*

§. III. *Sacro ecclesiastæ, tum cuivis viro gravi, maxime cavendum, ne quem linguæ telo impetat.*

§. IV. *Detractio vulnus prope incurabile, juxta illud*, Telum immedicabile torsit. 12. *Æneid.*

Dominica 9. post Pentecosten.

Pretium temporis, super omnem lapidem pretiosum; exprimitur per horologium quod Carolus V. pro adamante, annulo insertum gestabat.

§. I. Nihil pretiosius tempore, & heu! nihil hodie eo vilius invenitur. *Bern. Declam.* Ecce nos.

§. II. *Iactura temporis sero deploratur.*

§. III. *Dum tempus habemus, eo quam sedulo utendum.*

Dominica 10. post Pentecosten.

Omnis superbus stultus: & hic, & ille, se jactat non esse, *sicut ceteri hominum.* Quare helleborum illis sit, mortis meditatio, quæ omnes reddit, ut sint,

UVA. BHSC. BU 02224

sint, sicut ceteri hominum. Quod in lusu latrunculorum videre est, ubi Rex & morio, eques & pedes sacculum, *in unum dives & pauper* conjiciuntur.

§. I. *Omnem superbum stultum, & omnem stultum superbum esse.*

§. II. *Hujus maniæ præsens remedium, ex calvariis mortuorum petitur.*

§. III. *Æquat mors omnia.*

§. IV. *Monumentum sic dictum, quasi moneat mentem.* Aug.

§. V. *Mortui ad vivos perorant, ut stultam superbiam deponant.*

Dominica 11. post Pentecosten.

Ut èum, qui omnia bene fecit, proxime æmulemur, necessum est omnes animi intendi nervos in hoc unum, ut omnes sanctitatis numeros, quæ in mystico decachordo decem mandatorum Dei consistit, expleamus: ne qua chorda rupta, virtutum pulcherrimus ille concentus interrumpatur.

§. I. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Jac. c. 2.*

§. II. Bonum ex una, integraque causa existit: malum autem ex singulis, singularibusque defectibus. *D. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 4, ad 3.*

Dominica 12. post Pentecosten.

Deus cordis nostri, hoc unum suo sibi jure postulat: Præbe fili cor tuum: quo fit quemadmodum in lusu chartarum accidere consuevit, ut cordis tessera, *Herten aes*, rapiat hoc unum sibi *Herten heer.*

§. I. *Deus cordis hoc unum sibi: cor nostrum vendicat.*

§. II. *Quid sit, ex toto corde Deum diligere.*

§. III. Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. *Matt. 6.*

§. IV. *Quorum cor longe est à Deo.*

Dominica 13. post Pentecosten.

Longe *peccandi occasio fugienda* est: ne culicum in morem lucernam circumvolitantium, præsens periculum incurramus.

§. I. Qui amat periculum, in illo peribit. *Eccl. 3.*

§. II. *Longe à periculis recedendum.*

§. III. *Peccandi occasiones rescindendæ.*

Dominica 14. post Pentecosten.

De fiducia in Deum: omnem solicitudinem conjicientes in eum, quia ipsi est cura de nobis, argumento sumpto à volatilibus, quorum implumes pullos, etiam nido subductos, mater non destituit.

§. I. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester cælestis pascit ea.

§. II. *Variis sacrarum litterarum testimoniis, Dei providentia comprobatur.*

§. III. Nolite ergo soliciti esse, dicentes, Quid manducabimus:

§. IV. *Exempla eorum, in quibus singularis Dei providentia, in summa rerum humanarum penuria elu xit.*

Do-

UVA. BHSC. BU 02224

Dominica 15. post Pentecosten.

Mors animæ, è mortifero peccato, quasi è fulmine, illæso corpore, existit, quo perstrictus, putatur vivere, & mortuus est.

§. I. *Peccatum inferre mortem animæ, luculentis argumentis convincitur.*

§. II. *Peccator etsi vivere videatur, quovis lethifero peccato admisso, vere mortuus est.*

§. III. *Mors animæ flenda, præ morte corporis.*

Dominica 16. post Pentecosten.

Quisquis altum sapit, hoc divino eruditus oraculo sapiat: *Qui se exaltat humiliabitur.* Ac proinde prospiciat, dum ad summa rerum fastigia enititur, ne reorum exemplo, qui trochleis in sublime attolluntur, ilico graviori lapsu se collidat.

§. I. *Sacrarum litterarum testimoniis thesis comprobatur.*

§ II. *Profanis historiis propositum stabilitur.*

§. III. *Quinam ab altitudine diei timuerunt.*

Dominica 17. post Pentecosten.

Mandata Christi adeo non esse impossibilia servatu, ut etiam levia sint amanti: uti nec alæ volucrum gravant, sed levant.

§. I. *Mandata Christi non esse servatu impossibilia.*

§. II. *Amanti nihil est difficile, nedum impossibile.*

§. III. *Non modo præcepta, sed & consilia adeo non gravant, ut instar remigii alarum, sustollant, sine pondere habentia pondus.*

Dominica 18. post Pentecosten.

Scriba doctus, Causidicus justitiæ tenax, in paucis laudandus, à qua qui defiectunt, omnem pauperum clientum succum, in contrarias artes, & partes se contorquentes, extorquent.

§. I. *Scribarum & Causidicorum brevis panegyris.*

§. II. Cavete à scribis, qui devorant domos viduarum. *Marc.* 12.

§. III. Abstine te à lite, & minues peccata, *Eccli.* 28.

Dominica 19. post Pentecosten.

E millenis millibus Sol ille justitiæ perpaucos excepit, uti è millenis confitis, vix unus melopepo ematurescit.

§. I. *Paucitas salvandorum expenditur, comparatione infidelium, hæreticorum, &c.*

§. II. *Inter fideles, seu Catholicos, longe plures damnari, quam salvari.*

Dominica 20. post Pentecosten.

Quatuor animi ferociores passiones, velut effrænes equos domare, regium est.

§. I. Imperare sibi, maximum imperium est. *Seneca epist.* 113.

§. II. *Quatuor animi passiones frænare, regium est.*

§. III. *Infelices exitus eorum, qui ab hisce quatuor affectibus abrepti, aut discerpti sunt.*

§. IV. *Quinam passiones frænando, earum perfectum dominium ac imperium obtinuerint?*

Domi-

UVA. BHSC. BU 02224

Dominica 21. post Pentecosten.

Amore Christi, qui chirographum nostrum affixit cruci, omnia debita inimicis remittenda, quemadmodum in libro rationum, quibus dum crux inducta, omnia debita deleta censentur.

§. I. *Christus delevit chirographum cruce, quod per primum parentem contraximus.*

§. II. Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui. *Matt.* 18

§. III. Dimittite, & dimittemini. *Luc.* 6.

Dominica 22. post Pentecosten.

Res male partæ, æquo jure restituendæ, & quas quis spongiæ in morem, iniqua auri siti opes hauserit, jure compressus, in domini sui sinum refundat.

§. I. *Probatur illud Iobi:* Divitias quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.

§. II. *Plurimos damnari defectu restitutionis, quæ iniquo possessori difficillima est.*

§. III. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

§. IV. *Sacris ac profanis historiis restitutio facienda suadetur.*

Dominica 23. post Pentecosten.

Fragile vitrum, fragilior homo, & hominis forma; ô si eam fragilitatem & juvenes & puellæ ad fragilem crystallum contemplentur!

§. I. *Hominem vitro fragiliorem esse, comprobatur.*

§. II. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ideo, ut monet Augustinus, caute agendum.*

Dominica 24. post Pentecosten.

Tuba novissima surdos excitat: qua resurgentes

§. I. *Congregantur ad concilium judicii.*

§. II. *Ad prælium: quo orbis terrarum pugnabit contra insensatos.*

§. III. *Ad festum æternæ solemnitatis.* Ita D. Thomas.

UVA. BHSC. BU 02224

INDEX

In totam Quadrageſimam.

FERIA 4. CINERUM.

ECCE *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* 2. Cor. 6. De pretio temporis. Embl. XXXVII. per totum. *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Gen. 3. Homo fragilior vitro, quod è cinere conflatur. Embl. LI. per totum, *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ.* Matth. 6. De iis, qui ſimularunt auſteriorem vitam, quorum hypocriſis in die judicii revelanda. Embl. 2. §. 3. *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Iſa. 66. De tuba judicii, quæ auribus hominum inſonanda. Embl. LII.

FERIA 5.

Acceſſit ad eum Centurio. Mat. 8. Morbi calamitates, adverſa omnia nos ad Deum recurrere compellunt. Embl. XXIV. per totum. *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* ibid. Chriſtum in Euchariſtia nemo indignè ſuſcipiat. Embl. XXX. *Nam & ego homo ſum.* ibid. Meminit quòd ſit ſicut ceteri hominum. Embl. XXXVIII. *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* ibid. Qui confidit in Domino, non derelinquetur. Embl. XLII. *Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* ibid. De pœna damni. Embl. VII, *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* ibid. De tormentis inferni. Embl. XI.

FERIA 6.

Diligite inimicos veſtros. Mat. 5. De remiſſione injuriæ. Embl. XLIX. per totum. *Pluit ſuper juſtos & injuſtos.* ibid. Magiſter diſcipulos, pater filios exemplo Chriſti, pari amore complectatur. Embl. XXIII. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* ibid. Hanc menſuram perfectionis ſtatuit, ut ſemper in virtutibus creſcere niteremur, nec unquam nos perfectionem conſecutos arbitraremur. Embl. VI.

SABBATHO.

Putaverunt phantaſma eſſe, & dixit eis: Confidite: ego ſum, nolite timere. Marci 6. Timorem panicum mittendum. Embl. X. per totum. *Confidite: ego ſum.* ibid. De fiducia in Deum, in omni rerum penuria. Embl. XLII.

DOMINICA 1. QUADRAGESIMÆ.

Tibi dabo. Matt 4. De corruptela munerum. Embl. XVI. per totum. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* ibid. Lucæ c. 4. addit: *In momento temporis.* Omnia humana vt vana ac momentanea, præ æternis, contemnenda. Embl. 1. §. 3. Omnia hæc regna erant phantaſtica, & ut vera fuiſſent, omnia humana nihil ſunt, & nihili facienda. Embl. XXXII.

FERIA 2.

Cùm venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo. Matt. 25. De innumerabili exercitu Angelorum, qui ex-

UVA. BHSC. BU 02224

extremo die ad prælium cogetur. Embl. LII. §. 2. *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* ibid. Tuba mirum spargens sonum, coget omnes ante Thronum. Embl. LII. §. 1. & 2. *Sitivi & dedisti mihi bibere.* ibid. Pro haustu frigidæ dabit regnum. Embl. XLIII. §. 6. *Discedite à me maledicti.* ibid. Damnati in valle Iosaphat hac sententia perstricti, corruent ad inferos. Embl. LII. §. 3 *Discedite à me maledicti, in ignem æternum.* ibid. De tormentis inferni. Embl. XI. per totum. Cum venerit ad judicandum, summum tormentum erit, manifestatio occultorum scelerum. Embl. II. per totum.

FERIA. 3.

Domus mea domus orationis vocabitur. Matt. 21. De attentione in oratione, ne cor extra templum vagetur. Embl. XL. §. 4. *Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* ibid. Peccata quæ in templis committuntur. Embl. XIX. §. 3.

FERIA 4.

Quidam de Scribis. Matt. 12. De Scribis & Causidicis æquis ac iniquis. Embl. XLVI. per totum. *Generatio mala & adultera signum quærit.* ibid. Quod ponunt quasi ad sagittam, linguæ calumniantis. Embl. XXXVI. *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* ibid. Do recidiva peccatoris pessima. Embl. XXII. per totum.

FERIA. 5.

Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Matt. 15. Quod fit, quando Eucharistia ab indignis sumitur. Embl. XXX. *Nam & catelli comedunt de micis.* ibid. Historia Senatoris Veneti, qui pelle canina indutus, sub mensam Pontificis se supplex abjecit. Embl. XXXI. §. 3. *O mulier magna est fides tua.* ibid. Qui confidit in Domino, non confundetur. Embl. XLII. *Fiat tibi sicut vis.* ibid. Oratio omnipotens. Embl. XXV. per totum.

FERIA. 6.

Vis sanus fieri. Ioan. 5. Salus & perditio nostra ex propria voluntate. Embl. IX. per totum. *Ecce jam sanus factus es, noli amplius peccare.* ibid. Recidiva in peccatum maxime fugienda. Embl. XXII. per totum.

SABBATHO.

Faciamus hic tria tabernacula. Matt. 17. Unum in pedibus Christi, unum in manibus, aliud continuum in latere, ut docet Bonav. Embl. XV. §. 2. Vel memoriæ unum, intellectui alterum, voluntati tertium. ib. *Nemini dixeritis.* ibid. De secreto non revelando, Embl. XVII. per totum.

DOMINICA 2. QUADRAGESIMÆ.

Omnia ut in Sabbatho præcedenti.

FERIA 2.

Ego vado & quæritis me. Ioan. 8. Deum perdere, jactura summa. Embl. VII. per totum.

Ubi

UVA. BHSC. BU 02224

Ubi de pœna damni. *In peccato vestro moriemini*. ibid. Mors peccatoris longè acerbiùs flenda, quàm mors corporis. Emblem. XLIII. per totum. *Ego vado & quæritis me*. ibid. Per infestationes & ariditates. Deus quasi absens, fidelitatem nostram probat, & ad majus meritum parat. Embl. XXVI. per totum. *Tu quis es?* ibid. Hoc seipsum quisque interroget, ut seipsum noscat. Embl. IV. *Qui me misit, verax est*. ibid. Solus Deus verax, omnis homo mendax. Emb. XX. de mendacio, per totum. *Quæ placita sunt ei facio semper*. ibid. Non modò præcepta, sed & consilia Christi, facilè observantur, & qui ne minimum transgressi. Emb. XLV. Non semper facere placita Dei, seu in unum præceptum peccasse, hoc est omnium reum fieri. Embl. XXXIX.

FERIA 3.

Dicunt enim & non faciunt, Matt. 23. Diligamus non verbo & linguâ, sed opere & veritate. Embl. XXXV. per totum. *Alligant enim onera gravia & importabilia*. ibid. Quot & quàm gravia præcepta Judæorum. Emb. XLV. sub initium. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur*. ibid. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Embl. XLIV. per totum. *Quæcumque dixerint vobis facite*. ibid. Estote factores verbi & non auditores tantùm. Embl. XXXV. §. 2.

FERIA 4.

Filius hominis tradetur ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Mat. 20. Ne homo inducatur, ut Deo per peccatum illudat, & rursus crucifigat, invitat ad vulnera sua. Embl. XV. *Tertia die resurget*. ibid. Imitetur peccator resurgentem Christum, qui nunquam amplius mortuus, ita nec ille denuò moriatur peccato. Embl. XXII. De recidiva, per totum. *Petens aliquid ab eo*. ibid. Qui honores, divitias ac res perituras petunt, nihil petunt, quia humana omnia nihil sunt, & nihili ducenda. Embl. XXXII. *Nescitis quid petatis*. ibid. Quia honores hominem perdunt. Embl. XLIV. per totum. Petit mater ut filii in hac orbis comœdia, habeant partes primarias. Embl. XXV.

FERIA 5.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. Divitias Salomon rectè nihil esse duxit. Embl. XXXII. §. 1. Divitiæ hominem inquietant, & excruciant. Emb. XXI. §. 1. *Induebatur purpurâ & byssо*. ib. De luxu in varietate, & splendore vestium. Emb. III. §. 4. Quinam vestes suas, ad aras & cultum Dei contulerint. Em. XXXI. §. 3. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno*. ibid. Extrema gaudii luctus occupat. Em. XXI. *Crucior in hac flamma*. ibid. De tormentis inferni. Embl. XI. per totum. *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*. ibid. Mortui ad vivos perorant. Emb. XXXVIII. §. 5.

FERIA 6.

Peregrè profectus est. Matt. 21. Fidelitas domesticorum in absentia patrisfam. comprobatur, uti & amantis absente amato.

UVA. BHSC. BU 02224

Embl. XVI. § 3. *Homo erat paterfamiliâs*, ib. Paterfamiliâs ut pacem habeat, debet stare in medio domesticorum, nullum præ ceteris amore singulari complectendo. Embl. XXIII. § 4.

SABBATHO.

Da mihi portionem substantiæ. Luc. 15. Divitiæ, quas ille substantiam vocat, potiùs accidens sunt, imò merum nihil. Embl. XXX. § 1. *Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* ibid. Peccator vitam porcinam ducit, ut porcus æternis flammis comburendus. Embl. XI. per totum. *Ego autem hîc fame pereo; surgam & ibo ad patrem.* ibid. Paupertas ad Deum confugere cogit. Embl. XXIV. § 1. *Pater peccavi in cælum & coram te.* ib. De conversione peccatoris. Embl. XXXI. *Filius meus mortuus erat, & revixit.* ib. Peccatum mors animæ. Embl. XLIII. per totum.

DOMINICA 3. QUADRAGESIMÆ.

Erat JESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. De dæmone muto, qui in confessione homines facit obmutescere. Embl. XVIII, per totum. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* ibid. Calumniis Deum ac Sanctos gravissimè impeti. Embl. XXXVI. *Fiunt novissima hominis illius, peiora prioribus.* ibid. Quàm homini noxia recidiva in peccatum. Embl. XXII. per totum.

FERIA 2.

Medice cura teipsum. Luc. 4. Sacros Ecclesiastes debere priùs facere, quàm docere. Embl. XXXV. § 3. *In veritate dico vobis.* ibid. Homines omnia in falsitate, & mendacio. Embl. XX. *Et repleti sunt omnes in Synagoga irâ.* ibid. Quinam iræ fræna laxarint, quinam *eam passionem frenarint.* Embl. XLVIII.

FERIA 3.

Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matt. 18. Non vult Christus illum infamari, quantò minus innocentes: quod peccatum tamen latissimè vagatur. Embl. XXXVI. per totum. *De omni re, quamcumque petierunt, fiet illis.* ibid. Oratio omnipotens, quidvis impetrat. Embl. XXVI. per totum. *Dimittam ei usque septies? Dicit illis* JESUS: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* ibid. Sæpiùs nobis Deus remittit, unde oportet & nos remittere inimicis nostris. Embl. XLIX. per totum.

FERIA 4.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matt. 15. Quorum cor in oratione evagatur, longè à Deo. Embl. XL. §. 4.

FERIA 5.

Omnes qui habebant infirmos, variis languoribus, ducebant illos ad eum. Luc. 4. Morbi aliaq; adversa, nos ad Deum ire compellunt. Embl. XXIV. *Detinebant eum ne discederet ab eis.* ib. Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis; nunc viluit. Embl. XIV.

FE-

UVA. BHSC. BU 02224

FERIA 6.

Mirabantur quia cum muliere loquebatur. Ioan. 4. Converſationem cum feminis cavendam. Emb. XLI. *qui metit, mercedem accipit.* ibid. Maxima merces pro opere minimo. Emb. XIII. *Non ſitiet in æternum.* ibid. Qui biberit ex latere Chriſti. Emb. XV. §. 2.

SABBATHO.

Omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos. Ioan. 8. De ſiti audiendi verbum Dei Emb. XIV. *Iam amplius noli peccare.* ib. Recidiva in peccatum maximè cavenda. Embl. XXII. per totum.

DOMINICA 4. QUADRAGESIMÆ.

Cùm ſublevaſſet ergo oculos, Joan. 6. De cuſtodia oculorum. Embl. XIX. per totum. *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid inter tantos?* ibid. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Si volucres paſcit, quantò magis vos. Embl. XLII. per totum. *Vt cognovit quod facerent eum Regem, fugit.* ibid. Honor onus, meritò fugiendum. Embl. XXI. §. 1. Honores hominem extollunt, ut lapſu graviore ruat. Embl. XLIV. per totum. Quinam exemplo Chriſti honores fugerint. ibid. §. 3.

FERIA 2.

Omnes ejecit de templo. Joan. 2. Potiori jure ejiciendi laſcivi juvenes, qui in templo oculis fornicantur. Embl. XIX. §. 3. *Zelus domus tuæ comedit me.* ibid. Chriſtus iræ fræna laxabat pro arbitrio, habens perfectum paſſionum dominium. Emblem. XLVIII.

FERIA 3.

Hic verax eſt. Joan. 7. Solus Deus verax, omnis homo mendax. Embl. XX. *Injuſtitia in illo non eſt.* ibid. De iniquis Scribis & Cauſidicis. Embl. XLVI. Judices pecuniâ corrupti. Embl. XVI. §. 3. 4. 5. 6. *Dæmonium habes.* ibid. Graviſſimæ calumniæ in Chriſtum, alioſque viros Sanctos conjectæ. Embl. XXVI. *Gloriam propriam quærit:* ibid. Is ſtultus eſt, quia omnis ſuperbus ſtultus, ſicut omnis ſtultus ſuperbus. Emblem. XXXVIII. *Vnum opus feci, & omnes miramini.* ibid. Vulgus nihil miratur, niſi novum & rarum. Embl. XIV. §. 3. *Totum hominem ſanum feci.* ibid. Bonum ex integra cauſa. Ita & anima omni morbo curanda, aliàs qui peccat in uno, factus eſt omnium reus. Embl. XXXIX. per totum. *Nolite judicare ſecundùm faciem:* ibid. De temerario judicio. Embl. XXIX. per totum.

FERIA 4.

Præteriens vidit hominem cæcum. Joan. 9. Qui oculos ſibi eruerint, ut cæci Deum viderent, Emb. XIX. §. 6. Plures ſi cæci fuiſſent, cum ſumma jactura, à jactu oculorum. Embl. XIX. per totum. *Me oportet operari operari ejus, qui miſit me, donec dies eſt.* ibid. Dum tempus habemus, operemur bonum.

UVA. BHSC. BU 02224

Emb.xxxvii.De pretio temporis. per totum. *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* ibid.Calumnia in Christum atioſque Sanctos. Embl.xxxvi. De temerario judicio. Embl. xxix. per totum.

FERIA 5.

Ecce defunctus. Luc.7. Peccatum mors animæ, lugenda præ morte corporis.Embl.xliii.per totum. *Et magnificabant Deum.* ibid. De Gratiarum actione. Emblem. xxxiv.

FERIA 6.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Joan.11.Infirmitas corporis ad Deum compellit,& ſæpè ſalutem animæ confert. Embl. xxiii. §. 4. *Infremuit ſpiritu & turbavit ſeipſum.* ibid. Christus pro arbitrio laxat fræna paſſionibus.Quinam earum quoque perfectum dominum conſecuti. Embl. xlviii. *Quomodo amabat eum?* ibid. Major eluxit amor in paſſione erga nos.Emb. xv. §. 2. Jesus *autem elevatis ſurſum oculis.* ibid. Quoties, & quam gravi de cauſa, Christus oculos ſuſtulerit, quos tam temerè nos cum jactura animæ undique jactamus. Embl. xix. *Pater, gratias ago tibi.* ibid. De gratiarum actione.Emb.xxxiv.

SABBATHO.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Joan.8.Christus nobis reliquit impreſſa veſtigia, ut ſequamur.Embl.v.§.1. in fine. *Vos ſecundùm carnem judicatis: ego non judico quemquam.* ibid. De temerario judicio cavendo.Embl.xxix. per totum.

DOMINICA PASSIONIS.

Si dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Ioan.8.Omnis homo mendax,quàmque illud peccatum deteſtandum. Embl. xx. per totum. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* ibid. Hoc illius eſt,qui nunquam deliquit,ſed omnia benè fecit. Eo connitendum eſt.Embl.xxxix. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* ibid. De pretio verbi Dei.Emb. xiv. *Dæmonium habes.* ibid.Calumniæ in Christum & Sanctos. Embl. xxxvi. *Non quæro gloriam meam.* ibid.Quinam exemploChriſti gloriam fugerint. Em.xliv.§.3.Honos onus grave.Em.xxi.§.1.*Gloria mea nihil eſt.*ib.Mundi gloria, divitiæ,voluptates, omnia nihil.Emblem. xxxii. per totum.

FERIA 2.

Vado ad eum qui miſit me. Ioan. 7. Christus quandoque per infeſtationes & deſolationes quaſi abſens, ut exploret fidem,& conſtantiam ſuorum. Emblem. xxvi. *Quæretis me, & non invenietis.* ibid. De pœna damni graviſſima.Emb.vii.per totum. *Si quis ſitit, veniat ad me.* ibid.In latere Christi, cellam vinariam reperiet. Embl. xv. §. 2.

FERIA 3.

Diſcipuli tui videant opera tua. Joan. 7. Opera requiri, non verba. Embl.xxxv. per totum. *Non poteſt mundus odiſſe vos.* ib. Sed hoc mirum vos non odiſſe mun-

UVA. BHSC. BU 02224

mundum, qui adeo ſuos excruciat. Embl. XXI.

FERIA 4.

Si mihi non vultis credere, operibus credite. Joan. 10. Opera verbis præſtant. Hæc teſtimonium perhibent. Embl. XXXV. *Oves meæ vocem audiunt.* ibid. De verbo Dei Embl. XIV. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea.* ibid. Ne qua ovis aberret, virga ſeu baculo adverſitatis reducit. Embl. XXIV. *Ego vitam æternam do eis.* ibid. Quanto ſolatio futurum eſt, inter paucas oves Chriſti numerari, & in vitam ingredi, ubi innumeri hœdi ad mortem æternam adjudicandi. Embl. XLVII.

FERIA 5.

Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7. De converſione animæ peccatricis, exemplo Magdalenæ. Embl. XXXI. per totum. *Lachrymis cœpit rigare pedes.* ibid. Mors animæ flenda, præ morte corporis. Embl. XLVIII. per totum. *Ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta,* &c. ibid. De temerario judicio. Embl. XXIX. per totum.

FERIA 6.

Iam non palam ambulabat. Joan. 11. Plurimi jam non palam ambulabant, quorum occulta opera bona & mala revelabit Deus in die noviſſimo. Embl. II.

SABBATHO.

Benedictus qui venit. Joan. 12. Uti hic triumphus Chriſti in luctum recidit, ita omnia mundi gaudia. Embl. XXI. per totum. *Noli timere filia Sion.* ibid. Timorem vanum mittendum. Embl. X. *Ecce Rex tuus venit.* ibid. Vere Rex, qui imperat paſſionibus. Embl. XLVIII. per totum.

DOMINICA PALMARUM.

Omnia ut in Sabbatho præcedenti.

FERIA 2.

Unxit pedes JESU, *& extersit pedes ejus capillis ſuis.* Joan. 12. Inſtrumenta nequitiæ, & vanitatis, convertenda in inſtrumenta juſtitiæ & pietatis. Embl. XXXI.

FERIA 3. & 4.

De Paſſione Domini. Embl. XV.

FERIA 5.

Cœna facta, cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas. Joan. 13. Qui indigne ad S. Cœnam accedit, judicium ſibi cum Juda manducat. Embl. XXX. *Exemplum enim dedi vobis.* ibid. De efficacia exempli boni & mali. Embl. XXVIII.

FERIA 6.

De Paſſione Domini. Embl. XV.

SABBATHO.

Præ timore autem ejus, exterriti ſunt cuſtodes. Matth. 28. Timorem omnem mittendum. Embl. X. *Non eſt hic, ſurrexit enim.* ibid. Reſurgendum quemadmodum Chriſtus, qui rurſus non moritur, ita nec homo per recidivam peccato. Embl. XXII.

UVA. BHSC. BU 02224

INDEX

In omnia Festa.

FESTO CIRCUMCISIONIS.

KAL. Januarii, in ſtrenam annulus æternitatis. per totum Emb. I.

FESTO EPIPHANIÆ.

Vbi eſt, qui natus eſt Rex? Mat. 2. Verè Regem eſſe, qui ſibi ac paſſionibus novit imperare. Embl. XLVIII. per totum. *Offerebant ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. Regi nato pro auro, offerendum cor charitate flagrans: pro thure, cor inſtar virgulæ fumi, per orationem aſcendens: pro myrrhâ, cor contritum. Emb. XL. per totum.

FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

Domine quid me vis facere? Actor. 2. De efficacia voluntatis. Embl. IX. *Centuplum accipietis.* Matt. 19. De mercede maxima, pro re minimâ. Emblem. XIII. per totum. De converſione peccatoris. Embl. XXXI. per totum.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRG.

Secundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem. Luc. 2. Omnes Dei leges Maria ſervavit. Emblem. XXXIX. Leges ſeu mandata Dei, amanti, qualis Maria, obſervatu facilia. Emb. XLV. per totum. *Homo iſte juſtus & timoratus.* Luc. 2. De ſancto timore. Embl. X. *Venit in Spiritu in templum.* ibid. Quinam in templum veniant in ſpiritu maligno, ut oculis fornicentur. Embl. XIX. §. 3. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* ibid. Ardens deſiderium videndi Deum. Embl. VII. per totum.

FESTO S. MATTHIÆ APOST.

Cecidit ſors ſuper Matthiam. Act. 1. De ſortilegio mundi. Embl. XXXII. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matt. 11. Onus mandatorum Dei leve eſt. Embl. XLV. per totum. *Ego reficiam vos.* Matt. 11. Ducendo in cellam vinariam vulnerum ſuorum. Embl. XV. §. 2. *Diſcite à me, quia mitis ſum.* ibid. Qui manſuetudine præſtantes. Emb. XLVIII. *Invenietis requiem animabus veſtris.* ibid. Requies animi ex dominio paſſionum. Embl. XLVIII.

FESTO ANNUNTIATIONIS B. V.

Ave gratiâ plena. Luc. 1. Quomodo Maria ſemper gratiâ creverit, & quo incremento. Emb. VI. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* ibid. De verbo Dei, quod retinebat in corde. Embl. XIV. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

UVA. BHSC. BU 02224

ſuum. ibid. De Incarnatione Verbi in utero matris. Embl. VI. §. 1.

FESTO RESURRECTIONIS DOMINI.

Surrexit, non eſt hic. Marc. 16. Reſurgendum cum Chriſto, & quemadmodum Chriſtus, ne iterum moriamur peccato. Embl. XXII. per totum. De recidiva.

SECUNDO FESTO PASCHÆ.

Potens in opere & ſermone. Luc. 14. Opera ſpectari, non verba. Emb. XXXV. *Mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos.* ibid. De timore panico. Embl. X. per totum. *Qui ſunt hi ſermones?* ibid. Loquebantur ad invicem de Paſſione, cujus recordatio illi gratiſſima. Embl. XV.

TERTIO FESTO PASCHÆ.

Stetit Ieſus in medio. 24. Cuique ſemper in medio ſtandum. Embl. XXIII. per totum. *Nolite timere.* ibid. Timorem vanum mittendum. Embl. X. per totum.

FESTO ASCENSIONIS.

Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Act. 1. Nubes tentationum, adverſitatis quandoque gratos ſolis radios ſubducit, ad majus meritum. Embl. XXVI. per totum.

FESTO PENTECOSTES.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Joan. 14. Mandata Dei, amanti obſervatu facilia ſunt. Embl. XLV. per totum. *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat.* ibid. Mundus ſuos in omnibus excruciat. Embl. XXI.

SECUNDO FESTO PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum. Joan. 3. Colligere eſt ex ardenti corde JESU. Embl. XV. §. 2. *Qui male agit odit lucem.* ibid. Qui male agentes in tenebris, die revelationis deducentur ipſi & opera eorum in lucem. Emblem. II. §. 2. & 3.

FESTO SS. TRINITATIS.

Quaſi in ſpeculo trigonio, creata omnia eminenter elucent. Embl. LI. ſub finem.

FESTO CORPORIS DOMINI.

Probet autem ſeipſum homo, alias judicium ſibi manducat. Embl. XXX. per totum.

FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

Dicit ei JESUS: *Ego ſum via.* Joan. 14. De triplici via perfectionis. Embl. V. per totum. *Non turbetur cor veſtrum.* ibid. Omnem metum, qui turbare poſſit, mittendum. Embl. X. Vel mentis tranquillitas ex dominio paſſionum. Embl. XLVIII. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* ibid. De ardenti deſiderio videndi Deum. Embl. VII. per totum. *Quodcunque petieritis patrem*

UVA. BHSC. BU 02224

rem in nomine meo, hoc faciam. ibid. Embl. XXVII. per totum. *Propter opera ipsa credite.* ibid. Christus docuit non tantum verbo, sed opere. Vultque diligi non lingua, sed opere. Embl. XXXV. per totum.

FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

In arbore Crucis nidificandum. Embl. XV. per tot. Cruces gravissimæ, quas mundus suis imponit. Embl. XXI. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Joan. 3. De resurrectione animæ à peccato. Embl. XXIII. De conversione peccatoris. Embl. XXXI. Adversa compellunt, ut sub arbore Crucis umbram capte-mus, & ad Christus recurra-mus. Embl. XXIV.

FESTO NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Apertum est autem ilico eius. Luc. 1. Os aperiendum in confessione. Embl. XXIII. per totum. *Quis putas puer iste erit?* ibid. Qui crevit usque ad perfectam diem. Embl. VI. per totum. *Et factus est timor super omnes vicinos.* ibid. Embl. X.

FESTO SS. PETRI ET PAULI.

Tu es Christus Filius Dei vivi. Matt. 16. Quantum meruerit hac brevi confessione. Embl. XIII.

FESTO MAGDALENÆ.

Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7. De conversione animæ peccatricis exemplo Magdalenæ. Embl. XXXI. per totum. *Lachrymis cœpit rigare pedes.* ibid. Mors animæ flenda, præ morte corporis. Embl. XLIII. per totum. *Ait intra se,* dicens: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum; quia peccatrix est.* ibid. De temerario judicio. Embl. 29. per totum.

FESTO S. JACOBI.

Petens aliquid ab eo. Matt. 20. Multi nihil petunt. Emb. XXXII. *Nescitis quid petatis.* ibid. Quia honores hominem perdunt. Embl. XLIV. per totum. Perit mater, ut filii in hac orbis comœdia habeant partes primarias. Embl. XXV.

IN FESTO S. LAURENTII.

Qui amat animam suam, perdet eam. Joan. 12. Mors corporis præ morte animæ contemnenda. Embl. XLIII.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRG.

Quasi aurora consurgens. Cant. 6. Quomodo Maria creverit in gratia usque ad perfectam diem. Embl. VI. *Audiebat verbum illius.* Luc. 10. De pretio verbi Dei. Embl. XIV. per totum. *Maria optimam partem elegit.* ibid. De desiderio videndi Deum. Embl. VII. per totum. Maria amare mortua.

FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Multitudo copiosa, &c. qui ve-

UVA. BHSC. BU 02224

venerant ut audirent eum. Joan. 6. De pretio Verbi Dei. Embl. XIV. per totum. *Quod in præsenti momentaneum est & leve tribulationis nostræ, supra modum*, &c. 2.Cor.4. Aut, si Deus maximam mercedem pro minimo opere decreverit, qualem daturus, pro gravissimo Martyrio. Embl. XIII. §.4. & per totum.

FESTO NATIVITATIS B. VIRG.

Quasi aurora consurgens. Cant. 6. Quomodo Maria creverit in gratia usque ad perfectam diem, Embl. VI.

FESTO S. MATTHÆI.

Misericordiam volo, & non sacrificium. Matt. 9. De remissione injuriæ. Embl. XLIX. per totum. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* ibid. De conversione peccatoris. Embl.XXXI. per totum. *Multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum* JESU. ibid. Judicium sibi manducat, qui audet in peccato ad Cœnam Christi accedere. Embl. XXX. per totum.

FESTO S. MICHAELIS.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matt. 18. Conversio peccatoris exhibetur in arbore silvestri, quæ vertice imminuta, & furculo inserto, instar parvuli accrescit, & profert fructus pœnitentiæ. Embl. XXXI. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis*, ibid. De scandalo. Emblem. XXVIII. per totum. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te* ibid. Embl. XLI. §. 3. & per tot. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* ibid. Quinam oculos sibi eruerint. Embl. XIX. §. 6. *Bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam.* ibid. De jactura animæ, ex jactu oculorum. Embl. XIX. per totum. De igne gehennæ. Embl. XI.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

Vidi turbam magnam. Apoc. 7. De innumerabili exercitu Beatorum. Embl. LII. §. 2. *Beati mundo corde.* Matt. 5. Qui singulariter certarunt ad castitatem illibatam servandam. Embl. XXXII. *Merces vestra copiosa est in cælis.* ibid. De mercede maxima, quam Deus pro opere minimo daturus est. Emb. XIII.

IN DIE ANIMARUM.

Mortui audient vocem Filii Dei. Joan. 5. De tuba novissima. Embl. LII. per totum.

2. De malitia peccati venialis, & tormentis Purgatorii. Embl. XII. per totum.

3. De pœna damni. Embl. VII. per totum.

IN FESTO S. MARTINI.

Si oculus tuus fuerit simplex:

UVA. BHSC. BU 02224

Luc. XI. De præstantia oculi, ejusque custodia. Embl. XIX. *Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum.* ibid. Omnia bene fecit, in quo nullæ tenebræ, nec defectus. Embl. XXIX. *Super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* ibid. Quantæ efficaciæ exemplum. Embl. XXVIII. §. 2. & 3. *Lucerna lucens & ardens.* ibid. Lucere sermone, ardere opere, hoc est, Deum diligere non verbo tantum, sed opere & veritate. Embl. XXXV. S. Martinus qui chlamyde Christum texit, quanta mercede donatus, si calix frigidæ apud Deum in æstimatione est. Embl. 13. §. 6. & per totum.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Quinque autem ex eis erant fatuæ. Matt. 25. Omnes superbos fatuos esse. Emblem. XXXVIII. *Surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.* ibid. Quæ generosæ pro virginitate decertarunt. Embl. XXXIII. *Domine, Domine aperi nobis.* ibid. Non omnis qui dicit, Domine, Domine, sed qui facit, &c. Embl. XXXV. per totum. *Nescitis diem neque horam.* ibid. De pretio temporis, eoque solerter utendum. Embl. XXXVII.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ, immensum gloriæ pondus operatur. Embl. XIII. §. 4.

FESTO S. NICOLAI.

Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Matt. 25. De mercede maxima, pro re minima. Embl. XIII. per totum. *Ecce alia quinque superlucratus sum.* ibid. Nicolaus à prima ætate semper lucrata multiplicavit, crevitque semper in gratia & merito apud Deum & homines. Embl. VI.

FESTO CONCEPTIONIS B. VIRG.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4. Bonum ex integra causa. Embl. XXXII. Primo instanti Conceptionis gratia plena. Embl. VI. §. 5.

FESTO S. THOMÆ APOST.

Venit JESUS, *& stetit in medio.* Joan. 20. Semper standum in medio. Embl. XXIII. per totum. *Noli esse incredulus, sed fidelis.* ib. De fiducia in Deum. Embl. XLII. *Vide manus mea, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* ibid. Cum Thoma nidificandum in valneribus Christi. Embl. XV. per totum.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. Omne bonum & malum, salus & perditio ex voluntate. Embl. IX. per totum. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere.* ibid. Vanum timorem mit-

UVA. BHSC. BU 02224

mittendum. Embl. k. *Non erat ei locus in diverſorio.* ibid. Chriſto naſcituro hoſpitium parandum. Embl. v. per totum.

FESTO S. STEPHANI.

Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act. 7. Remittenda injuria. Embl. XLIX. Lapides Stephani quanto in pretio, ſi Deus pro opere minimo, maximam mercedem decreverit. Embl. XIII.

FESTO S. JOANNIS EUANG.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat JESUS. Joan. 21. De affectu particulari. Embl. XXIII. §. 3. *Recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* ibid. Qui paratus accedit ad Cœnam Domini, ſugit inde mel; at qui in peccato, ſimilis eſt Judæ, cui menſa illa fuit in laqueum. Embl. XXX.

IN FESTO SS. INNOCENTUM.

Quo numero fuerint. Embl. LII. §. 2.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Quærebat videre JESUM. Luc. 16. De deſiderio videndi Deum. Embl. VII. per totum. *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. De reſtitutione. Embl. L. per totum.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Truculenta Martyrum ſupplicia. Embl. II. §. 1. *Stabunt juſti in magna conſtantia.* Sap. 5. In die judicii, adverſus tyrannos, qui ſe anguſtiaverunt, quam innumerabilis SS. Martyrum exercitus futurus eſt. Embl. LII. §. 2. *Quicumque potum dederit uni ex minimis.* &c. *non perdet mercedem ſuam.* Matt. 10. Maximam Deus mercedem pro opere minimo rependit, quantam Martyribus, non pro hauſtu frigidæ, ſed ſanguine fuſo? Embl. XIII. *Nihil opertum, quod non revelabitur.* Mat. 10. Occulta opera juſtorum, uti & peccatorum, revelanda, Embl. II. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* ibid. Ne mortem animæ incurrerent, Martyres graviſſima corporis ſupplicia ſubierunt. Embl. XLIII. *Multis paſſeribus meliores eſtis vos,* ibid. Si illos paſcit, quanto magis vos, Embl. XLII. *Quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis,* Joan. 15. Oratio juſti omnipotens, quidvis impetrat. Embl. XXVII. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa in cœlis.* Matt. 5. Quia momentaneum ac leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur. Embl. XIII. §. 4. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matt. 11. Nihil amanti difficile, amatores mundi & martyres diaboli, ardua quæque alacriter tolerant, quid ni Martyres Chriſti? Embl. XLV. Amatores mundi, & Martyres diaboli. Embl. XXI.

IN COMMUNI DOCTORUM.

Humana omnis ſcientia nihil eſt. Embl. XXXII. §. 2. Quinam inutili ac futuli ſcientiæ ſeſe dedi-

UVA. BHSC. BU 02224

dederunt, contra ac SS. Doctores, qui se, ac Deum nosse, studuerunt. Embl. IV. §. 1. & 4. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5. Doctores Ecclesiæ non tantum verbis, sed & operibus maxime claruerunt. Embl. XXXV. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* ibid. Ille vere perfectus, qui ne jota aut apicem violarit. Emblem. XXXIV.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Quantus exercitus SS. Confessorum novissimo die cogendus sit. Embl. LII. §. 2. *Spectaculum facti sumus.* 1. Cor. 4. Vita nostra comœdia, in qua SS. partes suas bene egerunt, & pulcherrimum spectaculum præbuerunt. Embl. XXV. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Temporis magna ratio habenda. Embl. XXXVIII. *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Luc. 12. Alii cor habent in loculis, alii in poculis, alii in scortis, SS. in Christo. Embl. XL. *Negotiamini dum venio.* Luc. 9. Semper in virtute & gratia crescendum. Embl. VI. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. Exiguam Petrus supellectilem reliquerat; sed voluntate omnia. Hæc pro opere à Deo spectatur & probatur. Embl. IX. *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* ibid. De mercede maxima, pro opere minimo. Embl. XIII. *Homo peregre proficiscens.* Matt. 25. In absentia patrisfam. maxime probatur fidelitas domesticorum, & Christus per tribulationes quasi absens, explorat fidem suorum. Emblem. XXIX. *Ecce alia quinque superlucratus sum.* ibid. Quinam semper in gratia creverint. Embl. VI. §. 5. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* ibid. Merces maxima respondet iis, qui fideles etiam in minimo. Embl. XIII. *Si oculus tuus nequam fuerit.* Vide in Festo S. Martini.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Vide in Festo S. Catharina.

Quinam pro virginitate tuenda generose decertarint. Embl. XXXIII. *Quæsivit lanam & linum.* Prov. 31. Quanti Deus fusum vel filum ducat. Embl. XIII. §. 3. *Fallax gratia, & vana pulchritudo.* ibid. Forma vitrea, uti & homo. Embl. LI. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Matt. 13. Minori laboris impendio cæleste regnum (quod apte margaritis confertur) acquiri, quam urinatores sibi in mari margaritas colligant.

FINIS.

UVA. BHSC. BU 02224

APPROBATIO.

LUx Euangelica ſub velum ſacrorum Emblematum recondita, à R. P. Henrico Engelgrave *S. I. nullis obfuſcata tenebris Fidei, aut bonis moribus contraria, erit Chriſtianis animis tum illuminandis, tum accendendis perutilis. Actum 2. Septemb.* 1648.

GUIL. BOLOGNINO S. T. L.
Can. & Lib. Cenſor Antverp.

UVA. BHSC. BU 02224

dederunt, contra ac SS. Doctores, qui se, ac Deum nosse, studuerunt. Embl. IV. §. 1. & 4. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5. Doctores Ecclesiæ non tantum verbis, sed & operibus maxime claruerunt. Embl. XXXV. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* ibid. Ille vere perfectus, qui ne jota aut apicem violarit. Emblem. XXXIV.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Quantus exercitus SS. Confessorum novissimo die cogendus sit. Embl. LII. §. 2. *Spectaculum facti sumus.* 1. Cor. 4. Vita nostra comœdia, in qua SS. partes suas bene egerunt, & pulcherrimum spectaculum præbuerunt. Embl. XXV. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Temporis magna ratio habenda. Embl. XXXVIII. *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Luc. 12. Alii cor habent in loculis, alii in poculis, alii in scortis, SS. in Christo. Embl. XL. *Negotiamini dum venio.* Luc. 9. Semper in virtute & gratia crescendum. Embl. VI. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. Exiguam Petrus supellectilem reliquerat; sed voluntate omnia. Hæc pro opere à Deo spectatur & probatur. Embl. IX. *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* ibid. De mercede maxima, pro opere minimo. Embl. XIII. *Homo peregre proficiscens.* Matt. 25. In absentia patrisfam. maxime probatur fidelitas domesticorum, & Christus per tribulationes quasi absens, explorat fidem suorum. Emblem. XXIX. *Ecce alia quinque superlucratus sum.* ibid. Quinam semper in gratia creverint. Embl. VI. §. 5. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* ibid. Merces maxima respondet iis, qui fideles etiam in minimo. Embl. XIII. *Si oculus tuus nequam fuerit.* Vide in Festo S. Martini.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Vide in Festo S. Catharinæ.

Quinam pro virginitate tuenda generose decertarint. Embl. XXXIII. *Quæsivit lanam & linum.* Prov. 31. Quanti Deus fusum vel filum ducat. Embl. XIII. §. 3. *Fallax gratia, & vana pulchritudo.* ibid. Forma vitrea, uti & homo. Embl. LI. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Matt. 13. Minori laboris impendio cæleste regnum (quod apte margaritis confertur) acquiri, quam urinatores sibi in mari margaritas colligant.

FINIS.

A P

UVA. BHSC. BU 02224

APPROBATIO.

LUx Euangelica ſub velum ſacrorum Emblematum recondita, à R. P. Henrico Engelgrave *S. I. nullis obfuſcata tenebris Fidei, aut bonis moribus contraria, erit Chriſtianis animis tum illuminandis, tum accendendis perutilis. Actum 2. Septemb.* 1648.

GUIL. BOLOGNINO S. T. L.
Can. & Lib. Cenſor Antverp.

UVA. BHSC. BU 02224

UVA. BHSC. BU 02224

UVA. BHSC. BU 02224

UVA. BHSC. BU 02224

UVA. BHSC. BU 02224

UVA. RHSC. BV 02224

ENGEL grabe Lux Eua Oelica

BU
Biblioteca de Santa Cruz
2.224

UVA. BHSC. BU 02224

CUSA. BHSC. BU 0222A

UVA. BHSC. BU 02224

USA. BHSC. BU 0222